






CORPUS
IURIS GERMANICI
ANTIQUI.

EX OPTIMIS SUBSIDIIS COLLEGIT EDIDIT ET LECTIONUM VARIETATEM ADIECIT

FERD. WALTER

IUR. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. IN ACADEMIA BORUSSICA-RHENANA.

TOM. III.

CAPITULARIA REGUM FRANCORUM ET IMPERATORUM POST LUDOVICUM PIUM, VETERUM FORMULARUM COLLECTIONEM AMPLISSIMAM, CAPITULA REGUM ET IMPERATORUM LEGIBUS LANGOBARDORUM ADDITA, ET APPENDICEM VARIORUM MONUMENTORUM CONTINENS.

BEROLINI
IMPENSIS G. REIMERI.
MDCCCXXIV.

INDEX
OMNIUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR

CAPITULARIA.

Kapitula Karoli Calvi.

rit, cum duodecim solidis componat. Si autem duabus vicibus, similiter.

XXXI. Si quis in geniculo transpunctus fuerit aut plagatus, ita ut claudus *a)* permaneat, ut pes eius ros tangat, quod Alamanni tautragil *b)* dicunt, cum duodecim solidis componat.

XXXII. Si tibia subtus geniculo transpuncta fuerit, cum tribus solidis componat.

XXXIII. Si autem articulus prior abscisus fuerit, cum sex solidis componat.

XXXIV. Illi autem alii articuli si abscisi fuerint toti, unusquisque cum tribus solidis componatur.

XXXV. Si totum pedem absciderit, quadraginta solidos componat. Si a genuculo abscisus fuerit, quinquaginta solidis componatur.

XXXVI. Si autem a coxa sursum abscisa fuerit, et inde vixerit, octuaginta solidis componatur.

XXXVII. Si autem aliquis alio herniam expresserit, cum tribus solidis componat.

Tit. LXVI. (67.) De eo qui alteri viam contradixerit.

Si quis liber libero in via manus iniecerit, et contra legem ei viam contradixerit, aut aliquid ei tollere voluerit, et nihil tollit, cum sex solidis componat. Et si aliquid tulit, reddat, et cum duodecim solidis componat.

Tit. LXVII. (68.) De eo qui alterum de caballo iactaverit.

Si quis liber liberum in via de caballo iactaverit, et ei tulerit, et non statim eum reddit in ipso loco, addat *c)* ei consimilem, et duodecim solidos. Haec omnis compositio, quam viris iudicavimus, feminis eorum omnia dupliciter componantur.

Tit. LXVIII. (69.) De libero qui liberum occiderit.

I. Si quis autem liber liberum occiderit, componat eum bis octuaginta solidis filiis suis.

II. Si autem filios non reliquit, nec heredes habuit, solvat cum ducentis solidis.

III. Feminas autem eorum semper in duplum componat.

IV. Medius vero Alamannus si occisus fuerit, ducentis solidis solvat eum parentibus qui eum occiderit.

---

a) Corbion. *cloppus.* *b)* Schilter. *toutregil.* *c)* Sic Herold. Schilter. *jactaverit, et ei statim reddat, et in ipso loco addat etc.* Aliae Editt. *jactaverit, et ei tulerit, et statim etc.*

Tit. LXIX. (70.) De eo qui alterius amissarium furaverit.

I. Si quis alicuius amissarium *d*) involaverit, ille cuius est, debet probare quantum valet. Si enim dicit, quod duodecim solidos valeat, cum duobus iuret quod tanti valeat, (et sic solvat illi *e*) fur talem qualem ille iuraverit in caput, et illos alios novem geldos *f*) solvat, medietatem pecuniae in auro valente, medietatem in argento, aut qualem invenire potuerit pecuniam.

II. Et si ille talem equum involaverit, quem Alamanni marach dicunt, sic eum solvat sicut et illum amissarium.

Tit. LXX. (71.) De eo qui alterius caballum involaverit.

I. Si quis alicui caballum involaverit, adpretiet eum dominus eius cum sacramento usque ad sex solidos, si tantum valet, aut plus aut minus; quantum ille cum sacramento adpretiaverit in caput, tantum restituat fur. Novem enim geldos *g*) in quali pecunia habet. Iumentum tribus solidis adpretiet, si tantum valet aut minus.

II. Si equo quem marach dicunt, oculum excusserit, aut eum excurtaverit, cum tribus solidis componat.

III. Illi alio caballo mediano si oculum excusserit, solidum unum et semis componat. Et si eum excurtaverit, similiter componat.

IV. Si enim iumento oculum excusserit, medium solidum. Et si eum excurtaverit, ita faciet.

Tit. LXXI. (72.) De eo qui equum plagaverit, dum hominem plagere voluerit.

Si quis homo in equo suo caballicaverit, et aliquis eum super ipsum plagare voluerit, et dum illum plagare voluerit, caballum eius plagaverit, ita plagam caballi componat, quemadmodum componere debuit, si dominum eius plagasset *h*).

---

d) Herold. et Lind. *admissarium.* Cod. Thuan. et Schilter. *emissarium.* *e*) Herold. et Schilt. *postea solvat ille.* *f*) Putean. et Lind. *VIIII. Weregeldos* Cod. reg. Thuan. Met. Corbion. et Herold. *VIII. geldos.* Til. *novigeldos.* Schilter. *novem geldis.* *g*) Herold. *Novem enim geldus.* Putean. *VIIII. wedregildos.* Reliqui et Til. *Octo.* Schilter. *tantum restituat. Fur enim novem geldis componat, in quali etc.* *h*) Corbion. sic habet: *Si homo in equo caballicaverit, et aliquis eum super ipsum plagare voluerit, et dum ad illum iniecit, illo caballo plagat, et si ita ad dominum fecisset, sic illo caballo componat quomodo illo domino.*

Pag. 228. *Tit. XCIII. sic apud Schilterum habet:* Si qua in exercitu pugna commissa fuerit, et duo simul stant . et tunc unus alterum fugit, et illum solum dimittit, post si revertitur ille, qui primus fugit componat bis octuaginta solidis altero quia sibi fugit.

— 229. *Tit. XCV. sic legitur apud Schilterum:* Si quis feminam ingenuam colapho percusserit, sic ut sanguis non exeat comp. solidis duobus. Si alibi lisa fuerit, solvat solidis tribus. Si barus fuerit etc.

— — *lin.* 17 *inf. loco* Si herpices fuerit, tres etc. *Schilter. habet* Si herbirem, tres etc.

— 231	— 2	—	*loco* aiium	*lege* alium	
— 252	— 9	*inf.*	— vim	— viam	
— 264	— 12	*sup.*	— sexaginta	*Mederer. habet:* XL. cogatur etc.	
— 273	— 8	—	— emundet, eum	*lege* emundet eum	
— 274	— 5	*inf.*	— asserit. Et	— asserit: et	
— 276	— 14	*sup.*	— non	— nos	
— 287	— 15	*inf.*	— dicens quod sua	— aut quis	
— 294	— 8	*sup.*	— praescivit ita	— praescivit, ita	
— 297	— 32	—	— componat in	— componat. In	
— —	— 35	—	— et aliam	— (et aliam	
— 305	— 18	—	— ostendunt	— ostendant	
— 306	— 22	—	— sol. XXV. Si	— sol. XXV., si	
— —	— 23	—	— invenire, pro	— invenire; pro	
— 307	— 13	—	— amplius ad	— amplius, ad	
— 312	— 25	—	— fuerit pro	— fuerit, pro	
— 316	— 7	*inf.*	— et-terint	— - terint	
— 332	— 14	*sup.*	— condemptis	— contemptis	
— 353	— 15	—	— ipsius w), pretii	— ipsius w) pretii	
— —	— 21	—	— compotitionem	— compositionem	
— 355	— 14	*inf.*	— Si quis	— Si qui	
— 369	— 17	*sup.*	— maxila	— maxilla	
— 372	— 26	—	— *Caput LXXI. sic legendum est:* Hac omnes compositiones liberi hominis sunt.		
— 377	— 16	*inf.*	— quod	— quot	
— 381	— 4	*sup.*	— eam	— ea	
— 386	— 7	—	*sic legendum est:* pretium abstulerit, capite puniatur. Si ibi occisus fuerit non solvatur. V. Qui in screona *c*) aliquid furaverit, capite puniatur.		
— 390	— 1	—	*loco* compositionis	*lege* compositiones	
— 415	— 8	—	— Origine	— Ordine	
— 416	— 16	—	— Iudicibus	— Indicibus	
— 439	— 23	*inf.*	— multimo de	— multimode	
— 444	— 5	*sup.*	— alienus	— aliena	
— —	— 6	*inf.*	— alterii	— alteri	
— 471	— 10	*sup.*	— ac	— hac	
— 481	— 21	—	— familia	— familiae	
— 485	— 8	*inf.*	— quod	— quos	
— 498	— 1	—	— profitentur	— providentur	
— 511	— 18	*sup.*	— sub;	— ; sub	
— 583	— 3	*sup.*	— Quis	— Qui	
— 688	— 19	—	— ac	— ab	
— 738	— 7	*inf.*	— qius	— quis	

Pag. 800 *lin.* 4 *sup. loco* Psuccessisti — successisti
— 822 — 23 *sup.* — tuum — suum

IN TOMO SECUNDO.

Pag. 3 *lin.* 8 *sup. loco* custodiant, nec *lege* custodiant, (nec
— 44 — 24 — — navigatio — navigio
— 201 — 16 — — Meensis — Metensis
— 219 — 6 — — omni — omnia
— 232 — 2 *inf.* — ab — ad
— 246 — 9 *sup.* — Diviisonis — Divisionis
— 263 — 19 — — acciperit — acceperit
— 272 — 7 *sup.* — auferri — auferre
— 278 — 14 *inf.* — iustitia, delegatas — iustitia delegatas
— 400 — 6 — — Legi — Legis
— 473 — 14 *sup.* — potuerit — potuerint
— 628 — 2 — — 75 — 57
— 864 — 21 — — DCCXCIV. *sive* DCCXCIIII. *in Codice scriptum puto* DCCXCUII.

IN TOMO TERTIO.

Pag. 1 *lin.* 1 *inf. loco* Baluzio *lege* Sirmondo
— 64 — 21 — — valeat — voleat
— 266 — 19 — — licere — liceret
— 282 — 7 — — herede seius — heredes eius
— 285 — 2 — — minuiter — minuitur
— 459 — 19 — — nommendans — commendans
— 583 — 4 *sup.* — congregati — congregatis
— 592 — 15 *inf.* — et — ut
— 632 — 16 *sup.* — III. 8. 5. — III. 8. 3.
— 640 — 1 *inf.* — *de hac reservetur* — *de hac re servetur*
— 671 — 30 *sup.* — VI. *s*), solid. — VI. *s*) solid.

Capitula Ludovici Balbi.

Pag.

Capitula Ludovici II. Imp.

Fragmenta Capitularium.

FORMULAE VETERES.

CAPITULA REGUM ET IMPERATORUM
LEGIBUS LANGOBARDORUM ADDITA.

APPENDIX
VARIORUM MONUMENTORUM.

CAPITULA
KAROLI CALVI,
FRANCORUM REGIS ET IMPERATORIS.

TITULUS I. *a)*

CONVENTUS IN VILLA COLONIA.

Incipiunt Capitula quae acta sunt anno quarto regni Domni Karoli gloriosi Regis, Domni Hludouvici Imperatoris filii, in Conventu habito in villa quae dicitur Colonia: *quae etiam subscriptione eiusdem Principis et Episcoporum, ac caeterorum fidelium Dei, confirmata fuere, consensu Warini et aliorum Optimatum, Indictione sexta.*

PRAEFATIO.

Sancta Ecclesia, navis more, ut de prioribus seculis taceamus, ab initio suae institutionis pelagus seculi huius diversa qualitate hactenus, Domino moderante, transegit; et modo tranquillitate gravis, amodo autem procellae alicuius tempestate concussa, sed non usquequaque demersa; quin potius, excitato fidelium precibus Christo suo gubernatore, salubri libertatis securitate, atque optata donata serenitate. Unde etiam in partibus nostri orbis, quae tempore divae recordationis avi nostri, et sanctae memoriae Domni ac genitoris nostri, aliquandiu fuerat pacis suavitate laetata, inimico homine, iuxta sanctum Evangelium, in agro dominico superseminante discordiae zizania in medio tritici, Deo amatae caritatis, adeo est diversis atque adversis vexata molestiis, ut non sine maxima difficultate, respectu divino, et fidelium Dei ac nostrorum solatio, inter nos fratresque nostros pacificatio, et paterni regni ex consensu divisio, seu eiusdem sanctae Ecclesiae ac fidelis populi tantorum laborum quantulacunque fieret respiratio. Processu vero temporis, ut solent post con-

a) Haec distinctio in Titulos in ipsis Codd. non reperitur, sed a Baluzio commodioris usus gratia inventa est.

densos aeris turbines nubium in pertranseundo remanere vestigia, restiterunt, fatemur, in nobis et in viris ecclesiasticis, necnon et in reipublicae nostrae solatiatoribus, huiusmodi materiae et fomites dissensionum, ut manifeste patesceret nos divina gratia indigere, ut omnes à contagio morbi pristini penitus exueremur, qua praeventi eramus, ut infirmitatem communem videre possemus. Quapropter venientes in unum fideles nostri, tam in venerabili ordine clericali, quam et inlustres viri in nobili laicali habitu constituti, et zelo Dei accensi, memores etiam fidei quam ipsi et antecessores eorum nostris detulerunt Praedecessoribus, ponentesque ante oculos dilectionem et fidelitatem quam nobis post defunctionem Patris laudabiliter et continentissime servaverunt, secundum quod legitur in litteris divinitus inspiratis, hortatus est alter alterum, immo omnes se invicem monuerunt, ut cuncti universum animi rancorem pro quocunque conceptum negotio à corde propellerent, et in Dei voluntate ac sanctae Ecclesiae competenti veneratione, seu nostra fidelitate servanda, atque debito honore et regia potestate stabilienda et conservanda, quin etiam sese in pacis concordia et vera amicitia copularent; quatenus divinae clementiae placerent obnixius, et de Regis ac regni stabilitate et utilitate possent tractare sublimius, et suum atque totius populi communem profectum et tranquillitatem obtinerent propensius. Sicque Deo amabili atque laudabili conventu unanimiter ac rationabiliter perpetrato, nostrae mansuetudini suam devotionem et actionem fidelissime suggesserunt. Nos autem tanta fidelium erga dominationem nostram subtiliter perspecta benignitate, ut causa pro sui merito exigebat, eis condignas gratiarum actiones retulimus, et nos nostramque potestatem eorum bonae convenientiae per benevolentiam in hoc facto, quod sine dubio ad praesentem et aeternam tendit salutem, sociam et comitem fore tota devotione spopondimus, abdicatis omnibus, quantum patitur humana fragilitas, quae persona nostri regiminis ignorantia seu iuventute aut necessitate, contra convenientem sibi salubritatem et honestatem, usque modo egerat aut alterius astu contraxerat. Qua de re communiter inito consilio, hoc scriptum fieri proposuimus, quod etiam manuum omnium nostrorum subscriptione roborandum decrevimus. In quo quae nobis nunc praecipue ad communem salutem, et regni soliditatem atque omnium nostrorum utilitatem, immo plenissimam honestatem visa sunt pertinere, conscripsimus: non loquentes diversarum immutatione personarum, ut modo regalis sublimitas, modo episcopalis auctoritas, modo autem fidelium loquatur commoditas; sed secundum Apostolum, sub uno capite Christo, ut revera unus homo, in unius Ecclesiae corpore, singuli autem alter alterius membra, quod prosit omnibus omnes

unanimiter una voce loquamur, per eum et in eo qui dixit, et de quo dictum est: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

(*De honore cultuque Dei, atque Ecclesiarum, et servorum Dei veneratione.*)

I. De honore videlicet et cultu Dei, atque sanctarum Ecclesiarum quae, auctore Deo, sub ditione et tuitione regiminis nostri consistunt, communiter Domino mediante decernimus ut, sicut tempore beatae recordationis Domini ac genitoris nostri excultae et honoratae, atque rebus ampliatae fuerunt, salva aequitatis ratione ita permaneant, et quae à nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de caetero sub integritate sui serventur, et Sacerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum, et debita privilegia, iuxta reverendam auctoritatem obtineant; eisdem vera regalis potestas, et inlustrium virorum strenuitas, seu reipublicae administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter et iuste concurrant.

(*Ut honor et potestas regia inconvulsa permaneat.*)

II. Honor etiam regius, et potestas regali dignitati competens, atque sinceritas et obtemperantia Seniori debita, remota omni socordia et calliditate, seu qualibet indebita quorumcunque coniunctione contra honorem et potestatem, atque salutem nostram, sive regni nostri soliditatem, nobis in omnibus et ab omnibus, sicut tempore antecessorum nostrorum consueverat, exhibeatur. Et si quis quemcunque contra nos et contra hanc pactam sinceritatem aliquid moliri manifeste cognoverit, si eum converti nequiverit, aperte prodat atque denotet. Et sic consilio atque auxilio episcopalis auctoritas, et fidelium unanimitas, ut noster honor et potestas regia inconvulsa permaneat, totis nisibus decertare et adiuvare procuret.

(*De iustitiis unicuique secundum legem suam faciendis.*)

III. Quia vero debitum esse cognoscimus, ut à quibus honorem suscipimus, eos iuxta dictum dominicum honoremus, volumus ut omnes fideles nostri certissimum teneant, neminem cuiuslibet ordinis aut dignitatis deinceps, nostro inconvenienti libitu, aut alterius calliditate vel iniusta cupiditate, promerito honore debere privare, nisi iustitiae iudicio et ratione atque aequitate dictante. Legem vero unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore nostrorum praedecessorum habuerunt, in omni dignitate et ordine, (favente Deo, me observaturum perdono. *b*)

---

b) al. ms. *favente Deo nostram magnificentiam observaturam promittimus.*

(*Ut nemo quicquam Regi contra iustitiae rationem suggerat.*)

IV. Quod ut facilius atque obnixius nostra auctoritas valeat observare, omnes sicut in vestra bene memorabili c) convenientia pepigistis, conservare studebitis. Immo etiam cuncti in postmodum sollicite praecavebunt ne aliquis, pro quacunque privata commoditate, aut reiicienda cupiditate, sive alicuius consanguinitatis vel familiaritatis seu amicitiae coniunctione, nobis immoderatius suggerat, vel postulationibus, aut quolibet modo inliciat ut contra iustitiam et rationem, et nostri nominis dignitatem ac regiminis aequitatem, agamus.

(*Ut si quid Regi subreptum est, fideliter admoneatur.*)

V. Et si forte subreptum nobis quippiam ut homini fuerit, competenter et fideliter, prout sublimitati regiae convenit, et necessitatibus subiectorum expedit, ut hoc rationabiliter corrigatur, vestra fidelis devotio admonere curabit.

(*De iis qui initum concordiae foedus irruperint.*)

VI. Tandem autem visum est nobis adnectere, ut si quis hoc foedus concordiae salubris, quod propter pacis caritatisque custodiam inivimus, et chyrographi virtute subscripsimus, rebelli atque animo pertinaci inruperit, Christiana dilectione admoneatur, et ad inconvulsum caritatis vinculum conservandum (quod qui tentaverit corrumpere, facilius poterit se ipsum disrumpere quam illud possit inrumpere) iuxta monita divina ut resipiscat, hortetur. Et si audierit, fiat de societate fideli omnibus gaudium. Si vero obaudire renuerit, tunc pontificalis auctoritas et regalis sublimitas, atque in caritatis connexione persistentium magnanimitas, secundum quod res et necessitas postulaverit, ac ratio expetierit, seu qualitati personae convenerit, zelum suae devotionis ferventissime exerat, et quod, inspirante Deo, agendum in omnem salutis et utilitatis atque honestatis partem iudicaverit, inrefragabiliter peragat.

TITULUS II.

Synodi ad Teudonis villam.

(De pace, et de rebus Ecclesiarum restaurandis.)

Sequuntur Capitula quae acta sunt in Synodo secus Teudonis villam habita, in loco qui dicitur Iudicium, *quando tres fratres gloriosi Principes, Hlotharius videlicet, Hludouvicus, et Karolus simul convenerunt,*

c) al. ms. *memoriali.*

anno quinto regni Karoli; cui Synodo Drogo, Metensis Episcopus, praesedit consensu eorundem Regum: quae et ipsi Principes ante se fidelesque eorum relecta Capitula adprobaverunt, et se eadem servaturos auxiliante Domino promiserunt, mense Octobrio, Indictione septima.

P R A E F A T I O.

Navis sanctae Ecclesiae ab exordio suo variis saepe perturbationibus mersa, sed excitato fidelium precibus gubernatore suo Christo nunquam est usquequaque demersa. Quae quondam etiam, ut nunc videtur, bene conlapsa, progenitorum vestrorum studio et devotione, est auctore Deo iuxta modum divinitus concessum recuperata. Unde immensas Domino Deo nostro laudes referimus, qui et corda vestra ad intentionem similem excitavit, et post vestigia patrum vestrorum, quibus per temporale regnum ad aeternum perveniatis, ire velle docuit et inspiravit. Vestrae nihilominus nobilissimae dominationi multimodas gratiarum actiones rependimus, quia ad evitandum et vestrum et nostrum periculum, et ad communem totiusque populi providendam salvationem, bonam et beneplacitam Dei voluntatem subsequi, et divinum consilium, secundum praeceptum Domini, quo dicitur: *Interroga Sacerdotes legem meam;* et, *Interroga patres tuos et adnuntiabunt tibi*, à nobis, quamquam indignis, Christi tamen Vicariis, quaerere et benigna devotione, velut revera ex ore ipsius Dei, expectare dignamini. Quod humilitatis vestrae supernum donum sancta Ecclesia cum tanto gaudio suscipit, ut de vobis etiam in consolatione sua sibi dictum à Domino aptare velit; *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii:* id est, pro iustorum progenitoribus, qui de paterno affectu ditaverunt et ampliaverunt ac coluerunt, nati sunt tibi isti filii, qui in te et paterna munera resarciant, recuperent, et conservent, et te fideli devotione, ut bonae indolis adolescentes, me super eos intendente, eisque manum solatii porrigente, tueantur et excolant.

I. His ita praemissis, nobilissimi Domini, ut cum pace vestra dicamus, quia constat hanc sanctam Ecclesiam, sanguine Christi redemptam, et Praedecessorum vestrorum multa labore redintegratam ac adunatam atque gubernatam vestra discordia esse discissam et perturbatam atque afflictam, videtur nobis, si et in praesenti feliciter regnare et in futuro cupitis esse salvi, et ab hac eadem Ecclesia vobis ad gubernandum commissa, pro qua ex ministerio regali reddituri estis Regi Regum rationem in die iudicii, tam multiplices ac perniciosas corruptionis pestilentias vultis amovere, et vigo-

rem regium ac senioralem, et super vestros et super impugnantes potestatem vestram, optatis habere, caritatem illam quam Apostolus docuit, de corde puro et conscientia bona et fide non ficta inter vos studete habere; et quia sic habeatis, et fidelibus et infidelibus vestris omni virtute et puritate curate manifestare, sicut Dominus docuit, dicens: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Quae non tantum verbo et lingua, sed potius remota quolibet modo omni occulta nocendi machinatione, aut, quod absit, aliena à caritate aperta impugnatione, quocunque quis indiget, pro viribus vero consilio et prompto auxilio ab altero adiuvetur, quoniam scriptum est: *Frater qui adiuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Et ita in populum vobis commendatum, pro ista quae hactenus operante per membra sua diabolo versata est discordia, pacem illam disseminate quam Christus in coelum ascendens fidelibus suis munere magno reliquit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis;* sine qua nemo videbit Deum.

II. Quia bene nostis ab illo qui solus merito et Rex et Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse ut pontificali auctoritate et regali potestate gubernetur, et scriptum esse liquido pervidetis: *Ubi non est gubernator, populus corruit*, et tanto periculosius, quando anima plus et pretiosa quam corpus, Canonum etiam inrefragabilis auctoritas super Episcoporum ordinatione, et in populi ad custodiendum suscepti vigilantia, ac sedium suarum tenaci stabilitate evidentissime praecipiat, ferventissime Dei legatione fungentes monemus ut sedes quae vestra discordia, ulterius nec nominanda, sine sacro episcopali ministerio et sine Episcopis viduatae manent, submota funditus peste simoniacae haereseos, sine dilatione, iuxta auctoritatem canonicam, aut Episcopos à Deo datos, et à vobis regulariter designatos et gratia Sancti Spiritus consecratos, accipiant, aut quae suis Episcopis quacunque occasione privatae sunt, canonice eos sine aliqua excusatione aut tarditate recipiant.

III. Sacrum quoque monasticum Ordinem à Deo inspiratum, et ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatissimis ac sanctissimis patribus excultum, atque per istud imperium à vestris piae memoriae Praedecessoribus propagatum, et quaedam etiam loca specialius venerabilia, contra omnem auctoritatem et rationem, ac Patrum vestrorum seu Regum praecedentium consuetudinem, laicorum curae et potestati in maximo vestro periculo et illorum perditione, et Dei ac Sanctorum non modica ad irascendum provocatione, vos commisisse dolemus. Quapropter pro Christo devotissime obsecramus ut tam magnam offensam, et iustam reprehensionem atque periculosam, sine exemplo praecedentium praesump-

tionem, ab animabus vestris et à felicitate regni vestri pellatis, et loca venerabilia et habitum ac ordinem sacrum eis qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet ex clericali et ecclesiastico vel monastico Ordine religiosis, seu et in suo sexu feminis Deo dicatis atque devotis, et in schola Christi eruditis, ad custodiendum et providendum committatis; qui et quae Dei sunt Deo, quae sunt Caesaris Caesari reddant. Qui si minus perfecte et in divina religione et in reipublicae utilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores et utiliores in locis eorum substituantur; et non propter pravorum nequitiam ordo religionis et loca sacratissima eis quibus licitum non est, committantur; cum manifestissime scriptura demonstret Ozam morte damnatum, qui arcam Domini quasi cadentem relevare voluit, quam vel contingere inlicitum ei fuit.

IV. Occasionem etiam et fomitem, unde ordo ecclesiasticus, et canonica forma, atque monastica religio, saepe à longe superiori tempore, cum minus religiosos Principes habuit, titubavit; et pene conlabens deperiit; et iterum, cum devotos et in Dei zelo ferventes Principes accipere meruit, resurrectione quadam revixit et vigorem recepit, atque sui processus tempore ambulavit, (quod non sine gravi dolore et metu ultionis divinae dicimus) in vestri regiminis tempore in destructionem, non in aedificationem, sicut Paulus docuerat, accidisse conspicimus. Quod et nostris peccatis, qui dispensatores et pastores Ecclesiarum esse debuimus, veraciter imputamus; et eorum, quorum factione res ista adeo male pullulavit et excrevit, alia praecedentia peccata hoc meruisse pro certo auctoritate divina cognoscimus: ut qui nocebant, sicut scriptum est, nocerent adhuc; et qui in sordibus erant, sordescerent adhuc. Unde Deum gravius ad iracundiam provocarent, et Sanctos, quos intercessores pro suis peccatis habere debuerant, infensos haberent, et Sacerdotes ac viros religiosos, seu Christi pauperes, quos oratores et reconciliatores sibi de suo promereri necesse fuerat, proclamatores adversum se fieri irritarent, et ad cumulum suorum peccatorum etiam illa peccata, unde in conspectu Dei rationem in die terribilis iudicii redderent, et augerent, quae illi commiserunt qui eadem ipsa peccata per intercessionem fidelissimarum oblationum deleverunt quas ecclesiasticarum rerum pervasores inconsulte et in perniciem sui sine reverentia abutuntur. Quod ita verum esse ut dicimus, Dominus protestatur, dicens: *Peccata populi mei comedunt.* Peccata enim populi comedunt qui contra auctoritatem divinam res ecclesiasticas indebite pervadunt, et nec intercessionis ope, nec praedicationis consilio, vel quocunque divino auxilio pro peccatis eorum qui eas dederant, laborant, nec pio operi, ad quod fides fidelium eas tradiderat, inservire permittunt. De quo periculoso facto vos,

Christianissimi Principes, venerabiliter admonemus, et devotissime obsecramus ut memores salutis vestrae, praesentis scilicet et aeternae, memores etiam largitatis Progenitorum vestrorum erga sanctas ecclesias, propter quam feliciter regnaverunt et sibi contrarios superaverunt, memores siquidem cum quanta religione, etiam ante Christi sanguinem, et in tempore famis in Aegypto, discretione sancti Ioseph apud nefandum Regem Pharaonem terra sacerdotalis extitit, innumera quoque scripturarum exempla, ut lacte Ecclesiae nutriti, et scientiae ipsius uberibus sufficienter repleti, ante oculos reducentes, tunicam Christi, qui vos elegit et exaltavit, quam nec milites ausi fuerunt scindere, tempore vestro quantocius reconsuite et resarcite, et nec violenta ablatione, nec inlicitorum praeceptorum confirmatione, res ab Ecclesiis vobis ad tuendum et defensandum ac propagandum commissis, auferre tentate: sed ut sanctae memoriae Avus et Pater vester eas gubernandas vobis, fautore Deo, dimiserunt, redintegrate, et praecepta regalia earundem Ecclesiarum conservate ac confirmate; ne sicut intentavit Samuel Propheta ad Roboam filium Salomonis in conscissione pallii, praesens regnum, quod absit, vobis patrum labore adquisitum et hereditate relictum, à vobis ipse Christus dividat, et aeternum regnum, quod promisit, non tribuat. Nec contra Dei faciem iratas hominum facies consideretis, quia si ad tempus illis displicueritis, cum vos Deo placebitis, in vobis ille quod promisit, implebit: *Cum placuerint,* inquiens, *Domino viae hominis, omnes inimicos eius convertet ad pacem.* Quod ut commodius valeatis implere, unusquisque vir ecclesiasticus, et intercessionis adiutorium, et solatii quo res publica indiget subsidium, iuxta quantitatem rerum Ecclesiae sibi commissae, salvo iure quod exinde divinis dispensationibus debet impendi, prompte et ex animo parare, et impigre, sicut tempore antecessorum vestrorum consueverat. studebit offerre

V. Et quia sancta Ecclesia in area triturae dominicae docta quaedam novit redarguenda, quaedam dissimulanda, quaedam etiam gemenda usque ad tempus perferenda, perspeximus eo ferventiori zelo quo maiora corrigenda sunt, vestram potestatem, et sacerdotalis consilii auctoritatem, quaedam ad praesens ex asse non valere corrigere. Et ideo de Canonicorum monasteriis et Sanctimonialium quae sub eadem forma vivere dicuntur, consideravimus, sicut Apostolus Paulus dicit, *secundum indulgentiam, non secundum imperium,* ut si propter imminentem reipublicae necessitatem laicis interim committuntur, Episcopi providentia, in cuius parochia consistunt, adiuncto sibi aliquo Abbate viro religioso, studeatur qualiter restauratio locorum, et studium ac custodia officii et religionis atque subsidium temporalis necessitatis, in eisdem locis de-

gentibus iuxta qualitatem et quantitatem moderationis adhibeatur et ministretur: et qui eadem loca tenuerint, eis inde sicut et de aliis Christianae religionis negotiis, pro Christi et vestra reverentia, obediatur. Quod si quis non fecerit, provisorum curae erit ut ad vestram hoc notitiam referant, et vestra dominatio, secundum sibi à Deo commissum ministerium, pro modo culpae quae emendanda sunt, corriget. Per loca etiam monastica eiusdem ordinis provisores necesse erit disponere, cum vestra auctoritas eos qui vices Christi secundum regulam divinitus dictatam in monasteriis agant, studuerit ordinare.

VI. Petimus tantum ut ordo ecclesiasticus, in quibuscunque ei fuerit necesse rigorem salutis humanae exerere, per potestatem vestram, et per ministerium ministrorum dominationis vestrae, secundum antiquam consuetudinem, suum vigorem recipiat; et populi generalitas, una cum ecclesiastica devotione, iudicium, quod honor Regis diligit, et iustitiam, qua thronus eius firmatur, per dispositionem vestram suscipiat; seu admonitione atque consilio sacerdotali vestra sublimitas, et quisque in quolibet statu vel ordine, de rapinis et caeteris, quae discordiae malo acciderunt, praeteritis erroribus, poenitudinem gerat, et Domini reconciliationem expostulet. Quam facile omnis qui quaesierit inveniet, si in loco discordiae plantata fuerit caritas, quae cooperit multitudinem peccatorum, eumque potius quam nos in consilio, non nostro, sed Dei, attendatis, qui dixit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

TITULUS III.

CONCILII IN VERNO PALATIO.

(De calamitatibus, tum in Clero, tum in Ordine Monastico resarciendis).

Canones Concilii in verno Palatio habiti, ubi praesedit Ebroinus Pictavorum Episcopus, et Wenilo Senonum Archiepiscopus, necnon et Hludouvicus sancti Dyonisii Abbas, et Hincmarus post Remorum Episcopus, anno quinto regni Domni nostri Karoli, filii Hludouvici Imperatoris, mense Decemb. Indictione VII.

PRAEFATIO.

Gratias omnipotenti Deo referimus, inclyte Rex Karole, nos Episcopi et caeteri fideles qui ex diversis partibus ad Ver-

num evocati sumus, quod deposita discordia, unde tot mala processerunt, quae et enumerare longum est, et declinare adhuc impossibile, redistis ad pacem cum fratribus vestris, quam et natura vobis et religione debetis: in qua ut semper maneatis per Christum, qui pax nostra est, obsecramus; ut qui maximas res vestras discordia pene dilapsas videtis, concordia et fido adiutorio relevatas cito aspiciatis. Credendum est enim Deo, de quo verissimae continent litterae: *Potestatem habet Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit, dabit illud;* et qui dignatione mirabili pollicetur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Caeterum, quia eodem Deo inspirante dignati estis iubere ut de statu Ecclesiae, qui vehementer magnitudine ac multitudine peccatorum nostrorum confusus est, tractaremus, in nomine et adiutorio eius, quae communi deliberatione reperimus, celsitudini vestrae ac populi fidelis devotioni humiliter aperimus. Neque enim nos iustos approbare contendimus; consideratione conscientiae nostrae illud Hieremiae suppliciter dicamus: *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.* Sed ad Deum reverti, et vos nobiscum trahere meditantes, officium nostrum exequimur, cunctis adquiescentibus profuturum. Quippe non vobis nostra, sed illius auctoritate loquimur qui ait: *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Absit autem ut in vobis impleatur quod sequitur: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

I. Itaque vos primo convenimus, ut, quia vestra probitas cunctis vobis potest prodesse subiectis, cultum Dei rebus omnibus praeferatis. Namque ipse dicit: *Qui glorificant me, glorificabo eos. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Praeterea misericordiam et iudicium atque iustitiam conservetis, scilicet ut misericordia temperet severitatem potestatis, iudicium comprimat obstinate peccantes, iustitia merentibus digna restituat. Siquidem: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et: *Beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam in omni tempore.* Et: *Honor Regis iudicium diligit.* Et: *iustitia firmari thronum Regis*, sapientissimi Salomonis, immo per eum loquentis Dei, prodit auctoritas. Taliter vobis agentibus, vel incruentam vobis, ut credimus, vel iustam de hostibus victoriam divina gratia providebit. Exemplo vobis esse possunt David et Ezechias, qui merito sanctitatis inimicos populi Dei, vel pugnando vel orando, mirabili celeritate vicerunt: sed et domesticum lumen Imperator Karolus, qui nomen quod familiae vestrae peperit, clarissimis actibus adornavit. Nec regni vobis amplitudinem ac soliditatem tantummodo, verum etiam vobis bene gerentibus, post vitae hu-

ius excursum eadem Dei gratia gloriam largietur aeternam, cui Rex et Propheta suspirans: *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Haec autem vestrae maiestati non temere suggerimus, quia vestri quoque cura nobis commissa est, quorum ministerio per fidem atque baptisma mundati, diem tremendi iudicii cum caeteris fidelibus expectatis.

II. Verum ut ad nos Episcopos redeamus, per hanc civilem, immo plusquam civilem discordiam, multa interdum in nobis ipsis ac aliis nobis commissis neglegimus, interdum negligere coacti sumus, ita ut in omnibus ordinibus religio magnum detrimentum acceperit, et alii quidem per ignorantiam in interitum tendant, alii vero longa licentia assuefacti impune se peccare posse confidant. Tandem igitur ad propriam et caeterorum correctionem conversi, quaesumus ut scelerum patratores, et apostolicae disciplinae contemptores, missis a latere vestro probatae fidei legatis, absque respectu personarum, et exactatione munerum, coerceantur; et otio nobis, quantum possibile est, concesso, sermo Dei praedicando fructificet, et Canonum reverenda auctoritas debitum in omnibus vigorem obtineat.

III. In locis sanctis, hoc est, monasteriis, alios studio, nonnullos desidia, multos necessitate victus et vestimenti, a sua professione deviare comperimus. Quod petimus ut in omnibus parochiis directi a vestra mansuetudine religiosi atque idonei viri, cum notitia Episcoporum, scrutentur et corrigant, ac singulorum locorum statum vestrae celsitudini et nostrae mediocritati, tempore a vobis constituendo, renuntient.

IV. Monachos qui cupiditatis causa vagantur, et sanctae religionis propositum impudenter infamant, ad sua loca iubemus reverti, et regulariter Abbatum solertia recipi. Eis autem qui post evidentem professionem monachicam etiam habitum reliquerunt, vel qui sua culpa proiiciuntur, nisi redire, et quod Deo spoponderunt implere consentiant, hoc credimus posse remedio subveniri, si in ergastulis inclusi tamdiu a conventu hominum abstineantur, et pietatis intuitu convenientibus macerentur operibus, donec sanitatem correctionis admittant. Namque illi qui quondam Monachi, postea relicta singularitatis professione, ad militiam vel ad nuptias devolvuntur, Papae Leonis decreto publicae poenitentiae satisfactione purgandi sunt. De Clericis autem Ecclesiarum suarum desertoribus, antiqua forma Chalcedonensis Concilii servanda est, quae praescribit ut si Episcopus susceperit Clericum ad alium Episcopum pertinentem, et susceptus et suscipiens communione priventur, donec is qui migraverat Clericus, ad propriam revertatur Ecclesiam.

V. Qui sanctimonialibus inlicite miscentur, et sacri-

lega foedera cum eis faciunt nuptiarum, eos Innocentii Papae censura a communione iubet suspendi; et nisi per publicam probatamque poenitentiam, omnino non recipi, aut his certe Viaticum de seculo transeuntibus, si tamen poenituerint, non negari.

VI. Ab altero vero desponsata, et ab altero rapta puella, secundum statuta Ancyrani Concilii ei a quo desponsata fuerat, reddenda est, etiamsi vim a raptore pertulerit. De raptoribus autem id nobis videtur optimum, ut quoniam Ecclesiasticam excommunicationem parvipendunt, secularium legum terreantur austeritate.

VII. Si quae Sanctimoniales causa religionis, ut eis falso videtur, vel virilem habitum sumunt, vel crines adtondent, quia ignorantia magis quam studio eas errare putamus, admonendas castigandasque decernimus, ne forte veteris ac novi instrumenti praevaricatrices, iuxta Gangrensem Synodum, severitate anathematis ab Ecclesiae corpore praecidantur.

VIII. Quoniam quosdam Episcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem vestra indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, praecavendum est utrisque ne per eorum absentiam res militaris dispendium patiatur. Itaque si vestra consentit sublimitas, homines suos reipublicae profuturos, cuilibet fidelium vestrorum, quem sibi utilem iudicaverint, committant, cuius diligentia ne se ab officio subtrahere valeant, observetur.

IX. Remorum Ecclesiam, diu multumque pastore destitutam, nuper spoliatam rebus, oneratam iniuriis, absque ingenti dolore fateri non possumus. Et quia vestram sublimitatem et nostram parvitatem eruere desideramus periculo, obsecramus ut tam foede lacerata Ecclesia redintegretur, atque iuxta venerabilium Canonum constitutionem dignus ei celeriter quaeratur et praeficiatur Episcopus; ut clerus et populus tantis attritus et spiritalibus et corporalibus incommodis, consolatione recepta, cum suo Praesule pro vestra salute ac prosperitate communi Domino studeat supplicare.

X. Aurelianensis etiam Ecclesia confusione maxima noscitur laborare. Tamen quia superiore anno Archiepiscopus Wenilo, suis annitentibus Suffraganeis, ex eodem loco Agium Presbyterum palatii vestri memoratae Ecclesiae ordinavit, probabilium Canonicorum ac laïcorum attestatione instructus, et petitione impulsus, et eadem Ecclesia nostro et vestro vacat periculo, huius rei alium exitum non videmus, nisi ut vestra pietas quod a tantis viris factum est, ratum esse permittat.

XI. De praelatione reverendissimi Dorgonis definire

aliud non audemus, nisi expectandum quam maximus cogi postest Galliae Germaniaeque conventum, et in eo metropolitanorum reliquorumque Antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus nec valemus. Nobis tamen, si quid tale alicui committi postest, et non alia quam quae praetenditur latet causa, illi potissimum convenire videtur qui et communione sacerdotii nobis, et excellentiae vestrae propinquitatis privilegio, sociatur.

XII. Veniemus nunc ad ultimam partem admonitionis nostrae; quam qua intentione fundimus, dederit Deus ut vos ac proceres caeterique fideles ea devotione suscipiatis. Videmus enim iram Dei nobis et vobis imminere, cum pro rapinis et immanibus aliis sceleribus, tum etiam maxime quod Ecclesiae facultates, quas Reges et reliqui Christiani Deo voverunt ad alimentum servorum Dei et pauperum, ad exceptionem hospitum, redemptionem captivorum, atque templorum Dei instaurationem, nunc in usu secularium detinentur. Hinc multi servi Dei penuriam cibi et potus ac vestimentorum patiuntur, pauperes consuetam eleemosynam non accipiunt, negleguntur hospites, fraudantur captivi, et fama omnium merito laceratur. Et quidem si haec a Paganis pateretur Ecclesia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppressi a filiis nostris, hoc est, ab his quos vel nos vel decessores nostri in Christo genuimus, Christianos eos nostro ministerio facientes, nullam patientiae consolationem recipimus, quoniam de illorum interitu formidamus. Certe, quod nullus, quamquam impudentissimus, negare audebit, possessio Ecclesiae votum est fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum. Votum ergo alterius quomodo quisquam Deo audet auferre, haereditatem pauperum qua temeritate praesumit invadere? Unde alii suas animas redemerunt, cur inde alii suas perdunt? Itaque quaedam loca venerabilia, quod nunquam antea auditum est, laici ex integro possident, quorumdam partem sibi vindicant, quorumdam praedia multipliciter divisa in haereditatem sibi dari fecerunt. Ægyptii Sacerdotes, famis necessitate caeteris cuncta vendentibus, suas possessiones retinuerunt, et falsi dii reverentiam a suis cultoribus meruerunt quam in hac parte solus et verus Deus non obtinet. Oza percussus est, propterea quod nutantem arcam sublevare praesumpsit, quam tangere nefas erat. Rideat hoc aliquis, nisi, quod summo dolore dicimus, quidam oppressores Ecclesiae dignum suis moribus exitum nostro etiam tempore invenerunt. Propheta clamat: *Qui dixerunt, hereditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.* Postremo ipse Dominus Iesus conditor et redemptor: *Quid proficit homo*

si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat? Et quisquam tam audax et desperatus invenitur, qui possessiones Dei ad certissimam perniciem suam occupet et invadat? O fideles Deo et vobis ipsis, nolite pro temporali abundantia divitiarum mereri sempiternam congeriem miseriarum, nec ultra decus animae vestrae tam pestifero, tam inaudito, tam denique certo sacrilegio polluatis! Reddite Deo sua, ut vestra cum pace possideatis, tormenta evadatis aeterna et postmodum ad gaudium Domini nostri, ut servi fideles, intromittamini. Seculares honores seculares possideant, ecclesiasticos ecclesiastici sortiantur. Nec nos insatiabilis cupiditatis arguatis, quia, qualescunque sumus, vera nos dicere nec ipsi nescitis. Et licet pauci, sunt tamen aliqui nostrum Deum timentes, qui iuxta illud propheticum exaudiantur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet;* quia omnium finis quotidie appropinquat; et quae videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna. Si volumus evadere praesentes calamitates et futuras evitare miserias, in commune a nostris pravitatibus ad Dominum convertamur, et declinantes a malo faciamus bonum, ut bona Domini mereamur videre in terra viventium. Tu autem, clarissime Rex, quia verissime scriptum est, *Corrumpunt mores bonos conloquia mala,* fuge perversorum consortia et consilia, nec a te quisquam petere audeat quod maiestatem tuam praestare non deceat. Nec timeas iratos homines, hoc est, terram et cinerem, amplius quam Deum qui te creavit, quique in veritate iudicabit: cuius voluntatem si perfecte secutus fueris, credimus quod a quorumlibet hominum te contumacia liberabit, et omnibus augustiis clementer eripiet, ac post hoc temporale regnum ad perpetuum cumulata felicitate perducet. In fine omnes alloquimur, quod si nostris salutaribus adquieveritis consiliis, vestro profectui plurimum congratulabimur. Sin autem nos, immo Deum per nos loquentem, contempseritis, necessitate implendi ministerii quod nollemus facere, compellemur.

TITULUS IV.

SYNODI BELVACENSIS.

Haec Capitula quae sequuntur facta sunt in Synodo habita apud Belvacum civitatem, anno incarnationis dominicae DCCCXLV, *mense Aprilio, anno sexto regni Domni Karoli, indictione septima. Quae collata sunt inter eundem Principem Domnum Karolum et Episcopos regni sui. Et eadem isdem Prin-*

ceps gloriosus, Deo teste, sub fidei suae adstipulatione, se servaturum promisit erga omnes Ecclesias et Episcopos regni sui. Quae ad vicem omnium Episcoporum sui principatus qui erant, quique futuri erant, de manu horum Episcoporum conservanda suscepit, id est, Wenilonis, Erchanradi, Immonis, Rothadi, Simeonis, Lupi, Ragenarii, Heliae, Erpoini, Aii, Hincmari Presbyteri et vocati Archiepiscopi.

(*Ut conservetur ius Ecclesiasticum.*)

I. Ut ius ecclesiasticum et legem canonicam nobis ita conservetis sicut antecessores vestri, qui hoc bene et rationabiliter observaverunt, iuxta quod sciri poterit et Deus vobis posse dederit, nostris praedecessoribus conservaverunt.

(*Ut Episcopi sine causa non deshonorentur.*)

II. Quod in mea persona nec in meo ordine, nisi forte, quod absit, inantea contra Deum et contra vos manifeste fecero, ut damnari canonice debeam, adversumme et meum ordinem ita damnabiliter non faciatis pro quacunque praeterita causa, ut mihi dehonoratio aut damnatio veniat.

(*Ut res Ecclesiis ablatae restituantur.*)

III. Quod res ad Ecclesiam mihi commissam pertinentes, et tempore principatus vestri ablatas, ita praesentaliter restituatis et restitutis conservetis sicut tempore avi et patris vestri fuerunt, et excepto superposito, quod in usus possidentium vel ex aedificiis absumptum est, quomodo tunc erant, quantum ad hoc quod res usitato nomine appellamus constat, quando vos inde illas tulistis.

(*Ut praecepta inlicita de rebus Ecclesiae rescindantur.*)

IV. Ut praecepta inlicita de rebus Ecclesiae mihi commissae à vobis facta rescidantur, et ut de caetero ne fiant caveatis.

(*Ut iniustae consuetudines ab Ecclesia non exigantur.*)

V. Ut ab Ecclesia mihi commissa indebitas consuetudines et iniustas exactationes *d)* de caetero non exactetis; sed sic eas conservetis sicut tempore Avi et Patris vestri conservatae fuerunt.

(*Ut Ecclesiae contra oppressores defendantur.*)

VI. Ut contra depraedatores et oppressores Ecclesiarum nostrarum, et rerum ad easdem pertinentium, défensionem

---

d) al. msi. *exactiones.*

secundum ministerium vestrum, quantum posse vobis Deus dederit, exhibeatis.

(*Ut praecepta Ecclesiis concessa firmentur.*)

VII. Ut praecepta quae Avus et Pater vester Ecclesiis nobis commissis fecerunt et firmaverunt, et stabilita conservaverunt, quae etiam vos confirmatis, de caetero rata conservetis.

(*Ut si quid invicem peccatur, mutuo consilio corrigatur.*)

VIII. Ut si vos contra haec Capitula, aut nos, quod absit, non malitia, nec perverso studio, sed aut per humanam fragilitatem, aut per ignorantiam, vel per subreptionem, non damnabiliter egerimus, mutuo hoc consilio corrigamus; et firmata deinceps convenientia maneat.

TITULUS V.

Apud Tolosam civitatem.

(De Clericis, ut ab Episcopis non opprimantur.)

Sequentia Capitula acta sunt apud Tolosam civitatem, anno quarto Domni Karoli, Indictione VI., mense Iunio, antequam illa quae praecedunt facta fuerint secus Teudonis villam, et in Verno palatio et in Belvaco civitate: sed ideo ante illa posita sunt, quia et dignitate generalitatis et synodali praeeminent auctoritate.

Praefatio.

Haec quae sequuntur Capitula, consulentes necessitate Episcoporum Septimaniae, et subiectorum eis Presbyterorum providentes possibilitati, tractantes etiam sacri et iuste inreprehensibilis ministerii honestatem, Presbyterorum reclamatione commoniti, moderamine mansuetudinis nostrae usque ad diligentiorem tractatum Synodi generalis decernimus.

I. Ut Episcopi nullam inquietudinem sive exprobrationem Presbyteris, aut aperte ingerendo, aut alia qualibet occasione machinando, pro eo quod se ad nos hac vice reclamare venerunt, inferant: quia longa oppressio huiusmodi itineris eos fecit subire laborem.

II. Ut unum modium frumenti, et unum modium hordei, atque unum modium vini, cum mensura quae publica et probata, ac generalis seu legitima, per civitatem et pagum atque vicinitatem habetur, Episcopi à Presbyteris accipiant, et frischingam sex valentem denarios, aut sex pro ea denarios, et non amplius exigant. Et si haec non accipiunt, accipiant, si volunt, pro his omnibus duos solidos

in denariis, sicut in Toletano et Bracarense consensu Episcopi considerasse dicuntur.

III. Ut Presbyteri qui prope civitatem quinque milliaria commanent, per famulos suos praedictam dispensam reddi in civitate cui iusserit civitatis Episcopus, faciant. Qui autem longius ab urbe commanent, statuant Episcopi loca convenientia per decanias, sicut constituti sunt Archipresbyteri, quo similiter et eadem propinquitate caeteri Presbyteri per famulos suos debitam dispensam Archipresbyteris aut Episcoporum ministris convehant. Et procurent Episcopi ne ministri illorum Presbyteros dehonorent, aut pignora inhoneste tollendo, vel locationem pro receptione dispensae exigendo; sed cum gratiarum actione recipiant quae Presbyteri cum hilaritatis humanitate, iuxta Apostolum, conferre debebunt. Quod si ministri Episcoporum Presbyteros dehonoraverint, dignam illis exinde Episcopi castigationem exhibeant; quoniam nisi fecerint, et ad nos iterum pro hoc se Presbyteri reclamaverint, motus nostros qui culpabilis repertus fuerit, sentiet.

IV. Ut in circuitione parochiae Episcopi de caetero singulos Presbyteros per singulas iacendo euntes Ecclesiolas, sicut hactenus, non praedentur: cum scriptum sit eosdem evangelizare debere, non turpis lucri gratia, ne vituperetur ministerium sanctum; sed considerent et denuntient loca sibi et populo convenientia; et illuc Presbyteri, quotquot possibilitas et moderatio providerit, plebes suas adducant, et ibidem Episcopi praedicent, confirment, et populi errata inquirant ac corrigant. Iterum autem, quia dominica voce datur licentia qui Evangelium adnuntiant, ut de Evangelio vivant, licet Paulus Apostolus nihil horum fuerit usus, Presbyteri tale coniectum faciant ut et Episcopi solatium habeant, et ipsi non graventur. Quod ita nobis fieri posse videlicet ut quatuor Presbyteri ad locum ubi quintus degit et Episcopus residet, plebes suas de quatuor partibus adducere studeant, et unusquisque eorum decem panes, et dimidium modium vini et frischingam de quatuor denariis, et pullos duos et ova decem, et modium unum de annona ad caballos in subsidium benedictionis gratia praesentet Episcopo. Et similiter quintus, in cuius domo Episcopus residet, faciat: nec amplius ab eo exigatur, nisi forte ligna et utensilia in opus ministerii commodet. Quapropter Episcopus providebit ne domus aut sepes illius à ministris vastentur.

V. Ut semel in anno Episcopi hanc circumitionem tempore congruo faciant. Et si amplius ministerium suum per dioecesim agere voluerint, hanc tamen dispensam non amplius quam semel à Presbyteris per annum accipiant.

VI. Quod et si circumitionem in salutem et necessitatem populi quacunque de causa demiserint, à Presbyteris nec hanc dispensam neque pretium illius exigant, neque aliis aut suis domesticis aut amicis exigendam concedant. Et quando circumierint, et in domo Presbyteri resederint, non sub occasione adfligendi Presbyteros inmoderate et non necessarie numerum famulorum adducant, neque vicinos ad pastum incongrue convocent. Quod et si cum caritate vocare voluerint, faciant; sed non amplius à Presbyteris, vel sub occasione vendendi, vel alio quolibet modo, quam statutum est exigant, neque paraveredos aut alias exactiones tollant.

VII. Ut Episcopi parochias Presbyterorum, propter honestum et periculosum lucrum, non dividant. Sed si necessitas populi exegerit ut plures fiant Ecclesiae aut statuantur altaria, cum ratione et auctoritate hoc faciant; scilicet ut si longitudo, aut periculum aquae, vel sylvae, aut alicuius certae rationis vel necessitatis causa poposcerit, ut populus et sexus infirmior, mulierum videlicet vel infantum, aut etiam debilium imbecillitas, ad Ecclesiam principalem non possit occurrere, et non est sic longe villa ut Presbyter illic sine periculo ad tempus et congrue non possit venire, statuatur altare; et si ita populo complacet, et commodum fuerit, ne sine ratione scandalicetur, parochia maneat indivisa. Sin autem praefatae causae postulaverint, et populus non conductus, neque cupiditate vel invidia excitatus, sed rationabiliter adclamaverit ut Ecclesia illis fieri et Presbyter debeat ordinari, hoc Episcopi episcopaliter teste Deo, in conscientiae puritate, cum ratione et auctoritate, sine intentione turpis lucri, mature consilio canonico tractent, et utilitati ac saluti subiectae plebis quaeque agenda sunt peragant; et secundum quod subtraxerint cuilibet Presbytero de parochia, de dispensa quoque debita ab illo minus accipiant, et alteri qui, quod dividitur à parochia, suscipit, sub hac eadem mensura imponant.

VIII. Ut Episcopi sub occasione quasi auctoritatem habeant Canonum, his constitutis excellentiae nostrae nequaquam resultent, aut neglegant; sed potius Canones ut intellegendi sunt intellegere et in cunctis observare procurent: quia si aliter fecerint, omnimodis et qualiter Canones fidelium decimis agendum statuant, et qualiter intellegi ac observari cum mansuetudinis nostrae decreto debeant, synodali diiudicatione et nostra auctoritate regia docebuntur.

IX. Ut Episcopi synodos à Presbyteris, nisi sicut docet auctoritas Canonum, duos scilicet, et per tempora constituta, non exigant: sed et in eisdem synodis non per occasionem, sed per veritatem ministerii sui, teste Deo, ad

quod constituti sunt, Presbyteros et tractent, et teneant, et absolvant.

TITULUS VI.

Praeceptum confirmationis pro Hispanis qui in regno Karoli Calvi morabantur, datum in eodem loco in quo et superiora Capitula conscripta sunt, id est, apud Tolosam in Monasterio sancti Saturnini, anno Christi DCCCXLIV, *regni autem eiusdem Karoli Regis quarto.*

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus, gratia Dei Rex. Si enim ea quae ob utilitatem sanctae Dei Ecclesiae imperialibus edictis sunt constituta, magnificentiae nostrae confirmatione denuo instituentes corroboramus, ad diuturnam prosperamque regni à Deo nobis collati stabilitatem idipsum adtinere non dubitamus, quin etiam ad capessendam aeternae felicitatis beatitudinem profuturum nobis liquido credimus. Itaque notum sit omnium sanctae Dei Ecclesiae fidelium atque nostrorum, praesentium scilicet et futurorum, partibus Aquitaniae, Septimaniae, sive Hispaniae consistentium magnitudini, quia progenitorum nostrorum, magnorum siquidem ortodoxorumque Imperatorum avi videlicet nostri Karoli, seu genitoris nostri Augusti Hludouvici, auctoritatem imitantes, Gothos sive Hispanos intra Barchinonam famosi nominis civitatem vel Terracium castellum cohabitantes, simul cum his omnibus qui infra eundem comitatum Barchinonae Hispanis extra civitatem quoque consistunt, quorum progenitores crudelissimum iugum inimicissimae Christiani nominis gentis Sarracenorum evitantes, ad eos fecere confugium, et eandem civitatem illorum magnipotentiae libenter condonarunt seu tradiderunt, et ab eorumdem Sarracenorum potestate se subtrahentes, eorum nostraeque demum libera et prompta voluntate se subiecerunt, complacuit mansuetudini nostrae sub immunitatis tuitione defensionisque munimine benigne suscipere ac retinere, et cohabitationem, seu necessitatibus eorum opportunum auxilium, sicut et ab illis progenitoribus eorum et ipsis constat per imperialium apicum sanctionem concessum, clementer conferre: quatenus et nostra regalis conservatio constructa, atque innovatio in eorum bene gestis operibus, exaltationi Ecclesiae pretioso Christi sanguine redemptae, et ministret augmentum, et animabus eorum ac nostrae proficiat semper in emolumentum.

I. Igitur, sicut dictum est, ad omnium vestrum notitiam pervenire volumus, quia eosdem homines sub protectione et defensione nostra denuo receptos, sicut in unitate fidei, sic etiam in unanimitate pacis et dilectionis conservare decrevimus; eo videlicet modo, ut sicut caeteri franci homines cum Comite suo in exercitum pergant, et in marcha nostra iuxta rationabilem eiusdem Comitis ordinationem atque admonitionem explorationes et excubias, quod usitato vocabulo *wactas* dicunt, facere non neglegant; et Missis nostris, quos pro rerum opportunitate illas in partes miserimus, aut Legatis qui de partibus Hispaniae ad nos transmissi fuerint, paratas faciant, et ad subvectionem eorum veredos donent, ipsi videlicet et illi quorum progenitoribus, temporibus avi nostri Karoli, idipsum facere institutum fuit. Si autem hi qui veredos acceperint, reddere eos neglexerint, et eorum interveniente neglegentia perditi seu mortui fuerint, secundum legem Francorum eis quorum fuerunt, sine dilatione restituantur vel restaurentur.

II. Ecclesiarum vero census, id est, nec pascualia infra eorum terminos vel eorum villas, nec telonea infra comitatum in quo consistunt, nec alia quaelibet redibitio, neque à Comite neque à iunioribus aut ministerialibus eius, deinceps ab illis ullatenus exigatur.

III. Et nisi pro tribus criminalibus actionibus, id est, homicidio, rapto, et incendio, nec ipsi nec eorum homines à quolibet Comite aut ministro iudiciariae potestatis ullo modo iudicentur aut distringantur; sed liceat ipsis, secundum eorum legem, de aliis hominibus iudicia terminare, et praeter haec tria, et de se et de eorum hominibus secundum propriam legem omnia mutuo definire.

IV. Et si quispiam eorum in partem quam ille ad habitandum sibi excoluit, alios homines de aliis generationibus venientes adtraxerit, et secum in portione sua, quam *aprisionem* vocant, habitare fecerit, utatur illorum servitio absque alicuius contradictione vel impedimento.

V. Et si aliquis ex ipsis hominibus, qui ab eorum aliquo adtractus est et in sua portione collocatus, alium, id est, Comitis, aut Vicecomitis, aut Vicarii, aut cuiuslibet hominis Senioratum elegerit, liberam habeat licentiam abeundi; veruntamen ex his quae possidet, nihil habeat, nihilque secum ferat; sed omnia in dominium et potestatem prioris senioris plenissime revertantur.

VI. Placuit etiam nobis illis concedere, ut quicquid de heremi squalore in quolibet comitatu ad cultum frugum traxerint, aut deinceps infra eorum aprisiones excolere potuerint, integerrime teneant atque possideant

servitia tamen regalia infra comitatum, in quo consistunt, faciant.

VII. Et omnes eorum possessiones, sive aprisiones inter se vendere, concambiare, seu donare, posterisque relinquere omnino liceat. Et si filios aut nepotes non habuerint, iuxta legem eorum alii ipsorum propinqui illis hereditando succedant, ita videlicet ut quicunque successerint, servitia superius memorata persolvere non contemnant.

VIII. Simul etiam praecipientes iniungimus, ut nullus hominum de saepe memoratis eorum aprisionibus, vel villis cum propriis terminis, propriisque earum finibus et adiacentiis, iniustam inquietudinem illis inferre praesumat, aut aliquam minorationem contra legem facere audeat; sed liceat eis ipsas res cum tranquillitate pacis tenere et possidere, et secundum antiquam consuetudinem ubique pascua habere, et ligna caedere, et aquarum ductus pro suis necessitatibus, ubicunque pervenire potuerint, nemine contradicente, iuxta priscum morem semper deducere.

IX. Si autem illi propter lenitatem et mansuetudinem Comitis sui, eidem Comiti honoris et obsequii gratia quippiam de rebus suis exhibuerint, non hoc eis pro tributo vel censu aliquo computetur; neque Comes ille aut Successores eius hoc in consuetudinem venire praesumat; neque eos sibi vel hominibus suis aut mansionaticos parare, aut veredos dare, aut ullum censum vel tributum aut servitium, praeter id quod iam superius comprehensum est, praestare cogat. Sed liceat tam istis Hispanis, qui praesenti tempore in locis resident, quam his qui adhuc ad nostram fidem de iniquorum potestate fugiendo confluxerint, et in desertis atque incultis locis per nostram vel Comitis nostri licentiam consedentes aedificia fecerint, et agros incoluerint, iuxta supradictum modum sub nostra defensione atque protectione, in unitate fidei et pacis tranquillitate, residere, et nobis ea quae superius diximus, tam cum Comite suo, quam cum Missis eius, pro temporis opportunitate alacriter atque fideliter exhibere.

X. Noverint praeterea iidem Hispani sibi licentiam à nobis esse concessam ut se in vassaticum Comitis nostri, sicut alii franci homines, commendent. Et si aliquod beneficium quisquam eorum ab eo cui se commendavit, fuerit consecutus, sciat se de illo tale obsequium seniori suo exhibere debere, quale nostrates homines de simili beneficio senioribus suis exhibere solent.

Ut autem hae nostrae regalis auctoritatis litterae erga eosdem Hispanos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae et nostris inviolabiliter conserventur, manu

propria nostra eas subter firmavimus, et anuli nostri impressione signari decrevimus.

Signum KAROLI gloriosissimi Regis.

DEORMANNUS ad vicem HLUDOUVICI recognovit.

Data III. Idus Iunii, anno quarto regnante Karolo glorioso Rege.

Actum in monasterio sancti Saturnini prope Tolosam in Dei nomine feliciter. Amen.

TITULUS VII.

IN VILLA SPARNACO.

Haec quae sequuntur Capitula excerpta sunt à Domno Rege Karolo, et Principibus eius, ex his Capitulis quae anno DCCCXLVI. *ediderunt Episcopi in synodis, Wenilo scilicet cum Suffraganeis suis, Guntboldus cum Suffraganeis suis, Ursmarus cum Suffraganeis suis, Hincmarus cum Suffraganeis suis, Amalo cum Suffraganeis suis; et oblata sunt eidem Principi, sicut ipse iusserat, collecta ad relegendum in Sparnaco, villa Remensis Ecclesiae. Et quia factione quorumdam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos, dissidentibus Primoribus regni sui ab eorumdem Episcoporum ammonitione, et remotis ab eodem Concilio Episcopis, ex omnibus illis Capitulis haec tantum observanda et complacenda sibi collegerunt, et Episcopis scripto tradiderunt, dicentes non amplius de eorum Capitulis acceptasse quam ista, et ista se velle cum Principe observare.*

I. De honore et cultu Ecclesiarum.

II De honore Episcoporum et veneratione servorum Dei.

III. De iustitiis.

IV. Ut cautela fiat erga eos qui causa iuventutis aut insipientiae in aliquo fallunt, sive contemnunt admonitionem Episcoporum, ne subito aut incaute damnentur anathemate.

V. De his qui contra regiam potestatem contumaces esse moliuntur.

VI. De precariis.

VII. De hospitalibus.

VIII. De rapacibus.

IX. Ut Episcopis tempus congruum observetur ad ministerium suum peragendum.

X. Ut Clerici arma militaria non contingant.

XI. Ut Missi dirigantur qui inquirant si praecepta à nobis de rebus Ecclesiarum ad proprium sint facta.

XII. De haeresi Simoniaca.

XIII. Ut à nullo sedes episcopalis, proprio infirmante Episcopo, usurpetur.

XIV. Ut Canonici infra dormitorium dormiant.

XV. Ut Monachi ad palatium non veniant, nisi causa obedientiae, exceptis Abbatibus.

XVI. Ut laici decimas de Ecclesiis non contingant.

XVII. De Sanctimonialibus contra auctoritatem nuptis.

XVIII. De sponsis aliorum.

XIX. De sepulturis infra Ecclesiam.

Plenitudo autem Capitulorum quae in plenitudine synodalium actionum habentur, unde hae commemorationes excerptae sunt, ita per loca continentur.

Commemoratio prima, de honore videlicet et cultu Ecclesiarum, sicut supra scriptum habetur in villa Colonia, subscriptione Regis et Principum roboratum.

Commemoratio secunda, de honore Episcoporum et veneratione servorum Dei, similiter.

Commemoratio tertia, de iustitiis, similiter.

Commemoratio quinta, de his qui contra regiam potestatem contumaces esse moliuntur, similiter.

Commemoratio sexta.

Caeterae autem commemorationes, quae sequuntur, ita in praefata plenitudine cum suis Capitulis continentur.

(*Ut Missi dirigantur, qui inquirant de iis quae ad Regem et Rempublicam pertinent.*)

XX. Et ne magnificentiam vestram illuc vestrae dignitati indecens et inhonesta impellat necessitas quo non trahit voluntas, et partim necessitate, partim etiam subreptione, quia aliter quam se rei veritas habeat vobis dictum vel postulatum fuit, maxime quod ad rem publicam pertinuit, aut praereptione in beneficiario iure aut in alode adsumptum habetur, videtur nobis utile et necessarium ut fideles et strenuos Missos ex utroque ordine per singulos Comitatus regni vestri mittatis, qui omnia diligenter inbrevient quae tempore avi ac patris vestri, vel in regio specialiter servitio, vel in vassallorum dominicorum beneficiis fuerunt, et quid vel qualiter aut quantum exinde quisque modo retineat, et secundum veritatem, renuntietur vobis. Et ubi inveneritis quia ratio et utilitas, ac ordo seu veritas in absumptis vel donationibus, habeatur, in statu permaneant. Ubi autem inrationabilitas vel potius fraus inventae

fuerint, una cum consilio fidelium vestrorum hoc taliter corrigite, ut ratio atque utilitas seu iustitia non deserantur, et dignitas vestrae magnificentiae per necessitatem ita vilis non fiat, sicut vos non decere cognoscitur: quoniam domestica domus vestra aliter obsequiis domesticorum repleri non poterit, nisi habueritis unde eis meritis respondere et indigentiae solatium ferre positis. Et sic demum res publica vestra de suo suffragetur sibi, et Ecclesiae à quibus non expedit habeantur immunes.

(*De precariis et commutationibus vacante sede factis.*)

XXI. Ut precariae et commutationes tempore viduatarum Ecclesiarum factae ab his qui loca Episcoporum occupaverant, rescindantur, et cum auctoritate ecclesiastica vel civili denuo, si fiendae sunt, fiant.

(*De precariis, quomodo fieri ac renovari debeant, et de praeceptis regalibus.*)

XXII. Precariae autem à nemine de rebus ecclesiasticis fieri praesumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus Ecclesiae, in suo tantum qui dederit nomine, si res proprias et ecclesiasticas usufructuario tenere voluerit. Si autem res proprias ad praesens dimiserit, ex rebus ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantum quis nomine sumat, quia sic eas quemque tractare oportet ut alienarum dispensatorem, non propriarum largitorem. Et à nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus proprie Deo et Sanctis illius dicatis; cum ratio et usus obtineat, neminem cui non vult contra utilitatem et rationem praestitum de proprio facere beneficium. Praecepta autem regalia super precariis ecclesiasticis fieri, nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit; quoniam praecepta in iure ecclesiastico firmare indignum iudicet necesse est maiestas regia, nisi ab ecclesiastico rectore petantur. Isdem autem custos Ecclesiae sollertissime caveat ne sui ordinis et ecclesiasticae communionis forte immemor, contra auctoritatem praeceptum regium pro quacunque adsentatione fieri petat. Qui et si fecerit, non audiatur: si autem obtinuerit, regia discretione et episcopali iudicio idem rescindatur, et petitor iniustus pro Principis iniusta suggestioné digne corripiatur. Et precariae, secundum antiquam consuetudinem et auctoritatem, de quinquennio in quinquennium renoventur.

(*Ut Ecclesiae contra oppressores defendantur.*)

XXIII. Ut contra depraedatores et oppressores Ecclesiarum, et rerum ad easdem pertinentium, defensores secundum ministerium vestrum, quantum Deus posse dederit,

existatis; et praecepta quae avus et pater vester Ecclesiis ditioni vestrae subiectis fecerunt ac firmaverunt, et stabilia conservaverunt, quaeque vos confirmatis, de caetero rata in omnibus conservetis.

(*Ut Episcopis libertas à Rege et obeunda ministeria concedatur, et Episcopi concesso sibi otio non abutantur.*)

XXVIII. Ut regia magnificentia liberiorem libertatem Episcopis, ad suum peragendum in eorum parochiis ministerium, quam hactenus propter diversas perturbationes habuissent, maxime in sacratissimis temporibus, Quadragesimae scilicet et Adventus Domini, tribuat; quatenus et periculum et ipsi Episcopi, et regia dignitas salubrius pro ministerio sibi commisso et neglecto, possint evadere, et pro strenue executo divinam misericordiam sibi conciliare praevaleant. Ipsi autem Episcopi concessum sibi otium, non in suas voluptates, sed in divinum et officiosum convertant negotium: quatenus studentes praedicationi atque confirmationi, quod hactenus per parochias fuit neglectum, solerter et devotissime de caetero sit correctum et emendatum. Et non propter suam quietudinem Episcopi ad remotiora loca secedentes, et suum ministerium neglegentes, proprias deserant civitates; sed ut parochias suas cum officii efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus canonice cum suis filiis degant. Et hospitalitate ornati, quae iam pene propter diversas rapacitates adnullata est, non solum in oculis Domini propter obedientiam mandati divini reddantur conspicui, verum et bonum testimonium secundum sanctum adquirant Apostolum. Presbyteros etiam sibi commissos, et doctrina, castitate et sobrietate, atque hospitalitate secundum eorum ministerium, (ornari compellant. *e*)

(*Ut Clerici arma militaria non contingant.*)

XXXVII. Ut quicunque ex Clero esse videntur, arma non sumant, nec armati incedant; sed professionis suae vocabulum religioso habitu praebeant. Quod si contempserint, tamquam sacrorum Canonum contemptores, et ecclesiasticae sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione multentur, quia non possunt simul Deo et seculo militare.

(*De hospitalibus Scottorum, et aliis ad nihilum redactis.*)

XL. Admonenda est regia magnitudo de hospitalibus quae tempore Praedecessorum suorum et ordinata et exculta fuerunt, et modo ad nihilum sunt redacta. Sed et hospitalia Scottorum, quae sancti homines gentis illius in hoc regno construxerunt, et rebus pro sanctitate sua adquisitis am-

e) al. *ms. hortentur et compellant.*

pliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt alienata; et non solum supervenientes in eadem hospitalia non recipiuntur, verum etiam ipsi qui ab infantia in eisdem locis sub religione Domino militaverunt, exinde eiciuntur, et ostiatim mendicare coguntur. Unde pertimescenda est canonica sententia, et maxime decretalis Symmachi Papae definitio, quia ut necator pauperum, et Christi traditor Iudas, idem *f)* qui huius sceleris auctor et perpetrator esse dinoscitur, praesenti et perpetuo est anathemate feriendus. *Qui reiculam*, inquit Symmachus Papa, vel quicquid fuerit Ecclesiae, *petunt à Regibus, et corrumpendae pietatis instinctu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quae obtinent, et à communione Ecclesiae, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.* Item in canone Aurelianensi: *Si quis quolibet tempore contra hanc Constitutionem nostram venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine vel facultate xenodochii ipsius abstulerit, ut xenodochium, quod avertat Deus, esse desinat, ut necator pauperum inrevocabili anathemate feriatur.*

(*Ut per Simoniacam haeresim nemo regimen obtineat.*)

XLIII. Cavendum et summopere praecavendum, ac per virtutem Christi sanguinis interdicendum et Episcopis et Regibus, et omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus et electoribus quorumcunque, atque consensoribus seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico, ut nemo per simoniacam haeresim regiminis locum obtineat quacunque factione, seu commoditate aut donatione, per se aut per emissam personam, cum Spiritus sanctus inter caetera documenta ecclesiastica per os sancti dicat Gregorii: *Cur non perpenditur quia benedictio illi in maledictionem convertitur, quia ad hoc ut fiat haereticus promovetur?* Et item: *Ementes quippe atque vendentes par poena constringit, cum liqueat hanc haeresim in ipsa sua origine apostolica esse detestatione damnatam.* Et Apostolus docet: *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, digni sunt morte.* Et item beatus Gregorius: *Dolens*, inquit, *dico, gemens denuntio, quia Sacerdotium, quod apud vos intus cecidit, foris diu stare non poterit.* Item idem: *Adversarius animarum callida specie suadet quasi debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari; sicut scriptum est: Hostiae impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.*

(*Quomodo providendum sit Ecclesiae, cuius Episcopus infirmus est.*)

XLVII. Ut nemo, Episcopo vivente, Ecclesiam illius aut res ad eam pertinentes invadere aut dominari praesumat,

f) al. ms. *id est.*

neque sub voluntariae cleri ac populi electionis obtentu, praeter voluntatem Episcopi, quisquam quacumque seculari potestate praeditus, quasi oeconomum constituat. Sed si Episcopus ministerium ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc cum voluntate Episcopi eiusdem Ecclesiae maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Obsequium vero ad rem publicam pertinens qualiter exequatur, per tales ex subditis et ecclesiasticis ministris, cum consensu Archiepiscopi propter pacis caritatisque custodiam, Episcopus ordinet et disponat quos succedendi in episcopatu appetitus indebitus non elevet neque vexet; nisi moratus ita extiterit, ut secundum instituta beati Gregorii in libro Epistolarum, et humiliter in subditione prosit, et post utiliter conveniens sanctis regulis praesit; quia ob hoc in multis Ecclesiis scandalum magnum conspeximus. Si autem in Archiepiscopo talis necessitas acciderit, similiter ipse consilio Coepiscoporum suorum huiusmodi ordinationem exhibeat.

(*De Canonicorum in civitate vel monasteriis cura et disciplina.*)

LIII. Ut Canonici in civitate vel monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dormiant, et in refectorio comedant, et in domo infirmorum necessario subleventur, et tam sani quam et infirmi canonice vestiantur, atque in claustris horis congruis degant, et sub custodia canonica lectioni et caeteris divinae institutionis insistant officiis. Qui vero Episcoporum loci convenientiam aut facultatem non habuerit ut hoc perficere et ordinare possit, Princeps secundum constitutionem Domini Imperatoris Hludouvici annuat: id est, si vicina episcopio terra de eadem Ecclesia esse reperta fuerit, et ab alio possidetur, Ecclesiae rectori ad claustra Clericorum, vel alia quaelibet Ecclesiae commoda facienda, reddatur. Si autem de fisco fuerit, regia liberalitas eandem terram ad servorum Dei habitacula construenda largiri dignetur. Si autem de alia casa Dei aut de cuiuslibet proprio fuerit, ex convenientia commutandi licentia tribuatur. Et si paupertas loci ad aedificandas domos necessaria suffecerit, eos ad adiutorium aedificandi potestas regia cogat qui res de eadem Ecclesia in beneficiis retinent.

(*Ut Episcopus sine certa causa nullum excommunicet, nec anathema imponat sine Archiepiscopi et comprovincialium Episcoporum consensu.*)

LVI. Ut nemo Episcoporum quemlibet, sine certa et manisfesta peccati causa, communione privet ecclesiastica. Anathema autem sine consensu Archiepiscopi aut Coepiscoporum, praelata etiam evangelica admonitione, nulli imponat, nisi unde canonica docet auctoritas: quia anathema

aeternae mortis est damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine, et illi qui aliter non potuerit corrigi.

(*Ut Monachi palatium sine Episcopi auctoritate non adeant, nec vagentur, nec villicationibus diutius inserviant.*)

LVII. Ut Monachi quibus monasteriorum cura commissa non est, passim et sine auctoritate palatium non adeant, nec in eo immorentur, vel ubi et ubi discurrere ac pervagari acephali praesumant. Sed si tales quilibet fuerint ut utiles et necessarii Ecclesiae ac Principi reperiantur, cum auctoritate Episcopi canonice ac religiose pergant. Sin autem, in Monasteriis suis, sicut canonica et regularis docet institutio, religiose resideant. Quos etiam nec Episcopus, nec Abbas, vel quilibet alius eos veredariorum more in missaticis instanter transmittat; quia per quosdam illorum, contra canonicam auctoritatem, et ecclesiastica et civilia perturbantur negotia. Nec sub praetextu obedientiae diutius villicationibus inserviant; sed regulariter obedientiam vicissitudine sua peragentes, secum, ut de sancto Benedicto legitur, in monasterio habitent, atque se ipsos recolligant. Haec autem transgredientes, sive praelati in favendo, sive subditi in obtinendo, excommunicentur.

(*Ut qui nonas et decimas persolvere, aut sarta tecta restaurare negligunt, excommunicentur.*)

LXIII. Hi vero qui ex rebus ecclesiasticis nonas et decimas persolvere, et sarta tecta Ecclesiae secundum antiquam auctoritatem et consuetudinem restaurare debent, et hoc non solum neglegunt, verum et per contemptum dimittunt, atque Clericos fame et penuria, ecclesiastica quoque aedificia dissolutione adnullari permittunt, tamdiu ab ecclesiastica communione separentur usque dum diligentia emendare studeant, quod socordia neglexerunt. Quod si iterum iteraverint, post excommunicationis satisfactionem regia potestate compulsi, iuxta legale et antiquum dictum, *qui neglegit censum, perdat agrum.* Servi autem Ecclesiarum quibuscunque potestatibus subditi, unde melior consuetudo vel devotior commendatio ex tempore et iussione Domni Hludouvici, vel certe Domni Karoli, seu etiam Pippini, non existit, saltem viginti diebus in anno eidem Ecclesiae ad reficiendas ipsius ruinas absque molestia servire sinantur. Ubi autem et amplior commendatio et melior consuetudo inde habetur, pro hac nostra necessitudinis consideratione non decidat.

(*De iis qui Sanctimoniales rapiunt et in coniugium sumunt.*)

LXVII. Qui sanctimoniales virgines vel viduas rapiunt, et progressu etiam criminis in coniugium sumunt,

publicae poenitentiae iuxta modum quem praeviderit Episcopus, subigantur; ipsae vero locis congruis poenitentiae retrudantur, et ad habitum religionis redire cogantur. Uterque autem sine ulla spe uxoriae copulationis perenniter maneant. Si autem, quod absit, coniugia iterare praesumpserint, acriori subdantur vindictae, et amplius propellantur. Qui forte obedire monitis salutaribus non voluerint, anathematizentur.

(*De iis qui alienas sponsas rapiunt.*)

LXVIII. De his qui sponsas alienas rapiunt, vel consensu parentum accipiunt, antiqua et synodalis sententia observetur. Quod et si forte in Ecclesia eventus talis reperiri dinoscitur, ut pro salutis et religionis competentia humanius quiddam debeant tractare Pontifices, sicut canonica ut eisdem verbis utamur, docet auctoritas, quia prior quidem, inquiens, definitio durius, posterior autem quiddam tractaverit humanius, nullo modo, ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsae acceptor sine publica transeat poenitentia, et sponso legaliter multam componat. Quod si haec obedire renuerit, sine ulla refragatione anathematizetur: fautores vero illius iuxta modum culpae episcopali decreto poeniteant. Si vero, quod non optamus, quis de gradu ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem vel interventorem manifeste prodiderit, a gradu proprio repellatur. Et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, et canonice nequiverit approbari, secundum sanctorum Patrum statuta se purgare cogatur.

(*De sepulturis infra Ecclesiam, et de sepulchris non violandis, vel pecunia pro sepultura non exigenda.*)

LXXII. Ut nemo quemlibet mortuum in Ecclesia quasi hereditario iure, nisi autem Episcopus aut Presbyter pro qualitate conversationis et vitae dignum duxerit, sepelire praesumat. Nec quisquam ossa cuiuslibet mortui de sepulcro suo eiciat, aut sepulturam cuiusquam temerario ausu quoquo modo violet; sed unumquemque in loculo sibi à Deo praeparato atque concesso adventum sui Iudicis praestolari concedat; maxime cum non solum divinae leges, sed etiam et humanae apud humanam rempublicam sepulcrorum violatores reos mortis diiudicent. Sed et neque pro loco sepulturae, ut verbis sancti Gregorii utamur, pretium de terra concessa putredini quaerere, et (de alieno velle facere lucri g) compendium, aliquo modo tentet. Si quando autem proxi-

---

g) al. mss. *de alieno velle facere luctu; de al. nullo fac. luctu; de al. ullo fac. luctu; de al. nullo facere lucri.*

mi vel heredes sponte aliquid offerre Ecclesiae voluerint in eleemosyna defuncti, accipere non vetamus: peti vero aut aliquid exigi omnimodo prohibemus; ne, quod valde inreligiosum est, aut venalis, quod absit, dicatur Ecclesia, aut de humanis mortibus videamur gratulari, si compendium exinde studemus modo quolibet quaerere.

TITULUS VIII.

CONVENTUS APUD ARGENTORATUM.

Acta ista ideo huc translata sunt, licet in locum non suum, ut primi Regum conventus de pace tractanda non disiungerentur.

Anno dominicae Incarnationis DCCCXLII, XVI. *Kalend. Martii, Lodhuuvicus et Karolus in civitate quae olim* Argentaria *vocabatur, nunc autem* Straz-burg *vulgo dicitur, convenerunt; et sacramenta quae subter notata sunt Lodhuuvicus Romana, Karolus vero Teudisca lingua iuraverunt; ac sic ante sacramenta circumfusam plebem alter Teutisca, alter Romana lingua alloquuti sunt. Lodhuuvicus autem, quia maior natu, prior exorsus sic coepit.*

Quotiens Lodharius me, et hunc fratrem meum post obitum Patris nostri insectando usque ad internecionem delere conatus sit, nostis. Cum autem nec fraternitas nec Christianitas, nec quodlibet ingenium, salva iustitia, ut pax inter nos esset, adiuvare posset, tandem coacti rem ad iudicium omnipotentis Dei detulimus, ut suo nutu, quid cuique deberetur, contenti essemus: in quo nos, sicut nostis, per misericordiam Dei victores extitimus, is autem victus una cum suis quo valuit, secessit. Hinc vero fraterno amore correpti, necnon et super populum Christianum compassi, persequi atque delere illos noluimus; sed hactenus, sicut et antea, ut saltem deinde cuique sua iustitia cederetur, mandavimus. At ille posthac non contentus iudicio divino, sed hostili manu iterum et me et nunc fratrem meum persequi non cessat. Insuper et populum nostrum incendiis, rapinis, caedibusque devastat. Quamobrem nunc necessitate coacti convenimus. Et quoniam vos de nostra stabili fide ac firma fraternitate dubitare credimus, hoc sacramentum inter nos in conspectu vestro iurare decrevimus. Non qualibet iniqua cupiditate illecti hoc agimus, sed ut certiores, si Deus nobis vestro adiutorio quietem dederit, de communi profectu simus. Si autem, quod absit, sacramentum quod fratri meo iuravero violare praesumpsero, ab subditione mea, necnon

et à iuramento quod mihi iurastis, unumquemque vestrum absolvo *h)*.

Cumque Karolus haec eadem verba Romana lingua perorasset, Lodhuuvicus, quoniam maior natu erat, prior haec deinde se servaturum testatus est.

Pro Don *i)* amur, et pro Christian poblo, et nostro commun salvament *k)* dist di en *l)* avant, in quant Deus *m)* savir et potir *n)* me dunat, si salvarai eo *o)* cest *p)* meon fradra *q)* Karlo et in adiudha et in cadhuna cosa si cum hom *r)* per dreit son fradra *s)* salvar dist, ino quid *t)* il imi *u)* altre si faret *v)*. Et ab Ludher nul plaid nunquam *w)* prindrai qui meon vol cist meon fradre *x)* in damno sit.

Quod cum Lodhuvicus explesset, Karolus Teudisca lingua sic haec eadem verba testatus est.

In Godes minna, ind durh tes *y)* Xristianes *z)* folches ind unser bedhero gehaltnissi *a)*, fon thesemo dage *b)* frammordes so *c)* fram so mir Got geuvizzei *d)* indi madh furgibit, so hald ih tisan *e)* minan (bruodher .... soso man mit rehtum sinan bruher *f)* scal .... inthi uthaz er mig so sin madh *g)* Indi mit *h)* Luherem *i)* inno

---

h) Formulae iuramentorum, quae sequuntur, a pluribus ex variis Codd. editae sunt. Baluzius lectionem adoptavit, quae apud *Goldast. Const. Imper. T. I. p.* 190. extat. Ego illas ex *Schoepflin. Alsat. illustr. T. I. p.* 811 hausi, qui, textum Freherianum secutus, simul varias lectiones Pithoei et Du Chesnii refert.

i) Baluz. et Chesn. *Deo.*

k) Chesn. *salvamento.*

l) Iidem *in.*

m) Pith. *des.*

n) Pith., Chesn. et Baluz. *podir.*

o) Chesn. *salvareio.* Baluz. *salvarai io.*

p) Pith., Chesn. et Baluz. *cist.*

q) Iidem *fradre.*

r) Iidem *om.*

s) Chesn. et Baluz. *fradre.* Pith. *frada.*

t) Chesn. et Baluz. *in o quid.* Forte legend. *imo.*

u) Iidem et Pith. *mi.*

v) Chesn. *facet.* Baluz. *fazet.*

w) Chesn. *numquam.*

x) Baluz. *fradre Karle.*

y) Chesn. et Pith. *induithes.*

z) Baluz. *Christianes.*

a) Chesn. et Pith. *Gealtnisi.* Baluz. *Gealtnissi.*

b) Chesn. *thesenioda ge.*

c) Ches. *frammor desso.* Pith. *frammordesso.*

d) Iidem *geuuiz ei.* Baluz. *geuvizei.*

e) Chesn. *ithes an.* Pith. *ihtis an.* Baluz. *tesan.*

f) Baluz. *soso man mit rehtu sinan bruoder.* Apud Pith. sex verba inclusa desunt.

g) Baluz. *inthi ut hazermig soso maduo.* Pith. *zermigsoso.*

h) Pith. *indimit.* Chesn. *in dimid.*

i) Chesn. *Luheren.*

theinni ding ne gegango *k)* zhe minam *l)* vuillon imo, ... ce scahden *m)* vuerhen.

Sacramentum autem quod utrorumque populus quique propria lingua testatus est Romana lingua sic habet.

Si Loduvigs sacrament *n)* que son fratre Karlo iurat, conservat, et Karlus meo *o)* sendra de suo part non los tenet *p)*, si io returnar non lint pois, ne io ne neuls *q)* cui eo returnar nit pois in nulla adudha *r)* contra Lodhuuvig nun li iver.

Teudisca autem lingua.

Oba Karl then *s)* eid, then er sinemo bruodher Ludhuwige gesuor geleistit *t)*, indi *u)* Ludhuwig min herro then er imo gesuor, forbrihchit *v)* ob ih ina *w)* nes arwendenne *x)* mag, noh ih, noh thero thenihes *y)* iruuvenden mag, imo ce follus tine widhar Karle wirdhit *z)*.

Quibus peractis Lodhuuvicus Rheno tenus per Spiram, et Karolus iuxta Wasagum per Vuizzumburg, Warmaciam iter direxit.

TITULUS IX.

Conventus apud Marsnam I.

Haec quae sequuntur Capitula acta sunt quando tres Reges fratres Hlotharius scilicet, Hludouvicus, et Karolus, simul convenerunt secus municipium Treiectum, in loco qui dicitur Marsna, *anno Incarnationis dominicae* DCCCXLVII, *per mensem Februarium; etiam Capitula singulorum adnuntiationes sequuntur.*

I. De pace et concordia atque unanimitate trium fra-

---

k) Pith. *in nothe in mit hing nege gango*; Chesn. *in nothe in vit hing nege gango*. Baluz. *inno theinni thing ne gegango.*

l) Chesn. *zheminam.* Pith. *theminam.* Baluz. *zhe minan.*

m) Chesn. *ces cadhen.*

n) Chesn. et Pith. *sagrament.*

o) Iidem *meos.*

p) Chesn. *lo stanit.* Baluz. *lo stanit.*

q) Chesn. et Baluz. *veuls.*

r) Iidem et Pith. *aiudha.*

s) Baluz. *thea.*

t) Chesn. *gele istit.*

u) Chesn. et Baluz. *ind.*

v) Chesn. *forbrich chit.*

w) Idem *obi hina.*

x) Baluz. *arwenden nemag.* Chesn. *iou ven denne mag.*

y) Baluz. *thein hes.*

z) Baluz. *follusti widhar Karle ne wirdhit.*

trum et Regum inter se, et quod verissimo et non ficto caritatis vinculo sint uniti, et ut nullus deinceps scandalorum inter eos occasiones serere possit.

II. Ut ipsi mutuo sibi auxilientur, et contra Dei sanctaeque Ecclesiae ac suos inimicos, secundum opportunitatem temporis, invicem adiuvent.

III. Ut nemo per quamlibet cupiditatem leges pacis in cuiuslibet eorum regno convellere praesumat. Quod si facere praesumpserit, communem ab eis ultionem incurrat.

IV. Ut Ecclesiae Christi per omne eorum regnum pristinam dignitatem honoremque retineant; et quicquid superstite Domno Illudouvico Imperatore iure legitimo possederunt, absque ulla deminutione recipiant.

V. Ut singulis eorum fidelibus talis lex conservetur qualem temporibus priorum Regum, et praecipue avi patrisque eorum, habuisse noscuntur, si tamen et ipsi pristinam fidem erga ipsos conservent.

VI. Ut rapinae et depraedationes, quae quasi iure legitimo hactenus factae sunt, penitus interdicantur, et nemo se impune post haec eas praesumere posse confidat.

VII. Ut in singulis partibus regni Missi idonei constituantur, qui querelas pauperum et oppressiones sive quorumcunque causas examinare, et secundûm legis aequitatem, valeant definire. Et si ab uno in aliud regnum huiusmodi praesumptores confugerint, ibi similiter opprimantur.

VIII. Ut nullus in omni eorum regno deinceps raptum facere praesumat. Aut si fecerit, legaliter puniatur.

IX. Ut Regum filii legitimam hereditatem regni secundum definitas praesenti tempore portiones post eos retineant; et hoc quicunque ex his fratribus superstes fratribus fuerit, consentiat, si tamen ipsi nepotes patruis obedientes esse consenserint.

X. Ut legati ad Ducem Brittonum mittantur, qui de communi erga eos observatione pacis eum commoneant.

XI. Ut similiter ad Regem Nordmannorum legati mittantur, qui eum contestentur quod aut pacem servare studebit, aut communiter eos infensos habebit.

ADNUNTIATIO DOMNI HLOTHARII.

Nobis et fratribus nostris visum fuit ut ad Dei voluntatem quaerendam qualiter sancta Ecclesia recuperata esse possit, et pacem et nos ac vos et iste populus Christianus habere possimus, nos simul coniungeremus, sicut nunc fecimus, et sic simus inter nos sicut fratres per rectum esse debent. Et pro certo illud sciatis, quia gratias Deo sic sumus et sic permanere adiuvante Deo inante volumus, et in consilio et in auxilio unusquisque erga alterum parati sumus

adiutorium ferre, sicut fratres in Dei voluntate et communi profectu facere debent, in quisbuscunque potuerimus.

Adnuntiatio domni Hludouvici.

I. Sciatis quia fratres nostri et nos nostros Missos ad communem nepotem nostrum in Aquitaniam mittimus, et ei tales comitatus designatos mandamus in quibus ipse cum suis interim sufficienter esse possit, et fideles dilecti fratris nostri Karoli de illo regno pacem habere possint, usque dum idem nepos noster ad commune placitum nostrum veniat, ad quod cum tali securitate à nobis accepta eum venire mandamus, ut sanus venire et sanus stare et sanus reverti, quantum illum Deus salvare voluerit, possit. Et si nunc nostrum consilium audire voluerit, volumus cum Dei adiutorio et vestro consilio considerare quomodo melius, secundum communem profectum et utilitatem, inante esse possit. Et si nostrum consilium audire non voluerit, tunc sicut melius cum Dei adiutorio et vestro consilio invenire potuerimus, exinde agere volumus.

II. Sciatis etiam quia similiter Missos nostros ad Brittones mittimus, et illos ad communem profectum et pacem hortamur. Qui si audierint, aut non audierint, cum Dei adiutorio et vestro consilio exinde etiam facere volumus.

III Sciatis quia communiter Missos nostros ad Nordmannos pro pace accipienda mittimus.

IV. Sciatis etiam quia dilectus frater noster Hlotharius Missos suos ad suos homines transmittit qui usque modo in contrarietatem dilecti fratris nostri Karoli fuerunt, et illis mandat ut per nullum ingenium inante, sicut de Dei et sua gratia gaudere volunt, in illius et fidelium eius contrarietatem aliquid faciant.

V. Et sciatis quia volumus ut res Ecclesiarum, in cuiuscunque regno caput fuerit, tam de episcopatibus, quam de abbatiis, sine ulla contradictione rectores ipsarum Ecclesiarum, sicut tempore Domni ac genitoris nostri fecerunt, illas possideant.

VI. Similiter et de episcopatibus et monasteriis, ubicunque in nostro communi regno aliter est modo quam debeat, volumus una cum Dei adiutorio illud emendare, ut Ecclesia Dei suum honorem debitum habere possit, et populus suam legem et iustitiam habeat.

Adnuntiatio Karoli.

I. Sciatis quia dilecti fratres nostri et nos communiter nostrum placitum ad Missam sancti Iohannis apud Parisium condictum habemus, ubi de istis quae illi modo dixerunt, et caeteris quae ad Dei voluntatem et nostrum ac vestrum communem profectum invenire potuerimus, consideremus et

una cum Dei adiutorio ad effectum perducamus. Et volumus ut abhinc inante, ubicunque unusquisque fuerit, cum pace consistat, et ad illud placitum cum pace unusquisque veniat, quia in istis miseriis et rapinis usque modo multum Deum offendimus. Unde nobis Dei misericordiam deprecari satis necessarium esse cognoscimus.

II. Volumus etiam ut unusquisque liber homo in nostro regno seniorem qualem voluerit, in nobis et in nostris fidelibus accipiat.

III. Mandamus etiam ut nullus homo seniorem suum sine iusta ratione dimittat, nec aliquis eum recipiat nisi sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit.

IV. Et volumus ut sciatis quia nos fidelibus nostris rectum consentire volumus, et contra rationem eis facere non volumus. Et similiter vos ac caeteros fideles nostros admonemus ut vos vestris hominibus rectum consentiatis, et contra rationem illis non faciatis.

V. Et volumus ut cuiuscunque nostrum homo, in cuiuscunque regno sit, cum seniore suo in hostem vel aliis suis utilitatibus pergat; nisi talis regni invasio quam *lantuveri* dicunt, quod absit, acciderit, ut omnis populus illius regni ad eam repellendam communiter pergat.

TITULUS X.

CONVENTUS APUD MARSNAM II.

Haec quae sequuntur Capitula acta sunt anno DCCCLI *Incarnationis dominicae, quando tres fratres Reges, Hlotharius scilicet, Hludouvicus, et Karolus secus municipium Treiectum, penes locum qui dicitur* Marsna, *iterum convenerunt, et consultu Episcoporum et caeterorum fidelium eadem Capitula subscripserunt manibus propriis, et inter fideles suos perpetuo se conservaturos promiserunt. Quae Capitula singulorum in populo adnuntiationes sequuntur.*

I. Ut omnium praeteritorum malorum et contrarietatum, et supplantationum, ac malarum machinationum atque molitionum, seu nocumentorum in invicem actorum, abolitio ita inter nos et apud nos fiat, et nostris cordibus penitus avellatur cum omni malitia et rancore, ut nec in memoriam, ad retributionem duntaxat mali vel contrarietatis atque exprobationis seu improperii, de caetero exinde quiddam veniat.

II. Ut tanta Domino cooperante inter nos verae caritatis benignitas abhinc inante maneat de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, sine dolo et simulatione, ut nemo suo pari suum regnum aut suos fideles, vel quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regium pertinet, discupiat, aut forsconsiliet, aut per occultos susurrones libenter composita mendacia seu detractiones acceptet.

III. Ut unusquisque fideliter suum parem, ubicunque necessitas illi fuerit, et ipse potuerit, aut per se, aut per filium, aut per fideles suos, et consilio et auxilio adiuvet, ut regnum, fideles, prosperitatem, atque honorem regium debite valeat obtinere. Et veraciter unusquisque erga alterum certatim demonstret quia in fratris sui adversitate, si evenerit, fraterno modo contristatur, et in prosperitate illius laetatur. Et talem fidem sicut inter nos modo abhinc inante conservaturos confirmatum habemus, sic unusquisque infantibus fratris sui, si obierit, qui superfuerit conservabit.

IV. Et quia per vagos et tyrannica consuetudine inreverentes homines pax et quies regni perturbari solet, volumus ut ad quemcunque nostrum talis venerit, ut de his quae egit rationem et iustitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, nisi ut ad rectam rationem et debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cuius regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur.

V. Similiter et de eo agendum est qui pro aliquo capitali et publico crimine a quolibet Episcopo corripitur vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum et Regis regimen mutat, ne debitam poenitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragat. Interdum etiam incestam propinquam suam, aut sanctimonialem, vel raptam, sive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens secum ducit. Hic talis, cum Episcopus ad cuius curam pertinebit nobis notum fecerit, diligenter perquiratur; ne morandi vel latendi locum in regno alicuius nostrum inveniat, et Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat; sed a nobis vel per ministros reipublicae constringatur, ut et simul cum diabolica praeda, quam secum duxit, ad Episcopum suum redeat, et de quocunque crimine publico debitam poenitentiam suscipiat, aut susceptam ut legitime peragat compellatur.

VI. Ut nostri fideles, unusquisque in suo ordine et statu, veraciter sint de nobis securi quia nullum abhinc inante contra legem et iustitiam, vel auctoritatem ac iustam rationem, aut damnabimus aut dehonorabimus, aut op-

primemus, vel indebitis machinationibus affligemus. Et illorum, scilicet veraciter nobis fidelium, communi consilio, secundum Dei voluntatem, et commune salvamentum, ad restitutionem sanctae Dei Ecclesiae, et statum regni, et ad honorem regium atque pacem populi commissi nobis pertinenti, adsensum praebebimus; in hoc ut illi non solum non sint nobis contradicentes et resistentes ad ista exsequenda, verum etiam sic sint nobis fideles et obedientes, ac veri adiutores atque cooperatores, vero consilio et sincero auxilio ad ista peragenda quae praemisimus, sicut per rectum unusquisque in suo ordine et statu suo Principi et suo Seniori esse debet.

VII. Ut sic simul coniuncti et nos fratres ad invicem et nos cum fidelibus nostris, et fideles nostri nobiscum, et omnes simul cum Deo nos reconiungamus, et ut nobis sit propitius, illi pro devoto munere offeramus ut unusquisque omnium nostrum, absque sua propria excusatione vel iustificatione, recognoscamus in quibus aut singillatim aut communiter contra illius mandata et decreta suorum Sanctorum fecimus aut consensimus in ordine ecclesiastico et statu regni, et per singula in medium illa producamus, et nemo nostrum suo aut amico aut propinquo, aut confoederato, immo nec sibi seculariter parcat, ut spiritaliter et salubriter parcere possit. Quin, sicut praemisimus in praecedenti capitulo, vero consilio et sincero auxilio illa in commune certatim emendare totis viribus procuremus, quam citius rationabiliter poterimus.

VIII. Et si aliquis de subditis in quocunque ordine et statu de hac convenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, Seniores cum veraciter fidelibus suis haec secundum Dei voluntatem et legem, ac iustam rationem, velit aut nolit ille qui divino consilio et decreto, et huic convenientiae resistens et contradicens fuerit, exsequantur. Et si aliquis de Senioribus de hac convenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto, quod absit, contradixerit, cum plures Seniorum nostrorum fideles et regnorum primores in unum convenerint, eorum qui haec observaverint Seniorum consilio et Episcoporum iudicio ac communi consensu, qualiter de eo qui debite admonitus incorrigibilis perseveraverit agendum sit, favente Domino decernemus. Et ut obnixius suprascripta capitula a nobis, auxiliante Domino, inviolabiliter observentur, et nos illa observaturos certius credatur, manibus propriis eadem subter firmavimus.

ADNUNTIATIO HLOTHARII.

Volumus ut vos sapiatis quid noster adventus hic fuerit. Venimus hic ut simul, adiuvante Deo, cum fidelibus

nostris de Dei voluntate et statu sanctae Ecclesiae, ac regni et communi nostro ac vestro profectu, consideraremus, sicut et fecimus; et gratias Deo, sumus inde sic adunati, et nos ad invicem et cum fidelibus nostris, sicut nos recognoscimus quia et infra regnum et extra regnum per marcas nostras nobis est necessarium.

ADNUNTIATIO HLUDOUVICI.

Sicut meus frater vobis dicit, magna necessitas est nobis isti populo Christiano, qui nobis est a Deo commissus, ut nos ad invicem sic concordes et uniti simus quomodo Dei voluntas est et verae fraternitati convenit. Quod usque modo, postquam Deus istud regnum in manus nostras post Patrem nostrum misit, per omnia, sicut necessitas fuerat, non fuimus; et ideo tanta Deo contraria, et nobis ac vobis impedimentosa, acciderunt. Et quia modo, Domino adiuvante, sic sumus unanimes sicut per rectum esse debemus, sciatis quia unusquisque nostrum paratus est ut suum fratrem, ubicunque necessitas fuerit, et infra patriam et foris patriam, aut per seipsum aut per infantem vel fideles suos, et consilio et auxilio sic adiuvet sicut frater fratri per rectum facere debet.

ADNUNTIATIO KAROLI.

Sciatis quia et nos et fideles nostri veraciter recognoscimus quia partim necessitate, partim indebita voluntate, sicut meus frater Hludouvicus vobis dixit, multa acciderunt in isto regno quae nobis necesse non fuerat. Et sciatis quia nunc, gratias Deo, adunati sumus, et nos ad invicem et cum fidelibus nostris, et una cum Dei adiutorio, quanto melius et citius rationabiliter possumus, procuremus qualiter quae neglecta sunt, emendata fiant, ut et Deus sit nobis propitius, et ecclesiasticus ordo debitum honorem habeat, et regni nobis commissi prosperitas proveniat, et iste populus Christianus pacem habeat, et vobis lex et iustitia conservetur, et vos nobis, sicut antecessoribus fecerunt debitum honorem et auxilium exhibeatis. Et qualiter hoc consideratum et veraciter confirmatum manibus propriis habeamus, hic vobis relegetur.

Et relecta sunt in conspectu totius populi suprascripta Capitula.

TITULUS XI.

SYNODI SUESSIONENSIS.

PRAEFATIO.

Regnante in sempiternum Domino Deo universorum, anno incarnationis eiusdem Domini Dei nostri Iesu Christi DCCCLIII

anno vero regni gloriosi Karoli, filii Hludouvici religiosissimi Augusti, tertio decimo, indictione prima, Episcopis iuxta instituta Canonum Synodum celebrare volentibus, annuit idem Rex Karolus, eosque apud urbem Suessionum in monasterio sancti Medardi et sancti Sebastiani, x. Kalendas Maias convenire praecepit; ubi, posthabitis secularibus curis, ipse quoque Rex adesse dignatus est, ut non solum devotione Ecclesiae se filium esse ostenderet, verum etiam, sicubi opus esset, protectorem regia potestate monstraret.

(*De Clericis ab Ebbone post depositionem perperam ordinatis; et de legitima Hincmari successoris eius ordinatione*).

Actio. I. Cum itaque Praesules diversarum Ecclesiarum, pio Rege multa humiliter et prudenter proponente, tractassent potius quaedam quam definissent, vi. Kal. Maias Synodo praesidentibus Hincmaro Remorum, Wenilone Senonum, Amalrico Turonum, metropolitanis Episcopis, idem Remorum metropolitanus Episcopus venerabilis Hincmarus ostendit non paucos a decessore suo Ebbone, postquam canonice depositus fuerit, nec vero canonice restitutus, inrationabiliter ordinatos. Iam Rex absque ulla ambitione Synodum solus ingressus simpliciter cum Episcopis residebat. Serie igitur depositionis memorati Ebbonis plenissime prolata, multis Metropolitanis pluribusque aliis Episcopis, qui auctores fuerunt, recitatis, restitutionis autem illius non canonicae, immo nec verisimilis, paucis admodum et aliarum regionum Praesulibus nominatim expressis, claruit praefatum Ebbonem episcopale officium illicite repetisse, quosque gradibus ecclesiasticis aestimatus fuerit promovisse, damnationi potius obnoxios effecisse: Hincmarum autem successorem eius, canonicis sanctionibus caute ac subtiliter observatis, ad sedem accessisse, et praeter decreta maiorum in hac parte nihil omnino moliri; (sicut in gestis synodalibus exinde ab Episcopis eiusdem Concilii more canonico confirmatis plenius edocetur a).

(*Herimanni Episcopi Nivernensis Ecclesia, propter ipsius infirmitatem, Weniloni Archiepiscopo commendata*).

II. Postmodum venerabilis Wenilonis Senonicae urbis metropolitani Episcopi suffraganeus Nevernensis Ecclesiae, nomine Herimannus, pro suis excessibus, quos corporali molestia saepe dicebatur admittere, a sanctis Praesulibus modeste et acriter increpatus est, quod prius frequenter correptus Ordini sacratissimo perseverantia levitatum adhuc iniuriam faceret. Et in praesentia Principis infirmitatem pas-

---

a) Desunt in uno Cod.

toris nequaquam fastidientis iniunctum et Metropolitano eius ut adiunctis secum aliquot Episcopis, ad oppidum Nivernense accederet, et omnia ibi negotia ecclesiastica sapienter componeret; ipsum vero coepiscopum suum Herimannum apud urbem Senonum secum haberet, donec (aestivum tempus, quod valde contrarium infirmitati illius ferebatur, pertransiret, et sic, Domino annuente, abstinentia competenti assuetum, episcopali gravitate instructum *b*), apostolicis moribus informatum, clerus et populus eum ad sedem propriam utiliter, favente Dei gratia, revocaret.

(*De Burchardo Carnutum Episcopo cedere vel ordinari iusso*).

III. De Burchardo etiam, qui Carnutum *c*) Ecclesiam tenebat, statutum est ut aut se idoneum ad sumendum episcopalem gradum admonitu Wenilonis metropolitani Episcopi ostenderet, aut certe pronam in se clementiam Principis cognoscens, cederet, in utroque Dei iudicium experturus. Igitur sequenti die causa illius ad medium deducta, venerabiles Episcopi, Remorum Metropolitanus Hincmarus, Lugdunensium Pardulus, Aurelianorum Agius, seorsim eum admonere praecepti sunt ut si absque discrimine valeret, officium se posse aggredi fateretur; aut si non posset, propter Dei timorem, impossibilitatem ingenue confiteretur. Parte cleri, quae praesens erat, hac laicorum bonum ei testimonium perhibente, memoratis Praesulibus suadentibus, ad Concilium intromissus, tanto quidem gradu se dignum esse profiteri arrogantiae asseruit esse, non veritatis. Si quis vero crimen aliquod sibi vellet obicere, ad id purgandum se paratum esse firmavit. Nullo qui id conaretur existente, decrevit sancta Synodus ne diu Carnutum sedes vacaret, sed directis illuc, secundum voluntatem metropolitani Episcopi venerabilis Wenilonis, qui electionem praefati Burchardi recognoscerent, et ipsi referrent, optantibus canonice ordinaretur Episcopus.

(*Aldrici Episcopi paralysi laborantis Ecclesia eius Metropolitano commendata.*)

IV. Praeterea Cenomannicae urbis Aldricus Episcopus, paralysi dissolutus, epistolam direxit, causam suae absentiae insinuans, petensque ut maxime sibi adhuc viventi, et quandocunque defuncto, sacris precibus opitularentur. Quod exuberantes caritate se facturos omnes promiserunt, et Metropolitano illius Turonicae urbis venerabili Episcopo Amalrico, ut ad eandem urbem accederet, iniunxerunt,

---

b) Desunt in eod. Cod. *c*) al. ms. *Carnotenam.*

et quaecunque essent eidem Ecclesiae proficua, ut strenue exequeretur, unanimiter praeceperunt.

(Duo Monachi Presbyteri, Pippinum e S. Medardi Monasterio abducere conati, depositi atque in diversa Monasteria relegati.)

V. Ante hoc tempus venerandi Concilii, obtinente Pippino, Pippini Regis filii Hludouvici piissimi Augusti filio, Aquitaniam, etiam consentiente avunculo eius glorioso Rege Karolo, cui eadem provincia in partem obtigerat, ecclesiastica disciplina et militari soluta, eadem regio a suis indigenis valde vastata est, et multi illic impune illicita perpetrarunt. Tandem aliquando respiciente Deo populum suum, idem Pippinus a suis contemptus et desertus, atque in potestatem avunculi sui Karoli redactus, consilio reverendissimorum Pontificum et Procerum attonsus, et in habitu monachico ad monasterium sancti Medardi custodiendus et docendus deductus est. Ibi duo quidam Monachi habitu, sui propositi vix credibiliter transgressores, ardentes immodica cupiditate, eundem Pippinum abducere conati sunt, et pacem Christiani populi dissipare. Quos praesentibus diversorum coenobiorum religiosis Abbatibus, et causam subtiliter iuxta regulam beati Benedicti examinantibus, concors congregatio sancti Medardi a sua unanimitate praecidit, attestata se ab horum crimine longe absistere, quod usitatas culpas iam inde ab initio huius religionis Monachorum omnium, praeter duntaxat Eutychis et aliorum haereticorum, facile superaret. Eiectos iussu venerabilis Rothadi, Suessionum Episcopi, ad Synodi audientiam Archidiaconus deduxit; et partim confessi, partim convicti conspirationis malum perpetrasse, Canonum severitate depositi sunt; Presbyteri quippe erant, et separatim in monasteria sui Ordinis longe distantia relegati, ut deinceps nemo tale quid committere auderet, nisi qui similia perpeti non timeret.

(De Ragamfrido Diacono, qui praecepta falsa regio nomine condidisse dicebatur).

VI. Post haec gloriosissimus Domnus Rex Karolus coram sacra Synodo quendam Diaconum Remensis Ecclesiae, nomine Ragamfridum, impetiit quod praecepta falsa regio nomine compillasset, sicut ad eum quorumdam suggestionibus et verisimilibus indiciis esset perlatum. Unde quia putatum est quibusdam significationibus ut purgationem sui isdem Diaconus subterfugere voluisset, aliis aliter dicentibus, visum est omnibus in eodem sacro conventu degentibus ut ab omni Concilio illi interdiceretur ne a parochi Remensi quoquo modo praesumpsisset abscedere, donec se ab illis quae ei impingebantur idoneum redderet, vel competenter

satisfacere procuraret. Quod et omnibus singillatim Episcopis, illi auctoritate episcopali praecipientibus, ex divino mandato est interdictum.

(Sirmond. in Conciliis Galliae addit hic septem alia capita.)

VII. Septima actione eidem sacrae Synodo idem Christianissimus Domnus Rex Karolus haec quae sequuntur capitula proposuit, et consultu eorumdem Episcoporum ea per regnum suum innotescenda, exercenda, et conservanda commonuit, praecepit, et confirmavit.

CAPITULARE

Missis Dominicis per Regnum directis datum. De statu Ecclesiarum et de rebus Ecclesiasticis reformandis.

Ista Capitula Constituta sunt a Domno Karolo in Synodo apud Suessionis civitatem in Monasterio sancti Medardi, anno Incarnationis dominicae DCCCLIII *in mense Aprili.*

(*De omnium Monasteriorum instauratione.*)

Ut Missi nostri per civitates et singula monasteria, tam Canonicorum quam Monachorum sive Sanctimonialium, una cum Episcopo parochiae uniuscuiusque in qua consistunt, cum consilio etiam et consensu ipsius qui monasterium retinet, quem volumus et expresse praecipimus ut praesens sit, vitam ibi degentium et conversationem inquirant, et ubi necesse est corrigant, et ubi desunt, congruas officinas construere iubeant; et ubi sunt factae, et per negligentiam sunt destructae, instaurari praecipiant, et victum ac potum et vestimentum atque caetera necessaria, pro qualitate et possibilitate loci et inhabitantium necessitate, ordinent; et hospitalitatem supervenientium hospitum et receptionem pauperum ibidem disponant et ordinent. Ecclesiae quoque luminaria et ornatum debitum ordinent, et thesaurum ac vestimenta seu libros diligenter inbrevient, et breves nobis reportent. Inbrevient etiam quid unusquisque Ecclesiarum praelatus, quando praelationem Ecclesiae suscepit, ibi invenerit, et quid modo exinde minus sit, vel quid vel quantum sit superadditum. Quid etiam Nortmannis per nostram commendationem sive sine nostra commendatione datum sit, quidve relictum, vel quid a quoquam ibi in eleemosyna datum. Numerum etiam Canonicorum et Monachorum sive Sanctimonialium uniuscuiusque loci describant, et nobis referant ut secundum qualitatem et quantitatem loci, cum consilio Episcoporum et fidelium nostrorum, ubi minor numerus

fuerit, nostra auctoritate addamus; ubi vero indiscretione praelatorum superfuerit, ad mensuram redigamus. Inquirant quoque quot tempore avi nostri Karoli et Domni genitoris nostri Hludouvici unoquoque in loco fuerint, et quot modo sint, et ubi loca a Nortmannis sive a quibuslibet aliis destructa sunt et penitus adnullata, quot ibi nunc propter paucitatem rerum et devastationem earumdem constitui vel ordinari possint, ut inde cum consensu fidelium nostrorum ordinemus quid de caetero agendum sit. Et qualiter abbatiarum praelati, et in locis sacris inhabitantes, de his quae Missi nostri praeceperint, obedierint, nobis diligentissime et capitulatim referant.

(*De Monasteriis in alodem datis.*)

II. Ut Missi nostri diligenter investigent per singulas parochias, simul cum Episcopo, de monasteriis quae Deum timentes in suis proprietatibus aedificaverunt, et ne ab haeredibus eorum dividerentur, parentibus et praedecessoribus nostris sub immunitatis defensione tradiderunt, et postea in alodem sunt data; ut describant quae sint, et a quo vel quibus in proprietatem data sunt, et nobis renuntiare procurent; ut cum Episcopis et caeteris fidelibus nostris consideremus quid et qualiter inde, secundum Dei voluntatem et nostram salutem, agere debeamus.

(*De Capellis et Abbatiolis in beneficium datis.*)

III. Ut Missi nostri per singulas parochias, una cum Episcopo parochiae ipsius, requirant de Capellis et de Abbatiolis ex casis Dei in beneficium datis, qualis census inde exeat, ut Ecclesia de qua sunt exinde vestituram habere possit, et nobis renuntient, ut hoc nostra auctoritate commendetur atque firmetur et secundum qualitatem vel quantitatem loci Clericos et luminaria ibi ordinent, et loca restaurari faciant.

(*Ut Presbyteri omnes sub dispositione sint Episcoporum*).

IV. Denuntiandum est omnibus, et a Missis nostris ordinandum, ut omnes Ecclesiae et Presbyteri sub immunitate ac privilegio, et ordinatione atque dispositione Episcoporum singularum parochiarum, in quibus consistunt, secundum auctoritatem canonicam et Capitularia Domni Karoli Imperatoris avi nostri, et pii Augusti Hludouvici Domni et genitoris nostri, permaneant.

(*De rebus Ecclesiasticis in alodem datis*).

V. Ut Missi nostri diligenter investigent cum Episcopo et Praelatis monasteriorum, et per fideles et strenuos viros, in unaquaque parochia de rebus ecclesiasticis in alodem datis; et sicut evidentibus et veris indiciis *d*) ac auctoritatibus

d) al. ms. *iudiciis*.

compererint, diligenter a quo et quibus datae sint, vel quantum exinde sit, describant, et nobis renuntient.

(*De rebus Ecclesiasticis unde nona et decima solvi debent*).

VI. Ut Missi nostri expresse et cum omni diligentia, cum Episcopo et Praelatis monasteriorum per singulas parochias, requirant de rebus ecclesiasticis unde nonae et decimae solvi debent et non solvuntur, et persolvi ab easdem res retinentibus faciant. Et si aliqua contradictio, quae rationabilis videatur, oborta fuerit, describantur et praelatus ipsius casae Dei unde res esse noscuntur, et ille qui eas detinet, et nonam ac decimam solvere detrectat, simul cum Missis nostris ad nostram iubeatur venire praesentiam; ut tunc veritate comperta, et diffinitione decreta, quod rationabiliter invenerimus, inde praecipiamus. Volumus etiam ut investigent Missi nostri qualiter illi qui easdem res ecclesiasticas, unde decimae dantur sive non dantur, illas salvas habeant et in casticiis *e*) et in sylvis custoditis, vel si terrae aut mancipia inde perdita sint, vel aliquid huiusmodi, aut si familia oppressa sit contra legem et omnia per breves nobis renuntient Missi nostri.

(*Ut malla, vel placita, in locis sacratis, et diebus festis non fiant*).

VII. Ut Missi nostri per singulas parochias Comitibus et reipublicae ministris ex banno nostro praecipiant ne malla vel placita in exitibus et in atriis Ecclesiarum, et Presbyterorum mansionibus, neque in dominicis vel festivis diebus tenere debeant; sed Comes convenientem locum consideret et inveniat ubi stationem ad mallum tenendum constituat; quia nefas est ibi reos puniri ubi respectu divinae reverentiae misericordiam, consensu fidelium nostrorum, et decreto praedecessorum nostrorum, consequuntur.

(*Ut tempore Quadragesimae, et aliis Ieiuniorum diebus, malla vel placita non fiant*).

VIII. Ut Missi nostri Comitibus et omnibus reipublicae ministris firmiter ex verbo nostro denuntient atque praecipiant, ut a quarta feria ante initium Quadragesimae, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas Paschae, mallum vel placitum publicum, nisi de concordia et pacificatione discordantium, tenere praesumant. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem Domini usque post consecratos dies observent, necnon et in ieiuniis quatuor temporum, et in Rogationibus, et in diebus Pentecostes simili observatione eosdem feriatos dies venerari omnimodis studeant.

---

e) al. ms. *casdiciis*.

(Ut colonos ab Episcopis flagellari eorum seniores indigne non ferant.)

IX. Ut Missi nostri omnibus per singulas parochias denuntient quia si Episcopus aut ministri Episcoporum pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis propter metum aliorum, cum tali discretione sine ulla occasione indebita, sicut in Synodo conlocutum est, et vel inviti ipsi criminosi corrigantur poenitentiam temporaliter et corporaliter agant, ne aeternaliter pereant; si seniores ipsorum colonorum indigne tulerint, et aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur contendere praesumpserint, sciant quia et bannum nostrum component, et simul cum excommunicatione ecclesiastica nostram harmiscaram durissimam sustinebunt.

(Ut Ministri reipublicae Episcopis parochiam circumeuntibus sint auxilio.)

X. Ut Missi nostri omnibus reipublicae ministris denuntient ut Comites vel reipublicae ministri, simul cum Episcopo uniuscuiusque parochiae, sint in ministeriis illorum quando idem Episcopus suam parochiam circumierit, cum Episcopus eis notum fecerit; et quos per excommunicationem Episcopus adducere non potuerit, ipsi regia auctoritate, et potestate ad poenitentiam vel rationem atque satisfactionem, adducant.

(Quod super beneficia Ecclesiastica et praestarias regia praecepta non fient.)

XI. Sciant etiam fideles nostri quia concessimus in Synodo venerabilibus Episcopis ne super beneficia ecclesiastica vel praestarias, etiamsi Episcopus aut quilibet monasteriorum Praelatus inrationabiliter petierit, praecepta confirmationis nostrae ullo modo faciamus. Et ideo ab inrationabili petitione se unusquisque compescat.

(Ut commutationes rerum Ecclesiasticarum, vel mancipiorum, sine consensu Regis non fiant.

XII. Ut Missi nostri omnibus per illorum missaticum denuntient ne commutationes rerum vel mancipiorum quilibet praelatus earumdem rerum ecclesiasticarum, sine licentia vel consensu nostro, facere praesumat; neque mancipia ecclesiastica quisquam nisi ad libertatem commutet. Videlicet ut mancipia quae pro ecclesiastico dabuntur, in Ecclesiae servitute permaneant; et ecclesiasticus homo qui commutatus fuerit, perpetua libertate fruatur.

TITULUS XII.

SYNODI APUD VERMERIAM.

Haec quae sequuntur diffinitiones in Synodo apud Vermeriam palatium habita, actae sunt anno suprascriptio, in mense Augusto, indictione praefata.

(*Herimanno, postquam convaluit, Ecclesiae suae disposito restituta.*)

I. Omnibus sanctae dilectionis fratribus ad quorum haec poterunt pervenire notitiam, Wenilo Senonum, Hincmarus Remorum, Paulus Rotomagensium, Amalricus Turonum, Archiepiscopi, Pardulus Lugdunensium, Teutboldus Lingonum, Hucbertus Meldensium, Ansegaudus Abrincatum, Hrothadus Suessionum, Immo Noviomagensium, Hilmeradus Ambianensium, Yrminfridus Belvacensium, Erpoinus Silvanectensium, Baltfridus Baiocacensium, Guntbertus Ebrocensium, Eirardus Lixoviensium, Erloinus Constantiae, Hildebrannus Sagorum, Godelsadus Cabillonensium, Ionas Aeduorum, Braidingus Matisconensium, Agius Aurelianensium Episcopi, apud Vermeriam palatium iussu gloriosi Principis Karoli, anno ab incarnatione Domini DCCCLIII, Indictione prima, VI Kalend. Septembris, in nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi synodaliter congregati, salutem. Notum fraternitati vestrae fieri volumus quia nuper instanti anno per praesentem primam indictionem apud urbem Suessionum, decimo Kalendas Maias, ad Synodum convenientes, cui sacro conventui idem gloriosus Rex suam est dignatus exhibere praesentiam, inter caetera ecclesiastica negotia, de venerabili fratre nostro Herimanno, Nivernensis urbis Episcopo, quaestionalis est ratio nobis oblata. Videlicet quia infirmitate praeoccupatus seu praepeditus corporea, saepe ineptire, et quaedam quae ad naufragium rerum et facultatum ecclesiasticarum pertinere, atque ad salvationem ac debitam seu rationabilem dispensationem impedire poterant, nisi celeri remedio subventum foret, agere indiscrete soleret. Cuius suggestionis certa experimentorum documenta evidentius perquirentes, aliquanta invenimus quae nobis fidem fecerunt aliis quae audieramus sensum accommodare. Unde secundum quod in decretalibus epistolis beati Gregorii exemplo reperimus, statuimus illi oeconomum persuadere, qui ei suffragium et Ecclesiae sibi commissae custodiam debitam et canonicam exhiberet, donec annuente Domino isdem frater venerabilis à sua infirmitate optabiliter convalesceret. Sed quoniam intimatum est nobis in sua Ecclesia neminem posse reperiri qui interim eundem

venerabilem, partim indebita forte pietate, partim reverentia seniorali, secundum modum à nobis constitutum custodire aut vellet aut posset, consilii consultu illum hortati sumus ut cum Domno Wenilone praenominato, scilicet reverentissimo confratre nostro et Archiepiscopo suo, maneret, illeque ei conveniens studium impertiri curaret, et Ecclesiae Nivernensi ea quibus indigeret visitatorio officio impenderet et ordinaret, quousque aestivum tempus, quod huiusmodi infirmitati, quae impediri dicebatur, valde contrarium est, pertransiret, et saepefatus dilectissimus ac venerabilis frater noster, ut praediximus, à sua infirmitate melioraretur, et suae potestati suaeque ipsius custodiae, suaeve Ecclesiae dispositioni, ut est debitum, restitueretur. Quae quoniam, gratias Deo, ad votum iuxta divinam ordinationem, ut fuerant disposita, sunt quoque perducta, et canonica iubet auctoritas ut ab uno quilibet reiectus Episcopo, non dicamus à tantis pro tempore et ad tempus remotus secundum quendam modum Episcopis, non recipiatur sine testimonii aut litterarum evidentissimo documento, per hos nostrae humanitatis apices plerumque dictum venerabilem fratrem nostrum suae ditioni et potestati, atque episcopali custodiae, suaeque Ecclesiae gubernationi debite restituimus, et nos eum non morum vitiis, aut peccatis publicis, quae censura damnat ecclesiastica, à sua illum Ecclesia aliquantulum removisse, quod sine aperta convictione vel manifesta confessione fieri non licet, qua de re et non libet, sed corporeae suae infirmitati, et Ecclesiae sibi commissae necessitati pietative, consuluisse manifestissime demonstramus. Quod ut praesentibus scilicet et futuris temporibus enucleatius cognoscatur, his gestis manibus propriis subterfirmare decrevimus.

(*Monasterium Lebraha, quod iuris erat S. Dionysii, Conrado in precariam dari vetitum.*)

II. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Episcopi qui iussu gloriosi Principis Domni nostri Karoli ad Synodum in Vermeriam palatium convenimus, id est, Wenilo Archiepiscopus, Paulus Archiepiscopus, Amalricus Archiepiscopus, Hincmarus Archiepiscopus, Teutboldus Episcopus, Ansegaudus Episcopus, Pardulus Episcopus, Hrothadus Episcopus, Immo Episcopus, Yrminfridus Episcopus, Erpoinus Episcopus, Hilmeradus Episcopus, Agius Episcopus, Erloinus Episcopus, Baltfridus Episcopus, Guntbertus Episcopus, Eitardus Episcopus, Hildebrannus Episcopus, Ionas Episcopus, Godelsadus Episcopus, Braidingus Episcopus, Chuonrado inclyto et nobilissimo viro praesentem et aeternam optamus in omnium salvatore salutem. Cum inter

caetera ecclesiastica negotia de ordinabili dispositione monasterii sancti Dyonisii disponeremus, venerunt Monachi ipsius sacri coenobii in praesentia venerandae Synodi, deferentes auctoritates, videlicet testamentum quod sanctae recordationis Abba Fulradus de monasterio Lebbraha, ubi sanctus Alexander martyr quiescit humatus, et de cella quae ad sanctum Hippolytum nominatur, seu de rebus aliis quas per idem testamentum isdem venerabilis Abbas sancto Dionysio contulerat, necnon et privilegium quod exinde sancta Sedes apostolica per beatum Stephanum Papam eidem monasterio super praefato testamento fecerat, dicentes quod venerabilis Abbas illorum Domnus Hludouvicus, ex praecepto gloriosi Regis Domni nostri Karoli, eos consuluisset, ac consensum eorum quaesisset, quatenus praescriptum monasterium vobis in precariam, acceptis rebus vestra traditione ad eandem casam Dei delegandis, concessisset: quod consentire sine consultu sui Episcopi atque Archiepiscopi, immo sacrae Synodi, non auderent. Quam causam subtiliter investigantes, et ad liquidum cognoscentes, diffinivimus iuxta sacram et divinam auctoritatem, atque secundum testamentum praefati piae recordationis Fulradi, necnon et secundum decretum apostolicae Sedis, nullo unquam tempore iam dictum monasterium sancti Alexandri, cum rebus sibi pertinentibus, à maiore monasterio sancti Dionysii quocunque ingenio divellendum, nec beneficiario neque precario iure distrahendum. Subiunxerunt etiam iidem Monachi quod vestra commendatione ac iussione, immo etiam actione, idem monasterium cum rebus sibi subditis in vestram ditionem redactum et adsumptum, quin etiam usurpatum habuissetis. Quod quam absurdum et contra legem atque iustitiam sit, si tamen ita se res habet, ipsi etiam pervidetis. Unde vestram paterna et caritativa seu auctoritativa cum interpositione divini nominis et episcopalis auctoritatis nobilitatem hortamur et obtestamur ut hoc nullatenus agere ulterius attentetis; sed et si molitum est, ab huiusmodi molitione vel actione vos vestrosque compescatis; quia et contra Deum et contra omnem auctoritatem contraque vestram salutem esse dinoscitur. Sciatis etiam quia Domnum et Seniorem nostrum Regem gloriosissimum Karolum et humili suggestione et divina auctoritate obsecravimus, praefatoque venerabili Abbati et Monachis suis praecepimus ut in hoc nulli adsensum praebeant, quoniam nec vobis nec cuiquam fidelium expedit talia postulare. Valeto, vir nobilissime, et admodum nobis in Christo carissime.

(*Capitula quae in Synodo Suessionensi proposita fuerant, Vermeriae relecta et suscepta.*)

III. Sed et capitula quae synodali consultu Domnus

Rex Karolus in Concilio memorato apud Suessionis civitatem sacro proposuit conventui, coram fidelibus suis in eodem palatio Vermeria relegi fecit, et ab omnibus consonanter suscepta sunt et accepta.

TITULUS XIII.

APUD VALENTIANAS.

(De utilitatibus Regni et Ecclesiae).

De his Capitulis quae subsequuntur adnuntiaverunt populo Domni Reges Hlotharius et Karolus, quando in ipso anno incarnationis Domini convenerunt ad Valentianas per mensem Novembrium.

ADNUNTIATIO DOMNI HLOTHARII.

I. De Missis directis per regnum, ut populus pacem et iustitiam habeat. De raptoribus, de praedatoribus, de latronibus, et aliis malefactoribus et de omnibus iustitiis.

II. Ut ubi missatici simul venerint, Missi simul veniant. Et si de uno regno in aliud, aut de uno missatico in aliud, fugerint, simul eos constringant.

III. Ut ubicunque fugerint, illuc indiculus transmittatur ut Comes illos distringat, aut cum alode, aut per quodcunque potest, ut illuc reveniat, et emendet ubi malum fecit.

IV. Ut Missis commendetur ut faciant iustitias; et si non fecerint, quod ipsi pergere debeatis.

V. Ut si necessitas alicui fuerit, omnes sint parati quomodo invicem vos adiuvetis.

ADNUNTIATIO KAROLI GLORIOSI REGIS.

I. De adnuntiatione episcopali, et de honore Sacerdotum.

II. De reaedificatione Ecclesiarum, et de nonis ac decimis.

III. De observatione Capitulorum Domni Karoli et Domni Hludouvici de Ecclesiis.

IV. De observatione pacis, et cavenda rapacitate et oppressione rerum ecclesiasticarum ac pauperum.

V. Quod nos cum consilio fidelium nostrorum ordinare volumus qualiter honeste et sine indigentia in curte nostra, sicut antecessores nostri fecerunt, vivere possimus. Et Comites ac caeteros fideles nostros admonemus ut ipsi sic suum esse et vivere ordinent, qualiter propter illorum necessitatem vicini eorum ac pauperes non opprimantur.

VI. De concordia et mutuo adiutorio Episcopi et Co-

mitis ad iustitias faciendas, et divinum ministerium exsequendum.

VII. De iustitiis per Episcopos et Missos ac Comites nostros in regno nostro studendis.

VIII. De raptis et coniunctione Sanctimonialium, atque propinquarum seu sponsarum aliorum, ut quod praeterito actum est, secundum consilium et iudicium Episcoporum corrigatur, et de caetero omnimodis caveatur.

IX. Quod si aliquid per necessitatem in Ecclesiis Dei, aut contra aliquem fidelium nostrorum fecimus, hoc quam citius potuerimus libentissime emendabimus. Et de caetero si aliquis apud nos parem suum nocere voluerit, hoc secundum consuetudinem antecessorum nostrorum diffinire volumus.

X. De placito nostro, et de communi adiutorio contra Nortmannos, et de conlocutione nostra fraterna.

TITULUS XIV.

APUD SILVACUM.

(De Missis Dominicis pro Regni et Ecclesiae commodis).

Sequuntur Capitula quae in ipso Anno, et in ipso mense Novembrio, Domnus Karolus consultu fidelium suorum in Silvatico f) *edidit, et per regnum suum a Missis suis adnuntiari et observari praecepit, sed et Missos suos, sicut subsequitur, per regnum suum ordinavit.*

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus gratia Dei Rex, dilectis et fidelibus Missis nostris per regnum nostrum constitutis, salutem. Sicut vobis notum esse credimus, cum dilectissimo fratre nostro Hlothario apud Valentianas locuti fuimus, et communi consilio cum fidelibus nostris communibus consideravimus ut inter caetera sanctae Dei Ecclesiae et nostri principatus ac regni nobis a Deo commissi negotia necessaria, de his quae subsequuntur vos specialiter ammoneremus; ut sicut hic descripta habentur, una cum Dei adiutorio, prout melius potueritis, strenue exsequi procuretis, et hoc praesentaliter necessarium opus sine aliqua dilatione vel excusatione, sicut in missaticis coniuncti et deputati estis, simul conveniatis, et hoc ad perficiendum quantocius inchoetis; et quantum vel qualiter inde factum habueritis, unusquisque vestrum, sicut in missa-

f) al. ms. *Silvaco.*

ticis constituti estis, de unoquoque missatico nobis ad colloquium quod in proximo cum fratribus nostris habebimus, renuntiare procuret. Et si contigerit ut aliquis vestrum nostro servitio, vel infirmitate aut quacunque occasione detentus fuerit, pro hoc alii non dimittant ut commendata exsequi non studeant; etiamsi unus vacaverit a praedictis occasionibus *g*), ipse quantum Deus dederit iussa perficere *h*) studeat.

Ista denuntianda sunt populo a Missis nostris.

I. Nostri Seniores, sicut audistis, parabolaverunt simul, et consideraverunt cum communibus illorum fidelibus de Dei servitio, et sanctae Ecclesiae ac regni statu, et qualiter vos qui in regno consistitis pacem et iustitiam habere possitis; et ordinaverunt Missos per regnum illorum qui in hoc decertent, quantum Deus adiutorium dederit.

II. Inter omnes iustitias quas ordinaverunt ut unusquisque habeat, primo consideraverunt de honore Ecclesiarum Dei et orphanorum ac viduarum causis et de regalibus iustitiis. Tum maxime de raptoribus puellarum, et viduarum causis, et Sanctimonialium et de his qui Presbyteros flagellare praesumunt et qui Presbyteros de Ecclesiis sine Episcoporum consensu eicere vel recipere, aut censum de manso, vel ex his quae Domnus et genitor noster in suis Capitularibus Ecclesiis in immunitate concessit, exigere non timent, et qui censa de rebus ecclesiasticis ad Ecclesias persolvere detrectant, ut firmiter inquirantur, et acriter distringantur et plena iustitia inde fiat, secundum quod in Capitularibus avi et patris illorum statutum habetur. Et ipsi per certos fideiussores ad praesentiam illius in cuius regno tales inventi fuerint, perducantur, ut inde ipse commendet quid de tali homine fiat qui nec Deum timet, nec contra sanctos canones facere, nec legem et praeceptum regium infringere pertimescit; salva censura ecclesiastica et episcopalis poenitentiae *i*) vindicta.

III. Similiter de collectis quas Theudisca lingua *herizuph* appellat, et de his qui immunitates infringunt, et qui incendia et voluntaria homicidia et adsalituras in domos faciunt.

IV. De latronibus autem commendaverunt ut Missi omnibus denuntient in illa fidelitate quam Deo et Regi unusquisque debet, et promissam habet, et in illa Christianitate qua pacem proximo unusquisque servare debet, ut sine exceptione alicuius personae, nec pro amicitia, vel propinquitate, aut amore vel timore, ullus latronem celet, sed il-

---

g) al. mss. *occupationibus.*
h) al. mss. *adimplere.*
i) al. mss. *sententiae.*

lum Missis illorum manifestet, et ad accipiendum illum adiutorium quantum potuerit unusquisque praestet, et per sacramentum hoc Missi illorum firmare faciant sicut tempore antecessorum illorum consuetudo fuit. Et si aliquis Missos illorum non obaudierit, si Regis homo fuerit, per fideiussores ad illius praesentiam perducatur. Si autem alterius homo fuerit, Senior cuius homo fuerit, illum Regi praesentet,

V. Commendaverunt etiam ut si alicui denuntiatum fuerit ut ad accipiendum latronem adiutorium praestet, aut aliquis sonum inde audierit ut ad latronem accipiendum concurratur, et se inde retraxerit ut ad hoc adiutorium non praestet, si liber homo fuerit, bannum dominicum componat; et si colonus fuerit, sexaginta ictus accipiat. Et si latro ibi occisus fuerit, qui eum occiderit leudem inde non solvat, et nullus illi inde faidam portare praesumat. Quod si quis facere praesumpserit, per certos fideiussores ad Regis praesentiam perducatur.

VI. Quicunque autem abhinc inante latronem receperit, maxime autem illum qui forbannitus fuerit, vel qui illos quos Missi nostri forbannierunt, recepit postquam forbanniti ab eisdem Missis nostris fuerunt, secundum quod constitutum est in Capitularibus avi et patris nostri in libro III, Capitulo XXIII, si Francus est, cum duodecim similibus Francis iuret quod ipse latronem eum fuisse non scisset, licet pater eius sit, aut frater, vel propinquus. Si hoc iurare non potuerit, et ab alio convictus fuerit quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro et infidelis iudicetur; quia latro est, et infidelis est noster et Francorum; et qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audivit quod latro fuisset, et tamen non scit profirmiter, aut iuret solus quod nunquam eum audisset, nec per veritatem, nec per mendacium, latronem; aut sit paratus, si ille de latrocinio evictus fuerit, ut similiter damnetur.

VII. Ut quando Missi nostri latronem forbannierint, hoc et Missis aliis et Comitibus scire faciant. Et si de uno missatico in alium fugerit, si in vicinitatem venerit, pro hoc Missus qui eum forbannivit non dimittat ut eum non persequatur et comprehendat. Et si longius fugerit*, Missus in cuius missaticum fugerit, si alodem habuerit, illi tollat, et illum constringat ut illuc velit nolit reveniat, et ibi malum emendet ubi illud perpetravit. Et si in alicuius villam fugerit, et ipsa villa eum contenderit, secundum quod in Capitularibus avi et patris nostri scriptum habetur, inde fiat. Et si necesse fuerit, ut iustitia non protelетur, Advocato denuntietur ut ipsum latronem reddat, et eos qui eum contenderint praesentet, ut debitam disciplinam inde sustineant et emendationem inde congruam faciant. Quod si facere

neglexerit usque ad secundam vicem, bannum dominicum inde componat; et sic per fideiussores ad praesentiam eorum deducatur, ut et de illo, et de contradictoribus, et de ipso latrone secundum quod causa coniacuerit, sic decernatur, ut caeteri metum habeant.

VIII. Hoc etiam commendaverunt Seniores nostri, ut si huiusmodi malefactores, sicut praediximus, de uno regno in aliud fugerint, similiter Missi illius de cuius regno fugerit, ad alios Missos in illo regno, ubi fugit, hoc notum faciant, et illi Missi eos constringant ut ad illud regnum et ad illos Missos reveniant, ut ibi distringi possint ubi malum fecerunt.

IX. De advenis qui oppressione Nortmannorum vel Brittanorum in partes istorum regnorum confugerunt, statuerunt Seniores nostri ut à nullo reipublicae ministro quamcunque violentiam vel oppressionem aut exactationem patiantur; sed liceat eis conductum quaerere et habere, donec aut ipsi redeant ad loca sua, aut Seniores illorum eos recipiant. Nullus autem eos inservire praesumat, eo quod loco mercenarii apud aliquem manserint, nec censum aut tributum exigere. Quod si inventus fuerit ex reipublicae ministris aut aliis quibuslibet contra hoc pietatis praeceptum facere aut fecisse, bannum dominicum exinde componat.

X. Ut omnibus denuntietur qualiter cuncti sint praeparati ad quamcunque necessitatem imminentem, ut secundum consuetudinem, prout necessitas evenerit, ad Dei servitium et illorum, atque ad defendendam sanctam Dei Ecclesiam et regnum, omnes sint praeparati.

XI. Capitula autem avi et patris nostri, quae in praescriptis commemoravimus, qui ex Missis nostris non habuerint, et eis indiguerint, ut commissa per illa corrigere possint, sicut in eisdem Capitulis iubetur, de scrinio nostro vel à Cancellario nostro accipiant, ut rationabiliter et legaliter cuncta corrigant et disponant.

XII. Ut unusquisque Missus in suo missatico provisionem habeat ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens vel commanens rapinas vel depraedationes, aut talia inlicita fecerit de quibus Deus offendi solet, et populus pro oppressione gemere; quatenus hoc subtiliter et veraciter investiget, et nobis renuntiet, qualiter inde nos sic ordinemus, ut nec ipsum, nec alium hoc agere delectet.

XIII. Ut Missi in illorum missaticis curam habeant ne homines nostri, aut alii quilibet, vicinos suos maiores vel minores tempore aestatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hyemis, quando marascalcos illorum ad fodrum dirigunt, de praedentur aut opprimant. Et si egerint, hoc etiam, ut praediximus, veraciter Missi nostri

investigent, et nobis renuntient, ut in Seniore hoc sic emendemus, quatenus homines suos in potestate habeat, et contenti sint debitis, et indebita iniuste non appetant.

Post ista capitula sequitur in veteri codice Ms. bibliothecae Bigotianae fragmentum epistolae tum à Karolo Rege scriptae ad Missos, ut reor, dominicos, hoc modo.

Mandamus praeterea ut si Capitula Domini avi et genitoris nostri scripta non habetis, mittatis ad palatium nostrum de more praedecessorum vestrorum Missum vestrum et scriptorem cum pergamena; et ibi de nostro armario ipsa Capitula accipiat atque conscribat. Et vos deinde secundum ipsa Capitula Dei iustitiam, populique à Deo vobis commissi necessarias proclamationes, legaliter emendare solerti vigilantia procuretis. Valete.

Istud sacramentum iurabunt Franci homines.

Ego ill. adsalituram, illud malum quod *scach* vocant, vel *tesceiam*, non faciam, nec ut alius faciat consentiam; et si sapuero qui hoc faciat, non celabo: et quem scio qui nunc latro aut scachcator est, vobis Missis dominicis non celabo, ut non manifestem. Sic me Deus adiuvet et istae Reliquiae.

Istud iurabunt Centenarii.

Ego ill. adsalituram, illud malum quod *scach* vocant, vel *tesceiam* non faciam, nec ut alius faciat consentiam; et si sapuero qui hoc faciat, non celabo: et quem scio qui nunc latro aut scachcator est, vobis Missis dominicis non celabo, ut non manifestem. Et de Francis hominibus in isto comitatu et in meo ministerio commanentibus nullum recelabo, quantum recordari potuero, ut per brevem vobis Missis dominicis non manifestem. Sic me Deus adiuvet et istae Reliquiae.

Missi autem et Pagi per missaticos qualiter fuerunt tunc ordinati.

I. Hincmarus Episcopus, Ricuinus, Engiscalcus, Missi in Remtiano, Vonziso, Stadiniso, Pertiso, Barriso, Camiziso, Catalaunio, Virtudiso, Bagensoniso, Tardaniso.

II. Pardulus Episcopus, Altmarus, Teodacrus, Missi in Lauduniso, Portiano, Suessonico, Urciso, et Vadiso.

III. Immo Episcopus, Adalardus Abba, Waltcaudus, Odelricus, Missi in Noviomiso, Vermendiso, Aderdiso, Curtriciso, Flandra, Comitatibus Engilramni, et in Comitatibus Waltcaudi.

IV. Folcoinus Episcopus, Adalgarius, Engiscalcus, et Berengarius, Missi in Comitatu Berengarii, Engiscalchi, Gerardi, et in Comitatibus Reginarii.

V. Hludouvicus Abba, Yrminfridus Episcopus, Ingilwinus, Gotselmus, Missi in Parisiaco, Melciano, Silvanectensi, Vircasino, Belvacense, et Vindoiliso.

VI. Paulus Episcopus, Hilmeradus Episcopus, Herloinus, Hungarius, Missi in Rotmense, Tellau, Vitnau, Pontiu, Ambianense.

VII. Eirardus Episcopus, Teodericus Abba, Herloinus, Hardoinus, Missi in Aprincato, Constantino, Bagisino, Coriliso, Otlingua Saxonia, et Harduini, Oxmiso, et in Lisuino.

VIII. Dodo Episcopus, Hrothertus, et Osbertus, Missi in Cinomannico, Andegavensi, atque Turonico, Corboniso, et Sagiso.

IX. Burcardus Episcopus, et Hrodulfus, et Heinricus Abba, Missi in Blesiso, Aurelianensi, Vindusniso, Carentino, Durcasino, Duniso, Ebricino, Stampiso, Castriso, Pincesiso, Madreciso.

X. Wenilo Episcopus, Odo, et Donatus, Missi in pago Senonico, Trecasino, Wasteniso, Miliduniso, Morviso, Proviniso, et in tribus Arcisisis *k*), et in duobus Brionisis.

XI. Teutboldus Episcopus, Ionas Episcopus, Isembardus, et Abbo Abba, Daddo, Missi in Comitatibus Milonis, et in Comitatibus Isembardi, Augustuduno scilicet, Matisconense, Divionense, Cabillono, Hatuariis, et in Tornedriso, et in Belniso, et in Dusmiso Comitatu Attelae, et in Comitatu Romoldi.

XII. Hugo, Gozso, Nivilungus, Missi in Niverniso, Alciodriso, Avaliso.

TITULUS XV.

APUD ATTINIACUM.

Haec memorialia Capitula, quae sequuntur, dedit Missis suis Domnus Karolus anno dominicae Incarnationis DCCCLIV, *in mense Iunio, quando apud Attiniacum cum fratre suo Hlothario fuit locutus, ut illa unusquisque Missus in suo missatico per regnum illius exsequi procuret.*

I. De Missis pro latronibus, scilicet ut addantur, et suppleantur Missi qui illa peragant quae in Capitulis continentur, quae supra in Silvaco illum edidisse praescripsimus.

II. De maritima custodia, ut secundum consuetudinem vigilanter disponeretur.

---

k) al. mss. *Archis*; *Archisiis*.

III De viis per aquas, videlicet ut ubi noviter clausae erant, aperirentur, sicut antiquitus fuerunt apertae.

IV. De pontibus restaurandis, videlicet ut secundum Capitularia avi et patris sui, ubi antiquitus fuerunt, reficiantur ab his qui honores illos tenent de quibus ante pontes facti vel restaurati fuerunt.

V. De navibus quae vadunt sub pontibus, videlicet ut inde teloneum non exigatur.

VI. De advenis quos affligunt ministri reipublicae, scilicet ut qui ab illis quos Nortmanni vel Brittones adflixerunt, et ideo mendicando in istud regnum venerunt, vel qui propter adflictionem Aquitanicam huc venerunt, censum vel operationes exegerunt, hoc cum sua lege illis emendent. Et qui deinceps hoc facere praesumpserit, simul cum emendatione dominicum bannum componat.

VII. De latronibus qui nunc nihil mali faciunt, et quod iamdiu fecerunt emendatum habent, et nullus modo super eos clamat, videlicet ut propter hoc modo non puniantur.

VIII. De hominibus qui in banno et in poenitentia missi sunt, et peius semper faciunt, scilicet ut a Missis capiantur et constringantur.

IX. De monetis, et falsariis fabris, videlicet ut diligenter inquirantur et emendentur.

X. De rebus Ecclesiarum in alodem datis, videlicet ut a Missis inquirantur, et describantur, et Regi denuntientur.

XI. De monasteriis circumeundis, id est, ut sicut ordinatum fuit, ita Missi exsequi procurent.

XII. De hominibus qui iterum a novo raptos faciunt, ut a Missis comprehendantur, et constringantur, et ad Regis praesentiam deducantur.

XIII. De fidelitate Regi promittenda, id est, omnes per regnum illius Franci fidelitatem illi promittant. Et qui dicunt se illam promisisse, aut certis testibus hoc adprobent, aut iurent se illam ante iurasse, aut illam ipsam fidelitatem promittant.

Sacramentum autem fidelitatis tale est.

Ego ill. Karolo Hludouvici et Iudithtae filio ab ista die inante fidelis ero secundum meum savirum, sicut Francus homo perrectum esse debet suo Regi. Sic me Deus adiuvet et istae Reliquiae.

Anno Incarnationis Domini DCCCLIV., V. *Nonas Iulias, in mallo Remis isti iuraverunt quod iuratam habuissent fidelitatem.*

ISTI IURAVERUNT ANTIQUITUS.

Teudacrus. Amalricus. Rotboldus. Amalbertus. Dodo.

Wingboldus. Berulfus. Wala. Herilo. Heirbertus. Airardus. Gotlandus. Hilpricus. Gerlegius. Amalgisus. Heico. Amalricus, maior de Buxido.

Isti iuraverunt fidelitatem.

Goderamnus. Dodilo. Sigebertus. Fidentius. Ermenulfus. Teutgriminus. Wicboldus. Ermengaudus. Rotmundus. Gislulfus. Haimiricus. Teutbaldus. Drogo. Theodericus. Ebroinus. Rodoinus. Gislinus. Wlfridus. Haimuinus. Wandrebertus. Bereccarius. Angelinus. Ado. Meinardus. Ottradus, decanus. Guntbertus, decanus. Herwincus, decanus. Ozias. Ailus. Teudaldus. Teodoldus, decanus. Bertricus. Rothaus. Ingobertus. Amblinus, decanus. Gozselmus, decanus. Wlfarius. Flodoinus. Anglebertus. Emmenulfus. Sicbertus, decanus. Hecto. Isaac. Gislardus. Alaricus. Gerardus. Madergaudus, decanus.

TITULUS XVI.

APUD LEUDICAM.

Hae sunt adnuntiationes quas Hlotharius et Karolus apud Leudicam adnuntiaverunt, *anno* DCCCLIV.

Hlotharius, serenissimus Imperator.

I. Scire volumus vestram omnium fidelitatem quia frequenter praesenti anno dilectissimum fratrem nostrum Hludouvicum invitavimus ut commune conloquium cum fidelibus nostris haberemus, atque cum illis de Domini voluntate, quantum ipse inspirare vellet, ac de sanctae Dei Ecclesiae utilitate, nostroque ac nostrorum communi profectu, honore et necessitate tractaremus et ordinaremus. Sed quia praedictus frater noster hactenus, sicut optaveramus, quibusdam impedientibus causis, venire distulit, nos illud omittere noluimus quin utiliter nos coniungeremus.

II. Nunc volumus vos certos reddere de nostra coniunctione, quia Christo propitio secundum Deum ad salutem sanctae Dei Ecclesiae, nostramque ac vestram communem utilitatem et necessitatem, indissolubiliter corde et opere coniungere nos volumus, ut unum simus in Christo, et vos unum sitis nobiscum.

III. Sapiatis quia legem qualem antecessores nostri, hoc est, pater et avus noster, vestris antecessoribus concesserunt et servaverunt, similiter vobis perdonamus, et inviolabiliter atque incorrupte, et praesentibus et futuris temporibus, per omnia volumus observare.

Karolus gloriosissimus Rex.

I. Hanc siquidem coniunctionem facere idcirco usque

nunc distulimus, quia voluimus ut supradictus frater noster nobiscum pariter conveniens in eadem coniunctione se nobis associaret. Sed quia ille aliquibus impedimentis praepeditus venire omisit, nos audita perturbatione quam filius eius facere conatur, consociare nos voluimus. Sciatis ergo quoniam et in prosperis et in adversis simul erimus; nec poterit nos, Deo adiuvante, ullum offendiculum ab ea caritate separare qua fraternis vinculis adstricti sumus. Sed ubicunque alterno solatio et adiutorio indiguerimus, quantum Dominus permiserit, in invicem supportari et sustentari cupimus, atque contra omnem terrenum inimicum auxilium in alterutrum ferre volumus.

II. Si autem isdem frater noster, sicut optamus et ei mandamus, hoc agere distulerit, nos ita coniuncti sumus ut unus alteri tale praebeat solatium et adiutorium quatenus ubicunque necesse fuerit, amodo et deinceps, sicut praemisimus, unusquisque regnum sibi divinitus commissum quiete obtinere possit. Et si aliquis pari suo superstes extiterit, ipse qui remanserit, nepotes suos una cum regno patris sub tuitione et defensione habeat; ut contra adversantium machinationes, auxiliante Deo, ita muniti existant qualiter quieto ordine regnum patris obtinere valeant.

III. Certissime igitur devotionem vestram scire cupimus, quia veraciter nos recognoscimus in multis Deum offendisse, animosque vestros negligenter molestasse. Quae videlicet cuncta ita favente Christo pro viribus emendare voti habemus, ut et Deum placare et vestrae devotioni satisfacere possimus. De quibus omnibus certiores vos reddere curabimus cum pluriores nostri fideles convenerint, aut cum praefatus frater noster, ut ei mandavimus, venerit, si tamen venire voluerit, quomodocunque vobis amabilius erit; ita ut veraciter cognoscatis promissionem nostram omnimodis adtendere et plenissime nos observare velle.

IV. Illud praeterea in commune vestra et omnium comperiat solertia quia ideo vobis in hoc sacro loco haec sollicite denuntiare volumus, ut noveritis cuncta quae dicimus, Domino favente, Sanctisque eius suffragantibus, in quorum praesentia denuntiantur, inviolabiliter observaturos nos esse.

Hoc est sacramentum quod (sibi tres Fratres Francorum Reges 1) *mutuo iuraverunt.*

Ab hodierna die et deinceps, si Hludouvicus frater noster illud sacramentum quod contra nos iuratum habet, in-

1) Desunt in al. Codd.

fregerit vel infringit, aut filii eius ad talem partem regni quam tu contra eum acceptam habes, in quantum Dominus posse dederit, et contra ipsum et contra filios eius, ac omnes qui eam tibi auferre voluerint absque iusta et rationabili occasione, si tu expetieris, adiutorium tibi defensionis praestabo. Si autem ego te supervixero, filiis tuis talem partem regni quam tu contra me et meum fratrem acceptam habes, non auferam, sed consentiam. Et si ipsi vel fideles illorum expetierint defensionis adiutorium contra ipsum fratrem nostrum et filios eius, ac omnes, ut eam tenere possint, adiutorium in quantum potero praestabo, si tu aut filii tui idipsum adiutorium mihi praestaveritis, et a nobis vos non dissociaveritis.

TITULUS XVII.

PRAECEPTUM CONFIRMATIONIS PRO ECCLESIA TORNACENSI.

Datum apud Vermeriam Palatium regium, VIII. *Kalendas Augusti*, *anno Christi* DCCCLIV. *Karoli Calvi Regis* XV.

KAROLUS, gratia Dei Rex. Quia venerabilis vir Immo, Noviomagensis atque Tornacensis Ecclesiae Episcopus, utilitatem sibi commissae Ecclesiae et necessitatem Canonicorum suorum praevidens, scilicet ut rebus exterioribus adhibitis, divinum cultum ac ministerium proprii officii liberius possit explere, deferens privilegium quoddam venerabilium Episcoporum nostrorum manibus roboratum, in quo quaedam res ad usus praefatorum Canonicorum suorum delegatae detinebantur, humiliter petiit ut id easdemque res cum appendiciis suis praedictae Ecclesiae sanctae Dei genitricis Mariae semper Virginis, in praefata civitate Tornaco sitae, in usibus ac stipendiis Clericorum ibidem Domino servientium perpetualiter habendas, nostris confirmaremus edictis. Fuerunt namque temporibus antecessorum eius praescriptae civitatis Clericorum usibus applicatae, villa Lamedinius cum integritate sua, et mariscus unus in Flandrense pago, necnon etiam decimae populi iuxta antiquam consuetudinem ad eundem locum confluentis. Praeterea ab eodem venerando Pontifice acquisitae res et superadiectae sunt hae, id est, in pago Bragbantense, in loco qui dicitur Villa, quicquid Hrotscindis Deo devota in eodem loco habuisse cognoscitur, ad partem praedictae Ecclesiae tradidit, necnon et mariscum in pago Flandrensi quem Otgisus Presbyter et Butgisus germanus eius frater praefatae Ecclesiae contulerunt, teloneum etiam praefatae civitatis Tornacensis, et insuper No-

viomo vinae de quibus secundum temporis qualitatem colliguntur modia centum viginti. Has denique res, sicut in privilegio Episcoporum continetur, secundum praenominati reverendi Pontificis Immonis rationabilem constitutionem, sumptibus et indumentis ceterisque utilitatibus praesignatis Canonicis sanctae Mariae, eiusdem saepedicti venerandi Praesulis supplici deprecatione, perenniter habendas decernimus et firmamus; videlicet ut remota necessitatis inquietudine, ipsis et successoribus eorum liberius per omnia tempora, pro nobis et regni stabilitate, Christi misericordiam assiduis precibus implorare delectet.

Praeterea statuimus ut ultra tricenarium numerum in congregatione fratrum praedictae Ecclesiae sanctae Dei genitricis Mariae nullus Clericorum adiiciatur, nisi forte superadiectae fuerint aliae praeter istas res quae ad usus eorum sine murmuratione sufficiant; quatenus moderata rerum distributio praefatorum Clericorum in memorato loco secundum proprii Pontificis administrationem sufficiens, non alia constitutione moveatur quae eorum animos aliqua turbela in divino servitio tepescere cogat.

Ut autem haec praecellentiae nostrae confirmatio perpetuum in Dei nomine obtineat vigorem, de anulo nostro subter eam iussimus sigillari.

Guillermus ...... ad vicem Ludovici recognovit.

Data viii. Kalendas Augusti, Indictione iv, anno xv, regnante Karolo gloriosissimo Rege.

Actum Vermeria palatio regio.

TITULUS XVIII.

Hoc est Consilium quod Episcopi et Abbates et caeteri fideles Domni Karoli apud Bonoilum communiter illi dederunt, anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCLVI. *in mense Augusto.*

Increpatio quam in epistola Domini Apostolici nobiscum *l*) et cum aliis fidelibus vestris audivimus, severissime nos tangeret, si nos aliter non egissemus quam isdem Domnus Apostolicus nos egisse, secundum quod ipse audierat, cum magna auctoritate mandavit. Nam quia nos in isto facto, unde nos specialiter redarguit, consentientes non fuimus, et vos ac fideles vestros, quos inde admonere convenit, et verbis et scriptis, sicut ipsi scitis, et manentia scripta testantur, frequenter et salubriter commonuimus, ut quod contra sa-

l) al. mss. *vobiscum*.

lutem et auctoritatem factum erat emendaretur et ne deinceps committeretur, omnimodis caveretur, damnabiliter ista increpatione non tangimur. Sed et nunc nostris monitis illius monita coniungentes, et illius monitis nostra monita subiungentes, hortamur ut statum monasteriorum in regno vestro consistentium, aliter quam debeat et deceat perversum ac confusum, quanto citius et melius ac possibilius atque rationabilius potueritis, restituere et corrigere studeatis. Et non solum hoc vos et commissos vobis in regno vestro agere commonemus, verum etiam monemus, hortamur, et precamur ut capitula quae vos ipse cum fidelibus vestris in Colonia villa manu propria confirmastis, sed et ea quae in Belvaco civitate Episcopis tradentibus sub conditione notissima suscepistis, illa quoque quae cum fratribus vestris secus Teudonis villam in loco qui dicitur *Iudicium* approbastis, illaque quae in Verno palatio synodaliter prolata suscepistis, ea etiam quae in Sparnaco de Episcopalibus capitulis cum illustribus viris et sapientibus Baronibus vestris observanda delegistis, sed et illa quae cum Fratribus vestris apud Marsnam manu propria confirmastis, verum et illa quae in Synodo Suessionica, cui vestram praesentiam exhibere dignati fuistis, acceptastis, necnon et illa quae in Silvaco decrevistis, cum his quae in Leodico cum fratre vestro Hlothario adnuntiastis, diligenter et frequenter ad memoriam reducatis ac relegatis, et quae in regno vestro contra illa acta sunt, contraque divinam et salubrem auctoritatem, quam progenitores et praedecessores vestri directo ordine tenuerunt et observaverunt, perpetrata sunt, quantocius ratio et possibilitas permittit, corrigere procuretis. Et ne de caetero a quocunque contra haec agantur, communiter omnes cooperante Domino caveamus. Et si quid contra haec actum fuerit, statim ut citius fieri potuerit, aequitate et ratione ac possibilitate dictante, absque dolo, cum recta intentione et lege ac auctoritate competente unicuique ordini corrigatur. Et ne leve cuiquam videatur quod Deo teste, ac mediante manu propria confirmatum, et sponsione cum veritatis, quae Deus est, assertione prolatum est, discat ex confirmationis cautione in terris, et ex baptismatis ac caeterarum observationum confirmatione in coelis, quantis nexibus quisque teneatur obstrictus; omnesque quod divino spiritu dicitur communiter audiamus: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, et paravit illum et in eo paravit vasa mortis.* De quibus non omnes ad se et mandatorum suorum observationem conversos, et in observatione eorumdem permanentes, eripiat Iesus Christus Dominus noster; cui est honor, et gloria, potestas, et imperium per omnia secula seculorum. Amen.

TITULUS XIX.

AD FRANCOS ET AQUITANOS MISSA DE CARISIACO.

Haec quae sequuntur Capitula misit Domnus Rex Karolus ad Francos et Aquitanos, qui ab eo disciverant anno incarnationis dominicae DCCCLVI; *Nonis Iulii de palatio Carisiaco, per fideles Missos suos Adalardum Abbatem, Rodulfum, Richuinum, Adalgarium, et Berengarium.*

I. Mandat vobis noster Senior quia suus avunculus Rhuodulfus illi de vestra fidelitate nuntiavit, quod vos illum precastis ut ad vos suos denominatos fideles in sua mercede transmitteret, et vos illi per illos vestram necessitatem et voluntatem mandare volebatis; et si aliquid factum habebatis quod necessitas fuisset emendare, voluntarie per illorum consilium emendabatis, et quod vobis consilium donaverint ad nostri Senioris fidelitatem et vestram salvationem, voluntarie faceretis.

II. Et mandat vobis noster Senior quia placet ei quod illi suus avunculus de vestra fidelitate et bona voluntate nuntiavit; et secundum vestram deprecationem transmittit nos, sicut precastis, ad vos; et mandat vobis quia si aliquis de vobis se reclamat quod iniuste alicui de vobis fecit, et ad rectam rationem et iustum iudicium venire non potuit, aut per insidias aliquas aut ipse Senior noster, aut aliquis ad illum, aliquem de vobis comprehendere voluit, et propter hoc ad tempus aliquis de vobis ab illius praesentia et ab illius servitio se subtraxit; quia omnis quicunque de vobis ad rectam rationem ad illum et ante suos fideles venire voluerit, hoc ei concedit. Et si iuste et rationabiliter inventum fuerit quod rectam rationem contra eum aliquis de vobis habuerit, cum consilio fidelium suorum hoc voluntarie emendabit. Et si inventum fuerit quod illam causam unde aliquis de vobis conquirere voluerit, per rationem fecerit, volet ut sicut per rationem fecit, ita facta per rationem permaneat.

III. Mandat vobis ut si aliquis de vobis rectam rationem ad illum et ante suos fideles precaverit, et inde in rectam rationem venerit, et iuste et rationabiliter inventum fuerit quod rectam rationem aliquid de vobis non habeat, et ipsa recta ratio illum convicerit, quia si se concrediderit et humiliaverit, et emendatione permanere voluerit, quia sicut cum suis fidelibus rationabiliter invenerit ut rationabilem misericordiam faciat, voluntarie paratus est facere.

IV. Mandat vobis quia si aliquis est de vobis qui non se confidit in sua conscientia, ut rectam rationem precare aut non valeat aut non audeat, et se recognoscit et poenitet, et misericordiam illius et indulgentiam petierit, quia illum, tantum ut inante sicut debet se caveat, voluntarie unicuique qui sic se recognoscit, misericordiam et indulgentiam donat.

V. Mandat vobis ut ne aliquis de illo inante dubitet quia ipsam rectam rationem, qui illam quaerit, semper illi vult conservare, et illam misericordiam quam modo illi concedit, similiter illam semper vult conservare, si ille aliam iterum talem causam non commiserit pro qua per rectam rationem iustum iudicium debeat sustinere.

VI. Mandat vobis quia si aliquis de vobis talis est qui dicat quia pro paupertate et necessitate, quia multos dies in illius servitio misit, et omnia quae habuit dispendit, ad talem coniunctionem, ut aliquid impetraret quod per servitium impetrare non potuit, se coniunxit, quia si hoc nostro Seniori ante suos fideles demonstrare potuerit, et hoc si verum inventum fuerit quod Senioris nostri culpa fuerit quod per necessitatem aliquis de vobis rationabiliter de servitio alius se tali modo subtraxerit, quia Senior noster hoc voluntarie recognoscit, et cum consilio de suis fidelibus hoc quam citius et rationabilius potuerit, emendabit.

VII. Mandat vobis quia si aliquis de vobis dixerit quod hoc quod fecit, non pro sua infidelitate neque pro sua desinhonorantia, fecit, et timet aliquis de vobis quod noster Senior alicui de vobis reputare inante debeat hoc factum, aut pro sua infidelita aut pro sua desinhonorantia, et propter hoc iam ultra ad illum non debeat consilium acaptare, quia qualiscumque de vobis tali modo in isto facto commisculatus est, si inante illi sic fidelis et obediens et adiutor ad suum regnum et debitum honorem continendum fuerit, sicut per rectum homo suo Regi et suo Seniori esse debet, quia nulli de ista causa volet reputare, sed totum ex corde dimittere quod in illius persona in ista causa commisit, et suum servitium, quod illi et ante fecit, et adhuc Deo iuvante faciet, debite et rationabiliter vult illi merere. Si autem aliquis illi aut alicui iniuste abstulit, lex hoc, sicut consuetudo et rectum est, pacificabit.

VIII. Et sciatis quia Senior noster, sicut subinde voluit, Deo gratias, nunc ad bonum effectum perduxit, et rogavit fideles suos ut sine ulla mala suspicione de illius iracundia aut animi commotione communiter quaerant et inveniant, atque describant hoc quod ille secundum suum ministerium facere debet, et quae facere illum non condeceant. Et ubi-

cunque inventum fuerit quod fecit quod facere non debuit, paratus est ut cum Dei adiutorio et fidelium suorum consilio hoc quam citius cum ratione et possibilitate emendare potuerit, emendet et inante corrigat, et correcta custodiat; et quod facere debuit, quod ad salutem et honestatem illius pertinuit, et aliquid minus fecit hoc cum Dei adiutorio et fidelium suorum consilio et auxilio facere quam citius cum ratione et possibilitate potuerit, faciat.

IX. Et similiter vult ut nos quaeramus et inveniamus et describamus quid et qualiter nobis fidelibus suis in unoquoque ordine contra illum conveniat facere, et quid non conveniat facere; ut illa quae conveniunt faciamus, et illa quae non conveniunt caveamus, et ubicunque in retro aliqua à nobis suis fidelibus in quocunque ordine facta sunt quae non condeceant, cum Dei et illius auxilio et nostro communi consilio quam citius cum ratione et possibilitate emendare potuerimus, emendemus, et inante corrigamus, et correcta custodiamus.

X. Et sciatis quia sic est adunatus cum omnibus suis fidelibus in omni ordine et statu, et nos omnes sui fideles de omni ordine et statu, ut si ille iuxta humanam fragilitatem aliquid contra tale pactum fecerit, illum honeste et cum reverentia, sicut Seniorem decet, ammonemus ut ille hoc corrigat et emendet, et unicuique in suo ordine debitam legem conservet. Et si aliquis de nobis in quocunque ordine contra istum pactum in contra illum fecerit, si talis est ut ille inde eum ammonere valeat ut emendet, faciat; et si talis est causa ut inde illum familiariter non debeat ammonere, et ante suos pares illum in rectam rationem mittat, et ille qui debitum pactum et rectam legem et debitam Seniori reverentiam non vult exhibere et observare, iustum iustitiae iudicium sustineat. Et si sustinere non voluerit, et contumax et rebellis extiterit, et converti non potuerit, à nostra omnium societate et regno ab omnibus expellatur. Et si Senior noster legem unicuique debitam, et à se et à suis antecessoribus (nobis et nostris antecessoribus) perdonatam, per rectam rationem vel misericordiam competentem unicuique in suo ordine conservare non volúerit, et ammonitus à suis fidelibus suam intentionem non voluerit, sciatis quia sic est illi nobiscum et nos cum illo adunati, et sic sumus omnes per illius voluntatem et consensum confirmati Episcopi atque Abbates cum laicis et laici cum viris ecclesiasticis, ut nullus suum parem dimittat ut contra suam legem et rectam rationem et iustum iudicium, etiamsi voluerit, quod absit, Rex noster alicui facere non possit.

XI. Et sciatis quia ad hoc quaerendum et inveniendum, et statuendum atque confirmandum, cum nostro et

caeterorum fidelium suorum consensu, habet noster Senior constitutum locum Vermeriam palatium, et tempus ac diem XIV. Kalend. Augusti; et habet ex nomine descriptos fideles suos, per quorum tractatum ista causa Deo adiuvante ad perfectionem perveniat; et habet VII. Kalendas Augusti ad ipsum palatium Vermeriam generaliter omnes fideles suos convocatos, ut omnibus suam voluntatem et perdonationem et nostram, qui fideles illius sumus, devotionem accognitet; ut ista convenientia, quam teste Deo confirmabimus, inante diebus vitae nostrae conservetur, et ipse suis successoribus contra successores nostros, et nos nostris successoribus suis successoribus conservandam in Dei nomine relinquamus.

XII. Et sciatis quia vult Senior noster, et nos ac caeteri fideles illius, ut si vos, qui illius fideles et consiliarii esse debetis, volueritis, sicut vobis diximus, ad illius praesentiam et fidelitatem atque servitium venire, et nobiscum in ista societate esse, quia et ipse et nos quae voluntarie volemus, ut cum nobis hoc et quaeratis et inveniatis, et statuatis et confirmetis atque conservetis, et nos cum vobis similiter: et vobis aliis omnibus, sicut et nobis, debitam legem et rectam rationem dehinc inante, sicut rectum est, vult conservare, sicut sui antecessores, qui hoc melius et rationabilius fecerunt, nostris et vestris antecessoribus in omni ordine conservaverunt.

XIII. Et mandat vobis noster Senior quia si aliquis de vobis talis est cui suus senioratus non placet, et illi simulat ut ad alium Seniorem melius quam ad illum acaptare possit, veniat ad illum, et ipse tranquillo et pacifico animo donat illi commeatum; tantum ut ipsi et in suo regno vel suis fidelibus aliquod damnum aut aliquam marritionem non faciat; et quod Deus illi cupierit, et ad alium Seniorem acaptare potuerit, pacifice habeat.

XIV. Et si aliquis fuerit de vobis qui voleat dicere quia non credit Senioris nostri fidem, et suspectus sit de sua perditione, et propter hoc non audeat ambulare ad illum, nos vobis damus Dei et nostri Senioris Karoli fidem, et de suis Episcopis et fidelibus (Clericis *m*) fidem, quia quantum Deus nos salvaverit, et vos vos ipsos salvaveritis, sani ambuletis, et sani cum illo sitis; et sani, si vobis cum illo, sicut debet, non convenerit, retornetis; tantum ut pacifice et sine seditione ambuletis, et suos fideles non sollicitetis.

XV. Et si adhuc dubitatis, et aliam firmitatem quaeritis, tantum ut contra rationem non quaeratis, si ad illum, sicut diximus, ambulare vultis, etiam et ad hoc parati sumus ut faciamus; quia certi sumus quia omnia cum securitate facere possumus.

m) al. ms. *damus.*

TITULUS XX.

Ad eosdem missa de Basiu.

Ista Capitula misit Rex de Basiu per Hadabrannum et Beltonem.

I. Mandat vobis Senior noster salutes. Mandat etiam vobis quia valde miratur quod placitum tale non custodistis sicut vos illi promisistis, et sicut ipse vobis mandavit.

II. Mandat vobis Senior noster quod propterea hoc placitum dimisistis ut fratris eius expectare voluissetis adventum, iuxta quod illi mandastis, non sine aliis suis fidelibus, quos modo secum non habuit, invenire potuit, ut necesse esset inde aliquam expectationem facere.

III. Habet Senior noster constitutum aliud placitum Kal. Septemb. in villa Nielfa, ubi ei occurrere sui fideles debent. Propterea mandat vobis ut vos tali loco et vobis congruo et eidem praemisso loco proximo, veniatis, ubi tales suos fideles transmittere ad vos possit quos vobis mittendos postulaveritis.

IV. Sciatis quia vult vobis hoc observare secundum quod vobis in Vermeria concessit, et sicut scriptis et verbis antea mandaverat, et quicquid amplius iuste et rationabiliter postulare vultis. Pariter et de expectatione, secundum quod cum fidelibus suis invenerit quod Dei voluntati, et eius fideliumque suorum honori, non sit indignum, propter Deum et nutrimentum Domini et genitoris sui ac illius, et servitium illi à vobis impensum, hoc vobis adsentire non contradicit.

V. Mandat vobis ut memores sitis Dei et vestrae Christianitatis, et nutrimenti genitoris eius et sui et debitae fidelitatis et regni supervenientis periculi, studeatis vos fideles sanctae matris Ecclesiae et sui unanimes fieri, et omnipotentis Dei voluntatem ac illius fidelitatem communemque salutem simul cum ipso fideliter explere, ad resistendum inimicis et Christiani nominis persecutoribus.

TITULUS XXI.

Ad eosdem, per Adalardum abbatem.

Istum Missaticum transmisit Domnus Rex gloriosus Karolus per Adalardum Abbatem, et Richuinum, et Rodulfum, et Berengarium.

I. Mandat vobis Senior noster salutes: et mandat vobis quia quicquid in vestra causa secundum consilium suo-

rum fidelium melius et honestius invenire potuit, per suos fideles et sua Capitula iam per duas vices vobis mandavit.

II. Mandat vobis quia sicut per illos suos fideles et per eadem Capitula vobis innotuit, si vult erga vos adtendere et observare. Et si vos adhuc talem causam eum postulare volueritis quae ad suum honorem et ad vestrum profectum pertineat, paratus est etiam in hoc secundum vestram petitionem facere iuxta consilium fidelium suorum.

III. Mandat etiam ut recordemini Dei et vestrae Christianitatis, et condoleatis atque compatiamini huic sanctae Ecclesiae, quae et à vobis et ab aliis miserabiliter est oppressa et depraedata, et quae crudeliter ex altera parte persequitur à Paganis: et non vos dissocietis ab unitate et unanimitate fidelium Dei; sed acceleretis praesentaliter vos illi adunare, et coniungere aliis Dei suisque fidelibus, ad defensionem sanctae Ecclesiae et suam fidelitatem.

IV. Si autem dicitis vos propter pares vestros, qui praesentes non sunt, hoc non posse facere, mandat ut vos qui in praesentiarum estis, talem securitatem ei faciatis ut non propter aliam causam hoc dimittatis quod per nos vobis mandat, nisi propter illos vestros pares qui praesentes non sunt. Et facite ei securitatem ut illos vestros pares ad Dei servitium et ad suam fidelitatem, in quantum potueritis, exhortemini et convertatis, et si illos converti non potueritis, vos ab eius servitio non vos subtrahatis. Quoniam si omnes converti ad illum volueritis, paratus est vos omnes secundum sanctae Ecclesiae utilitatem, et suum honorem et vestrum communem profectum, recipere et salvare et honorabiles semper habere, et nulli unquam imputare, in quantum ad se pertinet, quicquid neglegenter factum habetis de eius servitio, aut in ista causa contra illum egistis.

V. Et mandat vobis quia postquam vestram fidelitatem cognoverit, securus etiam vos faciet ex sua parte quod nulli debeat reputare hoc quod erga illum neglegenter egit in hac causa; ita tamen si vos quoque erga illum debitum honorem et debitam fidelitatem conservaveritis, sicut Dei suique fideles.

VI. Et si aliqua pars ex vobis ad eius senioratum et ad eius fidelitatem reverti valuerit, similiter est paratus eos benigne recipere, et erga illos omnimodis adimplere quae superius scripta sunt.

TITULUS XXII.

AD EOSDEM, PER HINCMARUM ET ALIOS.

Istum Missaticum transmisit Rex per Hincmarum et Yrminfridum Episcopos, et per Adalardum Abbatum, et Rodulfum, et Richuinum, et Berengarium.

Mandat vobis Senior noster salutes. Et mandat vobis quia pro Dei amore, et pro vestrae quondam fidelitatis servitio sibi impenso, omnes vos vult salvos esse, et sine aliqua occasione omnes vos ad Dei servitium et ad suam fidelitatem adtrahere cupit. Et ut omnibus manifestum fiat quia sic omnes vos vult salvare sicut suos fideles, et nulla occasione intermissa aliquem ex vobis perdere vult, et ut etiam contra pares vestros absque laesione salvi esse possitis, sicut debetis et Christianos oportet, talem causam qualem vos eum postulastis, libentissime vobis concedit secundum consilium suorum fidelium usque ad condictum placitum quod est V. Idus Octob, Carnutum. Ita tamen ut vos securitatem talem ei faciatis ut usque ad illud placitum in pace maneatis, et nullam dehonorationem in aliqua causa erga eum aut erga suos fideles faciatis, quam rationabiliter et possibiliter vitare et cavere potestis neque impedimentum suis fidelibus faciatis, nec impraedationem, nec aliquam inquietudinem. Et concedit vobis ut omnes in honoribus et in alodis vestris interim consistatis, exceptis his quorum honores Senior noster donatos habet. Et si aliqui sunt ex vobis qui honores non habent, si volunt in suis alodibus consistere aut cum aliis eorum paribus vel amicis, faciant. Et etiam si voluerint cum Seniore nostro manere, ita tamen ut cum pace vivant, et ipsi et sui, etiam hoc clementer concedit. Ea videlicet ratione ut vos securum de vobis illum faciatis, et ut nullum suum fidelem aliquo modo de sua fidelitate subtrahatis neque sollicitetis. Et si aliquis ex vobis fuerit qui hanc pacem isto modo servare noluerit, à vestro consortio omnes eum unanimiter expellatis, si emendare noluerit quod neglegenter fecisse manifestum fuerit.

TITULUS XXIII.

SYNODI CARISIACAE.

Capitula quae Karolus fecit apud Carisiacum palatium.

I. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus, gratia Dei Rex, illi Episcopo et dilectis ac fidelibus Missis illis Comitibusque nostris, salutem. Notum sit fidelitati vestrae quia XVI. Kal. Mart. secundum sacram auctori-

tatem synodum venerabilium Episcoporum ac conventum fidelium nostrorum apud Carisiacum fecimus convenire. Cum quibus inter caetera ecclesiasticae utilitatis ac regni necessitatis negotia consideravimus qualiter rapinae et depopulationes, quae partim occasione superinruentium Paganorum, partim mobilitate quorumdam fidelium nostrorum in regno nostro, per eos etiam qui Ecclesiam Dei defendere et tueri, et regni soliditatem ac quietem debuerant providere, grassantur, aliquo modo annuente Domino sedari valeant, et amoveri.

II. Quorum consultu decrevimus ut quia peccata, quae in suo initio ut sunt magni ponderis aestimantur, pernicioso processu, ipso etiam exitiabili usu pravis mentibus leviantur, et quasi insensibiles reddunt, ac si quando resipiscere moliuntur, eas saepius obligant, ut si surgere velint non possint, antequam censura ecclesiastica et legales sententiae huiusmodi praedatores terribiliter et damnabiliter feriant, Episcopi quique in suis parochiis, et Missi in illorum missaticis, Comitesque in eorum Comitatibus, pariter placita teneant, quo omnes reipublicae ministri, et vassi dominici, omnesque quicunque vel quorumcunque homines in eisdem parochiis vel comitatibus commanent, sine ulla personarum exceptione vel excusatione aut dilatione conveniant.

III. Et Episcopus illius parochiae breviter adnotatas sententias de huiusmodi causa, evangelicae videlicet et apostolicae atque propheticae auctoritatis, necnon et decreta apostolica atque canonica omnibus relegat, et aperto sermone cunctis quale quantumque peccatum sit, et qualem quantamque poenitentiam et quam immanem severissimamque vindictam exposcat, cum aliis debitis et necessariis atque utilibus praedicationibus innotescere curet.

IV. Missi quoque legales sententias, sicut eas cognitas habent, adnotent, et praedecessorum nostrorum Regum atque Imperatorum, nostraque Capitula de hac causa in unum collecta, omnibus nota faciant. Et Episcopi Dei et episcopali auctoritate tales depraedationes omnibus interdicant. Et Missi ac Comites nostri cunctis ex nostro regio banno prohibere firmiter studeant, ut cognoscant omnes quia si abhinc inante in nostro regno talia facere aliquis praesumpserit, secundum divinas sententias episcopalem excipiet sententiam, et secundum leges ac Capitula regia emendare cogetur, et secundum iudicium fidelium nostrorum condignam vindictam suscipiet.

V. Et si talis persona fuerit ut Episcopi vel Missi nostri ac Comites in illorum ministeriis quod pravum actum fuerit, potuerint emendare, secundum praefixum modum illud emendare studeant, aut per fideiussores ad nostram praesentiam venire faciant.

VI. Si autem aliquis quiscunque inobediens extiterit, cum summa festinatione nobis notum facere curent, ut quantocius ad nostram praesentiam illum venire iubeamus, et dignam ultionem secundum iudicium fidelium nostrorum sustineat.

VII. Et si, quod absit, talis emerserit qui Dei timorem postponat, et ecclesiasticam auctoritatem contemnat, et regiam potestatem refugiat, sciat quiscunque ille fuerit quia et secundum canonicam auctoritatem ab omnium Christianorum coetu, et à sanctae Ecclesiae consortio, et in coelo et in terra alienus efficietur, et regali potestate atque omnium regni fidelium unanimitate, sicut Dei et Ecclesiae inimicus et regni devastator, persequetur usque dum à regno exterminetur.

VIII. Et si aliquis Comes fuerit qui hoc in suo comitatu fecerit, aut ibi alia increscere permiserit ut aut ipse illa non emendet aut nobis nota non fecerit, ut nostra auctoritas talia corrigat, sciat quia talem sententiam inde sustinebit sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit.

IX. Et si aliqui iterantes depraedationes et rapinas per regnum nostrum fecerint, et Episcopi ac Missi vel Comites hoc emendare non potuerint, quam citius possunt nobis notum facere curent, ut iubeamus ipsos depredatores per eandem viam cum Misso nostro redire, et illa omnia quae male egerant legaliter emendare, et talem harmiscaram, sicut nobis visum fuerit, aut iudicium, sicut cum fidelibus nostris consideravimus, sustinere.

X. Si autem dilecti fratris nostri aut nepotum nostrorum homines fuerint, qui talia egerint, et hoc nobis innotescant, ut illis notum faciamus, et illi suos homines, sicut illis melius visum fuerit, de talibus castigare procurent, sicut et nos nostros homines castigare volumus, si in illorum regnis indecentia et aliqua noxia, quod absit, facere praesumpserint.

COLLECTIO DE RAPTORIBUS.

Sanctus Gregorius in Libro Pastorali dicit: Ammonendi sunt qui aliena rapere contendunt, ut sollicite audiant quid veniens in iudicio Dominus dicat: *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Et caetera. Quibus dicit: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius.* Hinc ergo colligendum est quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animadversione feriuntur qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subiicit poenae non tradita. Perpendant quid meretur iniustitia inlata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Audiant raptores: *Vae ei qui multiplicat non sua usquequo et adgravat contra se densum lutum.* Densum lutum contra se adgravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumula-

re. Audiant quid Christus dicat: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum fiat?* id est, quid prodest homini si totum quod extra se est congregat, sed hoc solum quod ipse est damnat? Audiant quod illa quae rapiunt in hoc seculo deficient, aut in seculo dimittent; sed secum ad iudicium causas rapinae, id est, damnationem secum ferent. Et alibi scriptum est. Audiant quid Propheta Esaias dicit: *Rapina pauperis in domo vestra, et causa viduae non ingreditur ad eos.* Et: *Lacryma viduae usque ad maxillam descendit, et Dominus non delectabitur in illis.* Audiant quia in cuius domo rapina est sive in domo corporis, sive in domo mansionis, non habitat in illa domo Spiritus sanctus, sed spiritus malignus, et si accedit ad communionem corporis et sanguinis Christi ante dignam satisfactionem, non mundatur per illam communionem a peccato, sed plenius, sicut Iudas, quando in coena plenus rapina et iniquitate communicare praesumpsit de manu Christi, possidetur a diabolo: unde et suspensus crepuit medius. Et ad quem causa viduae non ingreditur; nec ipse, si digne non satisfecerit, in coelestem Ecclesiam intrare valebit. Audiant rapaces et praedatores quid iterum Propheta dicat: *Qui praedaris: nonne et ipse praedaberis?* Videlicet quia ille qui praedatur res pauperum et Ecclesiarum ac Servorum Dei, praedatur a diabolo et praeda illius fit. Audiant quid sanctus Paulus Apostolus dicat: per quem locutus est Christus, et qui raptus fuit usque ad tertium coelum, et qui raptus fuit in paradisum, et audivit talia secreta verba quae non licebat homini loqui: Ait namque quia *neque rapaces, neque homicidae, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Unde intendat quale quantumque peccatum est rapina, quam cum adulterio et homicidio sanctus comparavit Apostolus. Item ipse dicat: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida est, cum huiusmodi nec cibum sumere* Christi discipulo, id est, Christiano, licet ante satisfactionem, id est, correctionem ac emendationem et dignam poenitentiam. Audiant quia sanctus Iohannes Apostolus electus et dilectus Christi, qui in coena super pectus eius recubuit, talem hominem salutare vetat, dicens: *Nec ave ei dixeris, neque in domum receperis.* Audiant quid in Toletano Concilio sancti Episcopi, qui in coelo cum Deo regnant, et in terris miraculis coruscant, de totius mundi partibus congregati, decreverunt. *Si quis*, inquiunt, *de potentibus Clericum, aut quemlibet pauperem, aut religiosum expoliaverit, et mandaverit ad ipsum Episcopus ut eum audiat; et si contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciae Episcopos, quoscunque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur donec audiat et reddat aliena.* Ecce de pauperum raptoribus. Audiant raptores et praedones rerum ecclesiasticarum quid sanctus Anacletus Papa, ab ipso beato Petro Apostolo Presbyter ordinatus, cum totius mundi Sacerdotibus iudicavit; Dicit namque: *Qui abstulerit aliquid patri vel matri, homicida particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit: mater vero nostra, Ecclesia, quae nos in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias et Ecclesiae rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum iusti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur. Qui autem pecuniam vel res Ecclesiae abstulerit, sacrilegium facit, et ut sacrilegus iudicandus est.* Item sanctus Urbanus Papa et martyr: *Res et facultates Ecclesiae* oblationes *appellantur, quia Domino offeruntur, et vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiae et Saphirae, et oportet huiusmodi tradere Satanae, ut spiritus salvus sit in*

die Domini. Item sanctus Lucius Papa: *Rerum ecclesiasticarum et facultatum raptores a liminibus sanctae Ecclesiae anathematizatos apostolica auctoritate pellimus et damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus; et non solum eos, sed et omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt, rei iudicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt: par enim poena et agentes et consentientes comprehendit.* Et sanctus Augustinus in Sermone evangelii sancti Iohannis ita dicit: *Fur sacrilegus loculorum sacrorum et dominicorum est Iudas; et qui aliquid de Ecclesia furatur et rapit, Iudae perdito comparatur* Item in sacris Canonibus, sancto Spiritu dictatis et Christi sanguine confirmatis, scriptum est: *Si quis oblationes Ecclesiae extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit praeter conscientiam Episcopi, vel eius cui huiusmodi officia commissa sunt, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit.*

Episcopus autem omnibus dicere debet quid sit anathema; et ne desperent, ostendere debet quandiu duret anathema, id est, quandiu quisquis errorem non corrigit et digna satisfactione non emendat, ut reconciliationem et indulgentiam valeat promereri. Si quis vero ante satisfactionem et reconciliationis indulgentiam in peccatis suis perseverans mortuus fuerit, iam anathema perpetuum illi erit, et peccatum ad mortem, pro quo non dicit Apostolus ut oretur. Sed et plura, si necesse fuerit, Episcopus quisque colligere et dicere procurabit.

Sequuntur Capitula Domni Karoli et Domni Hludouvici Imperatorum.

Vobis vero Comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maxime pertinet ut reverentiam et honorem sanctae Dei Ecclesiae exhibeatis, et cum Episcopis vestris concorditer vivatis, et eis adiutorium ad suum ministerium peragendum praebeatis, ut et vos ipsi in ministeriis vestris pacem et iustitiam faciatis, et quae nostra auctoritas publice fieri decernit, ut in ministeriis vestris studiose perficiatur, studeatis. Proinde monemus vestram fidelitatem ut memores sitis fidei nobis promissae, et in parte ministerii nostri vobis commissi, in pace scilicet et iustitia facienda, vosmetipsos coram Deo et coram hominibus tales exhibeatis, ut et nostri veri adiutores et populi conservatores iuste dici et vocari possitis. Et nulla quaelibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuslibet, vel odium, aut timor, aut gratia, ab statu rectitudinis vos deviare compellat quin inter proximum et proximum semper iuste iudicetis; pupillorum vero et viduarum et caeterorum pauperum adiutores ac defensores, et sanctae Ecclesiae vel servorum illius honoratores iuxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoque qui temeritate et violentia in furtis et latrociniis, sive rapinis, communem pacem populi perturbare moliuntur, vestro studio et correctione, sicut decet, compescite. Et si aliqua persona in aliquo vobis impedimentum fuerit quin ea quae dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum faciatis, ut nostra auctoritate adiuti ministerium vestrum digne adimplere possitis. *Capitul. Lib. II. c.* 1.

Omnes vero laicos monemus ut honorem ecclesiasticum conservent, et dignam venerationem Episcopis et Dei Sacerdotibus exhibeant, et ad eorum praedicationem cum suis devote occurrant, et ieiunia ab illis communiter indicta reverenter conservent, et suos observare doceant et compellant. Ut etiam dies dominicus sicut decet honoretur et colatur, omnes studeant. Et ut liberius fieri possint

mercata et placita a Comitibus, sicut saepe admonitum fuit, illo die prohibeantur. *Ibid. c.* 7.

De pace vero in exercitali itinere servanda usque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicunque auctorem damni sibi praeterito anno inlati nominatim cognoscit, ut iustitiam de illo quaerat et accipiat *Ibid. c.* 14.

Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus ut unusquisque cognoscat omnes qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni; ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum, ut quicquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debeat periculum pertinere. Ea scilicet conditione, ut pacis violator primum iuxta facinoris qualitatem, sive coram nobis sive coram Misso nostro, dignas poenas persolvat, et Senior qui secum talem duxerit quem aut constringere noluit aut non potuit ut nostram iussionem servaret, et insuper in regno nostro praedas facere non timuerit, pro illius neglegentia, si ante eum de his non admonuerit, et postquam neglegentia contemptoris ad eius notitiam pervenerit, eum corrigere, sicut decet, neglexerit, honore suo privetur, ut scilicet neuter illorum sine iusta vindicta remaneat. *Ibid c.* 15.

Comites vero ministris Ecclesiae in eorum ministeriis, ut hoc plenius et de nostris et de se et de suis hominibus obtinere possint, adiutores in omnibus fiant. Et quicunque prima et secunda vice de his a Comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eundem Comitem eius neglegentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro Capitulari continetur, subire cogatur. *Ibid c.* 23.

De pace admonemus ut omnes qui per aliqua scelera rebelles sunt, constringantur. *III.* 1.

De pace et iustitia infra patriam, sicut saepe per alia capitula iussimus, adimpletum fiat. *Ibid. c.* 62.

Si quis domum alienam cuiuslibet infregerit, quicquid exinde per vim abstulerit aut rapuerit vel furaverit, secundum legem eam illi cuius domus fuerit infracta et spoliata in triplum componat, et insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, et insuper secundum suam legem compositionem faciat. Si quislibet homo aliquod tale damnum alicui fecerit pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in vuadio pro servo dare studeat usque dum plenam compositionem adimpleat. *Ibid. c.* 65.

Si quis messes aut annonas in hoste super bannum dominicum rapuerit, vel paverit, aut furaverit, aut cum caballis vastaverit, aestimato damno secundum legem in triplum componat. Et si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur. Servus vero secundum legem tripla compositione damnum in loco restituat, et pro damno disciplinae corporali subiaceat. *Ibid. c.* 66.

Si quis in exercitu infra regnum sine iussione dominica per vim hostilem aliquid praedare voluerit, aut foenum tollere, aut granum, sive pecora maiora vel minora, domosque infrangere vel incendere, haec ne fiant, omnino prohibemus. Quod si ab aliquo praesumptioso factum fuerit, sexaginta solidis, si liber est, sit culpabilis, et omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, capitali crimini subiaceat, et dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit ut talia non perpetraret: quoniam si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum ne aliqua depraedatio infra regnum fiat. *V.* 341.

Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli

eiusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit legibus componat, et insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos nobis persolvat. Postmodum vero a Comite ante nos adducatur, ut in bastonico retrusus usque dum nobis placuerit, poenas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat poenitentiam iuxta sanctorum Canonum sanctionem. Si vero occulte, Sacerdotum consilio ex hoc agat poenitentiam: quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint poenitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde indicetur; quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, et sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit. Extorres namque a liminibus sanctae matris Ecclesiae tales personae usque ad satisfactionem Ecclesiae, quam laeserunt, sunt habendae atque firmiter denotandae.

TITULUS XXIV.

DE SCELERIBUS TUM AB EPISCOPIS, TUM A COMITIBUS PUNIENDIS.

Item Capitula data in Synodo apud Carisiacum DCCCLVII. *mense Februario.*

PRAEFATIO.

Propter cognitas vobis necessitates et nimias perturbationes quae in regno isto evenerunt, sicut scitis, Senior noster Karolus plurimos fideles regni sui, tam Episcopos, quam Abbates, et Comites atque reliquos regni sui fideles, mediante Februario mense apud Carisiacum congregans, haec Capitula ab ipsis confirmata nobis transmisit, ut ea vobis denuntiaremus, ut et vos cum omni timore Dei et legali imperio observare cum iustitia studeatis, omnesque Christiani qui in nostro consistunt Missatico.

I. Primo Capitulo continetur ut vos moneamus de honore sanctae Dei Ecclesiae, qui per omnia ab omnibus fidelibus Christianis observandus est, ut eorum immunitates in nullo infringantur, res sacrae et fructus eius a nullo rapiantur; quoniam qui aliena rapiunt, a regno Dei excluduntur, dicente Apostolo: *Rapaces regnum Dei non possidebunt.* Nonae et decimae fideliter persolvantur. Sacerdotes Dei et ministri eius non dehonorentur, non flagellentur, neque de Ecclesia sine consensu Episcopi sui eiciantur aut in ea recipiantur. Ecclesiae destructae restaurentur. Quod si quis transgressus fuerit, anathematis vindicta feriatur, et Comitis districtione constringatur et banni [illegible]alis exactione damnetur.

II. Sanctimoniales, viduae, orphani, et pauperes nullo modo opprimantur et res illorum, tam in frugibus, quam in pratis, necnon etiam in eorum foerio, a nullo per rapinam depraedentur et ubicunque oppressi sunt, ab Episco-

pis, Comitibus et Missis regalibus subleventur; et oppressores illorum, sicut supra scriptum est, in omnibus constringantur.

III. De his vero qui intra patriam residentes rapinas exercent, domos infringunt, homines sine causa occidunt, trustes commovent, aut alios damnant et opprimunt, prata defensoria depascunt, fruges aliorum devastant, ex his mandat Senior noster ut primum episcopali auctoritate iudicentur, et sic postea a Comitibus legaliter constringantur, et insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos, componant. Et si eos constringere non potuerint, ad regalem praesentiam deducantur, ut dignam suscipiant vindictam.

IV. Mancipia aliena quae intra immunitates fugiunt aut intra fiscum nostrum aut aliorum potestatem, et a dominis suis insequuntur, sine ullo munere aut aliqua contradictione reddantur, aut foras eiciantur, nisi legibus sua esse probaverint. Et si quis contenderit, et reddere noluerit, et postea fugerint, legaliter eas persolvat.

V. Ut nemo virgines aut viduas rapere praesumat, et ad eas nullo modo accedat, nisi legaliter eas nuptialiter desponsatas coniunxerit. Nullus Deo sacratam rapiat aut violet, vel in coniugio sibi societ. Si quis hoc transgressus fuerit, ecclesiastico anathemate feriatur, et publico iudicio damnetur.

VI. Ut regales iustitiae cum omni diligentia perficiantur.

VII. Ut nullus de domo sua ad aliam transiens, aut in itinere pergens, rapinam facere praesumat.

VIII. Ut unusquisque Presbyter inbreviet in sua parochia omnes malefactores, videlicet raptores, rapaces, adulteros, incestos, homicidas, latrones; et eos extra Ecclesiam faciat, nisi poenitentiam agere voluerint. Si se emendare noluerint, ad Episcopi praesentiam perducantur.

TITULUS XXV.

APUD S. QUINTINUM.

Adnuntiatio Karoli et nepotis sui Hlotharii apud S. Quintinum, Kal. Mart. anno DCCCLVII. *Incarnationis Dominicae.*

ADNUNTIATIO KAROLI.

Volumus vos scire quod fuit insimul noster conventus Postquam Deus nostrum Seniorem vocavit de isto seculo, semper inveni tale consilium in meo dilecto fratre Hludouvico sicut mihi necesse fuit, et ego in illo quaesivi, et il-

lum ostendere decuit; et illius adhortatione et interventione devenit, Deo gratias, talis unanimitas inter me et bonae memoriae fratrem meum Hlotharium sicut inter fratres esse debebat. Et propter tales causas, quae sicut inter nos coniacuerant, invenimus cum communibus fidelibus nostris quia necesse erat ut inter nos firmitas facta fuisset, secundum Dei voluntatem, de nostro communi profectu et adiutorio, et de filiorum ac regni et fidelium nostrorum salvamento, sicut tunc adcognitavimus nostris communibus fidelibus qui adfuerunt. Et ille in sua vita contra nos conservavit, et, Deo gratias, nos contra illum conservavimus, et contra illius filios nepotes nostros, adiuvante Deo, quantum scimus et possumus, et illi ad nos quaesierint, conservare volumus.

II. Post obitum vero illius, ex parte pro mea, sicut audistis, infirmitate, et parte pro Paganorum superventione, et pro aliis occupationibus *n*) quae in regno nostro acciderunt, usque modo non fuit opportunus locus ut ego et iste meus carissimus nepos insimul parabolare potuissemus, et invicem nobis praesentes nostras voluntates demonstraremus, quas in corde unusquisque contra alterum retinebamus.

III. Evenit autem locus congruus, quia iste meus carissimus nepos cum dilectissimo fratre meo Hludouvico parabolavit, et talé receptum et consilium in eo invenit sicut et isti necesse fuit et illum demonstrare decuit: quod mihi satis complacuit. Et nunc, quando mecum parabolavit, dixit mihi quod in illa firmitate quam ego cum patre suo bonae memoriae fratre meo feci, et illum suscepi, in ipsa susceptione vellet perseverare, et illam firmitatem quam suus pater meus frater contra me fecerat, vellet, adiuvante Domino, per omnia observare.

IV. Et invenimus cum communibus fidelibus nostris ut pro talibus necessitatibus, sicut scitis et videtis in isto regno evenire, nos invicem confirmaremus, sicut et fecimus ut ad honorem sanctae Dei Ecclesiae et communem profectum ac fidelium nostrorum salvamentum, et regnum nostrum contra quoscunque nobis necesse fuerit continendum, invicem nos salvemus et adiuvemus, sicut avunculus nepotem et nepos avunculum per rectum salvare et adiuvare debet.

V. Et nostri fideles, qui praesentes fuerunt, et hoc consilium nobis dederunt, dixerunt nobis quod parati sunt nos, auxiliante Domino, in omnibus adiuvare ut istam firmitatem possimus ad invicem observare. Et propterea volumus a vobis vestrum consensum et voluntatem audire, si et hoc vobis bene videtur, et nobis inde auxilium vultis prae-

n) Legend. *occasionibus*.

stare, ut hoc possimus cum Dei adiutorio et vestro observare.

Adnuntiatio Hlotharii.

Sicut meus avunculus vobis dicit, quantum Deus mihi scire et posse donaverit et in illa firmitate cum Seniore meo facta in qua me suscepit, et quam Senior meus contra illum fecit, volo perseverare, et illam quam contra eum feci, cum Dei adiutorio, volo firmiter observare.

Item adnuntiatio Karoli Regis.

Volumus vos scire quia propter istas rapinas et depraedationes quae in regno nostro increverunt, ex parte quia Pagani nobis supervenerunt, ex parte pro talibus occasionibus quae in regno nostro acciderunt, synodum Episcoporum et aliquantos de nostris fidelibus pro opportunitate temporis convocavimus, et consideravimus cum ipsis ut per omne regnum nostrum Episcopi et Missi nostri ac Comites in singulis parochiis ac comitatibus placita teneant, et ad illa placita omnis homo qui placitum custodire debet, et in illis comitatibus commanet, sine exceptione et excusatione conveniat. Et Episcopi omnibus demonstrent quam grave hoc peccatum sit, et qualem poenitentiam quaerit, et qualem damnationem, nisi poenitentia succurrerit, adquirat. Et Missi nostri capitula legis et antecessorum nostrorum de hoc omnibus ostendant, et tantam miseriam interdicant. Et sciant omnes quia quiscunque abinde talia facere praesumpserit, et canonicam et regalem vindictam suscipiet, sicut tunc omnibus et Episcopi et Missi nostri plenius adnuntiabunt.

Item adnuntiatio Hlotharii.

1. Sciatis etiam quia consideravimus ut quiscunque malefactor de uno regno nostro in alterum venerit, Episcopus vel Missus, sive Comes, de quorum ministerio effugerit ut iustitiam uon reddat aut dignam vindictam non sustineat, illis Missis in quorum missatico in alio regno fugerit, notum faciant, et ipsi illum taliter constringant, ut aut ad compositionem aut ad vindictam illuc reveniat ubi malum perpetravit.

2. Et sciatis quia sicut Deus per suam misericordiam et per mei avunculi bonitatem et per mei Senioris ac meorum fidelium adiutorium, meo Seniori in regno successi, ita et in omni bonitate et in observatione de illis capitulis quos meus Senior cum suis fratribus meis avunculis ad Marsnam de Dei voluntate et sanctae Ecclesiae honore et regni stabilitate, et sanctae Ecclesiae ac regni fidelium salvamento, consideravit et confirmavit, cum Dei adiutorio et mei

avunculi consilio et auxilio et vestro adiutorio permanere volo.

Tertia adnuntiatio Karoli.

Deus omnipotens nobis donet ut vestram fidelitatem et vestrum adiutorium, quae semper contra nos cum omni barnatu demonstrastis, et vobis sic merere possimus sicut antecessores nostri vestris antecessoribus in bono meruerunt, et nos vobis cum omni bonitate volumus commerere.

TITULUS XXVI.

SACRAMENTA APUD CARISIACUM.

Acta sunt haec sequentia apud Carisiacum palatium anno Incarnationis Dominicae DCCCLVIII., *Regni autem Domni Karoli* XVIII. *Indictione* VI, XII. *Kal. Aprilis, in Dei nomine feliciter.*

Sacramentum Fidelium.

Quantum sciero et potuero, Domino adiuvante, absque ulla dolositate aut seductione, et consilio et auxilio secundum meum ministerium et secundum meam personam fidelis vobis adiutor ero ut illam potestatem, quam in regio nomine et regno vobis Deus concessit, ad ipsius voluntatem et ad vestram ac fidelium vestrorum salvationem, cum debito et honore et vigore, tenere et gubernare possitis: et pro ullo homine non me inde retraham, quantum Deus mihi intellectum et possibilitatem donaverit.

Sacramentum Regis.

Et ego, quantum sciero et rationabiliter potuero, Domino adiuvante, unumquemque vestrum secundum suum ordinem et personam honorabo et salvabo, et honoratum ac salvatum absque ullo dolo ac damnatione vel deceptione conservabo, et unicuique competentem legem et iustitiam conservabo. Et qui illam necesse habuerit, et rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo, sicut fidelis Rex suos fideles per rectum honorare et salvare et unicuique competentem legem et iustitiam in unoquoque Ordine conservare, et indigentibus et rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere. Et pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium aut malivolentiam vel alicuius indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum et possibilitatem donaverit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cum hoc recognovero, voluntarie illud emendare curabo.

Hincmarus Archiepiscopus, Immo Episcopus, Yrminfridus Episcopus, Hincmarus Episcopus, Hilduinus Abba.

Hungarius, Engilramnus, Isembardus, Odo, Osbertus, Rathbodus, Hunfridus, Odalricus, Rhodulfus, Engischalcus, Herluinus, Hitto.

TITULUS XXVII.

EPISTOLA EPISCOPORUM AD LUDOVICUM, REGEM GERMANIAE.

Haec quae sequuntur Capitula miserunt Episcopi provinciarum Remensis et Rotomagensis a Carisiaco palatio, quo convenerant, per Wenilonem Rotomagensem Archiepiscopum, et Erchanraum Catalaunensem Episcopum, Hludouvico Regi in Attiniaco palatio consistenti, anno Incarnationis dominicae DCCCLVIII. in mense Novembrio.

Domno Hludouvico, Regi glorioso, Episcopi Remorum dioeceseos atque Rotomagensis, qui adesse potuimus.

(*Excusant cur ad conventum Remensem venire non potuerunt*)

I. Litteras dominationis vestrae quique nostrum habuimus, quibus iussistis ut vobis VII. Kal. Decembr. Remis occurreremus, quatenus ibi nobiscum et cum caeteris fidelibus vestris de restauratione sanctae Ecclesiae, et de statu ac salute populi Christiani, tractaretis. Sed nos ad placitum illud occurrere non potuimus, et propter incommoditatem et brevitatem temporis, et propter inconvenientiam loci; et quod est lugubrius, propter confusionem tumultus exorti. Sed et divinis legibus, quas et vos observaturos cum vestris fratribus nobis denuntiastis, cautum esse dinoscitur, quia sicut nec Archiepiscopi sine Coepiscopi, ita nec Coepiscopi sine Archiepiscoporum consensu vel iussu, nisi quae ad proprias pertinent parochias, debent praesumere, et in tam angusto tempore Archiepiscoporum litteras non valuimus de conventu habere. Quapropter noverit vestra sublimitas quia mandatum vestrum nostra non contempsit humilitas; sed, sicut longe est ante nos dictum, qui iubet impossibile, facit se contemptibilem.

(*Quaeruntur quod eorum monitis et consiliis hactenus non paruerit.*)

II. Sed et tractatum de restauratione sanctae Ecclesiae, et statu ac salute populi Christiani, quod nunc vos nobiscum habere velle dicitis, iustius et rationabilius illud

haberi potuisset, si nostris, quin potius divinis consiliis et observationibus atque obtestationibus superno respectu obtemperare voluissetis; quia non nostra scripsimus, mandavimus, diximus, sed quae dictante caritate, quae Deus est, in litteris sacris invenimus, et quae naturae insita recognoscimus. Caeterum quae contra illa quae scripsimus, mandavimus, diximus, acta sunt vel aguntur, naturalis legis morbus et vitium etiam a minus sapientibus esse dinoscitur. Qua de re prudens quisque resipiscat, et sapiat quam granditer Deus offenditur quando in sic grandibus et apertis non ignoranter peccatur. Unde scriptum est: *Descendant in infernum viventes,* id est, labantur in peccatum scientes. Quae divina permissione merito mundi patientis, propter communia peccata nostra, pastorum scilicet et gregum, propter delicta Regis et regni, eveniunt, sicut scriptum est: *Immissiones per Angelos malos, viam fecit Dominus semitae irae suae.* Tamen, sicut veritas protestatur, non erit sine ultione vindictae nec ipsi virga furoris Domini. Sic legimus, sic audivimus; sic vidimus, et pro certo sic cito videbimus: quoniam licet peccatores simus, sed poenitentes, et in divina clementia fortiter confidentes, ministerium sacrum operante Spiritu sancto suscepimus, sine quo sacra non ministramus, et nobis dictum à veritate veraciter scimus: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

(*Quod saepius illum ad ineundam cum fratre concordiam hortati sint.*)

III. Et licet dominatio vestra melius noverit de quibus scriptis, mandatis, et dictis dicamus, tamen non ab re est si etiam et nos illa ad memoriam vestram reducamus. Primo quidem per Hildegarium, venerabilem Episcopum scriptis et dictis; secundo per Aeneam, honorabilem Episcopum litteris et verbis; item per Aeneam verbis, deinde per Hincmarum Remensem et Wenilonem Rotomagensem Archiepiscopos; iterum per eosdem, cum aliis quos ipsi vocastis, ea quae saluti fuerunt congrua sufficienter audistis, quando sicut et ante petivimus ut frater vester et omnes fideles illius ante vestram fideliumque vestrorum praesentiam in rationes loco et tempore congruo venissemus, et quae male gesta forent, vestro consilio et auxilio cum Dei adiutorio fierent emendata. Pro quibus omnibus dictis non obaudientibus valde timemus quod dicitur: *Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt*: et reliqua quae Dominus comminatur. Et si illa non sunt exaudita, putari potest et nec ista, quae vos dicitis apud nos velle quaerere et audire, exaudientur. Videturque quibusdam, ut sicut Dominus, quando quaesivit ficus in ficulnea cui maledixit, cum non esset,

teste Evangelio, tempus ficorum, aliud voluerit significare, ita et in hoc citato et incongruo conventu, remota dominationis vestrae sinceritate, de qua nihil contra puritatem volumus autumare, alia quaedam possint intelligi. Et quia beatus Petrus omnem monet Episcopum ut paratus sit ad satisfactionem omni poscenti se rationem, quae nunc videmus, pro tempore damus fideliter dominationi vestrae consilia.

(Ut consideret cur in fratris regnum venerit, et utrum talia sustinere velit, qualia facit.)

IV. Primo quidem in ipsa radice cordis adventum vestrum in hoc regnum inspicite, et coram oculis Domini, cui secundum Psalmistam cogitatio hominis confitetur, statera aequitatis ponderate; et quicquid hortatores et consiliarii ac laudatores vestri vobis dicant, ad cor redite; et quicquid ad accusationem et commendationem adventus vestri invenire et dicere potueritis, vestram conscientiam interrogate, et si talia sustinere vultis qualia facitis, iudicate. Et illam horam quam certi estis quia nullo modo poteritis effugere, quando anima vestra de corpore exiet, ante mentis oculos ponite, quando totum mundum et omnem potestatem et omnes divitias, et ipsum corpus derelinquet, et sine adiutorio uxoris ac filiorum, et sine solatio et comitatu drudorum atque vassorum nuda et desolata exibit, et quicquid cogitavit et ordinare disposuit, infectum dimittet, sicut dicit Scriptura: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum*; et videbit omnia peccata sua et sentiet, videns diabolos se constringentes et coartantes, et quidquid contra caritatem et fidem debitam cogitavit, parabolavit, et fecit in isto seculo, et per dignos poenitentiae fructus non emendavit, ante oculos semper habebit, et effugere volet, et non valebit. Nam certum est quia ad omnes homines, quando egrediuntur de corpore, veniunt diaboli, et ad iustos, et ad peccatores: sed et ad ipsum Christum venit, in quo suum nihil invenit, sicut scriptum est: *Venit Princeps huius mundi, et in me non habet quicquam*. Et crede nobis veraciter, Rex utinam semper bone et Christiane, nec longe est, sed satis et plus quam speretur, prope tibi est illa hora. Propterea non te seducant ista quae vides. In tempore quippe patris vestri vidimus per aliquos incepta et facta quae in tempore isto, per istos qui ista conficiunt, videmus fieri, et per alios videbuntur compleri. Et quando tibi adveniet hora exitus tui, sicut rident nunc, quando per te obtinent quae volunt in hora voluntatis suae, sic ridebunt et in hora exitus tui, et quaerent quomodo per alium teneant quae per te obtinuerant. Quod et fieri potest ut quidam etiam quaerant in tempore tuo. Sed et illi, nisi dignam poenitentiam egerint,

miserabiliter ad illam horam venient exitus sui, sicut venerunt et illi qui defecerunt a patre tuo cum fratre tuo. Nam ut illi ordinantes seditiones in paternam reverentiam, sic et isti vos excitantes in fraternam dilectionem, nomen pacis et statum Ecclesiae et salutem ac unitatem populi obtendere studuerunt; et latebat sub melle venenum. Et completum est in illis, completurque in istis Psalmistae dictum: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum:* et reliqua quae sequuntur. Et receperunt illi in seculo isto quae nota sunt, et receperunt in seculo altero quae in iudicio plenius cognoscentur. Quorum isti intuentes exitum, timere debuerant actionem: et facient, si illos respexerit Dominus, qui respicit humiles, et custodit parvulos. Et sic *pestilente flagellato*, ut scriptum est, *sapientior erit parvulus;* et sapient, quia non repellet Dominus plebem suam, nec obliviscetur in finem, quoniam *propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam*, dicit Dominus. Alioqui sicut tunc dixit illis, ita et nunc dicit Dominus istis: *Tacui, numquid semper tacebo? quasi parturiens clamabo.* Nondum venit hora mea, sed nunc est hora vestra, et potestas tenebrarum. Et quidem in hac die tua quae ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia venient dies in te. Roga tibi, quaesumus, in tali loco ubi bene possis intendere homeliam sancti Gregorii legere in lectione Evangelii: *Videns Iesus civitatem, flevit super illam.* Precamur vos, Domine, ut et diem ante mentis oculos habeatis quando cum omnibus hominibus anima vestra proprium corpus recipiet, et venietis ante faciem aeterni Iudicis in conspectu omnium angelorum et hominum: in qua die, sicut dicit sanctus Paulus, iudicabit Dominus unumquemque, non per alienum testimonium, sed occulta uniuscuiusque per cogitationes accusantes, aut etiam defendentes, quando recipiet unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. Et non despicientur tunc nostra verba quae scripsimus, ab eis qui nunc illa contemnunt; quando sine dubio replicata erunt in testimonium in ipso tremendo iudicio, et nullus illorum te tunc adiuvabit, qui nec seipsum adiuvare sufficiet, quando ibunt qui talia agunt qualia audimus et sentimus atque dolemus, si in talibus perseveraverint, in ignem aeternum, et iusti qui iniusta patiuntur, in vitam aeternam.

(*De iis quae crudeliter et impie, qua transibat, fiebant, ut ea prohibeat et compescat.*)

V. Quia tanta et talia crudelia et abominanda fieri per parochias quas pertransitis audivimus, et quaedam sentimus, quaedam sentire timemus, et illis qui senserunt et sentiunt condo-

lemus, quae calamitatem et miseriam quam à Paganis patimur superant, quoniam à Christianis in Christianos, à parentibus in parentes, à Rege Christiano in Regem Christianum, à fratre in fratrem, contra omnes leges divinas et humanas aguntur: contra quos clamat Ecclesia à Paganis afflicta: *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt:* et nos omnes cunctique patientes, *sustinuimus pacem, et non venit; quaesivimus bona, et ecce turbatio;* propterea talia prohibete, compescite, et sedate; quoniam palatium vestrum debet esse sacrum, et non sacrilegium. Palatium enim Regis dicitur propter rationabiles homines inhabitantes, et non propter parietes insensibiles sive macerias. Et Rex à regendo dicitur, ut se sub Deo et bonos cum Deo puritate cordis, veritate oris, firmitate stabilitatis regat, et pravos à pravitate corrigat et in rectitudinem dirigat. Et si quae male facta sunt emendare venistis, peiora quam viderimus à Christianis in Christianos fieri, ingerere non debetis. Et si pacem facere advenistis, pacem pacifice ab auctore pacis obtinere debetis. Et si discordiam effugare et caritatem redintegrare venistis, illam quam Christus per Paulum docuit, monstrare debetis. Ait enim: *Caritas non est ambitiosa, non agit perperam, non quaerit quae sua sunt, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati:* quae est de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta; quae operatur per dilectionem, et non per potestatem vel indebitam cupiditatem: sine qua caritate, sicut scriptum est, etiam si quis tradiderit corpus suum ut ardeat, nihil illi prodest. Quam omnibus Dominus in signum dedit, ut sciant si quisque est Christianus, aut si intrabit in regnum Dei, an non, dicens: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Nam qui in primordio fidei discipuli appellabantur, nunc Christiani dicuntur. Et ipsa est vestis nuptialis, quam qui non habuerit, de nuptiis coelèstis convivii in futuro iudicio eicietur in tenebras exteriores et in ignem aeternum, ubi erit fletus et stridor dentium.

(*Ut contra Paganos potius arma convertat: et illos qui ab illis fugiunt, vexari à suis non sinat.*)

VI. Ipsa caritas vos contra Paganos accendat; ut qui tunc moti non sunt ad pietatem ut nobiscum irent contra eos, qui de isto regno amplos habebant et habent honores, (quod si facerent, et zelo recto accensi unanimiter vellent, expelli aut disperdi Pagani, adiuvante Domino, poterant) vel nunc quacunque intentione à dominatu illorum per vestram ordinationem sancta liberetur Ecclesia, et regnum, quod contra eos redimitur, à tributo indebito eripiatur. Sed et qui fugiunt à facie Paganorum, cum in illas partes venerint in

quibus degitis, refugium tranquillum inveniant, et non talem depraedationem ut nec incolae vivere nec fugientibus solatium possint praebere. Quia nunc peccatis nostris exigentibus completur quod olim dictum est per Prophetam: *Qui fugerit à facie leonis, inruet in ursum; et cum intraverit domum, et innisus fuerit super parietem, mordebit eum coluber. Et cum effugerint arma ferrea, inruent in arcum aereum.* In omni enim parte miseri, pro dolor! afflictionem inveniunt.

(*Ut privilegia et immunitates Ecclesiarum conservet, Rectoresque illarum non inquietet, nec possessiones diripi permittat.*)

VII. Et si Ecclesiam Dei, sicut nobis scripsistis, quaeritis restaurare, debita Episcopis et sibi commissis Ecclesiis privilegia intemerata, sicut divinitus constituta sunt, custodite. Praecepta et immunitates et honorem earum, sicut avus et pater vester conservaverunt, conservare curate. Et quae frater vester Dominus noster, qui et paterna donatione et vobiscum, cum vestris vestrorumque fidelium mutuis firmitatibus, regni partem accepit, pro cultu et honore Ecclesiarum egit, similiter conservate; et Rectores ac Pastores Ecclesiarum ut Patres et Christi Vicarios colite, sicut Sancta Scriptura praecipit, dicens: *Sacerdotes Dei sanctifica, et magnatis humilia caput tuum.* Eorumque spiritalia consilia obaudite, iterum dicente Scriptura: *Interroga patres tuos, et adnuntiabunt tibi; maiores tuos, et dicent tibi.* Et item: *Interroga Sacerdotes meos legem meam.* Et Dominus per Malachiam Prophetam: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Eosque tempore incongruo et inopportuno nolite inquietare; sed liceat eis ministerium sacrum, ad quod ordinati sunt, in populi salutem peragere: sibique domestica cura subiectos nolite concutere, et non sinatis dehonestare sive opprimere. Ut Presbyteris honor congruus et iura debita, quae Canones et Capitula avi et patris vestri statuerunt, conserventur satagite. Ut Episcopi quietam libertatem suas parochias circumeundi, et praedicandi ac confirmandi, atque corrigendi habeant ordinate. Ut Missus reipublicae, id est, minister Comitis, cum ipsis, si iusserint, eat, qui liberos homines incestuosos, si per admonitionem Presbyterorum venire ad Episcopum noluerint, eos ad Episcopi placitum venire faciat, commendate. Ut si Episcopus pro quacunque necessitate ecclesiastica ad vos direxerit, ad quem suus Missus veniat, per quem quae rationabiliter petierit obtineat, in palatio vestro, sicut Comes palatii est in causis reipublicae, ministerio congruum constitutum habete. Ut temporibus à sacris regulis constitutis comprovinciales Synodos cum Episcopis, et speciales cum Presbyteris, habere

quiete possint, annuite. Res et facultates ecclesiasticas, quae sunt vota fidelium, pretia peccatorum, stipendia ancillarum et servorum Dei, depraedari et ab Ecclesiis discindi nolite sustinere, sed fortiter, ut Rex Christianus et Ecclesiae alumnus, resistite atque defendite. De quibus consecratis Deo rebus quod habent liberi homines Ecclesiis servientes per dispositionem Rectorum ipsarum Ecclesiarum, ideo constituerunt Apostolorum successores hoc ordinari, ut quia creverunt fidelium vota, et increverunt infidelium mala, augeretur per dispensationem ecclesiasticam regni militia ad resistendam malorum nequitiam, quatenus ipsae defensionem haberent et pacem, et Christianitas obtineret tranquillitatem. Quapropter sicut et illae res ac facultates de quibus vivunt Clerici, ita et illae sub consecratione immunitatis sunt, de quibus debent militare vassalli; et pari tuitione à regia potestate in Ecclesiarum usibus debent muniri. Quia vero Karolus Princeps, Pippini Regis pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Ecclesiarum ab eis separavit atque divisit, pro hoc solo maxime est aeternaliter perditus. Nam S. Eucherius Aurelianensium Episcopus, qui in monasterio S Trudonis requiescit, in oratione positus ad alterum est seculum raptus, et inter caetera quae Domino sibi ostendente conspexit, vidit illum in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti, ab Angelo eius ductore responsum est, quia Sanctorum iudicatione, qui in futuro iudicio cum Domino iudicabunt, quorumque res abstulit et divisit, ante illud iudicium anima et corpore sempiternis poenis est deputatus, et recipit simul cum suis peccatis poenas propter peccata omnium qui res suas et facultates in honore et amore Domini ad Sanctorum loca, in luminaribus divini cultus et alimoniis servorum Christi ac pauperum, pro animarum suarum redemptione tradiderunt. Qui in se reversus sanctum Bonifacium et Fulradum, Abbatem monasterii sancti Dionysii, et summum Capellanum Regis Pippini ad se vocavit, eisque talia dicens in signum dedit ut ad sepulchrum illius irent, et si corpus eius ibidem non reperissent, ea quae dicebat, vera esse concrederent. Ipsi autem pergentes ad praedictum monasterium, ubi corpus ipsius Karoli humatum fuerat, sepulchrumque illius aperientes, visus est subito exisse draco, et totum illud sepulchrum interius inventum est denigratum, ac si fuisset exustum. Nos autem illos vidimus qui usque ad nostram aetatem duraverunt, qui huic rei interfuerunt, et nobis viva voce veraciter sunt testati quae audierunt atque viderunt. Quod cognoscens filius eius Pippinus Synodum apud Liptinas congregari fecit, cui praefuit cum sancto Bonifacio Legatus apostolicae Sedis, Georgius nomine; nam et synodum ipsam habemus, et quantumcunque de rebus

ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, potuit, Ecclesiis reddere procuravit. Et quoniam omnes res Ecclesiis à quibus ablatae erant, restituere, propter concertationem quam cum Waifario Aquitanorum Principe habebat, non praevaluit, precarias fieri ab Episcopis exinde petiit, et nonas ac decimas ad restaurationes tectorum, et de unaquaque casata duodecim denarios ad Ecclesiam unde res erant beneficiatae, sicut in libro Capitulorum Regum habetur, dari constituit, usque dum ipsae res ad Ecclesiam revenirent. Unde et Domnus Karolus Imperator, adhuc in regio nomine constitutus, edictum fecit ut neque ipse, nec filii eius neque successores, huiusmodi rem agere adtentarent: quod manu propria firmavit, cuius plenitudinem habemus, et de quo capitulum excerptum in libro Capitulorum eius, quicunque librum illum habet, et legere voluerit, invenire valebit. Hanc etiam relationem et in scripturis habemus, et quidam nostrum etiam viva voce Domnum Hludouvicum Imperatorem patrem vestrum referre audivimus. Sed et sacri Canones Spiritu sancto dictati, eos qui facultates ecclesiasticas diripiunt, et res ecclesiasticas indebite sibi usurpant, Iudae traditori Christi similes computant. Et Sancti qui cum Deo in coelo regnant, et in terris miraculis coruscant, divino iudicio tanquam necatores pauperum ab Ecclesiae liminibus et à coelesti regno secludunt. De quibus sacrilegis in prophetia Psalmi praedictum est: *Qui dixerunt, hereditate possideamus sanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. Et sicut ignis qui comburit sylvam et sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tuà turbabis eos. Imple facies eorum ignominia.*

(*Ut Monasteria laicis à Karolo concessa religiosis personis restituat.*)

VIII. Monasteria etiam religiosa, atque praecipua Canonicorum et Monachorum atque Sanctimonialium habitacula, quae ab antiquo tempore parentes vestri sub religioso habitu constituerunt, et in eis rectores et rectrices fuerunt, et quando parentes vestri primatum regni tenuerunt, et etiam quando sanctus Remigius Francos ad fidem cooperante Domino convertit, et cum Rege ipsorum baptizavit, et frater vester Dominus noster partim iuventute, partim fragilitate, partim aliorum callida suggestione, etiam et minarum necessitate, quia dicebant petitores, nisi eis illa loca sacra donaret, ab eo deficerent, et ipse aliquando per vos, sicut nunc patet, aliquando per fratrem vestrum regnum destitutus ab eis perderet, talibus, sicut scitis, personis commisit, debito privilegio restituite. Nam idem frater vester et divina inspi-

ratione et sacerdotali redargutione et etiam ab apostolica Sede commonitus, ex aliqua parte quae perpere egit, correxerat: quae autem adhuc incorrecta erant, quomodo emendare posset, saepe gemebundus quaerebat. Absit autem ut vos, qui pro restauratione sanctae Ecclesiae huc venistis, aut illa quae ipse emendavit deterioretis, et sicut ille offendit, et vos offendatis, aut quae ipse needum emendare potuit, inemendata sinatis: qui saepe, sicut et nos testes sumus, fratres vestros de talibus monuistis, et in omni adnuntiatione quam communiter faciebatis, promptissime inde disputabatis; sicut et secus Teudonis villam, in loco qui *Iudicium* dicitur, Capitula quae habemus cum vestris fratribus acceptastis, et in chirographo apud Marsnam manu propria confirmastis. Contra quod si forte aliquis egit, non propterea vos immunes eritis, si illud quod teste Domino pepigistis et confirmastis, observare, quod absit, non studueritis. Neminem quippe adiuvat quod aliena mala reprehendit, nisi et ipse illa caveat: quod demonstrat Paulus, dicens: *Putas, o homo, quod tu evades iudicium Dei, qui eadem agis quae iudicas?*

(*Ut Rectores Monasteriorum sollicite provideant, ut servi et ancillae Dei secundum ordinem vivant*).

IX. Rectores etiam monasteriorum, quibus monasteria committitis, firmiter et obnixe praecipite ut secundum ordinem et habitum ac sexum, quo inhabitantes constituti sunt, sollicite et solerter praevideant ut secundum debitum ordinem servi vel ancillae Domini vivant, et necessaria stipendia in victu et vestitu et caeteris quibusque habeant, et domos ac servitores, prout competit, sicut religiosi et habitus et conversationis rectores, eis provideant. Susceptionem etiam hospitum et pauperum nullomodo neglegant. Quin et inconvenientes personae et res tales quae religioni non congruunt, in monasteria non introducantur, non dicimus; quoniam Religiosos rectores providentiam et curam debitam inde sumere debere non ignoramus.

(*Ut hospitalia peregrinorum ad hoc ad quod deputata sunt, Episcoporum consilio a Rectoribus suis administrentur*).

X. Hospitalia peregrinorum, sicut sunt Scottorum, et quae tempore antecessorum vestrorum Regum constructa et constituta fuerunt, ut ad hoc ad quod deputata sunt teneantur, et a Rectoribus Deum timentibus ordinentur, custodiantur, ne dissipentur, obtinete. Sed et Rectoribus monasteriorum et xenodochiorum, id est, hospitalium, praecipite ut sicut canonica docet auctoritas, et Capitula avi et patris vestri praecipiunt, Episcopis propriis sint subiecti, et mo-

nasteria atque hospitalia sibi commissa ipsorum regant consilio; quoniam Episcopi paternam sollicitudinem eis, secundum ministerium illorum, studebunt impendere. Et quia saepe unicuique in omni ordine competentem legem et iustitiam, una cum fratribus vestris, frequenti adnuntiatione perdonastis, ecclesiastici et religiosi habitus viri ac feminae, atque peregrini et pauperes, in quibus specialiter Christus suscipitur, perdonationem vestram sibi sentiant semper adesse.

(*Quod Regem ita vitam instituere conveniat, ut omnibus sit exemplo*).

XI. Et quia de statu et salute populi Christiani, sicut scripsistis, vultis quaerere, primo a vobis ipsis incipite, qui alios debetis corrigere, sicut scriptum est: *Medice, cura temetipsum;* et munda debet manus a sordibus esse, quae alienas sordes curat detergere. Et quae in aliis debetis corrigere, nemo in vobis iuste valeat reprehendere. Super quantos enim estis in regni culmine, tantorum moribus debetis servire, et sicut lucerna super candelabrum in domo posita, bonitatis exempla monstrare, quia omnium oculi in vos debent intendere: quos si malo exemplo destruxeritis, qui per vos et a vobis in bonum debuerant aedificari, sub tantis sine dubio in futuro seculo poenis vos necesse est torqueri. Propterea oportet ut qui Rex estis, et Dominus appellamini, in illum semper suspenso corde suspiciatis a quo videlicet, Rege Regum et Domino Dominorum, nomen Regis et Domini mutuatis. Et sicut ille disponit orbem terrae in aequitate, et ad hoc, sicut in libro Sapientiae dicitur, constituit hominem ut ipse similiter faciat, imitamini illum, si vultis regnare cum illo. Quia qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit et ipse ambulare, qui dicit: *Estote et vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Et si dixeritis, quomodo possum esse perfectus, cum alia Scriptura dicat: *Si quis in verbo non offendit, ille perfectus est vir,* non cadit a perfectione qui non peccat malitiae cupiditate: *Septies enim cadit iustus et resurgit: impii autem corruunt in malum.* Et: *Iustus, cum ceciderit, non conlidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Qualitercunque vero quis peccet, cupiditatis voluntate aut fragilitatis necessitate, nemo illi melius praevalet indicare quam conscientia sua, quae non potest latere oculos inspectoris sui. Propterea ita oportet vos vivere, iudicare, et agere etiam in occulto, quasi sitis semper in publico; quia saepe talis vos verbo laudabit, qui corde acriter reprehendet, saepe etiam illa quae vobis et in vobis laudaverit, apud alios de vobis reprehensibilia iudicabit. Sic autem, ut dicimus, adiuvante Domino vivere, iudicare, et agere praeva-

lebitis, si vos non stimulaverit amor privatus; si non vos inflammaverit cupiditas gloriae divitiarum, possessionum, et potentatus; si non plus credideritis alienae linguae, quam propriae conscientiae; si vos non roserit tinea adulationis; si non vos usserit livor alienae felicitatis; si vos non vexaverit neglectus animae et amor carnis; si credideritis Regem Christum non pro se, id est, non pro sua necessitate mortuum, sed pro nobis, ut viveremus qui mortui eramus; et vos plus studeatis aliis vivere in salutis suae utilitatibus, quam vobis ipsis in propriis voluntatibus; si scieritis vos esse morituros, et vos credideritis de factis propriis rationem Domino reddituros; et quae digne receperitis, sine fine vel immutatione aliqua habituros.

(*Quomodo domesticos regere, quid Deo, quid subditis reddere, et quales palatii ac reipublicae ministros constituere debeat*).

XII. Domum vestram domesticam sic nutrite, regite et disponite, ut quando regni populus ad vos convenerit, in vobis et in domesticis vestris videant qualiter se atque domum, cum quanta humilitate atque castitate, quam sobrie, quam iuste, quam pie nutrire, disponere debeant, et gubernare: quia, sicut quidam sapiens dixit, secundum mores domini erit familia custodita. Et ideo domus Regis schola dicitur, id est disciplina; quia non tantum scholastici, id est, disciplinati et bene correcti sunt, sicut alii; sed potius ipsa schola, quae interpretatur disciplina, id est, cor rectio dicitur, quae alios habitu, incessu, verbo, et actu atque totius vanitatis continentia corrigat. Et vos, sicut paxillus non bene infixus, nisi in Domino virtutum innixi fortiter fueritis, et vos cadetis, et qui in vobis pendent, labentur. Quapropter, sicut dominus sub potestate constitutos ex tentatorum occasione docuit reddere quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo: ita et vos, qui sub Deo estis et super homines estis, reddite quae sunt Dei, Deo; et sicut Caesar aequus, quae subditorum sunt, subditis reddite. Reddite Deo puram et immaculatam fidem et sincerissimum cultum in Sacerdotibus, in Ecclesiarum privilegiis, in sacris locis, ecclesiasticis et religiosis viris ac feminis, in defensione Ecclesiae et Christianitatis, in aequitate et iustitia populi Christiani, in sublevatione et tranquillitate et consolatione omnium indigentium, sicut praemisimus. Reddite illi quotidianum pensum in quotidiana oratione, in iustis et assiduis eleemosynis. Offerte illi devotionem vestram in sacris oblationibus et lacrymis secundum magnitudinem ac multitudinem quotidianorum peccatorum profusis. Reddite subditis iudicium cum misericordia, iustitiam cum

aequitate. Studete exaltare humiles et Deum timentes; et debellare atque humiliare superbos. Studete a bonis plus diligi, quam timeri. Curate ut mali, si non propter Deum, vel propter timorem vestrum malum agere metuant. Non plus apud vos lingua dolosa, manus plena, obsequium indebitum valeat quam veritas, aequitas, et sinceritas; scientes scriptum: *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.* Unde consequenter intelligi debet, et non aliud. Munus enim est a lingua, favor; munus a manu, donatio; munus ab obsequio, indebita subiectio. Constituite ministros palatii qui Deum cognoscant, ament, et metuant, qui maximam curam gerant quatenus quicunque necestuosi palatium adierint, et per quos perrexeritis, patrem et consolatorem mirantes, gaudendo vos videre accurrant, non, qualiter dicere nolumus, gemendo et maledicendo refugiant. Constituite Comites et Ministros reipublicae qui non diligant munera, qui odiant avaritiam, qui detestentur superbiam, qui non opprimant neque dehonestent pagenses, qui messes et vineas et prata ac sylvas eorum nequaquam devastent; qui eorum pecora vel friskingas, vel quaecunque illorum sunt, non praedentur neque diripiant, et per violentiam ac mala ingenia quae illorum sunt nullo modo auferant, qui Episcoporum suorum consilio quae Dei sunt, et Christianitati conveniunt, faciant, qui placita non pro acquisitione lucri teneant, sed ut casae Dei, et viduae ac pupilli, et populus iustitiam habeant, et plus litigantes ad concordiam salva iustitia revocare studeant, quam committere ut ipsi inde aliquod lucrum possint habere: quos si pacificare non potuerint, tunc sicut rectum est, iustum iudicium decerni cum magna sollicitudine faciant; scientes scriptum esse: *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, id est, facere iudicium et iustitiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Id est, ut quod illi placet, tibi placeat et facias; quod illi displicet, tibi displiciat et non facias. Quod si per fragilitatem feceris, non contumaciter vel pertinaciter in tuo malo facto perseveres; sed statim pedem sicut a ferro calido revoca, et in viam voluntatis Domini tui dirige. Et sicut scriptum est, *quia sunt viae quae videntur hominibus bonae et ducunt ad interitum*, fac, sicut Scriptura tibi praecipit, quicunque es homo, *interroga de via bona, et ambula per eam;* quia, sicut dicitur in evangelio, *ampla via est quae ducit ad perditionem, et multi vadunt per eam: arcta et angusta via est quae ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam.* Propterea quicunque es homo, audi Prophetam, et ora cum Propheta: *Legem pone mihi, Domine, viam iustificationum tuarum, et exquiram eam semper.* Et: *Deduc me in semita mandatorum tuorum, et vi-*

am iniquitatis amore a me, et de lege tua miserere mei. Quia, sicut Hieremias Propheta dicit: *Non est hominis via eius, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos; sed a Domino diriguntur viri, et viam eius volet.* Ipsi Comites similiter, quantum potuerint, simile sibi timentes Deum et iustitiam diligentes per se ministros constituant, qui sicut Seniores suos benignos et affabiles pagensibus suis viderint, et ipsi pro modulo suo illos imitari in omni bonitate et iustitia certent.

(*Ut eos qui propter has seditiones excommunicati sunt, ad Ecclesiae pacem revocare studeat*).

XIII. Homines etiam et potentes seculi, qui inter istas seditiones legis iugum et iustitiam aequitatis refugerunt, et talia ac tanta fecerunt pro quibus ecclesiasticam et episcopalem excommunicationem meruerunt, ad leges et iustitiae tramitem revocate, et ut ad suos Episcopos humiliter, sicut eis necesse est, veniant, iubete vel cogite, et ut Ecclesiae, in quam peccaverunt, aut cum debita necessaria humilitate satisfaciant, aut humiliter et veraciter se excusent, qualiter absolvi a Domino per ministerium episcopale valeant, suadete atque regia potestate praecipite. Et si forte vos, vel quicunque alii de eorum societatis et coniunctionis, communicatione infecti et condemnati sunt, poenitentiam quiscunque se recognoscendo faciat; quia teste sacra auctoritate, non poterit absolvi a suis, qui peccatis damnabiliter gravatur externis. Sicut orans Deum sanctus Propheta David demonstrat, dicens: *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.*

(*Iudices villarum regiarum qualiter constituendi sint*).

XIV. Iudices denique villarum regiarum constituite qui non sint cupidi, qui non diligant avaritiam, et usuras nec ipsi faciant, nec pecunias regias vel suas ad usuras donent, neque a suis subditis usuras fieri sinant: quae omnia vos super omnes ministros odire debetis et fugere. Et servos regios iudices non opprimant, nec ultra quod soliti fuerunt reddere tempore patris vestri ab eis exigant; neque per angarias in tempore incongruo illos affligant; neque per dolos, aut per mala ingenia, sive inconvenientes precationes, colonos condemnent: quia si per tales vel alias huiusmodi factiones pondus argenti vel auri habueritis in arca, maius et gravius pondus erit peccati quod habebitis in conscientia vestra et anima. Ædificent villas vestras moderatis castitiis, ut et honestas necessaria sit, et familia non gravetur. Laborent et excolant terras et vineas in tempore cum debita sollicitudine, salvent et dispensent laborata cum

fideli discretione, faciant nutrimenta congrua et necessaria; custodient sylvas, unde habeant pastiones; defendant et excolant prata, unde habeant pabula; quatinus non sit vobis necesse per quascunque occasiones quorumcunque hortatibus circuire loca Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, vel Comitum, et maiores quam ratio postulat paratas exquirere, et pauperes ecclesiasticos et fidelium vestrorum mansuarios in carricaturis et paraveredis contra debitum exigendis gravare, et peccatum de facultatibus indebite consumptis in animam vestram congerere. Neque a Comitibus vel fidelibus vestris plus studeatis quam lex et consuetudo fuit tempore patris vestri, de hoc quod de francis accipiunt, exquirere. Quin potius habeatis unde sufficienter et honeste cum domestica corte vestra possitis vivere, et legationes palatium vestrum adeuntes recipere, et, sicut scriptum est, unde possitis de iustis laboribus necessitatem patientibus tribuere: quia Rex et largus debet esse, et non quod largiatur de iniustitia vel iniquitate debet conquirere. Iudices vero villarum colonos distringant ut non ecclesiasticos homines vel francos pauperiores, aut alienos servos propter privilegium regium opprimant, aut sylvas vel quaecunque aliorum sunt in sua vicinitate devastent. Quia Rex iustus, qui iustitiam debet diligere, ministros et colonos impios et iniquos non debet habere; sed omnibus in se et in suis debet imitationem debitam demonstrare; quia si ipse Deum dilexerit, omnes boni diligent illum; et si ipse Deum timuerit, omnes mali timebunt illum. Et Rex atque sui ministri per amorem Dei bonum faciant, et omnes bona facere doceant, et per timorem Dei mala fugiant, et omnes in illis mala fugere discant. Missos etiam tales per regnum constituite qui sciant qualiter Comites et caeteri ministri reipublicae iustitiam et iudicium populo faciant; qui sicut Comitibus praeponuntur, ita scientia ac veritate eis praeemineant.

(Ut Synodus Episcoporum regni expectetur, in qua quid facto ipsis opus sit deliberent. Quanta reverentia Regibus debeatur, et quod Episcopi ad Sacramenta adigendi non sint.)

XV. Haec, quia litteris vestris significastis, quod nobiscum de restauratione sanctae Ecclesiae, et statu ac salute populi Christiani, tractare velletis, dominationi vestrae scripto respondere curavimus: quia et pro inclementia aeris, et pro inconvenientia temporis, et propter imminentem diem Domini nostri natalis, venire ad praesentiam vestram nequivimus. Operamini vos interim ista quae cum fidelibus vestris sine nostra corporali praesentia operari valetis. Et cum tempus congruum et sacris Canonibus designatum advenerit,

quando et pro Paganorum infestatione, et pro exorti tumultus ac depraedationum atque rapinarum miserrima nimis confusione, nobis licuerit cum Dominis et confratribus ac comprovincialibus Archiepiscopis et Coepiscopis Synodum favente Domino, celebrare, quae his sunt residua, cum eis sicut cum magistris et patribus tractare, et vestrae dominationi debitum consilium dare studebimus. Et si Deus soliditatem et salutem Ecclesiae atque regni in manu vestra adunare et prosperari decreverit, quae cum Archiepiscopis et Coepiscopis nostris plus congruere divinis dispositionibus viderimus, agere sub famulatu recti regiminis vestri studebimus. Potens est enim Deus minus bonum initium in perfecte bonum commutare processum, cui noscitur esse possibile quod impossibile solent homines iudicare. Si enim sapientia vestra dignum iudicat loqui et tractare cum vicino Rege eiusque fidelibus, secedente de ista parte regni Domino nostro, fratre videlicet vestro, multo magis nos oportet expectare tempus canonicum, ut cum fratribus et comprovincialibus Archiepiscopis et Episcopis loquamur, quia generalis causa imminet totius Cisalpinae Ecclesiae. Maxime autem nobis necesse est loqui cum illis Archiepiscopis et Episcopis, qui consensu et voluntate populi regni istius Dominum nostrum fratrem vestrum unxerunt in Regem sacro chrismate divina traditione, quemque sancta Sedes apostolica mater nostra litteris apostolicis ut Regem honorare studuit et confirmare. Legite libros Regum, ut invenietis quanta reverentia reprobatum et abiectum à Domino Saül ducere dignum duxit sanctus Samuel, cuius locum in Ecclesia nos licet indigni tenemus. Et adtendite quam magni pendit sanctus David, in loco illius electus et unctus à Domino, mittere manum in Christum Domini; cum Saül non solum ex alia progenie, verum ex alia tribu erat; et illum reiectum et se electum à Domino cognoscebat; et nihil firmitatis Saüli David fecerat, sed plurimum adiutorium et devotam servitutem ei impenderat. Et neque bello auferre, neque ingenii dolo, illi regnum subripere adtentavit. Et cum multos ad hoc suasores et auxiliarios habuisset, nulli autem ut hoc moliretur accommodavit, quamvis multas persecutiones et morti proximas ab eo saepissime sustinuerit. Insuper et bene scitis quid de illo iusserit qui, licet mendaciter, pro illius tamen gratia adquirenda se manum misisse in Christum, id est, unctum Domini, nuntiavit, nam si est aliquis qui haec ignoret, nos ei dicimus quia gladio eum interficere iussit. Sic et qui infideliter et contumaciter in unctum qualemcunque Domini manum mittit, dominum Christorum Christum contemnit, et in anima procul dubio spiritalis gladii animadversione perit. Haec dicimus, non ut exaggerationes contra domi-

nationem vestram incongruas exquiramus, sed ut evidentius pro qualitate nostri ministerii quid, excepta debita fide et beneficentia, nobis in fratre vestro reverendum sit demonstremus. Talem nempe vos debemus et volumus credere, ut nec vos regni augmentum cum animae vestrae detrimento velitis habere, neque nos cum tali dedecore ad adiutorium ecclesiastici regiminis et gubernationis recipere, ut sine sacerdotio simus; quo privati erimus, si contra Deum et rationis auctoritatem nos Ecclesiasque nostras vobis studuerimus committere. Ecclesiae siquidem nobis à Deo commissae non talia sunt beneficia, et huiusmodi Regis proprietas, ut pro libitu suo inconsulte illas possit dare vel tollere: quoniam omnia quae Ecclesiae sunt, Deo consecrata sunt. Unde qui Ecclesiae aliquid fraudatur aut tollit, sacrilegium secundum sanctam scripturam facere noscitur. Et nos Episcopi Domino consecrati, non sumus huiusmodi homines ut sicut homines seculares in vassallatico debeamus nos cuilibet commendare, sed ad defensionem et ad adiutorium gubernationis in ecclesiastico regimine nos Ecclesiasque nostras committere, aut iurationis sacramentum, quod nos evangelica et apostolica atque canonica auctoritas vetat, debeamus quoquo modo facere. Manus enim chrismate sacro peruncta, quae de pane et vino aqua mixto per orationem et crucis signum conficit corpus et Christi sanguinis sacramentum, abominabile est, quicquid ante ordinationem fecerit, ut post ordinationem episcopatus seculare tangat ullo modo sacramentum. Et lingua Episcopi, quae facta est per Dei gratiam clavis coeli, nefarium est ut sicut secularis quilibet super sacra iuret in nomine Domini et Sanctorum invocatione, nisi forte, quod absit, contra eum scandalum acciderit Ecclesiae suae; et inde sic temperanter agat sicut Domino docente constituerunt Rectores Ecclesiae synodali consilio. Et si aliquando sacramenta ab Episcopis exacta aut facta fuerunt, contra Deum et ecclesiasticas regulas, quae Spiritu sancto dictatae et Christi sunt sanguine confirmatae, irrita sanctae scripturae paginis declarantur, et exigentes atque facientes medicamento exinde salutaris poenitentiae indigent. Propterea expectate Domine, patienter sicut Princeps Christianus et Ecclesiae filius, et honorate Ecclesiae sanctae Rectores; ut vos honoret qui nobis dixit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* Et: *Honorantes me honorabo; et hi qui temnunt me, erunt ignobiles.* Et: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et in Psalmo: *Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari;* quoniam *qui malignantur,* id est maligna agunt, *exterminabuntur: sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram,* hoc est, regnum Dei. Et cum venerit tempus et lo-

tus, sicut superius diximus, loquemur cum nostris confratribus; et sicut Domini iustis dispositionibus viderimus convenire, sine dubio faciemus. Et non est rationabilis causa quae contra hoc quod petimus vos debeat stimulare: quia non sumus huiusmodi homines ut cum cognoverimus voluntatem Domini, velimus aut debeamus quoquo modo resultare, vel rixas et dissensiones seu seditiones, quas vulgus *Werras* nominat, debeamus commovere, conserere, vel tenere, quos Dominus pacis praedicatores et sectatores voluit ordinare, et peccata nostra atque nobis commissorum, et etiam totius populi, constituit plangere et curare, et bellum cum vitiis et pacem cum fratribus iussit habere. Nos equidem pacem et quietem, non rixas et bella, optamus et quaerimus: quia sicut dicit Apostolus', *non sunt nobis carnalia arma, sed spiritalia, et potentia Deo*, quibus sumus calciati pedes in praeparatione Evangelii pacis, induti lorica iustitiae et galea salutis, accincti lumbos in veritate, habentes scutum fidei et gladium Spiritus Sancti: quia non est nobis conluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiae in coelestibus. Et non militamus terreno Regi, sed coelesti, pro salute et nostra et terreni Regis, et totius populi nobis commissi: quorum officium est nulli nocere, contra neminem infideliter agere, omnibus autem velle prodesse. Tandem, Domine nobis Rex, contra Deum et contra animam vestram non audiatis illos qui dixerint, si forte vobis dixerint: Non tibi sit curae, Rex, quae tibi referunt illi fellones atque ignobiles; hoc fac quod tibi dicimus, quoniam cum nostris, et non cum istorum parentibus, tenuerunt parentes tui regnum. Nos autem obsecramus dominationem vestram, adtendite, potius, si Christianus Rex estis, sicut et Deo gratias estis, et in illum creditis, et per illum regnare vultis *per quem*, sicut scriptum est, *Reges regnant*, et cuius est regnum, immo orbis terrae et plenitudo eius; quia idem Deus in carne veniens, qui solus Rex fieri potuit et Sacerdos, et in coelum ascendens suum regnum, id est, Ecclesiam, inter Pontificalem auctoritatem et Regiam potestatem gubernandum disposuit, et non elegit ad hoc divites et nobiles, sed pauperes et piscatores, sicut scriptum est: *ignobilia et contemptibilia mundi elegit, ut confundat fortia.* Et fieri potest ut tales vobis ista dicant (si forte minus necessario Deum timentes vobis dixerint) cum quorum parentibus diabolus, qui, secundum Scripturam, *est Rex super omnes filios superbiae*, regnum Christi, quod est Ecclesia, conturbaverit, et nunc eos in regno suo, id est, in inferno, retineat, et secum in secula retinebit. Pro certo autem sciatis quia cum nostris parentibus, id est, cum Apostolis, Chris-

tus, Rex Regum, regnum suum, id est, Ecclesiam, conquisivit, ampliavit, et rexit, et per nos et nobiscum, utinam non ad iudicium nostrum dicamus! eandem Ecclesiam, id est, regnum suum, quotidie adquirit, auget, atque gubernat idem Dominus Iesus Christus, sicut dictum est à Domino Ecclesiae per Prophetam: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii;* id est, pro Apostolis creavit tibi Episcopos, qui te regant et doceant. Cum qua Ecclesia nobis à Deo commissa, Rex Christiane et Domine, sicut litteris vestris iussistis, ieiuniis et orationibus ac letaniis, Dominum summum gubernatorem in navi sanctae Ecclesiae fluctuante in hoc mare, id est, seculo naufragoso, peccatis nostris communibus dormientem pulsare et excitare, et pro vobis deprecari studebimus: ut quantocius pro sua ineffabili pietate evigilet et imperet ventis et mari, id est, tentationibus diabolicis et inquietudinibus secularium hominum, ut redeat quantulacunque tranquillitas, gratia et misericordia eiusdem Domini nostri Iesu Christi, cui est et sit potestas et honor, et gloria et imperium, in secula seculorum. Amen.

T I T U L U S X X V I I I.

Synodi Metensis, de indulgentia Ludovici Regis.

Haec Capitula tractata et confirmata sunt ab Episcopis in Synodo habita apud Mettis civitatem, de indulgentia Hludouvici Regis pro seditione et excessibus in regno fratris sui Karoli perpetratis.

(*Commonitorium Episcopis ad Ludovicum Regem legatis à Synodo Metensi.*)

Dilectis in Christo fratribus et consacerdotibus nostris, legatis videlicet divinae pacis ac nostrae unanimitatis, Hincmaro, Gunthario, Weniloni Archiepiscopis, et venerabilibus Coepiscopis nostris Herluino, Hildegario, Adventio, Abboni, Hincmaro, Erchanrao, Episcopi quorum nomina subter habentur adscripta, qui favente Domino, et annuentibus gloriosis Principibus nostris Karolo et Hlothario in Mediomatricum civitatem, anno Incarnationis Dominicae DCCCLIX, Indictione VII, V Kal. Iunias synodali decreto convenimus.

I. Nota et (proh dolor!) nimis est nota discordia atque calamitatis pernicies quae factione quorumdam seditiosorum hominum nuper inter fratres Reges nostros Hludouvicum et Karolum accidit: unde tanta ac in Ecclesia nobis ad regendum, divina dignatione, commissa et in hoc regno perpere sunt admissa, ut ipso etiam auditu horribilia cognoscantur;

et si haec discordiae pestilentia diutius, operante humani generis antiquo hoste, duraverit, quam exitiabilis et mortifera existat, melius ipsi scitis. Qua de re memores quid Veritas missis praedicatoribus iusserit, ut divinus Paulus dicit, *legatione fungimur pro Christo, reconciliamini Deo*, legatione pro Christo fungentes, vos, fratres carissimi, legatos Deo amatae pacis, quoniam exinde iam gloriosos Principes nostros Karolum et Hlotharium episcopali auctoritate monnimus, ad Domnum Hludouvicum Regem gloriosum mediante Domino ordinamus, sicut Salvator dicit: *In quamcunque*, inquiens, *domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. Sin autem, ad vos revertetur.* Quia aut erit quisque praedestinatus ad vitam, et coeleste verbum sequetur quod audiet; aut si nullus audire voluerit, ipse praedicator sine fructu non fuerit, quoniam ei à Domino pro labore sui operis merces recompensabitur.

II. Post praedicatam vero et postulatam pacem, legatio vestrae fraternitatis huiusmodi erit conditionis, ut isdem Rex nobis, et utinam Deo, semper amabilis, admissorum indulgentiam consequatur.

III. Videlicet si se de omnibus quae per eum malitiosorum hominum persuasione atque seductione in parochiis nostris fratrumque nostrorum perpetrata sunt veraciter recognoverit, sicut scriptum est: *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.* Et: *Sacrificium Deo est spiritus contribulatus;* quoniam cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Et sicut hi qui ficte Deum quaerunt, invenire nunquam merentur; ita prope est Dominus omnibus invocantibus se in veritate.

IV. Et si post veram recognitionem puriter confessus fuerit; quia iterum dicit Scriptura: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur. Qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Et: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.*

V. Post puram autem confessionem, si promiserit quae male gesta sunt, per dignos poenitentiae fructus, praeveniente, adiuvante, et subsequente divina gratia, se pro viribus emendaturum; (quia scriptum est, *Facite fructus dignos poenitentiae*) ut tanto maiora quaerat bonorum operum quisque lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam, quoniam et illi beati quorum tecta bonis operibus sunt peccata) et ut scriptum est, quia peccavit, et populum peccare fecit, tanta sint bona quae tanta operiant mala.

VI. Deinde si spoponderit ad pacem et concordiam

praesentaliter in toto corde et ore, et quantocius rationabiliter et possibiliter atque convenienter ex communi consensu fieri poterit, etiam praesentia corporis ad pacem et concordiam cum fratre suo Karolo se rediturum, et in pace ac caritate Deo placita cum praefatis Principibus nostris Karolo atque Hlothario, si ipsi eandem pacem et concordiam erga eum servaverint, permansurum, et in se peccantibus debita dimiserit, sicut sua à Deo debita sibi cupit dimitti. Quia itidem Scriptura dicit: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Et cum mala cuncta bonis sequentibus diluantur, tantum est discordiae malum, quae nisi extincta funditus fuerit, bonum nullatenus sequi, evangelio teste, permittat; et caritas est quae operit multitudinem peccatorum, sine qua etiam si quis corpus suum tradat ad ignem, nihil ei nisi ad damnationis iudicium proderit. Et Dominus dicit: *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester coelestis dimittit vobis peccata vestra.*

VII. Post haec, si promiserit quod iam ulterius tale vel simile schisma in hac sancta Dei Ecclesia atque in ista Christianitate non reiteret. Unde scriptum est: *Qui baptizatur à mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio eius?* Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato; sed post baptisma mortuum tangit, qui culpas post lacrymas repetit. Et iterum scriptum est: *Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in voluntabro luti;* quia qui peccatum post poenitentiam repetit, quasi in lutosa aqua semetipsum volvit, vitae munditiam subtrahit, ipsas etiam lacrymas ante Dei oculos sordidas facit.

VIII. Tunc demum promittat se ab illorum perditorum hominum tuitione atque favore, per quos tam graviter Deum offendit, disiungere. Et qui quasi ad eius fidem, sed potius infideliter ad eum venerunt, ad rectam rationem in proximo placito ante fratrem suum Karolum et nepotem suum Hlotharium, sicut, Deo teste, iam apud Marsnam propria manu firmaverat, venire, si potuerit, faciat. Et quemcunque illorum recta ratio dignificaverit, digne honore suo fruatur. Et qui per rectam rationem Seniorem suum iustificari non potuerit, et rationabilem misericordiam pro eo expetierit, eandem rationabilem misericordiam illi obtineat. De illo vero quem recta ratio et iustum iudicium condemnaverit, ut Rex Christianus cum Rege Regum Christo concordet, et alienae perditioni se non commisceletꝭ quia, ut Paulus dicit, *non solum qui faciunt, sed etiam qui male facientibus consentiunt, digni sunt morte.* Unde sanctus Innocentius dicit quia non multum interest inter committentis animum et consentientis favorem. Addo amplius, plerumque dediscit

errare cui nemo consentit. Et iterum sanctus Paulus cum talibus hominibus nec cibum sumere permittit. Et sanctus David, dum totum se ad foedera pacis internae constringeret, testatur quod cum malis concordiam non teneret, dicens: *Nonne qui oderunt te, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Inimicos etiam Dei perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, et quod faciunt increpare; mores pravorum premere, vitae prodesse. Hinc Finees peccantem civem coeuntem cum Madianite perculit, et iram Dei iratus placavit. Et Iosaphat, qui tot de anteacta vita praeconiis attollitur, de Achab Regis amicitiis pene periturus increpatur; cui à Domino per Prophetam dicitur: *Impio praebes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia iungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te.* Hinc sacri Canones à sancto promulgati Spiritu dicunt ut hi qui post excommunicationem vel interdictum cum excommunicatis communicaverint, condemnati anathema habeantur. Et sanctus Cyprianus Regis ministerium esse dicit impios de terra perdere, homicidas, periuros, adulteros, veneficos, sacrilegos non sinere vivere. Et in libro Regum scriptum est, dicente Domino per Prophetam: *Quia dimisisti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo illius.* Et quam noxia sit indebita erga iniquos misericordia, monstratus in opere Saül ac Samuelis; quoniam cui Saül pepercit offendens Dominum, Samuel Propheta in frusta concidit. Nam sicut quisque in se peccantibus debet propter Deum dimittere, ita in Deum peccantes, et Ecclesiam conculcantes, et regni pervasores, et in Christianitatis depopulatores, et in pacis perturbatores, et in patriae proditores debet minister Domini Rex debitam vindictam propter Deum exercere. Quapropter sciat Rex nobis amabilis quia sicut infirmus sanari non potest qui à medico coquitur, quamdiu ferrum ignitum in illius tenetur corpore, ita et nemo sanari potest à peccato quandiu in peccato manserit, vel quandiu in peccato manenti scienter et libenter communicaverit.

IX. Tandem in se promiserit adiutorem et cooperatorem Dei pro viribus de caetero et rationabiliter futurum; qualiter Ecclesia Dei quae in suo regno ac regnis nostrorum Principum una est, sicut et unum Sacerdotium, secundum qualitatem periculosi temporis in unoquoque ordine restituatur, et Sacerdotes Dei debita privilegia et ecclesiasticum vigorem obtineant, et populus iustitiam et pacem habeat, congregatis vobis et nostro immo divino Spiritu, qui est remissio omnium peccatorum, per ecclesiasticam apostolicae auctoritatis potestatem illi peccata in nostris parochiis per illum

et ab illo commissa ecclesiastica pietate et canonico more dimittite, eique indulgentiam postulanti donate, atque illum sacrae communioni, qua ipse se privaverat excommunicatis communicans, restituite.

X. Et licet multorum annorum, secundum praefixos à sacris canonibus gradus, poenitentiae haec perpetrata facinora indigerent, tamen confisi de Dei misericordia, apud quem non sic acceptatur mensura temporis ut doloris, nec abstinentia ciborum sicut mortificatio vitiorum, non praeiudicantes Patrum sententiis quae de huiusmodi decreverunt, sed potius eorum sequentes humaniorem diffinitionem haec scribimus. Ait sancta Synodus Africana: *Poenitentibus, secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio poenitentiae tempora discernantur.* Et S. Leo apostolicae Sedis Pontifex: *His,* inquit, *qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras vera confessio, dicente Dei Spiritu per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Et alibi: *Dic iniquitates tuas prior, ut iustificeris.* Et item: *Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio. In dispensandis itaque donis Dei non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lacrymasque negligere, cum ipsam poenitenti affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam dicente Apostolo: Ne forte det illis Deus poenitentiam, et resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Et sanctus Gregorius in Evangelii homelia dicit: *Veniat foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiae ei poenam debeant amovere quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit.*

XI. His perpensis, fratres carissimi, si, ut diximus, iam dictum Regem à nobis amabilem ita contemperatum divinae voluntati et sacrae auctoritati inveneritis, secundum ministerium vobis à Deo traditum cum nostra unanimitate absolvite. Sin alias, vos nullo modo cum eo, quem absolvere non poteritis, ligare nolite; quoniam nec coram Deo, nec in Synodo nos inde auctores habebitis, si agere aliter, quod absit, praesumpseritis; vosque et in Synodo et coram Deo pro facto irrito dabitis rationes.

XII. Et si ipse, quod Deus longe faciat, et quae egit, unde illum nunc commonere vos mittimus, reiteraverit, omnia et ante divinos oculos et ad ecclesiastica iudicia redivivo vulnere curanda vel amputanda noverit revenire. Si quid quoque contra sanctam auctoritatem praesumptum, vel sub-

reptum, sive extortum fuerit, non solum in divinis examinationibus, verum nec in divinis legibus quippiam praevalebit. Et non sit de caetero immemor idem Rex gloriosus quod dicit sanctus Gregorius: *Sciendum est*, inquit, *quia quisquis inlicita nulla commisit, huic iure conceditur ut licitis utatur; sicque pietatis opera faciat ut tamen, si noluerit, ea quae mundi sunt non relinquat. Quilibet vero tanto à se licita debet abscidere, quanto se meminit et inlicita perpetrasse. Neque enim par fructus esse boni operis debet eius qui minus et eius qui amplius deliquit, aut eius qui in nullis et eius qui in quibuslibet facinoribus cecidit. Sed tanto quisque maiora quaerat bonorum operum lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.* Unde à vobis nostra, quin potius Dei voce, commoneatur ut sic studeat praeteritorum poenitens, et imminentia atque futura cavens, Deo militare in regno terreno, quatenus mereatur conregnare Christo in regno coelesti.

Haec quae sequuntur, peracta legatione, renuntiarunt Episcopi.

De indulgentia sua nobis Hludouvicus Rex pridie Nonas Iunias in Wormatia dixit. Volo vos precari ut si in aliquo vestros animos offendi, ut hoc mihi perdonetis, ut inantea securus vobiscum loqui possimus. Ad haec Hincmarus, qui primus in ordine ex sinistra parte illius stetit, respondit dicens: Ista causa cito ad effectum pervenire potest; quia quod nos offerimus, hoc vos petitis. Et monente Grimoldo ac Theodorico Episcopo, iterum ipse Hincmarus dixit: Nihil contra me fecistis unde noxium rancorem in mente contra vos teneam, quia si facerem, ad altare, ut Domino sacrificarem, accedere non auderem. Iterum monentibus eisdem Grimoldo et Theodorico ac Salomone, dicente ipso Theodorico haec verba: Facite sicut Senior noster precatur, parcite illi, respondit ipse Hincmarus haec eadem verba: Quod in me, id est, in mea persona, offendistis, et peperci et parco. De hoc autem quod in Ecclesia mihi commissa et in populo male est factum, voluntarie vobis dono consilium, et secundum Deum praesto auxilium, ut inde salvi sitis, si vobis placet. Et praefati viri responderunt: Certe bene dicit. Et caeteri fratres nostri in haec verba et senserunt et prosecuti sunt. Tanta et talis indulgentia illi largita fuit, et non altera, neque amplius. De scripto autem quod confirmatum nobis est traditum, nec ipse à nobis quiddam quaesivit, nec nos illi aliquid diximus, quoniam needum cum illo ex huiusmodi in ratione eramus. Ipse autem post haec et alia dixit nos egisse quod non egimus, ex hoc materiam sumens quod Guntharius illi familiariter, ut eum instrueret et ad satisfactionem provocaret,

scriptum relegit ita inquiens: Vos mihi transmisistis vestram epistolam cum Capitulis vos venistis cum causa facta. Nos non sumus hic nisi duo vel tres, qui sine aliis huc exilivimus: in illas causas intrare non possumus antequam cum nostris Episcopis inde tractemus; quia, Deo gratias, nihil sine illorum consilio feci; et postea inde respondeam. Nos autem expectabamus ut consilium a nobis de sua salute oblatum ipse quaereret, et tunc et secundum illud scriptum donaremus consilium. Ipse autem de suo gradu respondit quod in illud scriptum non intraret antequam cum suis Episcopis consideraret. Et sic quicquid in generali causa Ecclesiae et populi egit, penes illum remansit.

TITULUS XXIX.

SYNODI TULLENSIS APUD SAPONARIAS.

Haec ventilata, definita, atque obtenta sunt in Synodo duodecim provinciarum quae habita est anno Incarnationis Dominicae* DCCCLIX, *Indictione* VII *in territorio Tullensi, sub Principibus Karolo, Hlothario, et item Karolo.

(*De concordia inter fratres Ludovicum et Karolum Reges reformanda.*

I. Ut caritas fraterna et concordia pacis reformetur inter fratres, Principes scilicet ac gloriosos Reges nostros Hludouvicum et Karolum; qualiter schisma quod ortum est nuper in Ecclesia, ad unitatem benignitatis valeat redintegrari, et status Ecclesiae pene conlapsus restitui, et pax ac iustitia in populo Christiano valeat procurari; et qui a fidelitate debita defecerunt, iudicio et iustitia per rectam rationem et rationabilem misericordiam possint salvari, et perverso conamine ad salubriora converti.

(*Ut Episcopi mutuo se consilio et auxilio adiuvent, et Synodos frequentent*).

II. Episcopi namque secundum illorum ministerium ac sacram auctoritatem uniti sint, et mutuo consilio atque auxilio Reges regnorumque primores atque populum sibi commissum in Domino regant et corrigant; et nemo se a solatio mutuo subtrahat, sed synodales conventus secundum iussionem canonicam frequentare procurent: quatenus ordo ecclesiasticus, qui quasi obliteratus iam fuerat, (quoniam Synodi propter discordiam Regum frequentari non poterant) episcopali collatione ad necessarium ac debitum statum re-

duci praevaleat. Unde etiam consensum apud Reges expetitum obtinuerunt.

(*De stabili unione principum Karoli et Lotharii, atque Karoli Regum*).

III. Reges nihilominus ac Principes nostri Karolus, Hlotharius, atque item Karolus ad Dei voluntatem atque sanctae Ecclesiae statum, suamque salutem et populi salvationem, gratias Deo, uniti et in eadem salutari unitate firmati sunt.

(*De Tortoldo Diacono, qui Episcopalem potestatem in Baiocacensium urbe occuparat*).

IV. Perventum est ante conventum Episcoporum quendam Diaconum, cui Tortoldus nomen est, episcopalem potestatem in urbe Baiocacensium occupasse et pollicitationibus ac minis sollicitare multos ac perturbare. Unde definivit sancta Synodus ut Wenilo, Senonum Archiepiscopus, cuius Diaconus fuit, adiunctus secum tribus aliis, memoratum Diaconum evocatum audiant, et secundum auctoritatem canonicam de eo definiant. Si autem refugerit eorum cognitionem, annitente principali potestate venire ad audientiam compellatur. Quod si hanc quoque declinaverit, anathemate feriatur.

(*De Anscario Subdiacono, qui Lingonum sedem, vivo eius Episcopo, pervaserat*).

V. De quodam etiam Subdiacono Anscario, qui vivo et incolumi Episcopo civitatis Lingonum sedem pervasit, simili est sententia definitum. Sed intervenientibus legatis eiusdem Subdiaconi, humanior est prolata sententia; videlicet ut sacramento confirmet se nunquam talia huiusmodi praesumptione facturum. Cuius sacramenti tenorem huic capitulo subnectere dignum existimavimus. *Ego Anscarius, Subdiaconus, confiteor coram Domino et sanctis Angelis eius, reverentiae sanctae paternitatis vestrae, contra Dei voluntatem et contra canonica statuta temere me fecisse in Isaac venerabilem Pontificem, usurpando sedem Ecclesiae sanctae sibi commissae Lingonicae et sollicitando Clericos et vassallos eius omnemque familiam. Atque ideo pro tantae praesumptionis excessu, per sacri ministerii vestri vobis largitam a Domino potestatem, veniam mihi poenitenti largiri suppliciter deprecor. Deinceps vero nec in eundem Antistitem, nec in alium quemlibet, nec in illa nec in alia Ecclesia huiusmodi praesumptionem facere tentabo, et neque illi aut alicui suorum Clericorum aut laicorum in aliqua re impedimentum faciam pro hac causa, quia me graviter deliquisse confiteor.*

Neque insidias eis ullius inquietudinis parabo, neque per me neque per aliquem meorum propinquorum, nec per quemcunque hominem? sed potius adiutor pro viribus et intelligentia ipse suisque ero, prout sibi placuerit. Et qui sibi pro hoc ipso inimici sunt, quos ipse voluerit, si potuero, eidem conciliare procurabo. Sic me Deus adiuvet, et istae sanctae Sanctorum Reliquiae. Statuit etiam sancta Synodus ut nunquam ad eandem Lingonensem Ecclesiam, sive ad Ianuacensem *o*), quam iam pridem pari modo adflixerat, debeat adspirare. Et si ita ut praemisimus iussis episcopalibus obedire refugerit, sententiam superius Diacono datam incurrat.

(*De proclamatione Karoli Regis adversus Wenilonem, Archiepiscopum Senonensem*).

VI. Deinde gloriosus Rex Dominus Karolus sacrae Synodo libellum appellationis electorumque iudicium inter se et Wenilonem, Senonum Archiepiscopum, qui ab eo defecerat, et proclamationis diploma porrexit. Unde secundum sacram auctoritatem, et induciae ac dierum dilatio est concessa, et certa accusatio per Episcopos et synodicas litteras praefato Archiepiscopo est intimata atque concessa secundum regulas divinitus promulgatas.

(*De Attone Virdunensium Episcopo, qui contra regulas ecclesiasticas provectus dicebatur*).

VII. Mota est etiam quaestio de Attone, Virdunensium Episcopo, quod oblatione regulari (unde petitio ibidem est praesentata) in monasterio sancti Germani Autissiodorensium extiterit, et contra regulas ecclesiasticas inde discedens, minus provise quam sacra auctoritas doceat, ad ordinem episcopalem pervenerit. Unde etiam definitum est dari sibi commeatum veniendi ad aliam Synodum, sicut sacra sancit auctoritas.

(*De litteris Synodi ad Episcopos Brittanum qui a Metropolitano suo disciverant, et cum excommunicatis communicabant*).

VIII. Ad Episcopos siquidem Brittonum, qui se contra auctoritatem a metropoli sua moliuntur discindere, Synodus litteras secundum auctoritatem sacram direxit quatenus ad suam metropolim redeant, eique debito iure se subdant, nec a canonica et episcopali communione se segregent. Excommunicatis etiam, sicut sacrae decernunt regulae, nequaquam communicent, et Salomonem commoneant

---

o) al. ms Ianuensem.

ut promissam fidem glorioso Regi Karolo observet, et ipse et Brittones excommunicatis communicantes, ipsi se sacra communione non privent.

(*De litteris Synodi ad Brittones excommunicatos, quibus nisi se corrigant, anathema intentatum*).

IX. Ad memoratos quoque excommunicatos sancta Synodus litteras direxit, eisque usque ad futuram proximam Synodum corrigendi spatium tribuit, monens ecclesiastica pietate ut convertantur et vivant; quia, nisi se correxerint in futura Synodo generali unanimitate anathemate terribili ferientur.

(*De Capitulis quibusdam in Synodo relectis, de quibus inter Episcopos erat controversia*).

X. Relecta sunt denique in eadem Synodo quaedam Capitula super quibus quorundam fratrum sensus dissentire probantur. Unde convenit inter Episcopos ut Deo favente, pace ac tranquillitate recuperata, simul conveniant, et prolatis sanctarum Scripturarum atque catholicorum Doctorum sententiis, quae saniora sunt concordi unamitate sequantur.

(*De conservando privilegio Monasterii Sancti Benedicti*).

XI. Tandem postulavit humiliter Synodus generalis, se ad terram usque prosternens ante Karolum Regem et Rodulfum Biturigum Archiepiscopum, obsecrans et adiurans per crucem et Christi sanguinem ut privilegium monasterii sancti Benedicti, quod annuente Rege praefato firmaverant, quodque idem Rodulfus subscripserat, (qui praefatam abbatiam inregulariter tenebat *p*), ratum et inconvulsum servare studerent. Quod si Abbas negligens et sacris regulis inconveniens per directos Missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, et alius qui dignus repertus fuerit substituatur, et privilegii regularis (auctoritas *q*) in eodem monasterio quacunque occasione non destituatur.

(*De aliis quae specialius in eodem Synodo statuta sunt*).

XII. Haec de praecipuis in eadem sacra Synodo fuere statuta. Caeterum specialia de quibusque parochiis, prout visum fuit, secundum ecclesiasticam auctoritatem definita, et episcopis in propriis parochiis sunt ad exsequendum commissa.

(*De precibus quas inter se condixerunt Episcopi qui ad hoc Concilium convenerunt*).

XIII. Placuit omnibus, ut creditur, instinctu divino,

p) Desunt in al. Codd.

q) al: ms. *status*.

qui ad universale Concilium in vicinia Tullensium confluxerunt, quoniam calamitatum taedio laborabant, quo invenirent aliquid ubi consolationis gratia respirarent. Statuerunt itaque ut pro se invicem omnes, dum adviverent, preces huiusmodi frequentarent; scilicet ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas, feria quarta, Missam celebrarent. Post vocationem autem cuiuslibet eorum, superstites obtineant ut pro eo qui decesserit, in sedibus septenae Missae totidemque Vigiliae Domino persolvantur, a Presbyteris autem monasteriorum sive villarum tres Missae totidemque vigiliae dependantur. Exitus autem uniuscuiusque vicissim piis currentibus litteris innotescat. Praesentes etiam Abbates in tam profutura societate recepti, eadem se conditione iunxerunt.

TITULUS XXX.

Synodi tullensis apud saponarias.

Libellus proclamationis domni Karoli Regis adversus Wenilonem, Archiepiscopum Senonum, electis Iudicibus Remigio Lugdunensium, Eirardo Turonorum, Weniloni Rothomagensium, et Rodulpho Biturigum Archiepiscopis in sancta Synodo duodecim provinciarum apud Tullensem Parochiam, in suburbano eiusdem urbis quod dicitur Saponarias *propria ipsius manu porrectus anno Incarnationis Dominicae* DCCCLIX. *Indict.* VII, XVIII. *Kalendas Iulias.*

I. Quia, sicut dicit sanctus Gregorius, et ex consuetudine olitana cognoscitis, in Francorum regno Reges ex genere prodeunt; mihi a Domino et genitore meo piae memoriae Hludouvico Augusto pars regni inter fratres meos Reges divina dispositione est tradita. In qua parte regni vacabat tunc Pastore Metropolis Senonum, quam, iuxta consuetudinem praedecessorum meorum Regum, Weniloni tunc clerico meo in capella mea mihi servienti, qui more liberti clerici se mihi commendaverat, et fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum Episcoporum ipsius metropolis ad gubernandum commisi, et apud Episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiscopum ordinarent obtinui.

II. Post haec de divisione regni inter me et fratres meos ratio est exorta notissima, unde partem divisionis cum mutuis, nostris scilicet nostrorumque fidelium sacramentis,

sicut etiam primores regni totius invenerant, tenendam et gubernandam suscepi. Quam divisionem inter me et fratres meos de caetero a me substantialiter tenendam, sicut et alii qui ibi adfuerunt Episcopi, Wenilo mihi fratribusque meis propria manu iuravit: pacem etiam et mutuum adiutorium inter me et praefatum fratrem Hludouvicum Wenilo sacramento firmavit.

III. Sed et post hoc, electione sua aliorumque Episcoporum, ac caeterorum fidelium regni nostri voluntate, consensu et acclamatione, cum aliis Archiepiscopis et Episcopis Wenilo in dioecesi sua, apud Aurelianis civitatem, in basilica sanctae Crucis, me secundum traditionem ecclesiasticam Regem consecravit, et in regni regimine chrismate sacro perunxit, et diademate atque regni sceptro in regni solio sublimavit. A qua consecratione vel regni sublimate supplantari vel proiici a nullo debueram, saltem sine audientia et iudicio Episcoporum quorum ministerio in Regem sum consecratus, et qui throni Dei sunt dicti, in quibus Deus sedet, et per quos sua decernit iudicia; quorum paternis correptionibus et castigatoriis iudiciis me subdere fui paratus, et in praesenti sum subditus.

IV. Denique cum seditiones in regno nostro per homines irreverentes coeperunt crebrescere, consensu Episcoporum ac caeterorum fidelium nostrorum chirographum invicem conscripsimus, qualiter ego erga eos, cooperante Domino, agere vellem, et qualiter mihi consilio et auxilio iidem fideles nostri ab inde postmodum solatium ferre debuissent. Cui scripto Wenilo apud Baiernam villam propria manu subscripsit, sicut in praesenti videre potestis.

V. Deinde cum contra Paganos ad insulam loci qui *Oscellus* dicitur cum fidelibus nostris, et terreno itinere ac navigio, sicut scitis, perrexi, quidam a nobis deficientes fuga lapsi sunt. Wenilo autem se pro infirmitate sua illuc ire non posse dicens, ad sedem suam reversus est. Dum autem in procincto eo nos infirmi degeremus, frater noster Hludouvicus, sicut scitis, cum manu hostili et seditiosis hominibus ex regno suo regnum nostrum irrupit. Ad cuius colloquium sine mea voluntate atque licentia Wenilo venit, quem supplantatorem meum esse cognovi; quod nemo Episcoporum ex regno nostro alius fecit.

VI. De caetero, cum contra praedictum fratrem meum et inimicos meos, ac vastatores Ecclesiae et depopulatores regni qui cum illo erant, cum fidelibus Dei ac nostris perrexi, nec per se ipsum nec per debitum solatium quod antecessores mei Reges et ego ipse ex Ecclesia illi commissa

habere solitus eram, aliquid adiutorii praebuit, praesertim cum hoc devote ab illo petierim.

VII. Cum autem ratio et necessitas mihi accidit, de villa Breona ut a praedicto fratre meo secederem et ipse frater meus Hludouvicus ad hoc rediit in partem regni mei ut mihi meum nepotem subriperet, et homines meos mihi subtraheret, ac fideles meos vastanter inprimeret, Wenilo cum quo potuit solatio ad praedictum fratrem meum Hludouvicum in meam contrarietatem venit; cum quo erant excommunicati istius regni et seditiosi, de quorum excommunicatione Coepiscoporum suorum litteras accepit, et Missas publicas fratri meo, cum quo ipsi seditiosi erant, in palatio meo Attiniaco, ut parochia et provincia alterius Archiepiscopi fidelis nostri, sine sua licentia ac Coepiscoporum consensu, Wenilo excommunicatis vel excommunicatorum participibus celebravit. Et in eo Concilio atque consilio fuit quo nepos meus Hlotharius per mendacia, quantum ex seductoribus suis, subriperetur, et debitum ac sacramento promissum solatium atque adiutorium ex illo mihi subtraheret.

VIII. Praedictis nihilominus fratris mei consiliariis, et publicis ac secretis tractatibus, Wenilo cum specialibus familiaribus et inter priores eius familiariter cum episcopali iudicio, ut diximus, excommunicatis ut iudicio regni diiudicatis interfuit, quatenus partem regni quam idem frater meus et Wenilo mihi iuraverant, et in qua Wenilo me Regem sacraverat, saepe fatus frater meus obtineret, et ego illam perderem.

IX. Wenilo in eo consilio et tractatu fuit ut Episcopi qui mihi fidei promissae debitores erant, et consilium atque auxilium manu propria confirmatum ferre debuerant, deficerent et ad fratris mei Hludouvici obsequium et subditionem se verterent.

X. De Abbatia sanctae Columbae et rebus vel honoribus regni mei apud Hludouvicum fratrem meum, praeceptum obtinuit, et litteras ad Missos, quo eandem abbatiam revocarent, Echardum et Theodoricum impetravit. Sed in eisdem litteris ad praefatos Missos iussionem fratris mei Hludouvici Wenilo obtinuit ut de muro castelli Meloduni, quod ius regiae est potestatis, petras haberent licentiam prendere. Unde constat quod in plebe istius regni mihi a Deo collati eum studebat colere et satagebat tenere.

XI. Wenilo in eo consilio et tractatu cum praefatis excommunicatis fuit ubi consideratum est quatenus illi homines qui mihi fideles erant, et mihi sacramento fidelitatem promiserant, sive nolentes sive volentes, fratri meo Hlu-

douvico iurarent ut ei adiutorium ferrent qualiter regnum meum contra me obtinere potuisset. Et non solum consilio Wenilo interfuit, sed et ipse hoc idem consilium fratri meo Hludouvico contra meam fidelitatem, quam mihi promisit sacramento, donavit.

XII. Wenilo per se et per familiares suos, supradictos scilicet excommunicatos, apud fratrem meum Hludouvicum obtinuit ut vacans episcopatus Baiocacensis scilicet civitatis propinquo suo Clerico meo nomine Tortoldo, qui mihi se commendavit, et fidelitatem sacramento promisit, donaretur, qui eundem episcopatum in mea infidelitate, et contra fidelitatem mihi promissam, consensu Hludouvici fratris mei, accepit.

XIII. Tandem postquam mihi Deus vires recuperandi mei per solatium fidelium meorum contra fratrem meum donavit, perrexi prope de civitate Wenilonis, qui me contra fratrem meum ad recuperandum regnum meum pergere scivit, et nullum adiutorium vel per se, promisso ac subscripto consilio, vel per militiam, quae ex Ecclesia sibi commissa solet exire, adiutorium aliquod praestitit.

TITULUS XXXI.

In basilica sancti Castoris apud Confluentes.

De pace inter Karolum et Hludouvicum; de quibusdam criminibus constringendis.

Adnuntiatio domni Karoli.

Vos scitis quomodo aliquanti homines, minus quam necesse fuerat Deum timentes, nostrum fratrem Hludouvicum, quasi sub bona intentione, hoc anno sollicitaverunt ut in regnum nostrum taliter veniret sicut ipsi scitis: unde nos Deus et vestra fidelitas sic adiuvavit sicut et bene cognoscitis. Post hoc laboravit, adiuvante Domino, iste carissimus nepos noster ut inter nos pax fieret, sicut per rectum esse debet, et ut monentibus Episcopis ad illam caritatem et fraternam concordiam rediret, sine qua nullus Christianus salvus esse non potest. Propterea transmisit ad nos suos Missos, et mandavit nobis primum tale missaticum quod nobis impossibile visum fuit. Deinde quia illud missaticum non suscepimus, aliud missaticum nobis sui Missi dixerunt: quod, quia et secundum Deum salubre et secundum seculum utile nobis videtur, volumus nobis illud dicere; et si vobis ita sicut et nobis videtur, cum vestro consilio volumus illud recipere, et, quod Deus concesserit, ad necessarium effectum perducere.

(Haec sunt nomina Episcoporum qui anno Incarnationis Dominicae DCCCLX, Nonis Iuniis, in Secretario Basilicae sancti Castoris consideraverunt cum nobilibus ac fidelibus laicis firmitatem quam gloriosi Reges nostri Hludouvicus et Karolus atque Hlotharius inter se fecerunt VII. Idus Iunias in eodem monasterio; et qui haec Capitula ab omnibus conservanda acceptaverunt r).

Hincmarus, Guntharius, Altfridus, Salomon, Adventius, Hatto, Franco, Teudericus, Leutbertus, Gebehardus, Christianus, Wlfadus Abba, Witgarius Abba.

Haec nomina laicorum.

Chuonradus, Eurardus, Adalartus, Arnustus, Warnarius, Liutfridus, Hruodulfus, Erkingarius, Gislebertus, Ratbodus, Arnulfus, Hugo, item Chuonradus, Liutharius, Beringarius, Matfridus, Boso, Sigeri, Hartmannus, Liuthardus, Richuinus, Wigricus, Hunfridus, Bernoldus, Hatto, Adalbertus, Burchardus, Christianus, Leutulfus, Hessi, Herimannus, item Hruodulfus, Sigehardus.

SACRAMENTUM FIRMITATIS HLUDOUVICI REGIS.

Amodo et quandiu vixero, istum fratrem meum Karolum, et nepotes meos Hludouvicum, Hlotharium, atque Karolum, ad Dei voluntatem, et sanctae eius Ecclesiae statum et honorem atque defensionem, et ad nostram communem salutem et honorem, et ad populi Christiani nobis commissi salvamentum et pacem, et ad legis ac iustitiae atque rectae rationis conservationem, quantum mihi Deus scire et posse donaverit, et ipsi me obaudierint, et à me ipsi quaesierint, vero consilio, et secundum quod mihi rationabiliter et salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adiutor ero ad regnum illorum continendum, et nec in vita, nec in membris, neque in regno illorum eos forconsiliabo. In hoc ut ipsi erga me similem promissionem faciant et conservent. Sic me Deus adiuvet, et istae sanctae Reliquiae.

CAPITULA AB OMNIBUS CONSERVANDA.

I. Ut omnium praeteritorum malorum et contrarietatum et supplantationum ac malarum machinationum, atque molitionum seu nocumentorum invicem actorum, abolitio ita

r) al. ms. *Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCLX. Haec sunt capitula venerabilium regum Hlotharii, Hludouvici, et Karoli, quae inter se firmaverunt* (in uno Cod. *II. Idus Iunias*) *pridie Idus Iun. in pago Treiectinse, iuxta ipsum locum Treiectum. Ut omnium praeteritorum malorum etc.*

inter nos et apud nos fiat, et à nostris cordibus penitus avellatur cum omni malitia et rancore, ut nec in memoriam ad retribuendum duntaxat mali vel contrarietatis, atque exprobationis seu improperii, de caetero exinde quiddam veniat.

II. Ut tanta inter nos, Domino cooperante, verae caritatis benignitas abhinc inante semper maneat de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, sine dolo et simulatione, ut nemo suo pari suum regnum aut suos fideles, vel quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regium pertinet, discupiat aut forconsiliet, aut per occultos susurrones libenter composita mendacia seu detractiones acceptet.

III. Ut unusquisque fideliter suum parem, ubicunque necessitas illi fuerit, et ipse potuerit, aut per se aut per filium, aut per fideles suos, et consilio et auxilio adiuvet, ut regnum, fideles, prosperitatem, atque honorem regium debite valeat obtinere. Et veraciter unusquisque erga alterum certatim demonstret quia in paris sui adversitate, si evenerit, fraterno modo contristetur, et in prosperitate illius laetetur. Et talem fidem sicut inter nos modo abhinc in ante conservaturos confirmatum habemus, sic unusquisque infantibus fratris sui, si obierit, ille qui superfuerit conservabit.

IV. Et quia per vagos et tyrannica consuetudine irreverentes homines pax et tranquillitas regni perturbari solet, volumus ut ad quemcunque nostrum talis venerit, ut de his quae egit rationem et iustitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, nisi ut ad rectam rationem et debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cuius regnum venerit, illum persequamur, donec ad rationem perducatur, aut de regno deleatur.

V. Similiter et de eo agendum est qui pro aliquo capitali et publico crimine à quolibet Episcopo corripitur vel excommunicatur, aut de excommunicatione crimen faciens, regnum et Regis regimen mutat, ne debitam poenitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragat. Interdum etiam incestam propinquam suam, aut Sanctimonialem, vel raptam, sive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens secum ducit. Hic talis, cum Episcopus ad cuius curam pertinebit nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicuius nostrum inveniat, et Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat; sed à nobis vel ministris reipublicae constringatur, et ut simul cum diabolica praeda, quam secum duxit, ad Episcopum suum redeat, et de quocunque crimine publico debitam poenitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragat, compellatur.

VI. Ut nemo Episcoporum hominem peccantem ab Ecclesia et Christiana communio alienet, donec illum secundum evangelicum praeceptum, ut ad emendationem et poenitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccans si commonitus inobediens et incorrigibilis permanserit, et ad emendationem redire noluerit, regiam vel reipublicae potestatem per se Episcopus vel per ministros suos adeat, ut constringatur, et ad emendationem ac poenitentiam peccator redeat. Qui etiam si ita ad correctionem perduci nequiverit, tunc secundum leges ecclesiasticas medicinali separatione a communione ecclesiastica segregetur.

VII. Ut illis hominibus qui in talibus perturbationibus, sicut in his praeteritis annis acciderunt, in Deum et in sanctam Ecclesiam atque in nos peccaverunt, si se ex veritate recognoscentes petierint, et deinceps nobis veraciter fideles esse voluerint, et in regnis nostris pacifici ac quieti, et legibus ac iustitiae obedientes extiterint, rationabilis misericordia impendatur, non solum in indulgentia commissorum, et in concessione proprietatum, verum etiam et in largitione honorum secundum nostram rationabilem possibilitatem.

VIII. Ut de rapinis ac depraedationibus, et de conspirationibus atque seditionibus, et de raptis feminarum, sicut ecclesiasticae et Christianae leges atque progenitorum nostrorum Capitula continent, ita in omnibus et ab omnibus conserventur.

IX. Ut alia etiam Capitula eorundem progenitorum nostrorum de sanctae ecclesiae honore et immunitate ac conservatione, et de regio etiam honore atque vigore, et populi nobis commissi lege ac iustitia, in omnibus et ab omnibus conserventur.

X. Ut nostri fideles, unusquisque in suo ordine et statu, veraciter sint de nobis securi quia nullum abhinc inantea contra legem et iustitiam, vel auctoritatem ac iustam rationem, aut damnabimus aut dehonorabimus, aut opprimemus vel indebitis machinationibus adfligemus, et illorum scilicet veraciter nobis fidelium communi consilio, secundum Dei voluntatem et commune salvamentum, ad restitutionem sanctae Dei Ecclesiae et statum regni, et ad honorem regium atque pacem populi commissi nobis pertinenti, adsensum praebebimus; in hoc ut illi non solum non sint nobis contradicentes et resistentes ad ista exequenda, verum etiam sic sint nobis fideles et obedientes, ac veri adiutores atque cooperatores vero consilio et sincero auxilio ad ista peragenda quae praemisimus, sicut per rectum unusquisque in suo ordine et statu suo Principi et suo Seniori esse debet.

XI. Ut sic simul coniuncti, et nos fratres ac nepos nos-

ter ad invicem, et nos cum fidelibus nostris, et fideles nostri nobiscum, et omnes simul cum Deo nos reconiungamus, et ut nobis sit propitius illi pro devoto munere offeramus. Et unusquisque omnium nostrum, absque sua propria excusatione vel iustificatione, recognoscamus in quibus aut singillatim aut communiter contra illius mandata, et decreta suorum Sanctorum, fecimus aut consensimus in ordine ecclesiastico et statu regni, et per singula in medium illa producamus. Et nemo nostrum suo aut amico, aut propinquo vel confoederato, immo nec sibi ipsi seculariter parcat ut spiritaliter et salubriter parcere possit. Quin, sicut praemisimus in praecedenti Capitulo, vero consilio et sincero auxilio illa in commune certatim emendatori totis viribus procuremus, quantocius rationabiliter poterimus.

XII. Et si aliquis de subditis, in quocunque ordine et statu, de hac convenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, Seniores cum veraciter fidelibus suis haec secundum Dei voluntatem, et legem ac iustam rationem, velit nolit ille qui divino consilio et decreto et huic convenientiae resistens et contradicens fuerit, exequantur. Et si aliquis de Senioribus de hac convenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto, quod absit, contradixerit, cum plures Seniorum nostrorum fideles et regnorum primores in unum convenerint, eorum qui observaverint consilio, et Episcoporum iudicio, ac communi consensu, qualiter de eo qui debite admonitus incorrigibilis perseveraverit agendum sit, faciente Domino decernatur. Et ut obnixius suprascripta Capitula a nobis auxiliante Domino inviolabiliter observentur, et nos illa observaturos certius credatur, manibus propriis subterfirmavimus.

ADNUNTIATIO DOMNI HLUDOUVICI REGIS

APUD CONFLUENTES, LINGUA THEODISCA.

I. Vos scitis quid in isto regno evenit. Et ideo huc convenimus, ut de Dei voluntate et sanctae Ecclesiae statu, et de nostra ac vestra communi salute atque honore, et de pace populi Christiani, cum Dei adiutorio et fidelium nostrorum consilio tractaremus.

II. Et misimus hoc super Episcopos et caeteros fideles nostros, ut illi hoc invenirent, qualiter nos ad haec quae diximus exequenda, adunaremus. Et volumus ut sciatis quia sicut illi invenerunt et scripto nobis ostenderunt, ad invicem adunati sumus, sicut fratres per rectum esse debent, et nos simul cum isto nepote nostro et ille nobiscum.

Et etiam suos fratres nepotes nostros in hac adunationis firmitate nobiscum recepimus, ita tamen si et ipsi hanc firmitatem erga nos fecerint et observaverint.

III. Et sciatis quia non volumus ut ullus inter nos abhinc inantea alia verba portet, nisi talia quae Deo sint placita, et quae ad nostram communem salutem et nostrum honorem pertineant; ut sic simus sicut fratres in invicem et patrui cum nepotibus, et nepotes cum patruis esse debent. Et si aliquis fuerit qui hoc facere tentaverit, producatur in medium ad rationem, et taliter inde castigetur ut nemo alius similia agere tentet.

IV. Et volumus ut Ecclesiae et Casae Dei, et Episcopi et Dei homines, Clerici et Monachi, et Nonnae, talem mundeburdem et honorem habeant sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.

V. Et volumus ut vos et caeteri homines fideles nostri talem legem et rectitudinem et tale salvamentum in regnis nostris habeatis sicut antecessores vestri tempore antecessorum nostrorum habuerunt; et nos talem honorem et rectam potestatem in nostro regio nomine apud vos habeamus sicut nostri antecessores apud vestros antecessores habuerunt: et iustitia et lex omnibus conservetur, et pauperes homines talem defensionem habeant sicut tempore antecessorum nostrorum lex et consuetudo fuit, et sicut hic fideles nostri communiter consenserunt, et scripto nobis demonstraverunt, et nos cum illorum consilio consentimus et observari communiter volumus. Et si aliquis hoc perturbare voluerit, a nullo nostrum recipiatur, nisi ut aut ad rectam rationem aut ad rationabilem indulgentiae concessionem deducatur.

VI. Sed et de istis rapinis et depraedationibus, quas iam quasi pro lege multi per consuetudinem tenent, ab hoc die et deinceps de Dei banno et de nostro verbo bannimus ut nemo hoc amplius praesumat. Sed unusquisque infra patriam cum pace et sine oppressione pauperum et circummanentium consistant, et in hostem vel ad placitum sive ad curtem veniens, de suo sic warnitus et de domo sua moveat, ut cum pace venire et nobiscum stare et ad domum suam redire possit. Et qui hoc transgressus fuerit, sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit, et in illorum Capitulis continetur, volumus ut hoc in illis transgressoribus emendetur.

VII. Similiter et de conspirationibus, et de raptis feminarum tam viduarum quam et puellarum atque nonnarum, bannimus ex Dei et nostro verbo ut nullus hoc in regnis nostris agere praesumat. Et si quis hoc praesump-

serit, secundum legem, et sicut in Capitularibus progenitorum nostrorum continetur, sic hoc emendare cogatur.

Haec eadem Domnus Karolus Romana lingua adnuntiavit, et ex maxima parte lingua Theodisca recapitulavit.

Post haec, Domnus Hludouvicus ad Domnum Karolum fratrem suum lingua Romana dixit: Nunc, si vobis placet, vestrum verbum habere volo de illis hominibus qui ad meam fidem venerunt.

Et Domnus Karolus excelsiori voce lingua Romana dixit: Illis hominibus qui contra me sic fecerunt scitis, et ad meum fratrem venerunt, propter Deum et propter illius amorem, et pro illius gratia, totum perdono quod contra me misfecerunt, et illorum alodes de hereditate et de conquisitu, et quod de donatione nostri Senioris habuerunt, excepto illo quod de mea donatione venit, illis concedo, si mihi firmitatem fecerint quod in regno meo pacifici sint, et sic ibi vivant sicut Christiani in Christiano regno vivere debent. In hoc si frater meus meis fidelibus, qui contra illum nihil misfecerunt, et me quando mihi opus fuit adiuvaverunt, similiter illorum alodes, quos in regno illius habent, concesserit. Sed et de illis alodibus quos de mea donatione habuerunt, et etiam de honoribus, sicut cum illo melius considerabo, illis qui ad me se retornabunt, voluntarie faciam.

Et Domnus Hlotharius lingua Theodisca in supra adnuntiatis Capitulis se consentire dixit, et se observaturum illa promisit.

Et tunc Domnus Karolus iterum lingua Romana de pace commonuit, et ut cum Dei gratia sani et salvi irent, et ut eos sanos reviderent oravit, et adnuntiationibus finem imposuit.

TITULUS XXXII.

POST REDITUM A CONFLUENTIBUS.

Haec quae sequuntur Domnus Karolus, reversus a Confluente, cum consilio fidelium suorum per regnum suum denuntianda et observanda direxit.

Haec missi nostri discurrentes faciant.

I. Omnibus in suo missatico firmitatem quae inter nos et carissimum fratrem nostrum, atque dilectos nepotes nostros facta est, notam faciant.

II. Capitula etiam quae apud Confluentes accepta sunt a nobis et communibus fidelibus nostris, adnuntient.

III. Sed et illa Capitula quae ante per regnum nos-

trum observanda misimus, cum Capitulis episcopalibus et progenitorum nostrorum Imperatorum adcognitent, et cognitamentum quod modo apud Confluentes fecimus omnibus innotescant; et firmitatem ab omnibus qui ita contra nos misfecerunt sicut notum est, et de quibus carissimus frater noster petiit, qui alodes in regno nostro habere volunt, sicut in cognitamento nostro scriptum est, firmamentum recipiant. Ita tamen ut si maiores homines voluerint, ad nos veniant et in praesentia nostra ipsam firmitatem faciant; homines vero illorum ante Missos nostros eandem firmitatem faciant.

IV. Ut Missi nostri eis qui firmitatem fecerint, alodes illorum quos de hereditate, et de tali conquisitu qui de nostra donatione non venit, habuerunt, et quos Senior noster Domnus Imperator eis dedit, si praecepta illius ostenderint quantum in ipsis praeceptis inde continetur, illis reddant.

V. Ut omnes qui firmitatem fecerint, et quibus alodes reddiderint, diligenter inbrevient. Et si aliqui eam facere noluerint, similiter inbrevient, et nobis renuntient.

VI. De rapinis autem et violentiis, et caeteris iniustitiis quas in istis praeteritis annis, postquam ista perturbatio exorta est, in regno nostro fecerunt, quantum rationabiliter potuerint, Missi nostri pacificare procurent. Et si de ipsa pacificatione wadii ad nostram partem venerint, ex toto, sicut frater noster carissimus nos petiit, ex nostra auctoritate perdonent, in hoc ut talia de caetero non faciant.

VII. De pacificatione vero illorum qui in regno nostro consistentes, postquam Deus suam nobis ostendit gratiorem misericordiam, per illorum indebitam praesumptionem rapinas et violentias, atque alias iniustitias fecerunt, si wadii ad nostram partem exierint, Missi nostri inbrevient, et nobis renuntient, ut nos inde commendemus quid nobis tunc visum fuerit.

VIII. Et ut pax in regno nostro per illorum missaticum, sicut nos adcognitavimus, et Capitula a nobis directa commendant, omnibus modis observetur, diligenter provideant; et qualiter eam quisque observaverit, absque respectu alicuius personae, ut veritatem inde nobis renuntient, diligenter inspiciant. Et quicquid exinde quod commendamus per se adimplere non potuerint, ad Missos maiores per ipsum missaticum constitutos referant, ut cum illorum consilio et auxilio omnia impleant.

Firmitas autem, quam a praedictis hominibus Missi nostri debent recipere, ista est: De ista die in ante, Karoli, Hludouvici Imperatoris filii, regnum illi non forconsilia-

bo, neque werribo. Sic me Deus adiuvet, et istae sanctae Reliquiae.

Confirmatio Seniorum nostrorum Regum modo apud Confluentes facta ista est.

Quod ad Dei voluntatem, et sanctae eius Ecclesiae statum et honorem atque defensionem, et ad illorum communem salutem et honorem, et ad populi Christiani illis commissi salvamentum et pacem, et ad legis ac iustitiae atque rectae rationis conservationem, quantum illis Deus scire et posse donaverit, vero consilio, et secundum quod illis rationabiliter et salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adiutores sibi invicem ad regnum illorum continendum erunt, et nec in vita, nec in membris, neque in regno, aliquis eorum suum parem forconsiliabit.

Adnuntiatio autem illorum ista est.

I. Quia secundum quod in praedicta firmitate continetur, deinceps observare volunt, et Domino adiuvante observabunt.

II. Et non volunt ut aliquis inter eos alia aliqua verba portet, nisi quae Deo sint placita, et ad communem salutem et honorem sint pertinentia. Et si aliquis aliter praesumpserit, in medium adducatur, et taliter inde castigetur ut nemo alius similia agere tentet.

III. Et volunt ut Ecclesiae et casae Dei, et Episcopi et Dei homines, Clerici, Monachi et Nonnae, talem mundeburdem et honorem habeant, sicut tempore antecessorum suorum habuerunt.

IV. Et volunt ut fideles illorum talem legem et iustitiam et tale salvamentum in regnis illorum habeant, sicut antecessores eorum tempore antecessorum illorum habuerunt; et ipsi Reges talem honorem et rectam potestatem habeant, sicut ipsorum antecessores habuerunt, et iustitia et Lex omnibus conservetur. Et si aliquis hoc perturbare voluerit, a nullo eorum recipiatur, nisi ut aut ad rectam rationem aut ad rationabilem indulgentiae concessionem deducatur.

V. Et ut illi homines qui in isto regno contra Seniorem nostrum Domnum Karolum mispriserunt, si se recognoverint, propter Deum, et propter fratris sui deprecationem, quicquid contra eum misfecerunt eis vult indulgere. Et sicut praescriptum est, alodes illorum de hereditate et de conquisitu, quod tamen de donatione sua non venit, sed et illos alodes quos de donatione Domni Imperatoris Hludowici habuerunt, eis concedit, si talem firmitatem ei fecerint sicut praediximus.

VI. Sed et de rapinis et depraedationibus, et de coniurationibus et de conspirationibus, et de raptis feminarum tam viduarum quam et puellarum atque nonnarum, firmiter banniverunt ut amodo et deinceps nullus praesumat: et qui praesumpserit, secundum leges divinas et humanas, et secundum Capitula Imperatorum ac praedecessorum suorum, hoc emendare cogatur. Et ut unusquisque infra patriam cum pace et sine oppressione pauperum et circummanentium consistat; et in hostem vel ad placitum sive ad curtem veniens, de suo sic warnitus de domo sua moveat, ut cum pace venire, stare, et ad domum suam redire possit.

Summa Capitulorum quae apud Confluentes modo acceptata sunt a Senioribus nostris Regibus et illorum fidelibus, haec est.

I. De illorum concordia et fraterna coniunctione atque mutuo adiutorio, sicut in cognitamento illorum continetur.

II. Et de illorum indulgentia qui in isto regno mispriserunt, si se recognoverint, et deinceps a talibus se cavere voluerint, et in regno pacifici esse voluerint, sicut in cognitamento illorum continetur.

III. De lege et iustitia omnibus unicuique in suo statu et ordine conservanda.

IV. Ut a rapinis ac depraedationibus, atque a coniurationibus et conspirationibus, et seditionibus et a raptis feminarum, se omnes caveant: et qui deinceps talia praesumpserit, sicut in cognitamento illorum continetur, secundum leges ecclesiasticas et mundanas, et secundum Capitula praedecessorum Regum, hoc emendare cogetur, et in compositione, et in harmiscara, et in poenitentia ab Episcopo parochiae eius suscipienda.

Capitula autem Imperatorum Domni Karoli et Domni Hludouvici de talibus rebus, ut de multis pauca hic ponamus, ista sunt.

Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli eiusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit, legibus componat, et insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos, nobis persolvat. Postmodum vero a Comite ante nos adducatur, et in bastonico retrusus usque dum nobis placuerit, poenas luat. Nam si publice actum fuerit publicam inde agat poenitentiam iuxta sanctorum Canonum sanctionem. Si vero occulte, Sacerdotum consilio ex hoc agat poenitentiam: quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint poenitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde iudicetur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, et sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit. Extorres namque a liminibus sanctae matris Ecclesiae tales personae usque ad satisfactio-

nem Ecclesiae, quam laeserunt, sunt habendae atque firmiter denotandae. *VI.* 97. 383.

Et item. Si quis in exercitu infra regnum sine iussione dominica per vim hostilem aliquid praedari voluerit, aut foenum tollere, aut granum, sive pecora maiora vel minora, domosque infrangere vel incendere, haec ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo praesumptiose factum fuerit, sexaginta solidos, si liber est, sit culpabilis, et omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, capitali crimini subiaceat, et dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit nec custodivit ut talia non perpetraret; quoniam si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua depraedatio infra regnum fiat, *V.* 341., *VI.* 382.

Et item. Si quis domum alienam cuiuslibet infregerit, quicquid exinde per vim abstulerit aut rapuerit, vel furaverit, secundum legem eam illi cuius domus fuerit infracta et spoliata, in triplum componat, et insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, et insuper secundum legem suam compositionem faciat. Si quislibet homo aliquod tale damnum alicui fecerit pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in wadio pro servo dare studeat usque dum plenam compositionem adhibeat. *III.* 65.

De Capitulis autem à nobis per regnum nostrum directis ista excerpta sunt.

Ut unusquisque Missus in suo missatico provisionem habeat, ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens vel commanens rapinas vel depraedationes, aut talia inlicita fecerit de quibus Deus offendi solet, et populus pro oppressione gemere, quatenus hoc subtiliter et veraciter investiget, et secundum legem emendari faciat, nobisque renuntiet; qualiter inde nos sic ordinemus, ut nec ipsum nec alium hoc agere delectet. *Tit. XIII. c.* 12.

Et item Ut Missi in illorum missaticis curam habeant ne homines nostri aut alii quilibet vicinos suos maiores vel minores tempore aestatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hyemis, quando marascalcos illorum ad fodrum dirigunt, vicinos maiores vel minores depraedentur. Et si egerint, hoc etiam, ut praediximus, veraciter Missi nostri investigent, et legaliter emendatum nobis renuntient; ut in Seniore hoc sic emendemus quatenus homines suos in potestate habeat, et contenti sint debitis, et indebita iniuste non appetant. *Ibid. c* 13.

Duo Capitula sequentia pertinent ad titulum praesentem, et non sunt repetita ex superioribus.

Volumus etiam ut de beneficiis destructis et sylvis venditis, tam ex republica, quam ex rebus ecclesiasticis, Missi nostri omnes admoneant, ut de caetero qui illa habent exinde se caveant, et hoc quod male actum est, quantum potuerint, emendare procurent, ne vindictam secundum Capitularia praedecessorum nostrorum sustinere cogantur.

Capitula autem legum divinarum atque mundanarum, et Imperatorum, de raptis feminarum, et de conspirationibus, et de coniurationibus, et de Ecclesiarum infracturis, atque Clericorum dehonorationibus, et de Comitibus qui in

Comitatibus suis iniusta faciunt, hic non adnotavimus, quia cognita sunt, et maiori districtione indigent; de quibus omnes admonere, atque omnes ex Dei banno et nostro cavere praecipimus. De his interim Missi nostri discurrentes cum consilio maiorum Missorum, ut praemisimus, studeant, donec plenitudinem Capitulorum et adnuntiandam et observandam ad communem omnium nostrum salutem et pacem per regnum nostrum, adiuvante Domino, disponamus.

TITULUS XXXIII.

Edictum in Carisiaco.

Hoc Edictum constituit Domnus Karolus in Carisiaco, anno Incarnationis Dominicae DCCCLXI.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus, gratia Dei Rex, omnibus regni nostri fidelibus. Pervenit ad nos quia quod ad timorem incutiendum, ne aliquis bonum denarium, id est, merum et bene pensantem, reicere audeat, more praedecessorum nostrorum pro generali utilitate regni nostri commendavimus, aliqui Missi ad hoc constitutum exequendum, minus intelligentes devotionem voluntatis, nostrae, et obsequentes intentioni suae voluntatis, quasdam adinventiones, quod multum Dominus detestatur, et in mallatione et in exactione intromittunt; cum in eo quod ad regni utilitatem iubetur, et agitur, non privata contra generalem utilitatem commoditas, neque aliquod turpe lucrum, quod in Christiana religione et in regia dignitate aut in Missorum fidelium sinceritate non condecet, se debet ullo modo miscere. Propterea necessarium duximus ut commendationem nostram ex hoc scribere rogaremus, quae ex more in nostro palatio apud Cancellarium retineatur, et inde per Missos nostros dirigatur; ut nemo per ignorantiam, nemo per industriam ab ea valeat deviare. Unde volumus, quia et timor utilis, et consideratio misericors, et discretio moderata in hac commendatione nostra est necessaria propter paupertatem hominum, quia necesse fuit in istis temporibus coniectum de illis accipere, et ad navium compositionem, et in Nortmannorum causa, pro regni, sicut res coniacet, salvamento, ut omnes cognoscant, quia non quaestum inhonestum, sed publicam regni utilitatem quaerimus. Salva constitutione et inpostmodum iure firmissimo permanente quae in Capitulari avi et patris nostri ex hoc scripta habetur, quilibet francus homo convictus quia bonum denarium, id est, merum et bene pensantem, post hunc bannum nostrum eiecerit, medietatem francilis banni componat. De colonis autem, et servis cuiuslibet po-

testatis, si in civitatibus vel mercatis aliis deprehensus aliquis fuerit denarium reicere, Missus reipublicae provideat ut si non invenerit illum denarium merum et bene pensantem, ut cambiare illum mercanti iubeat. Si autem illum denarium bonum invenerit, consideret aetatem et infirmitatem et sexum hominis, quia et feminae barcaniare solent, et aut ictibus, prout viderit competere, aut minutis virgis cum ratione et discretione illum qui denarium bonum reiecit, castiget; quatenus et caeteri timorem habeant, et homo crudeliter non damnetur. Et qui post hunc praesentem bannum inventus fuerit pro tali correctione non castigatus, habeat Missus reipublicae in civitatibus et in mercatis denarium sic affectatum, ut deprehensum in fronte denario calefacto salvis venis taliter coquat,* ut ipse homo et caeteri castigentur, et homo non pereat, et videntibus signum castigationis ostendat. Missi autem nostri colonos et servos pauperes cuiuslibet potestatis non mallent, nec bannum francilem solvere cogant; sed advocatus eorum, non cum aliqua nova adinventione sed quia de sua advocatione coloni vel servi contra bannum nostrum bonum denarium, id est, merum et bene pensantem reiecerint, sicut lex est, malletur. Et unusquisque advocatus pro omnibus de sua advocatione, si suo sacramento eos inculpabiles de hoc banno nostro reddere non potuerit, unum tantum integrum bannum componat, in convenientia ut cum ministerialibus de sua advocatione, quos invenerit contra hunc bannum nostrum fecisse, sicut supra diximus, cum necessaria et moderata discretione castiget. Et si causa exegerit ut advocatus de uno solo colono vel servo malletur, quia contra bannum nostrum fecerit, nolumus, quia nec lex est, ut, sicut audivimus aliquos interprendere, advocatus francus suam legem, sed coloni, vel servi de sua advocatione legem componat; nisi forte ipse eum in hoc induxerit qui contra nostrum fecerit bannum. Hanc autem nostram de praesenti tempore constitutionem, salva inpostmodum, ut diximus, ex hoc praedecessorum nostrorum constitutione, et in palatio nostro et in civitatibus, et in mallis atque in placitis seu in mercatis, relegi, adcognitari, et observari mandamus.

TITULUS XXXIV.

SYNODI PISTENSIS.

De malefactoribus ut canonicis et civilibus poenis constringantur.

PRAEFATIO.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Karolus, gra-

tia Dei Rex, et Episcopi, Abbates quoque, et Comites, ac caeteri in Christo renati fideles, qui ex diversis provinciis super fluvium Sequanam, in locum qui *Pistis* dicitur, ubi exigentibus peccatis nostris aliquandiu sedes fuit Nortmannorum, convenimus anno Incarnationis Dominicae DCCCLXII *s*), anno vero XXII regni Domni nostri Karoli Regis gloriosi, Indictione decima.

I. Reges et Episcopi qui ante nos fuerunt, ducti amore et timore divino, cum caeterorum fidelium Dei consilio atque consensu plura statuerunt capitula, providentes qualiter sancta Dei Ecclesia statum debitum et honorem, et regni habitatores in omni statu et ordine haberent legem atque iustitiam. Nos etiam, pro qualitate rerum et opportunitate temporum, quaedam huic causae convenientia Capitula superaddidimus. Sed diabolo satagente supervenientibus perturbationibus, tam à Paganis quam à nomine tenus Christianis miserabiliter excitatis, incepta bona defecerunt, et in tantum in hoc regno mala horribilia increverunt, ut in nobis videamus et sentiamus completum quod olim est per Prophetam praedictum: *Terram vestram in conspectu vestro alieni devorant, et erit sicut in vastitate hostili*, et pervenit gladius usque ad animam; *quoniam alieni insurrexerunt* in nos, *et fortes quaesierunt animas* nostras, *et non proposuerunt Deum ante conspectum suum;* contra quos defensionem paravimus, sed defensionis auxilio, sicut necesse fuerat, hactenus adiuti non sumus. Unde compellente cordis dolore nobis est exclamandum quod Rex bonus, obsidionis angustia, tribulatus exclamavit, dicens: *Dies tribulationis et blasphemiae dies iste. Venerunt filiae usque ad partum, et vires non habet parturiens.* Haec omnia vidimus, sensimus et dolemus; quia cum hostes irruerunt, defensores nostri parati sunt, sed ad praeparata non convaluerunt: quia illum Spiritum sanctum, qui requievit super adiutorem in opportunitatibus, in tribulatione, Christum Dominum nostrum, vel quem per impositionem manus episcopalis in consignatione accepimus, contristatum malignis operibus à nobis effugavimus, Spiritum scilicet consilii et fortitudinis; quem quia ita ut nobis necesse fuerat non habemus, ideo contra inimicos nostros stare viriliter et vincere fortiter non valemus. Quae utraque sibi necessario sunt coniuncta; quia neque virtus sine consilio, nec consilium sine virtute utilis esse potest. Quid igitur prosunt qui per consilium praeparantur, dum ad praelium per fortitudinem non procedunt? Filiae quippe usque ad partum veniunt, quando apta consilia usque ad desiderium efficiendi operis procedunt; sed virtutem

s) al. mss. habent DCCCLXIII.

non habet parturiens, quia dum infirmus quisque consilia concipit, haec ad utilitatem aliquantam per partum operis non producit. Videmusque implètum quod à Domino est ante praedictum populo contra voluntatem suam facienti: *Anathema in medio tui: non poteris stare coram inimicis tuis.* Qui contra placatus placentibus sibi dixit: *Nullus stabit contra vos.* Sed et ideo terram nostram in conspectu nostro alieni devorant, quoniam alienos à Deo diabolos, effugata gratia Sancti Spiritus, in animas nostras recepimus. Ideo terra nostra deserta est sicut in vastatione hostili, quia flores et fructus fidei, spei, et caritatis, et humilitatis, et castitatis, et sobrietatis, ac caeterarum virtutum ab (agro *t*) cordis nostri devastavimus, et pro illis spinas vitiorum et urticas peccatorum, et (cicutas vanitatis *u*) in nobis ipsis, etiam laborantes ut inique agamus, non increscere solum, sed incrementare cum studio fecimus. Ideo habitatores terrae occisi et fugati sunt, quia nos ipsos peccati gladio occidimus, et omnia bona quae nobis Dominus sive in intellectu naturali, sive in doctrina, sive in divitiis, sive in honoribus, sive in familiaritatibus quas nobis contulit apud nobis potentiores, ad carnis voluptates convertimus, et nos et omnia quae nobis Dominus dedit, ab illius voluntate, pro qua nobis facienda illa donavit, avertimus. Quod unusquisque potest in seipso recognoscere, si etiam de singulis membris suis cogitaverit quid fecit et quid facit, quod Deus ad operandam salutem donavit. Et sicut de membris corporis inveniet apud seipsum, ita de membris animae poterit invenire, quae per spiritalia vitia dispergit, atque disperdit, et spiritales et in se virtutes à Deo sibi conlatas aut effugat aut conculcat. Ideo Ecclesiae et villae incensae sunt, quia ignis avaritiae et rapacitatis, atque invidiae, et adulteriorum, ac caeterarum immunditiarum, non solum per naturalem sexum, sed etiam per eum sexum qui est contra naturam, sine poenitentia et sine resipiscentia in nobis exarsit et ardet. Et quoniam illum Spiritum qui super humilem et quietum, et sermones suos trementem, requiescit, per superbiam et inobedientiam ac praesumptionem à nobis expulimus, ideo Sanctorum ac protectorum nostrorum corpora de sepulchris suae requietionis effossa sunt. Et quia nos spiritui maligno iuxta Dei permissionem potestatem habenti et super nos ascendenti non resistimus ut fugiat à nobis, idcirco servi et ancillae Dei de locis suis expulsi sunt, et nos de quiete coelestis paradisi et de consortio coelestis Ecclesiae, id est, Angelorum sanctorum, eiecti sumus, nisi per dignos poenitentiae fructus ad haec unde cecidimus, redeamus. Et quia

t) al. mss. *ara.*

u) al. ms. *cunctas vanitates.*

nos tales efficimus de qualibus Dominus per Prophetam dixit: *Causa viduae non ingreditur ad eos;* quia sic apud nos est facta venalis iustitia, ut ad eam nemo possit pervenire, nisi viam ei aperuerint munera, ideo vota fidelium et pretia peccatorum, quae sacris locis conlata fuerunt, propter peccata nostra de hoc regno sunt penitus exportata, et vendentes iustitiam et veritatem, et in his scilicet ipsum Christum qui est nobis à Deo factus iustitia, et qui dixit: *Ego sum Veritas,* nisi digne poenituerint, cum Iuda traditore Christi, aeterna expectant incendia. Et quia sanguis sanguinem tetigit, id est, culpae culpis adiunctae sunt, et sicut scriptum est, *adulterium et homicidium, et mendacium et furtum et periurium, inundaverunt,* et iniquitates nostrae supergressae sunt capita nostra ideo nobiles nostri et de episcopali ordine et de aliis ordinibus interierunt, et capti cum maximo detrimento et regni et Ecclesiae, sunt aut redempti aut interempti. Et quia nos per peccata nostra à terra viventium peregrinati sumus, idcirco, sicut scriptum est: *Propheta et Sacerdos ierunt in terram quam ignorabant.* Et post haec omnia, pius Pater, cuius multis miserationibus non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius, materna pietate nos flagellat, et expectat ut ipsa vexatio donet intellectum auditui nostro, quia illa credere noluimus quae per Scripturas nobis se illaturum promisit, si illius voluntatem non fecerimus. Et ostendit nobis in exterioribus vastationibus quae de interioribus depopulationibus intelligere debeamus, et intellecta ad illum redeamus et credamus quia iterum nobis in Scriptura multipliciter promisit. Inter quae veraciter sicut veritas dixit: *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos.* Et: *Quare moriemini in peccatis vestris?* Et quia non credidimus promittenti, credamus tandem aliquando vel iuranti: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Et nisi conversi fuerimus, sicut iam videmus, gladium suum vibravit, arcum suum, id est, vindictam tetendit, et paravit ad exercendam duriorem vindictam. Sicut item de reprobis dictum est: *Ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Et hoc quod videmus et sentimus, pars et vindictae; quia maiora et plura et graviora venient super nos, nisi fuerimus conversi, ut scriptum est: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Unde, sicut dicit Apostolus: *Sicut exhibuimus membra nostra arma iniquitatis peccato ad serviendum immunditiae et iniquitati, ita exhibeamus membra nostra servire iustitiae in sanctificationem.* Quia stipendia, id est, retributio peccati, mors; gratia autem Dei pro nobis operibus ipsa donata est vita aeterna. Et sicut quando solemus de istis frequentibus itineribus re-

verti ad mansiones nostras detonsi et delavati cum drappis et calciamentis depannatis, et tunc nos reficimus et reparamus, ita vel nunc reparemus nos per cor contritum et humiliatum, et per confessiones ex puro corde, et per benignitátem mentis, et per concordiam cum Dei voluntate; quia per discordiam et regnum istud temporale imminutum et pene desertum, et aeternum regnum perditum habemus. Quia nec omnes Reges esse possumus, nec Regem super nos à Deo constitutum, quia, sicut scriptum est, imposuit homines super capita nostra, habere sustinemus, non attendentes quia, sicut dicit Apostolus, *Non est potestas nisi à Deo; et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quoniam Deus, qui essentialiter est Rex Regum et Dominus Dominantium, participatione nominis et numinis Dei, id est, potestatis suae, voluit et esse et vocari Dominum pro honore et vice sua Regem in terris. Et sicut Archangelus, qui nunc est diabolus, cum suis sequacibus, quia per humilitatis subiectionem conditori suo subditus esse noluit, et per aequalitatem caritatis coangelis suis socius esse despexit, de coelo cecidit, ita et illi qui potestati à Deo constitutae propter Deum et in Deo subiecti esse nolunt, et pares coaequales in regno habere non sufferunt, (per quam debitam subiectionem et parilem aequalitatem Dei amici et Angelorum consortes esse poterant) subiecti diabolo et Dei inimici constituuntur. Quapropter de diabolo scriptum est: *Ipse est Rex super universos filios superbiae.* Et illius subiectis Dominus, apud quem non est vicissitudinis obumbratio, quandiu in ipso malo perseverant, semper in evangelio dicit: *Vox ex patre diabolo estis;* non quia à diabolo sint facti aut generati, sed quia diabolum sunt imitati. Reparemus ergo nos per poenitentiam et confessionem, et per eleemosynas, unusquisque secundum possibilitatem suam; et quantum quisque se recognoscit à Deo aruisse per culpas, tantum bibat compunctionis suae lacrymas. Et tunc proficient in aqua ista quas facimus firmitates, si per bona opera restruxerimus quas in nobis destruxerunt peccata, virtutum munitiones. Quae et tunc proficient, si mala quae fecit quis prius, prout potuerit emendaverit, aut rapta solvendo, aut per indulgentiam deprecando, aut mala caetera per dignam poenitentiam abolendo. Et tunc proficient si in ante se custodierit ne de illis se sordidet de quibus se emundavit, quia scriptum est: *Lavamini, mundi estote. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, dicit Dominus. Quiescite agere perverse, discite benefacere.* Quia qui se bonis operibus, et lacrymis, et orationibus à peccato mundat, et iterum gravia peccata perpetrat, talis est, ut sanctus Petrus dicit, sicut porcus qui se lavat *v)* in luto, et si-

v) al. ms. *iactat.*

cut canis qui remanducat vomitum suum; et timere debet ne ipsas lacrymas in conspectu Dei reddat immundas, per quas mundari potuit à peccatis. Quae non dicimus ut si iterum aliquis ceciderit post confessionem in peccatum, ut in peccatis quasi desperatus iaceat, sed ut à peccatis quantum potest se caveat. Et si fragilitate ceciderit, quia scriptum est, *Numquid qui cadit non adiiciet ut resurgat?* dicat, *Nunc coepi*, et per immutationem dexterae Excelsi semper per poenitentiam resurgat, ne illum ultimus dies in peccatis inveniat, et sine fine perditus fiat.

II. Unde quia solent medici, quando generalis infirmitas vel morbus in terram venit, generalem medicinam conficere, unde omnes possint sanari, ita nunc communiter hanc medicinam, cooperante et mediante Domino statuimus ad recuperandam et conservandam sanitatem nostram, ne et in isto seculo gravius affligamur, et in futuro seculo, quando de isto corpore exierimus, aeternis tormentis cruciemur. Id est, ut unusquisque Episcopus in sua parochia, et Missi in illorum missaticis, et Comites in illorum comitatibus, cum maximo studio et summa diligentia curam habeant ut quicunque raptores et depraedatores ibi sunt, cuiuscunque homines sint, ad rationem deducantur, ut secundum legem quae ibi male facta habent, emendent, aut solvant secundum legale placitum, aut per indulgentiam sibi impetrent perdonari. Et Episcopi, secundum qualitatem et quantitatem peccatorum, absque acceptione personarum, rapacibus et his similibus vitiis nominatis et convictis poenitentiae leges iniungant, inspecta discretione et qualitate, prout cuique ad salutem viderint expedire. Ad quae specialiter exequenda quaedam de pluribus Capitulis praedecessorum Regum, et synodalium hic ponere dignum et necessarium duximus; commonentes Episcopos, Missos, et Comites ut illa Capitula quae inde ante hos annos in unum collecta fuerunt, et in Carisiaco Episcopis et Missis nostris per universum regnum nostrum ad exequendum donavimus, sed et illa quae consensu Fidelium nostrorum fieri iussimus quando cum fratre nostro Illothario, glorioso Imperatore, apud Valentianas loquuti fuimus, et Fidelibus nostris denuntiari et observare praecepimus, ad praesentiam reducant, et illa relegant. Et quia haec pauca hic brevitatis causa subscripsimus, in talibus rebus quae eis advenerint ad emendandum, et hic inde Capitula non invenerint, per illa et per alia Capitula Regia et Synodalia, quae emendanda sunt et emendanda perviderint, emendare procurent. Si vero et iuxta diabolicam calliditatem, et secundum humanam fragilitatem, nova quaecunque acciderint, quia nova morborum genera nova quaerunt medicamentorum experimenta, morem se-

quentes praedecessorum nostrorum, sancti Spiritus gratia illustrati, contra venena diaboli ministrare curabimus medicinalia antidota Christi.

III. Communi placito constituimus ut usque ad Missam sancti Remigii, id est, Kalendas Octobris, spatium habeant illi qui in istis temporibus istas depraedationes et alia malefacta criminaliter et publice fecerunt, ut inde et apud Deum et apud eos quibus male fecerunt, se pacificent. Et quisquis hoc non fecerit, bannum nostrum dupliciter componat. Scilicet ut quia postquam illas rapinas et alia malefacta in Carisiaco, et postea apud Confluentes cum dilecto fratre nostro Hludouvico, glorioso Rege, et nepote nostro Hlothario, forbannivimus, et post istum bannum per consensum omnium factum illa emendare, sicut eis spatium dedimus, noluerunt, et omnia quae commiserunt legaliter componere compellantur, et per publicam poenitentiam secundum sacros Canones Deo et Ecclesiae in quam peccaverunt satisfaciant. Quibus si obedire noluerint, aut per fideiussores ad praesentiam nostram perducantur, aut omnia quae in regno nostro habent, in bannum nostrum mittantur, et episcopali auctoritate a communi Ecclesiastica et omnium fidelium societate excludantur.

IV. De honore autem Ecclesiarum ac Servorum Dei, et de rapinis atque aliis malis seu praesumptionibus ab ista die et in reliquum compescendis, Capitula avi et patris nostri temporibus constituta hic subiungere et ut omnimodis observentur ex banno nostro praecipere dignum et necessarium duximus. Scriptum est enim in illis Capitulis. Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli eiusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit, legibus componat, et insuper bannum nostrum, id est sexaginta solidos nobis persolvat. Postmodum vero ante nos a Comite adducatur, ut in bastonico vel in alio carcere retrusus usque dum nobis placuerit poenas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat poenitentiam; quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint poenitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerint, gravius inde iudicentur; quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, et sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid abstulerit, aut rapuerit. Extorres namque a liminibus sanctae matris Ecclesiae tales personae usque ad satisfactionem Ecclesiae, quam laeserunt, sunt habendae, atque firmiter denotandae. Et item sanctus Paulus, per quem loquutus est Christus, dicit quia neque rapaces, neque homicidae, neque adulteri regnum Dei possidebunt. Et item, si quis fornicator est, aut adulter, aut rapax, aut homicida, cum huiusmodi nec cibum sumere Chris-

ti discipulo, id est, Christiano, licet ante satisfactionem, id est, correctionem ac emendationem et dignam poenitentiam. Et sanctus Iohannes Apostolus talem salutare aut in domum recipere vetat. Et sacri Canones Spiritu Sancto per eos dictati qui in coelo cum Deo regnant, et in terris miraculis coruscant, constituerunt dicentes: Si quis de potentibus Clericum, aut quemlibet pauperem, aut religiosum exspoliaverit, et mandaverit ad ipsum Episcopus ut eum audiat, et is contempserit, invicem mox scripta percurrant, per omnes provinciae Episcopos, quoscunque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur donec audiat et reddat aliena. Et de rebus ac facultatibus ecclesiasticis dicunt: Si quis oblationes Ecclesiae extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit praeter conscientiam Episcopi, vel eius cui huiuscemodi officia commissa sunt, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit. Et item in Capitulis avi et patris nostri scriptum est de his qui in exercitu quoscunque secum ducunt, quod et nos infra patriam volumus observare. *Deinceps omnibus denuntiare volumus ut unusquisque cognoscat omnes qui in suo obsequio sunt, sive sui sint, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum; et quicquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debeat periculum pertinere: ea scilicet conditione, ut pacis violator primum iuxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram Misso nostro, dignas poenas persolvat, et Senior, qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit aut non potuit ut nostram iussionem servaret, et insuper in regno nostro praedas facere non timuerit, pro illius neglegentia, si ante eum de his non admonuerit, et postquam neglegentia contemptoris ad eius notitiam pervenerit, eum corrigere, sicut decet, neglexerit, honore suo privetur; ut scilicet neuter illorum sine iusta vindicta remaneat.* Nos autem Episcopi, Evangelica et Apostolica atque Episcopali auctoritate Seniorem et quemlibet regni potentem, si commonitus iuxta Evangelicum praeceptum se suosque homines corrigere noluerit, et licet ipse talia non faciat, tamen si vel in suo obsequio manentes talia fecerint, si eos non correxerit, et emendari quae faciunt non obtinuerit, eosque ad poenitentiam non perduxerit, ipse excommunicetur secundum sacros Canones, donec suos homines ad emendationem et poenitentiam reducat; quia melius iudicavimus illum excommunicari per cuius fortiam sui tali faciunt, quam omnes illos qui nec Deum timent, nec Episcopos neque Missos reipublicae propter eius fortiam reverentur, et excommunicati ipsi non corriguntur, et alios suo morbo inficiunt: quia dicente Apostolo, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Non

est liber a consensu qui quod emendare potest, emendare neglegit: quapropter sine dubio peccati se participem facit. Si autem ipse potens vel Senior satisfecerit Episcopo et Missis regiis, quia suos homines ad emendationem et ad poenitentiam non potest adducere, sed seipsum vult aut a talibus immunem ostendere aut digne satisfacere, et huiusmodi maleficos a suo obsequio reicere, et ut Dei inimicos persequi, tunc aut non excommunicetur, aut ab excommunicatione solvatur. Et item in Capitulis Imperatorum scriptum est: *Comites vero ministris Ecclesiae in eorum ministeriis, ut hoc plenius et de nostris, et de se, et de suis hominibus obtinere possint, adiutores in omnibus fiant. Et quicunque prima et secunda vice de his a Comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eundem Comitem eius neglegentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro Capitulari continetur, subire cogatur.* Et item: *De pace in exercitali itinere servanda usque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicunque auctorem damni sibi inlati nominatim cognoscit, ut iustitiam de illo quaerat et accipiat.* Et item: *Si quis in exercitu vel infra regnum sine iussione dominica per vim hostilem aliquid praedari voluerit, aut foenum tollere, aut granum, sive pecora maiora vel minora, domosque infringere vel incendere, haec ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo praesumptiose factum fuerit, sexaginta solidis, si liber est, sit culpabilis, et omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, sententiae capitali subiaceat et dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit nec custodivit ut talia non perpetraret: quoniam si nos ipsos comedimus, cito conficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua depraedatio infra regnum fiat.* Similiter et collectas quas Theotisca lingua *herizuph* appellant, et infractiones immunitatum, et incendia, et assalituras in domos, et coniurationes, et conspirationes, et seditiones, et raptus feminarum sicut et divinae et humanae leges prohibent, et praedecessores nostri Reges prohibuerunt, firmiter ex banno nostro et nos prohibemus.

Nos quoque Episcopi, auctoritate Dei et sacrorum Canonum, sicut sancti Pontifices DCXXX. in Chalcedonensi Concilio conspirationem fieri prohibuerunt, et sicut caetera Concilia Episcoporum huiusmodi perniciosa facta vetuerunt, et nos prohibemus; quia facientes illa per eorum iudicium qui cum Deo iam in coelo regnant, et a coelesti Ecclesia et a Christianorum societate separati sunt, nisi per dignos poenitentiae fructus ad hoc redeant ut sanctae Ecclesiae possint readunari. Similiter ut haec Capitula, quae hic annotata

sunt, ita per haec illa omnia quae in suprascriptis locis, scilicet in Carisiaco, et apud Valentianas, collecta et constituta sunt, observari praecipimus et omnes communiter confirmamus.

Si autem aliquis quiscunque inobediens extiterit, cum summa festinatione Episcopi, Comitis et Missi nobis notum facere curent, ut quantocius ad nostram praesentiam illum venire iubeamus, et dignam ultionem secundum iudicium fidelium nostrorum sustineat. Et si, quod absit, talis emerserit qui Dei timorem postponat, et ecclesiasticam auctoritatem contemnat et regiam potestatem refugiat, sciat quiscunque ille fuerit, quia et secundum canonicam auctoritatem ab omnium Christianorum coetu et a sanctae Ecclesiae consortio et in coelo et in terra, alienus efficietur, et regali potestate atque omnium regni fidelium unanimitate, sicut Dei et Ecclesiae inimicus et regni devastator, persequetur usque dum a regno exterminetur. Et si aliquis Comes fuerit qui hoc in suo Comitatu fecerit, aut ibi talia increscere permiserit, aut ipse illa non emendaverit, aut nobis nota non fecerit, ut nostra auctoritas talia corrigat, sciat quia talem sententiam inde sustinebit sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit. Episcopus autem, secundum Toletani Concilii capitulum septimum, ad quem pertinere noscuntur illi qui talia contra Deum et Ecclesiae pacem faciunt, si eos quolibet munere vel favore aut neglegentia admonere noluerit, ut aut revertentes suscipiat, aut contemnentes de Ecclesia reiciat, excommunicatus a collegio caeterorum Episcoporum habebitur quousque emendationis vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur, Quoniam nisi communiter certaverimus ut in omnibus iustitia omnibus conservetur, nec Rex pater patriae, nec Episcopi propitiatores et reconciliatores populi ad salutem aeternam, nec qui participatione nominis Christi Christiani vocantur, hoc quod humano ore dicimur, in divinis oculis esse valemus. Ut autem haec quae observanda supra scripsimus ac praenominavimus, nunc et de caetero certius et expressius a nobis atque a successoribus nostris inconvulsa serventur, propriis manibus his subscribere communi consensu decrevimus; ea conditione servata, ut quia omnes in cunctis ordinibus a regia ditione sibi expetunt competentia legis iura servari, regiae quoque postestati in cunctis ordinibus lex iuris debiti et honor ab omnibus obedienter et fideliter cooperante Domino conservetur.

Post haec omnia relecta et conlaudata, communi consensu decrevimus, ut si aliquis homo propter mala facta, quae emendare et per legem et per poenitentiam noluerit,

Seniorem suum dimiserit, aut ab illo propter haec eiectus fuerit, ab alio non recipiatur donec illa quae male fecit emendet, et per legalem compositionem, et per ecclesiasticae satisfactionis poenitentiam.

TITULUS XXXV.

QUANDO HLOTHARIUS AD OSCULUM RECEPTUS EST.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXII. *quando Hludouvicus Karolo mandavit ut cum eo simul et Hlotharium reciperet ad osculum atque conloquium, misit Karolus per eum, et per Altfridum atque per Salomonem, et per Adventium, et per Hattonem Episcopos, Hlothario haec quae sequuntur Capitula, dicens quia pro his causis ei non auderet communicare, nisi ita perficeretur sicut ibidem scriptum est. Renuntiantibus autem ex parte Hlotharii Hludouvico et praefatis Episcopis Karolo et Hincmaro, itemque Hincmaro et Hodoni atque Christiano Episcopis, quod ita se velle et se facturum esse fuerat professus Hlotharius, sub hac convenientia receperunt eum ad osculum atque conloquium Karolus atque Episcopi qui cum eo fuerunt.*

I. Posteaquam proxime apud Confluentes nos invicem mutua indulgentia, annuente Deo, communi fidelium nostrorum consilio reconciliavimus, et sacramento de observanda inter nos pace et de praestando alterutrum adiutorio nos confirmavimus, et Capitula a communibus fidelibus nostris dictata et nobis relecta nos observaturos promisimus, et publice communibus fidelibus nostris adnuntiavimus, vobis, unice et carissime frater, reputare non volo ut illa quae invicem nobis promisimus, hactenus erga me observata non habeatis; nec spero ut vos aut aliquis alius mihi reputare possit aut velit ut similiter erga vos illa observata non habeam. Quod si quis fecerit, paratus sum inde vobis certam reddere rationem, et dignam facere satisfactionem. Et si aliquis mihi reputare voluerit quod, quantum ex me est, illa quae debeo nepoti nostro Hlothario observata non habeam, similiter paratus sum certam reddere rationem et congruam facere satisfactionem. Qualiter autem ea quae mihi promisit ille erga me observata habeat, non solum ego, sed et plures alii sciunt.

II. Sed et sicut nobis tunc ibi convenit, ut tempore statuto ad locum condictum cum primoribus regnorum nostrorum conveniremus, ut ibi quaeque in regnis nostris emendatione digna et necessaria erant, et in sancta Dei Ecclesia et in nostro ac populi salvamento, tractaremus, et nos erga fideles nostros, et fideles nostri erga nos emendaremus, et observanda de caetero statueremus, et semel et secundo ad haec exequenda paratus fui, et ad hoc etiam nunc conveni, sicut saepe mihi per communes fideles nostros mandastis.

III. Pro quibus autem causis cum praefato nepote nostro antea loqui non volui, quam vobiscum inde acciperem consilium, quaedam volo hic designare, quaedam vero postea congruo loco et convenienti modo vobis innotescere.

IV. Quando altera vice pro his quae dixi tractandis ad Tusiacum veni, adportavit mihi et Episcopis regni nostri Boso ex parte Domni Apostolici epistolas, quasdam nepoti nostro et Episcopis regni sui mittendas, quas illis secundum mandatum Domni Papae transmisimus, quasdam autem nobis legendas et observandas, quarum et hic textum habemus: in quibus invenimus nos increpatos cur fornicarios in regno nostro immorari permitteremus, et non solum ipsam feminam, sed et omnes faventes facinori eius, à corpore et sanguine Domini excommunicatos, usque dum ipsa mulier ad virum suum rediret. Et scimus, sicut sanctus dicit Gregorius, quoniam qui resecanda, si potest, non corrigit, ipse illa committit. Nos autem audivimus praedictam feminam in regni nepotis nostri commorari, et hanc sententiam postea non audivimus immutatam. Et qui gravamur nostris, timemus alienis etiam communicare peccatis, communicando excommunicatis.

V. Filiam nostram Iudith viduam, secundum leges divinas et mundanas sub tuitione ecclesiastica et regio mundeburde constitutam, Balduinus sibi furatus est in uxorem: quem post legale iudicium Episcopi regni nostri excommunicaverunt secundum sacros Canones et diffinitionem sancti Gregorii Papae, qui dicit: *Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, ipse et consentientes ei anathema sint.* Quae et verbis et litteris nos et Episcopi regni nostri nepoti nostro Hlothario innotuimus. Nos etiam, sicut scitis, consilio et consensu fidelium nostrorum communiter confirmavimus ut nemo nostrum huiusmodi hominem in regno suo recipiat, neque immorari permittat, sed ad rectam rationem reddendam et ad poenitentiam agendam, sicut statutum est, illum redire cogat. Qualiter autem nepos noster Hlotharius non solum erga nos et consanguinitatem nostram, verum et contra Deum et sacram auctoritatem et communem Christianitatem inde egerit, spero quia vos non latet quod est plurimis co-

gnitum. Et sanctus Paulus, per quem locutus est Christus, dicit: *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.*

VI. Nota est vobis causa de uxore nepotis nostri Hlotharii, unde et à nobis et ab Episcopis regni nostri, sed et ab aliis Episcopis praesentibus nobis consilium quaesivit et audivit: sed secundum illud consilium exinde non fecit. Scimus etiam quia et ad Domnum Apostolicum pro hoc transmisit, et ab illo epistolas exinde recepit. Negare quoque non volumus nos scire quid Domnus Apostolicus et illi et quibusdam Episcopis inde mandavit; et scimus, quod negare non possumus nec volumus, quoniam non debemus, quia Domni Apostolici commendatio ab Evangelica veritate et ab apostolica atque canonica auctoritate in nullo discordat; et secundum mandatum illius de hoc facto executum non audivimus nec videmus. Illa etiam sancta et prima in toto orbe terrarum Sedes, per divinum Paulum, coelestem scilicet tubam, qui ad tertium coelum et ad paradisum raptus hoc ab ipso Domino didicit, nobis et omnibus Christianis semper in omni mundo clamat, cum huiusmodi nec cibum sumere. Et per beatum Ioannem Apostolum, qui de aeterno et vivo Christi pectoris fonte in coena, quando sacramenta redemptionis nostrae sunt celebrata et tradita, super eo recumbens hausit quod redemptis omnibus propinavit, manifestissime Sedes apostolica interdicit huiusmodi hominem non debere quemquam in domum suam recipere, nec ave ei dicere: quia qui dicit ei ave, communicat operibus eius malignis. Et per beatum Gregorium Papam in homeliis Ezechielis dicit quia sicut ille qui fide à Deo recedit, apostata est, ita et ille qui à Deo recedit opere, sine dubio apostata est. Quoniam, sicut dicit Apostolus, *Fides sine operibus mortua est.* Et item, sicut alius dicit Apostolus: *Sunt qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et ipse Dominus dicit de semel et secundo ac tertio legaliter commonito, et non correcto, ut sit nobis sicut gentilis et publicis criminibus implicatus, cum quo et apostolica et canonica auctoritas nec cibum sumere, ut praemisimus, nobis concedit.

VII. Propterea, unice et frater carissime, et vobismetipsis consilium accipite, et mihi consilium date, et ipsi nepoti nostro suae salutis et honoris date consilium, et praestate auxilium, quia et ego ad hoc, quantum mihi Dominus scire et posse donaverit, sum paratus simul vobiscum agere, si voluerit ipse recipere.

VIII. Quod autem consilium ego cum Episcopis et caeteris fidelibus nostris, sollicitus et pro nostra communi, vestra scilicet et mea, sed et pro ipsius nepotis nostri salute et honore, et pro communi omnium fidelium nostrorum iu-

demnitate et salvatione, nunc proxime et in Synodo et in placito nostro accepi, vobis, cui nullum bonum negare, sed omne bonum meum paratus sum participare, dico, si placet, et si ita vobis bene visum fuerit, accipiamus illud communiter. Et si melius nobis per rationem et auctoritatem divinam et humanam nostrae salvationi et Christianitati congruentem ostenderitis, paratus sum illud cum omni devotione accipere, et vobiscum, Deo cooperante, et communium fidelium nostrorum consilio et auxilio adminiculante, libentissime sequi et exequi.

IX. Quia scriptum est, dicente bono Rege, qui tamen deliquit ut homo, et recognovit se ut felix, *ex voluntate mea confitebor illi*, profiteatur idem nepos noster coram vobis, et coram Episcopis qui vobiscum fuerint, et remandet nobis per vos et per illos, quia vult secundum Domni Apostolici et episcopale, immo divinum consilium, ad placitum convenire cum Episcopis et fidelibus, atque amicis Dei et nostris ac suis, quoniam haec causa generalis est omnibus Christianis, et aut ostendere quia secundum legem divinam et humanam Christianis congruam hoc factum de uxore sua habeat executum, aut secundum Dei consilium, et legem Christiano Regi convenientem, hoc et illa duo quae praemisimus emendare velit et debeat. Et paratus sum cum tali caritate et honorabilitate illum recipere, sicut Christianus Rex Christianum Regem, et sicut diligens patruus dilectum nepotem debet recipere, et in illius amicitia ad illius salvationem et honorem, si ita fecerit, permanere. Et constituatur tempus congruum et locus opportunus quando simul pacifice conveniamus, et hanc causam, sicut de nobis ipsis, quia sicut Scriptura dicit, *os nostrum et caro nostra est*, ad communem nostram et fidelium nostrorum salvationem et honorem diffiniamus; ne qui fidelibus nostris et omnibus Christianis in bono exemplum esse debemus, et perditionis exemplum donamus, et qui malorum correctores esse debemus, caput malorum, quod absit, fiamus, Sed et ea quae, ut supra diximus, apud Confluentes promisimus nos tractaturos et observanda constituturos, tractemus et statuamus; ut qui undique propter peccata nostra et malum discordiae quod in regnis nostris manet, percutimur, placato Deo misericordiae illius solatium consequi mereamur. Et non sit nepoti nostro hoc agere in mente sua durum; quia scriptum est: *Qui mentis est durae, corruet in malum.* Sed timeat Deum, et compescat istud scandalum, quod tam grande in ista Christianitate sine ulla necessitate est generatum et propagatum, cum per rationem et auctoritatem potuisset ad debitum effectum perduci quod multis hominibus videtur sine plena ratione et auctoritate debita exe-

cutum. Et quia scriptum est: *Beatus homo qui semper est pavidus*, et Dominus dicit: *Diligentes me diligo*, pro amore et timore Dei honoret se, et suam christianitatem, et suum nomen regium, et exuat se et nos omnes ab ista calumnia quae illum sequitur, et per illum ac propter illum nos propinquos illius; et honoret inde Deum, sciens Dominum dicere: *Honorantes me honorabo; et qui contemnunt me, erunt ignobiles.*

X. Et si ita noluerit, faciat quod iudicaverit faciendum. Ego in vestra amicitia et debita fraternitate persistere, et omni debito obsequio illam promereri cupiens, qui non quaero quae sunt illius, sed illum, si eum salubriter habere non possum, me Deo pro illius amicitia tollere nolo. Nec ad malum alicui praestare auxilium volo; quia legimus in Scriptura Dominum dixisse cuidam Regi: *Impio praebes auxilium, et his qui oderunt me amicitia iungeris: idcirco iram Domini merebaris quidem*, et sicut ibidem in reliquo scriptum est. Et item legimus quia de quacunque impietate quiscunque impius conversus fuerit, et ex corde se converti velle dixerit, iam non inter impios computatur, sed à piis pie recipi debet et salubriter potest, dicente Scriptura: *Verte impios, et non erunt:* non quia non erunt in essentia, sed non erunt in impietatis culpa. Haec autem diximus, non ut nepotem nostrum in numero impiorum computari cupiamus, quem piorum numero sociari à Domino exoptamus.

Sequuntur adnuntiationes quas tres Reges apud Sablonarias adnuntiare debuerunt.

ADNUNTIATIO DOMNI HLUDOUVICI.

I. Sicut scitis qui ibi adfuistis quando proxime apud Confluentes nos adiuvante Domino coniunximus, et Capitula à nobis et à fidelibus nostris observanda statuimus, convenit nobis ut congruo tempore et opportuno loco iterum simul conveniremus, et cum Dei adiutorio, et fidelium nostrorum consilio, quae in statu sanctae Ecclesiae et in nobis et in regnis nostris, atque in nostris fidelibus emendanda erant, emendaremus, et ut emendata de caetero observarentur statueremus. Et ad haec agenda iam per tres vices et tempus et locum condiximus; sed aut mihi aut fratri meo aut communi nepoti nostro tales causae acciderunt pro quibus hoc quod condiximus implere non potuimus.

II. Interea pervenit ad me quia meus frater et communis nepos noster ita inter se non erant sicut tunc fuerunt quando nos simul coniunximus. Et ideo ad hoc veni ut inter eos privatus mediator existerem, et ipsi sic inter se sint sicut per rectum esse debent. Unde frater noster per me et per Episcopos nostros, ac per Episcopos nepotis nostri, et scripto et verbo tales causas nepoti nostro mandavit

pro quibus illi sic privatus non erat sicut antea fuerat: quas si ille emendare vellet sicut ei mandabat, voluntarie illi erat sicut diligens patruus dilecto nepoti, et Christianus Rex Christiano Regi esse per rectum debet. De quibus causis nos et Episcopi qui nobiscum fuerunt ex parte nepotis nostri, fratri nostro et Episcopis qui cum eo erant tale responsum reddidimus; quia illas causas, quas ei reputabat, paratus erat aut emendare, aut de illis certam reddere rationem, et dignam facere satisfactionem. Quod responsum frater noster et Episcopi libenter receperunt; et, Deo gratias, sunt ita modo frater et nepos noster sicut per rectum esse debent.

III. Et volumus ut sicut nobis convenit, ut inter nos fideles Missi discurrant, et quae in uniuscuiusque nostrum regno emendanda sunt, et alter alteri innotuerit, emendentur, et casae Dei et Sacerdotes ac servi Dei legem et honorem debitum habeant, et unusquisque fidelium nostrorum in regnis nostris, cuiuscunque nostrum sit homo, legem et iustitiam et in se et in suis proprietatibus, et in suis honoribus, habeat sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt, et sicut inter nos iam convenit, et in illis Capitulis est constitutum quae intercessores nostri Reges constituerunt, et sicut nos apud Marsnam firmavimus, et sicut nunc proxime apud Confluentes statuimus; donec, adiuvante Deo, congruo tempore et opportuno loco iterum simul conveniamus, et una cum communi fidelium nostrorum consilio quae perfecta non fuerint, pacifice tractemus atque perficiamus, et ita nos ad invicem adiuvemus, ut cum Dei adiutorio nos et fideles nostros salvemus, et oppressoribus sanctae Ecclesiae resistamus. Et hanc adcognitationem ideo scribi communi consensu fecimus, ut unusquisque nostrum illam habeat, et certius sciat quid et qualiter exinde observare expressius debeat; quia non decet ut Rex à sua cognitatione deviet, sicut non convenit ut Episcopus à sua recta praedicatione discordet.

Adnuntiatio Domni Karoli.

I. Hoc quod dilectus frater noster dixit nos proxime apud Confluentes constituisse, quantum ex me fuit, hactenus observavi, et observare cupio, si et erga me ita fuerit observatum; et ei reputare non volo ut ipse similiter erga me illa observata non habeat. Credo etiam quia nec ille velit, nec aliquis alius mihi reputare possit, ut erga eum illa observata non habeam. Quod si aliquis fecerit, paratus sum aut illa quae emendanda sunt, emendare, aut de hoc quod mihi reputatum fuerit, certam reddere rationem.

II. Et si hic communis nepos noster fecerit sicut frater noster et Episcopi qui cum eo inter nos mediatores fue-

runt mihi et Episcopis qui mecum erant ex parte illius nuntiaverunt, et frater noster nunc dixit, et ita mihi familiaris et amicus atque adiutor secundum rationabilem possibilitatem extiterit sicut nepos patruo et Christianus Rex Christiano Regi esse per rectum debet, sic ei privatus et amicus atque adiutor secundum rationabilem possibilitatem esse volo sicut diligens patruus dilecto nepoti et sicut Christianus Rex Christiano Regi per rectum esse debet.

III. De fidelibus autem Missis inter nos discurrendis, et de his quae in regnis nostris emendanda sunt emendandis, et de statu atque honore Ecclesiarum et Sacerdotum ac servorum Dei, et de lege ac iustitia conservanda unicuique fidelium nostrorum in regno nostro, cuiuscunque nostrum sit homo, et in illo et in suis proprietatibus, et in suis honoribus, et de Capitulis observandis, sicut frater noster nunc dixit, ita et ego per omnia cupio observare.

ADNUNTIATIO HLOTHARII.

I. Postquam iste patruus meus Hludouvicus me in sua bonitate in filii loco suscepit, sic erga me semper in sua mercede fecit sicut et illum decuit et mihi necesse fuit. Unde paratus sum illi debitum obsequium exhibere, sicut per rectum debeo facere.

II. Et de his quae patruus meus Karolus proxime tunc, quando primum simul convenimus, mihi mandavit, sic observare cupio sicut patruus meus Hludouvicus, et Episcopi qui cum eo inter me et patruum meum Karolum mediatores fuerunt, ex mea parte illi et Episcopis qui cum eo erant nuntiaverunt. Et si ipse mihi ita privatus et amicus atque adiutor, secundum rationabilem possibilitatem, extiterit sicut patruus nepoti et Christianus Rex Christiano Regi esse per rectum debet, ita et illi et familiaris et amicus atque adiutor, secundum rationabilem possibilitatem, esse volo, sicut diligens nepos dilecto patruo, et Christianus Rex Christiano Regi, esse per rectum debet.

III. De fidelibus autem Missis inter nos discurrendis, et de his quae in regnis nostris emendanda sunt emendandis, et de statu atque honore Ecclesiarum et Sacerdotum ac servorum Dei, et de lege ac iustitia conservanda unicuique fidelium nostrorum in regno nostro, cuiuscunque nostrum sit homo, et in illo et in suis proprietatibus et in suis honoribus, et de Capitulis observandis, sicut isti mei patrui nunc dixerunt, ita et ego per omnia cupio observare.

Quoniam istas, quae praecedunt, adnuntiationes Hludouvicus et Hlotharius cum illorum sequacibus, postquam coram omnibus, qui adfuerunt, trium Regum consiliariis fere ducentis, tam Episcopis, quam Abbatibus, et Laicis, re-

lectas penitus reiecerunt, ne populo legerentur, ut causa Hlotharii penitus taceretur, hanc quae sequitur adnuntiationem Domnus Karolus istis ipsis verbis iam vesperi adnuntiavit apud Sablonarias, anno Incarnationis Dominicae DCCCLXII, Indictione XI, III. Nonas Novembris, in ipsa casa ubi relectae sunt praecedentes adnuntiationes, in quam pauci alii intraverunt quam qui antea fuerunt, quoniam fere plena de ipsis erat.

ADNUNTIATIO KAROLI.

Sicut ego verbis et scriptis per fratrem meum et per Episcopos nepoti meo mandavi, et illi de sua parte mihi renuntiaverunt, sic illi amicus esse et illum salvare volo sicut avunculus per rectum nepotem salvare debet, si ille, sicut nepos per rectum avunculum salvare debet, me et meos salvaverit.

TITULUS XXXVI.

EDICTUM PISTENSE.

De pace in Regno stabilienda; de Monasteriis.

ADNUNTIATIO DOMNI KAROLI APUD PISTAS.

I. Multas gratias vobis agimus de vestra fidelitate et de vestra bona voluntate quam semper erga nos in omni adiutorio et obsequio demonstratis, sicut vestri antecessores erga nostros antecessores demonstraverunt. Et quia pacem, quam iam praeterito tertio anno hic communiter confirmavimus et adcognitari fecimus, secundum quod causa in quibusdam locis coniacuit, etsi non omnes, sicut desideravimus, tamen ex maiori parte observastis, et quia pleniter et cum pace ad hoc nostrum placitum convenistis.

II. Et quia bonam voluntatem vestram in istis et in aliis videmus et experti sumus, fiducialius vos commonemus ut et de ipsa pace observanda et de istis operibus, quae contra Dei et sanctae eius Ecclesiae et nostros communes inimicos Nortmannos incepimus, sine defectu et lassatione viriliter laboretis, scientes qualiter nobis placuisset, si istas firmitates hic factas habuissemus, quando in tali angustia, sicut experti estis, ad Meldis contra eos communiter laboravimus. Unde nos Deus, sicut suae misericordiae placuit, manifesto suae clementiae indicio adiuvavit.

III. Et quoniam illa quae iam tertio anno hic una cum consensu et consilio fidelium nostrorum constituimus, et vobis adcognitari fecimus, libenter audisse et suscepisse comperimus, quae nunc etiam ad nostram communem salutem et pacem,

atque honorem, hic fidelium nostrorum consensu atque consilio constituimus, vobis per scriptum nota facere volumus, ut illa plenius audire et ad illud scriptum recurrendo, quod in singulis comitatibus dari et relegi atque haberi praecipimus, firmius retinere et certius observare possitis. Quae etiam ab Episcopis vel eorum ministris per singulos comitatus de eorum parochiis aperto sermone, ut ab omnibus possint intelligi, tradi volumus.

KAROLUS, GRATIA DEI, REX.

Notum esse volumus omnibus Dei et nostris fidelibus, quoniam haec quae sequuntur Capitula nunc in isto placito nostro, anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCLXIV, anno videlicet regni nostri ipso proprio XXV, Indictione XII, VII Kalend. Iunias, in hoc loco qui dicitur *Pistis*, una cum fidelium nostrorum consensu atque consilio constituimus, et cunctis sine ulla refragatione per regnum nostrum observanda mandamus.

I. Primo consideravimus de honore Ecclesiarum et Sacerdotum ac servorum Dei, et immunitate rerum ecclesiasticarum, ut nullus sibi de ipsis rebus contra auctoritatem praesumat; et Comites Episcopis et Ministris Ecclesiae in eorum ministeriis adiutores in omnibus fiant, sicut in Capitulari praedecessorum ac progenitorum nostrorum continetur, in secundo libro, capitulo XXIII. Et quicunque Comitum vel Ministrorum reipublicae haec quae mandamus, observare neglexerit, si prima et secunda vice de his admonitus non se correxerit, volumus ut neglegentia Comitis ad nostram notitiam per Episcopos et per Missos nostros deferatur, et aliorum neglegentia per Comites ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in Capitulari praedecessorum nostrorum continetur, subire cogantur.

II. Post haec de orphanorum et viduarum causis, et de regalibus iustitiis, et summopere de raptoribus puellarum et viduarum et Sanctimonialium, et de his qui Presbyteros flagellare praesumunt, et qui eos de Ecclesiis sine Episcoporum consensu eicere vel recipere, aut censum de manso vel ex his quae Domnus et Genitor noster in suis Capitularibus Ecclesiis in immunitate concessit exigere non timent, et qui censa de rebus ecclesiasticis ad Ecclesias persolvere detrectant, ut firmiter à Missis et Comitibus nostris inquirantur, et acriter distringantur, et plena iustitia inde fiat, secundum quod in Capitularibus avi et patris nostri statutum habetur, et ipsi contemptores legum, divinae scilicet et humanae, ad nostram praesentiam legaliter perducantur; ut inde consilio fidelium Dei ac nostrorum commendemus quid de talibus hominibus sit faciendum, qui nec Deum timent,

nec contra sanctos Canones facere, nec legem et praeceptum regium infringere pertimescunt: salva censura ecclesiastica, et episcopalis poenitentiae vindicta.

III. Ut lex et iustitia unicuique in suo ordine omnibus conservetur, et pacem quam proxime teste Deo propriis manibus communi consensu confirmavimus, quando hic placitum nostrum habuimus, sic omnes et infra patriam, et quando ad placitum unusquisque venerit, et quando redierit, et quando necessitas nobis evenerit ut hostem nostrum adnuntiemus, usque constituta loca secundum consuetudinem et Capitula praedecessorum nostrorum observare procuret. Et qui contra hanc confirmationem per contemptum venerit, aut quantocius, quod contra hanc confirmationem excessum fuerit, emendare neglexerit, ab Episcopis et Missis ac Comitibus nostris hoc nobis nuntiari mandamus; quatenus tantum Dei et nostrum ac totius Christianitatis contemptum, sicut secundum leges divinas et humanas invenerimus, emendare curemus, ne ipso nostro iudicio à Deo, quod absit, condemnati simus. Et videant Episcopi et Missi ac Comites nostri ne si contra nostram communem confirmationem aliquis per contemptum fecerit, et emendare noluerit, per alium quam per illos qui ad hoc constituti sunt hunc contemptum sciamus; quoniam si per illos hoc, sicut non convenit, audierimus, sicut nec ipsi immunes à peccato erunt, sic nec ab ultione immunes existent.

IV. Volumus et expresse mandamus Comitibus nostris ut sicut in xxiv. capitulo secundi libri Capitulorum decessorum nostrorum continetur, vassalli nostri nobis et nostrae coniugi famulantes condignum apud omnes honorem habeant, sicut à genitore nostro et à nobis saepe admonitum est; et sicut ipsi volunt se à nobis honoratos tenere, ita et nobis famulantibus, sicut consuetudo fuit tempore antecessorum nostrorum, debitum honorem exhibeant.

V. Volumus et expresse Comitibus nostris mandamus ut villae nostrae indominicatae, sed et villae de monasteriis quae et coniugi nostrae et filiis ac filiabus nostris concessa atque donata habemus, quaeque sub immunitate consistunt, cum salvamento et debita reverentia in comitatibus illorum consistant. Sed et quae homines nostri ac illorum illarumque, qui sine ulla differentia et nostri sunt, cum salvamento et debito honore habere possint. Et non ignorent neque obliviscantur Comites ac Missi nostri nos scire quod dominorum Dominus de se dicit: *Honorificantes me honorificabo: et qui contemnunt me, inhonorati erunt.*

VI. Et quoniam humana fragilitas proclivior est ad contra iustitiam faciendam, quam ad iustitiam exequendam, et diabolus semper certat ut fragilitati humanae oculos men-

tis claudat, ne castigationem Dei videat, et semetipsam emendet; sicut ad nos perventum est quod quidam leves homines de istis Comitatibus qui devastati sunt a Nortmannis, in quibus res et mancipia et domos habuerunt, quia nunc ibi mancipia et domos non habent, quasi licenter malum faciunt; quia, sicut dicunt, non habent unde ad iustitiam faciendam adducantur: et quia non habent domos ad quas secundum legem manniri et banniri possint, dicunt quod de mannitione vel bannitione legibus comprobari et legaliter iudicare non possunt. Contra quorum malas insidias, consensu et consilio fidelium nostrorum, statuimus ut Comes Missum suum ad illam terram in qua domos quis habuit, mittat, et eum bannire et mannire iubeat. Et quoniam lex consensu populi fit et constitutione Regis, Franci iurare debeant quia secundum regium mandatum nostrum, ad iustitiam reddendam vel faciendam, legibus bannitus vel mannitus fuit; et sic ipsae res illi iudicio Scabiniorum in bannum mittantur, et si necesse fuerit, ipse in forbannum mittatur qui ad iustitiam reddendam venire noluerit. Et mandet Comes, qui hoc executus fuit, alteri Comiti, in cuius Comitatu res et mancipia habet, quid inde factum habeat, et ex nostro verbo illi mandet ut per illa quae in suo comitatu habet, illum distringat, quatenus ad iustitiam reddendam vel faciendam in suum Comitatum redeat.

VII. Audivimus etiam quia huiusmodi leves homines in aliis Comitatibus depraedationes et iniustitias faciant, et ad illum Comitatum in quo commanent, et in quo illas malitias non faciunt, factis malitiis in aliis Comitatibus reveniunt. Unde mandamus et Comitibus nostris expresse praecipimus ut illi Comites in quorum comitatibus tales homines iniustitias faciunt, illis Comitibus hoc mandent in quorum comitatibus refugium habent, et una mente, unoque consensu, et uno certamine ad tales homines comprehendendos se erigant, et decertent ut Ecclesiae Dei et ministri eius, et servi Dei ac populus, pacem et quietem habere possit.

VIII. Ut denarii ex omnibus monetis meri ac bene pensantes, sicut in Capitulari praedecessorum ac progenitorum nostrorum Regum, libro quarto, XXXII. capitulo continetur, in omni regno nostro non reiciantur usque ad Missam sancti Martini. Et in omnibus civitatibus et vicis ac villis, tam nostris indominicatis, quam et in his quae de immunitate sunt, vel de Comitatibus, atque hominum nostrorum sive cuiuscunque sint, per omne regnum nostrum, a Iudicibus nostris, et ab eis quorum villae sunt, una cum ministris reipublicae, secundum quantitatem locorum et villarum, tanti ac tales de ipsis incolis et inibi manentibus constituantur qui inde providentiam habeant ne boni

denarii reiciantur, et non nisi meri et bene pensantes accipiantur.

IX. Ut illi qui ex hac causa providentiam habebunt, sacramento iurent quod sicut eis ex hac causa iniunctum fuerit, quantum scierint et potuerint, debeant fideliter observare, et illum hominem quem scierint merum et bene pensantem denarium reicere, non debeant celare, sed ministris reipublicae eum debeant notum facere. De quo sacramento quicunque comprobatus fuerit periuratus, et secundum legem mundanam ut periurus puniatur, sicut in Capitulari decessorum ac progenitorum nostrorum continetur in fine capituli decimi ex tertio libro, et secundum legem ecclesiasticam publicae poenitentiae subigatur.

X. Ut ab ipsa Missa sancti Martini per omne regnum nostrum, non nisi istius nostrae novae monetae meri et bene pensantes denarii accipiantur. Et quicunque ab illa die alium denarium negotiandi causa protulerit, a Comite et a ministris eius auferatur ab eo; sicut in libro Capitulorum secundo, decimo octavo capitulo continetur.

XI. Ut in denariis novae nostrae monetae ex una parte nomen nostrum habeatur in gyro et in medio nostri nominis monogramma, ex altero parte nomen civitatis; et in medio crux habeatur.

XII. Sequentes consuetudinem praedecessorum nostrorum, sicut in illorum Capitulis invenitur, constituimus ut in nullo loco alio in omni regno nostro moneta fiat, nisi in palatio nostro, et in Quentovico ac Rotomago, (quae moneta ad Quentovicum ex antiqua consuetudine pertinet) et in Remis, et in Senonis, et in Parisio, et in Aurelianis, et in Cavillono, et in Metullo, et in Narbona.

XIII. Ut hi in quorum potestate deinceps moneta permanserit, omni gratia et cupiditate seu lucro postposito, fideles monetarios eligant, sicut Dei et nostram gratiam volunt habere. Et ipsi monetarii iurent quod ipsum ministerium, quantum scierint et potuerint, fideliter faciant. Et mixtum denarium, et minus quam debet pensantem, non monetent nec monetari consentiant. Et sine ulla fraude et absque malo ingenio, contra eos quorum argentum ad purgandum acceperint, ipsum argentum exmerent, et sine fraude tam in pensa quam in purgatione denarios concambient. Contra quod sacramentum si quilibet fecisse reputatus fuerit, iudicio Dei se examinet: et sicut contra hoc fecisse comprobatus fuerit, quia non maiorem fraudem facit si mixtum denarium et minus quam debeat pensantem monetaverit, quam si in purgatione et concambio argenti per malum ingenium fraudem de argento reipublicae et de argento rerum ecclesiasticarum, et de facultate pauperum fecerit, sicut con-

stitutum est de falsis monetariis in libro IV. Capitulorum, XXXIII. capitulo, manum perdat, et ut sacrilegus ac pauperum spoliator publicae poenitentiae iudicio episcopali subiiciatur. In illis autem regionibus in quibus secundum Legem Romanam iudicia terminantur, iuxta ipsam legem culpabilis iudicetur.

XIV. Ut in proximis Kalendis Iulii, per hanc duodecimam Indictionem, habeat in Silvanectis civitate unusquisque Comes, in cuius Comitatu monetam esse iussimus, Vicecomitem suum cum duobus aliis hominibus qui in eius Comitatu res et mancipia vel beneficia habeant, et suum monetarium cum ipsis habeat: quatenus ibi accipiant per manus suas de camera nostra, ad opus uniuscuiusque monetarii, de mero argento cum pensa libras quinque, ut habeat unde initium monetandi possit incipere; et pensam argenti quam ex camera nostra acceperit, per manus eorum per quas illud accepit, sabbato ante initium Quadragesimae in monetatis denariis in praefato loco, et cum ipsa pensa cum qua argentum acceperat, unusquisque monetarius in nostra camera reddat.

XV. Ut nullus more solito pro ullo lucro vel avaritia hoc leviter accipiat; sed omnes ab ipsis kalendis Iulii argentum suum in constitutis monetis concambiari faciant, scientes quia post Missam sancti Martini nulli alii denarii in regno nostro, nisi istius novae nostrae monetae, recipientur et ab ipsis kalendis Iulii ipsi novi denarii ab omnibus accipiantur. Et quicunque liber homo ab ipso die denarium merum novae nostrae monetae in regno nostro reiecerit, sicut in praefato Libro et Capitulo regio continetur, bannum nostrum, id est, solidos sexaginta, componat. Si vero servi ecclesiastici aut Comitum aut vassallorum nostrorum hoc facere praesumpserint, quia in praefato Capitulari continetur ut sexaginta ictibus vapulent, et hac occasione indiscreti homines modum in disciplina faciebant, constituimus cum Fidelium nostrorum consensu atque consilio ut quorumcunque coloni et servi pro hoc convicti fuerint, non cum grosso fuste, sed nudi cum virgis vapulent; et in civitatibus atque vicis seu villis Episcopi per suos ministros, vel Presbyteros, providentiam una cum reipublicae ministris accipiant ne et in hac causa modus disciplinae transgrediiatur, sed taliter fiat qualiter et homines castigentur, et quasi pro intentione vel occasione castigationis disciplinam facientes, peccatum non incurrant, et disciplinam sustinentes in corpore suo debiliores non fiant. Quod si quis hoc mandatum nostrum transgressus fuerit, nobis ab Episcopis nuntietur; quatenus taliter castigetur ne deinceps mandatum nostrum quemquam delec-

tet contemnere. Et si dominus vel magister (qui liber est w), aut advocatus talium hominum eos vel Comiti vel Misso nostro ad disciplinam sustinendam contradixerit, vel Misso nostro iussus praesentare noluerit, praedictum bannum sexaginta solidorum componat, sicut in praedicto Capitulari habetur.

XVI. Ut si aliquis homo a proximis kalendis Iulii de hac nova nostra moneta mixtum, vel minus quam debeat pensantem denarium invenerit, constringat eum qui ipsum denarium ad negotiandum protulit, et ipse dicat a quo eum accepit; et sic de manu ad manum veniat, usque dum ad falsitatis auctorem perveniatur. Et inventus mixti, vel minus quam debeat pensantis denarii monetator in illa terra in qua iudicia secundum Legem Romanam terminantur, secundum ipsam Legem iudicetur. Et in illa terra in qua iudicia secundum Legem Romanam non iudicantur, monetarius, sicut supra diximus, falsi denarii manum dexteram perdat, sicut in quarto libro Capitulorum continetur, capite trigesimo tertio. Et qui hoc consenserit, si liber est, sexaginta solidos componat. Si servus vel colonus, nudus cum virgis vapulet x).

XVII. Ut diligenter Comites et Ministri reipublicae per suos comitatus ac ministeria provideant ne in aliquo loco occulta vel fraudulenta moneta fieri possit. Et si inventus ac comprobatus quilibet fuerit fraudulentam monetam percutiens, sicut constitutum est de falso monetario, ex praefato Capitulari praedecessorum nostrorum, manus ei amputetur y). Et qui hoc consenserit, si liber est, sexaginta solidos componat. Si servus vel colonus, nudus cum virgis vapulet.

XVIII. Et si falsus monetarius, aut de illis locis in quibus monetam percutiens, aut denarium falsum de nova moneta ad negotiandum proferens, ut constringi et puniri non possit, sicut est constitutum, in fiscum nostrum vel in quamcunque immunitatem, aut alicuius potentis potestatem vel proprietatem, confugerit, si in nostrum confugerit fiscum, requiratur a ministro nostro. Et si ille eum defenderit aut occultaverit, nuntietur nobis, quatenus ita in eo secundum Capitulare regium vindicetur, ne ullus alius unquam falsitatem nostra auctoritate vel potestate consentire aut defendere audeat. Si autem in immunitatem vel potestatem aut proprietatem alicuius potentis confugerit, secundum quod in tertio libro Capitularis, XXVI. capitulo, continetur de eo qui furtum aut homicidium, vel quodlibet

---

w) al. mss. *quilibet*.

x) al. ms. *caedatur*.

y) al. mss. *abscidatur*.

crimen foris committens, infra immunitatem fugerit, inde fiat; id est, mandet Comes vel publicae rei Minister Episcopo vel Abbati, vel illi quicunque locum Episcopi vel Abbatis vel Abbatissae tenuerit, vel potentis hominis in cuius potestatem vel proprietatem confugerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit, et eum reddere noluerit, in prima contradictione solidis quindecim culpabilis iudicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, triginta solidis culpabilis iudicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quicquid reus damni fecit, totum ille qui eum infra immunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogatur, et ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra immunitatem quaerendi ubicunque eum invenire potuerit. Si autem in prima inquisitione Comiti responsum fuerit quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus sit, iuret quod ipse eum ad iustitiam cuiuslibet disfaciendam fugere non fecisset, et sit ei in hoc satisfactum. Si vero intranti in ipsam immunitatem, vel in cuiuslibet hominis potestatem vel proprietatem, Comiti collecta manu quilibet resistere tentaverit, Comes hoc ad Regem vel Principem deferat, et ibi iudicetur. Et sicut ille qui in immunitate damnum fecit, sexcentis solidis componi debet, ita qui Comiti collecta manu resistere praesumpserit, sexcentis solidis culpabilis iudicetur.

XIX. Ut melius et commodius haec providentia de bonis denariis non reiciendis et de monetae falsae denariis custodiri possit, volumus ut unusquisque Comes de Comitatu suo omnia mercata inbreviari faciat, et sciat nobis dicere quae mercata tempore Avi nostri fuerunt, et quae tempore Domni et Genitoris nostri esse coeperunt, vel quae illius auctoritate constituta fuerunt, vel quae sine auctoritate illius facta fuerunt, vel quae tempore nostro convenire coeperunt, vel quae in antiquis locis permanent, et si mutata sunt, cuius auctoritate mutata fuerunt. Et ipsum brevem unusquisque Comes ad proximum placitum nostrum nobis adportet, ut decernere possimus quatenus necessaria et utilia, et quae per auctoritatem sunt, maneant, quae vero superflua, interdicantur, vel locis suis restituantur. Et mercata die dominico in nullo loco habeantur, sicut in primo libro Capitulorum, capitulo CXXXVI. z), habetur.

XX. Ut Comes et reipublicae Ministri ac caeteri Fideles nostri provideant quatenus iustus modius aequusque sextarius secundum sacram Scripturam et Capitula praedecessorum nostrorum in civitatibus et in vicis et in villis, ad vendendum et emendum fiat, et mensuram secundum antiquam consue-

z) Legend. CXXXIX.

tudinem de palatio nostro accipiant, et non pro hac occasione a mansuariis vel ab his qui censum debent, maior modius, nisi sicut consuetudo fuit, exigatur. Et ipsi homines qui per villas de denariis providentiam iurati habebunt, ipsi etiam de mensura, ne adulteretur, provideant; sicut in libro tertio Capitulorum, capitulo XC, continetur. Et si quis reputatus fuerit mensuram adulterasse, et cum maiori modio vel sextario annonam vel vinum accepisse, et cum minori mensura venundare, si liber homo est, aut secundum suam legem se inde sacramento idoneum reddat, aut si hoc fecisse vel fieri iussisse aut consensisse comprobatus fuerit, hoc unde mensuram adulteravit, id est, vinum et annona, a ministris reipublicae tollatur ab eo; insuper et bannum nostrum, id est, solidos sexaginta, componat. Si autem colonus vel servus inde reputatus fuerit, aut iudicio Dei se inde examinet; aut si inde convictus fuerit, hoc, ut supra diximus, unde mensuram adulteravit, perdat, insuper et virgis nudo corpore *a*) vapulet. Et sive liber sive colonus vel servus de hoc convictus fuerit, post legalem emendationem episcopale iudicium suscipiat, quia contra tale interdictum Domini fecit, dicentis: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram;* unde regnum Dei sibi clausit, et infernum sibi aperuit. Quod peccatum inter illa criminalia peccata computatur de quibus dicit Apostolus, quod qui ea fecerit, cum huiusmodi nec cibum sumere Christiano licet; et inde sacri Nicaeni Canones Clericos gradus perdere iubent. Et de tali causa unde seculares homines vitam perdunt, inde Clerici ecclesiasticum gradum amittunt. Ministri autem reipublicae se caute custodiant, ne pro hac occasione ducti cupiditate per aliquod malum ingenium a liberis hominibus, vel colonis seu servis, sua iniuste tollant; quia si inde ad nos clamor venerit, et inde convicti fuerint, sic iniustitiam istam exsolvent sicut illi qui in suo ministerio tortum faciant. In illis autem regionibus in quibus secundum Legem Romanam iudicantur iudicia iuxta ipsam legem committentes talia iudicentur: quia super illam legem vel contra ipsam legem nec antecessores nostri quodcunque capitulum statuerunt, nec nos aliquid constituimus. Similiter per civitates et vicos atque per mercata ministri reipublicae provideant ne illi qui panem coctum aut carnem per deneratas, aut vinum per sextaria, vendunt, adulterare et minuere possint. Sed quantos mensurabiles panes in unaquaque civitate de iusto modio Episcopi vel Abbatis seu Comitis ministeriales a pistoribus suis recipiunt, tantos mensurabiles panes de aequo modio a pistoribus qui

---

a) al. mss. *corio.*

panem vendunt, fieri faciant: quos si inventi fuerint adulterare vel minorare, ut supra diximus, secundum suum modum culpabiles iudicentur. Homines etiam qui providentiam habere debebunt ne mancae mensurae fiant, si de periurio quod iuraverunt quia hoc consentire non debuissent, revicti fuerint, secundum legem puniantur, sicut in fine capituli decimi ex libro tertio Capitulorum habetur, et postea ab Episcopo publicam poenitentiam de periurio accipiant.

XXI. Ut quia per tres iam annos bannum pro reiectione bonorum denariorum perdonavimus, volumus ut modo, secundum discretionem quam Missis nostris commendavimus, rewadiatum persolvatur, et ubi rewadiatum non est, rewadietur et solvatur: quatenus et ex hoc et ex disciplina constituta ita constricti, deinceps cessent denarios bonos reicere. Et quoniam audivimus, occasione accepta pro rewadiato banno, quosdam plus a pauperibus accepisse quam bannus levet, hoc a Missis nostris diligenter requiri volumus. Et quicunque plus ab eis acceperunt quam iussimus, cogantur illis restituere et illos absque ulla excusatione ad praesentiam nostram Missi nostri adducant; quatenus per nostram harmiscaram ita castigentur, ne ulterius tali conludio eos delectet opprimere pauperes.

XXII. Ut a colonis qui iam pro reiectione bonorum denariorum flagellati vel flagellandi sunt, nulla alia exactio requiratur; et si ab aliquo eorum aliquid inde acceptum fuit, a Missis nostris cogatur restitui. Et qui beneficia vel alodes in duobus vel tribus aut quatuor comitatibus habent, et non habent in unoquoque comitatu unde plenum bannum valeant solvere, vel qui in uno tantum comitatu alodem vel beneficia habent, et non tantum ibi habent unde plenum bannum valeant solvere, Missis nostris hoc notum faciant, et hoc ab eisdem Missis nostris diligenter inbrevietur, et nobis renuntietur, ut nostra discretione decernamus qualiter et castigatio ex compositione fiat, et homines ultra mensuram et indebite non graventur: quia, sicut sancta Scriptura dicit, non inde requirimus datum, sed fructum, id est non inde requirimus inhonestum lucrum, sed regni ex castigatione profectum. Turpe vel inhonestum est lucrum, ut Augustinus exponit, per varias circumventiones et occasiones lucrandi causa inhoneste res quaslibet congregari. Et non solum in pauperioribus, sed etiam in ditioribus, considerare volumus discretionem quam decessores nostri Reges in quarto libro Capitulorum posuerunt, capitulo LVII. decernentes: Ut de debito, inquiunt, quod ad opus nostrum fuerit rewadiatum, talis consideratio fiat ut is qui ignoranter peccavit, non totum se-

cundum legem componere cogatur, sed iuxta quod possibile visum fuerit. Is vero qui tantum mala voluntate peccavit, totam legis compositionem cogatur exsolvere.

XXIII. Ut nullus deinceps in regno nostro mixturam auri vel argenti ad vendendum facere vel consentire praesumat: ut nullus à Missa sancti Remigii, id est, à proximis Kalendis Octobris, aurum vel argentum ad vendendum vel emendum, nisi purificatum, proferat. Et si quis post praefatas Kalendas inventus fuerit aurum vel argentum, vel quodcunque fabricinium ex auro vel argento mixtum, ad vendendum vel emendum portare, à ministris reipublicae ipsum quod portaverit, ab eo tollatur, et ipse per fideiussores, si res et mancipia in illo comitatu non habet, ad praesentiam nostram cum ipso auro vel argento adducatur, ut nos inde commendemus qualiter culpabilis iudicetur. Si vero res et mancipia vel mobile, per quae distringi legaliter possit, in ipso comitatu habuerit, secundum legem ad nostram praesentiam venire iubeatur. Et si quis inventus fuerit suum aurum vel argentum, vel quodcunque fabricinium ex auro vel argento, portare ad fabrum ut purgetur, provideant reipublicae ministri ne hac occasione ab eo quod suum fuerit tollant. Quod si fecerint, et ad nos inde reclamatio venerit, sicut ille qui tortum in suo comitatu vel ministerio fecerit, in nostra vel fidelium nostrorum praesentia culpabilis iudicabitur. Faber vero qui post praefatas Kalendas comprobatus fuerit aurum vel argentum ad vendendum vel emendum adulterasse, vel misculasse, in illis regionibus in quibus iudicia secundum legem Romanam terminantur, iuxta illam legem puniatur: in aliis autem regionibus regni nostri secundum Capitulare regium, sicut falsam monetam percutiens, manum perdat. Et liber homo qui hoc consenserit, sicut in praefato continetur Capitulo, bannum nostrum, id est solidos sexaginta, componat; colonus vel servus, nudus cum virgis flagelletur. Si vero Iudaeus fuerit, ipsum quod mixtum protulerit, perdat; et bannum nostrum, sicut tempore praedecessorum nostrorum consuetudo fuit, componat.

XXIV. Ut in regno nostro non amplius vendatur libra auri purissime cocti, nisi duodecim libris argenti de novis et meris denariis. Illud vero aurum quod coctum quidem fuerit, sed non tantum ut ex eo deauratura fieri possit, libra una de auro vendatur decem libris argenti de novis et meris denariis. Et omnimodis provideant tam Comites, quam caeteri omnes ministri reipublicae, ne aliqua adiectione vel fraude per occasionem aliquid amplius vendatur, sicut de suis honoribus volunt gaudere. Et quicunque hanc commendationem nostram aliquo ingenio infirmare vel fraudare

seu aliter immutaré inventus fuerit, si liber homo fuerit, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componat; colonus seu servus, nudus cum virgis flagelletur.

XXV. Et quoniam in praefatis Capitulis continetur in libro tertio, capitulo LXXV, ut nullus sine permissu regio bruniam vel arma extraneo dare aut vendere praesumat, et in eodem libro, capitulo VI, designata sunt loca regni usque ad quae negotiatores brunias et arma ad venundandum portare et vendere debeant, quod si inventi fuerint ultra portantes aut venundantes, ut omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus palatii, alia vero medietas inter Missos regios et inventorem dividatur; quia peccatis nostris exigentibus in nostra vicinia Nortmanni deveniunt, et eis à nostris bruniae et arma atque caballi aut pro redemptione dantur, aut pro pretii cupiditate venundantur, cum pro redemptione unius hominis ista donantur, vel pro pauco pretio venundantur, per hoc auxilium illis contra nos praestitum et régni nostri maximum fit detrimentum, et multae Ecclesiae Dei destruuntur, et quamplurimi Christiani depraedantur, et facultates ecclesiasticae et regni dehauriuntur, propterea una cum consensu atque consilio nostrorum fidelium constituimus, ut quicunque post proximas Kalendas Iulii huius duodecimae Indictionis Nortmannis quocunque ingenio, vel pro redemptione, vel pro aliquo pretio, bruniam vel quaecunque arma aut caballum donaverit, sicut proditor patriae et expositor Christianitatis (ad perditionem gentilitati sine ulla retractione vel redemptione de vita componat. Quod omnia omnibus citissime à Missis nostris et Comitibus nota fiant, ne de ignorantia se excusare valeant *b*).

XXVI. Ut pagenses Franci, qui caballos habent vel habere possunt, cum suis (Comitibus *c*) in hostem pergant; et nullus per violentiam, vel per aliquod malum ingenium, aut per quamcunque (indebitam oppressionem *d*), talibus Francis suas res aut caballos tollant, ut hostem facere, et debitos paraveredos secundum antiquam consuetudinem nobis exsolvere non possint, neque Comes neque aliquis minister reipublicae. Quod si fecisse aliquis eorum comprobatus fuerit, sic hoc cogatur componere sicut de illis est constitutum in Capitularibus regiis qui tortum in suo comitatu vel ministerio faciunt.

---

b) al. ms. *et adiutor Gentilium erroris. Igitur pro tali venditione et ausu temerario volumus ut venditor de vita componat, et omnes res eius infiscentur. Ecclesiasticus vero aut Deo sacrata perpetuo exilio damnentur.*

c) al. ms. *armis.*

d) al. ms. *cupiditatem aut oppressionem.*

XXVII. Ut iuxta regium Capitulare quod Domnus et Genitor noster, anno xvi, regni sui, capitulo vii, constituit, Comites vel Missi nostri diligenter inquirant quanti homines liberi in singulis comitatibus maneant qui per se possunt expeditionem facere, vel quanti de his quibus unus alium adiuvet, quanti etiam de his qui à duobus tertius adiuvetur, vel praeparetur, necnon de his qui à tribus quartus adiuvetur et praeparetur sive de his qui à quatuor quintus adiuvetur et praeparetur ut expeditionem exercitalem facere possint, et eorum summam ad nostram notitiam deferant; ut illi qui in hostem pergere non potuerint, iuxta antiquam et aliarum gentium consuetudinem ad civitates novas et pontes ac transitus paludium operentur, et in civitate atque in marcha wactas faciant, ad defensionem patriae omnes sine ulla excusatione veniant. Et qui de talibus hostem dimiserint, heribannum iuxta discretionem quae in progenitorum nostrorum tertio libro Capitulorum, capitulo xiv, continetur, persolvant. Et qui ad defensionem patriae non occurrerint, secundum antiquam consuetudinem et Capitulorum constitutionem iudicentur.

XXVIII. Ut illi Franci qui censum de suo capite vel de suis rebus ad partem regiam debent, sine nostra licentia ad casam Dei vel ad alterius cuiuscunque servitium se non tradant, ut respublica quod de illis habere debent, non perdat. Quod si aut seipsos aut res suas ad casam Dei, aut ad alterius cuiuscunque servitium, sine licentia nostra tradere voluerint, sicut in Capitulari avi nostri continetur de his qui pro furto se in servitium tradere cupiunt, Comites vel Vicarii hoc eis non consentiant, sed ex banno nostro prohibeant. Quod si contra bannum nostrum fecerint, ipsi qui eos receperint bannum nostrum, id est, solidos sexaginta componant. Et si ipsos in servitio suo habere voluerint, vel illorum res de quibus census ad partem regiam exiebat, tenere voluerint, censum quem ipsi Franci debebant, vel qui de illorum rebus exire solebat, ad nostram regiam partem componant, sicut in praefato Capitulorum libro tertio, capit. xv, et lxxxvi, et in libro iv, capitul. xxxvi, habetur. Et quia, sicut in sacris ecclesiasticis regulis invenitur, prior observatio durior, posterior autem exigente causa inclinatior fuit, post haec praefata Capitula decessorum et progenitorum nostrorum, huiusmodi, sicut praediximus, Francis hominibus res suas ad casam Dei vel aliis tradere ac vendere, eosque ad divinum servitium converti, si vellent, non prohibuerunt, sicut in Capitulis libri primi, capitul. cxxxii, et cxxxiv, et in libro ii, capitul. xxxi, et in libri iv, capitul. xix, continetur. Si quis de talibus Francis de suis rebus tradere vel vendere voluerit, non prohibemus. Tantum ut ius re-

gium, quod sibi debetur, sine ratione non perdat: quia iniustas consuetudines noviter institutas imponere cuique non volumus, quas in quarto libro eorundem Capitulorum prohibitas, cap. XLVII, legimus. De illis autem qui secundum legem Romanam vivunt, nihil aliud nisi quod in eisdem continetur Legibus, definimus.

XXIX. Ut illi coloni, tam fiscales quam et ecclesiastici, qui, sicut in polypticis continetur, et ipsi non denegant, carropera et manopera ex antiqua consuetudine debent, et margilam et alia quaeque carricare, quae illis non placent, renuunt, quoniam adhuc in illis antiquis temporibus forte margila non trahebatur, quae in multis locis tempore Avi ac Domni et Patris nostri trahi coepit, et de manopera in scuria battere nolunt, et tamen non denegant quia manoperam debent; quicquid eis carricare praecipitur de opera carroperae quando illam facere debent, sine ulla differentia carricent; et quidquid eis de opera manoperae, quando illam facere debent, praecipitur, similiter sine ulla differentia faciant.

XXX. Ut quoniam in quibusdam locis coloni, tam fiscales quam et de casis Dei, suas hereditates, id est, mansa quae tenent, non solum suis paribus, sed et Clericis Canonicis ac villanis Presbyteris, et aliis quibuscunque hominibus, vendunt, et tantummodo sellam retinent, et hac occasione sic destructae fiunt villae, ut non solum census debitus inde non possit exigi, sed etiam quae terrae de singulis mansis fuerunt, iam non possint agnosci; constituimus ut praecipiatur à nostris ministerialibus, et à ministris ecclesiasticis, ut hoc nullo modo de caetero fiat, ne villae destructae atque confusae fiant: et quicquid de singulis mansis sine licentia dominorum vel magistrorum per quoscunque venditum est, recipiatur, et singulis mansis de quibus terrae venditae sunt, et de quibus census decidit propter eorum impossibilitatem qui mansa deservire non possunt, restituatur; et iuxta qualitatem vel quantitatem terrae, vel vinearum ad singulos mansos pertinentium, postquam restaurati fuerint, ab unoquoque manso census ad partem dominicam exigatur.

XXXI. De adventitiis istius terrae, quae à Nortmannis devastata est, constituimus ut sicut in Capitulari avi nostri Karoli Imperatoris habetur, unusquisque Comes de suo comitatu et nomina eorum, et qui sunt eorum Seniores, describi faciant, et ipsos advenas, qui à tempore Avi nostri atque à tempore Domini et Patris nostri in illorum comitatibus commanent, secundum consuetudinem quae illorum temporibus fuit, eos ibi manere permittant. Illos vero qui propter persecutionem Nortmannorum nuper de istis partibus in illas partes confugerunt, Episcoporum Missi cum Missis

reipublicae taliter de illis partibus in istas partes venire faciant, ut non opprimantur, nec aliquis census vel quaecunque exactio ab illis exigantur; et habeant licentiam quae in illis partibus suo servitio promeruerunt, vel quocunque iusto ingenio adepti sunt, commendandi. Et illi qui nullum lucrum de opere in vineis sperant, Kalendis Septembris unusquisque ad locum suum iam perventus sit. Et qui lucrum de vineis in illis partibus promeruerit, octo dies post Missam sancti Remigii in istas partes iam sit perventus, et sibi in istis partibus in futurum provideat, et suo Seniori serviat. Et si necesse illi fuerit, ad Missam sancti Martini ad suum conductum in illas partes redeat, et usque ad Kalendas Aprilis ibidem immorandi licentiam habeat; indeque ad terram suae nativitatis et ad Senioratum suum unusquisque redeat, et usque ad medium Maium propter seminationem ibidem maneat; indeque, si illi necessitas fuerit, ad suum conductum redeat; et inde ad messiones in terram suam unusquisque redeat, et de caetero ibidem permaneat. Si autem de istis partibus in illis partibus femina maritum aut maritus feminam accepit, illud coniugium, quia non est legale neque legitimum, sicut Leo in suis decretis et sanctus Gregorius in suis epistolis monstrant, dissolvatur; et cuius mancipium vir vel femina fuerit, (suum quaeque potestas recipiat, et suae potestatis homini coniungere faciat *e*). Et si infantes inde nati sunt, secundum legem et antiquam consuetudinem nostram infantes matrem sequantur. In illis autem regionibus quae legem Romanam sequuntur, secundum eandem legem fieri exinde decrevimus.

XXXII. Ut conlimitanei et vicini Comites in una die, si fieri potest, mallum non teneant, maxime post octavas Paschae, propter Francos homines et Advocatos, qui ad utraque malla non possunt occurrere; sed mittant sibi invicem Missos. Et si unus die Lunis mallum habuerit, alter die Iovis aut die Lunis sequentis hebdomadae mallum habeat. Et ne grave ei sit qui suum mallum interiecit, qui uno anno primus tenuerit mallum, sequenti anno consentiat alteri primum tenere. Et si sacramenta legalia in primo die Lunis post Pascha iuranda devenerint, aut aliis in feriis, quando mallum tenere debuerat, mittat unusquisque Comes Missum suum, qui ipsa sacramenta auscultet, ne ipsi homines (iectivi *f*) inveniantur. Et ipse sic mallum suum teneat, ut Barigildi eius et Advocati qui in aliis comitatibus rationes habent, ad suum mallum occurrere possint.

XXXIII. Et quia sacramenta post quadraginta noctes

e) al. ms. *potestatem habeat recipiendi et sibi coniungendi.*

f) al. ms. *fugitivi.*

legaliter iuranda accipiuntur, et in praefatis praedecessorum et progenitorum nostrorum Capitulis invenitur ut postquam Comes et pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint ex eo die super quadraginta (noctes g) sit bannus resisus, quod in lingua Theodisca *scastlegi*, id est armorum depositio vocatur, multi inde contendunt, et se inter se iectiscunt. Alii enim suum sacramentum quadragesimo die, in quo illud accipiunt, iurare volunt; et in tantum contendunt ut etiamsi intra Quadragesimam sacri ieiunii quadragesimus dies advenerit, suum sacramentum se iurare debere contendant, et contra causatores suos, si ad hoc audiendum non venerit, iectiscant. Numerant enim dies, et non numerant cum eis noctes; sicut numerantur dies, et non numerantur noctes, à Nativitate Domini usque ad Purificationem sanctae Mariae, et à Resurrectione Domini usque ad Ascensionem Domini. Quadragesimo enim die et Purificatio sanctae Mariae à Nativitate Domini, et quadragesimo die à Resurrectione Domini, quae est in dominica die, Ascensio Domini celebratur, quae evenit quinta feria, id est, Iovis die. Et de diebus, sine memoria noctium, Dominus per Ionam Prophetam dicit: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* Et quadraginta dies simul cum noctibus in ieiunio Heliae Prophetae, et Moysi, quando legem secundo accepit et ipsius Domini ieiunio computantur. In quibus sex septimanae, id est, quadraginta et duo dies fiunt usque ad Resurrectionem Domini, quae fit in dominica die, sicut et initium Quadragesimae. Et haec non sine Dei mysterio fiunt, per quem conditores legum iusta decernunt. Unde, sicut in quibusdam regionibus rectius tenere comperimus, una cum consensu et fidelium nostrorum consilio constituimus ut ab ipso die quo sacramentum accipitur, post quadraginta dies et quadraginta noctes, id est, quadragesimo secundo die de sex septimanis, ipsa feria qua illud sacramentum accepit, sicut Pascha ipsa feria fit qua initium Quadragesimae accipitur, qui sacramentum legaliter accipit, legaliter in locis constitutis iuret, sicut in Capitulorum libris decessorum et progenitorum nostrorum continetur. Et amodo nulla dissensio vel retractatio in regno nostro à quolibet ex hoc fiat. Quod mandatum nostrum si quis contemnere praesumpserit, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componat. Et si ipsas dies intra Quadragesimae sacra ieiunia evenerit, nemo illud sacramentum quod accepit in Quadragesima iurare praesumat; quia ex hoc iam etiam manifestam Dei vindictam vidimus et audivimus. Et si quis praesumpserit, similiter bannum nostrum componat, et inde poenitentiam

g) al. ms. *die*.

episcopali iudicio faciat. Ipsam autem Quadragesimam à quarta feria, id est, à capite ieiunii, cum ipsa quarta feria, qua publice poenitentes poenitentiam accipiunt, observari usque ad sanctam Resurrectionem secundum consuetudinem antiquam praecipimus. Sed expectet qui sacramentum ante Quadragesimam servatum accepit, si quadraginta dies et quadraginta noctes ante illam Quadragesimam non habuit, sine ulla legali compositione vel iectitione usque ad diem Lunis post octavas Paschae; et tunc quod legaliter accepit, legaliter et perficiat.

XXXIV. Notum fieri volumus omnibus Dei et nostris fidelibus, quoniam quidam Comites nostri nos consuluerunt de illis Francis hominibus qui censum regium de suo capite, sed et de suis rescellis debebant, qui tempore famis, necessitate cogente, seipsos ad servitium vendiderunt. Unde cum Episcopis et caeteris Dei ac nostris fidelibus tractavimus quid nobis esset agendum; et quod cum eis inde invenimus ac constituimus, praesenti edicto decrevimus. Id est, quia non in lege Salica ex hoc expressius quiddam invenimus, continetur tamen in tertio Capitulorum libro, capitulo XXIX, de homine libro qui se loco wadii tradidit in alterius potestatem, et ibi constitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, ut is qui eum loco wadii suscepit, aut damnum solvat, aut hominem in mallo productum amittat, perdens simul debitum propter quod eum pro wadio suscepit; et qui damnum fecit, dimissus iuxta qualitatem rei cogatur emendare. Si vero liberam feminam habuerit, et usque dum in pignore extitit filios habuerint, liberi permaneant. Et in lege digito Dei scripta legimus, ut si attenuatus fuerit frater noster et se in servitium tradiderit, sex annis serviet illi qui eum emit, et septimo liber egredietur gratis. Quae sacra historia et observantes moraliter aedificat, et altiori sensu intelligentes inluminat. In lege etiam quam praedecessores nostri et nominatissimi Imperatores constituerunt de his qui filios suos, fame aut alia aliqua necessitate cogente, vendunt, plura habentur Capitula quae omnia hic non necesse duximus ponere. Tamen illud Capitulum quod cum sanctis ecclesiasticis regulis ex maxima parte concordari invenimus, hic ponere necessarium duximus, in quo dicit: Ut quicunque ingenui filios suos (quod et de ipsis liberis hominibus, qui se vendunt, observari volumus) qualibet necessitate seu famis tempore vendiderint, ipsa necessitate compulsi, emptor si quinque solidis emit, sex recipiat: si decem, duodecim solidos similiter recipiat: aut si amplius, secundum suprascriptam rationem augmentum pretii consequatur. Sanctus etiam Gregorius de his qui liberi à Paganis capti fuerint, si aliquis eos redemerit, ipsi qui redempti

sunt procurent ut tantum pretium redemptori suo donent sicut ab eo redempti fuerunt, et in sua libertate permaneant. Si autem Ecclesia eos redemerit, gratis sine aliqua compositione liberi fiant. Quod et nos per regnum nostrum, una cum consensu et fidelium nostrorum consilio, observari regia auctoritate praecipimus. Et si quis dixerit quia non vult, aut tempore famis, aut pro alia necessitate pretium suum dare pro libero homine, si semper illum servum habere non debet, adtendat quid ei Dominus per Apostolum suum dicat: *Qui habuerit*, inquiens, *substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, non manet caritas Dei in eo.* Et qui non habet hanc caritatem, etiamsi ád martyrium et ad ignem se tradiderit, sine ista caritate remissionem peccatorum suorum habere non poterit, et nullatenus in regnum Dei intrabit, quia pro Deo suos denarios vel suam annonam, quae à Deo accepit, dare non indurat, cum Deus seipsum et sanguinem suum pro eo in cruce, clavis et lancea transfixus, fudit. Et quia hominum ingenia, qui Deum non timent, diabolo suadente, multa mala excogitant, potest fieri ut qui tales homines liberos necessitate, ut diximus, cogente in servos suscipiunt, in alteras partes illos dispendant et vendant. Propterea una cum consensu et fidelium nostrorum consilio constituimus, quod in antiquis legibus decretum invenimus, ut si huiusmodi personas aliqui aut ad extraneas gentes aut ad transmarina loca transferre aut venundare praesumpserint, ipse qui hoc contra statuta praesumpserit, constitutionem regii banni componat. Et si talis homo antea liber, usque dum in tali servitio fuerit, de libera femina filios habuerit, ipsi filii liberi permaneant, sicut in praefato XXIX capitulo, III libri Capitulorum praedecessorum ac progenitorum nostrorum habetur de eo qui se loco wadii in alterius potestatem commiserit: salva constitutione legis Romanae in eis qui secundum illam vivunt.

XXXV. Et sciant Comites nostri quia per singulos comitatus Missos nostros dirigemus, qui specialiter de his quae nunc constituimus, inquirant, qualiter in his nostram iussionem adimplere certaverint, sicut in secundo libro Capitulorum praedecessorum ac progenitorum nostrorum continetur, capitulo XVIII. Et quicunque neglegens inde inventus fuerit, praecipiemus ut ante nostram praesentiam venire iubeatur, et rationem reddat utrum hoc quod iussimus facere noluerit, aut non potuerit; aut si aliqua re praepediente id facere non potuit, cur nobis ipsam impossibilitatem ad tempus non adnuntiavit. Quia si ipse hoc non voluit, aut suae neglegentiae causa non potuit, nos talem invenire volumus qui hoc quod iubemus servare velit aut possit.

XXXVI. Volumus ut sicut in secundo libro Capitulorum decessorum ac progenitorum nostrorum continetur, capitulo XXIV, haec capitula, quae nunc et alio tempore consultu fidelium nostrorum à nobis constituta sunt, à Cancellario nostro Archiepiscopi, et Comites eorum de propriis civitatibus, modo aut per se aut per suos Missos accipiant; et unusquisque per suam dioecesim caeteris Episcopis, Abbatibus, Comitibus, aut aliis fidelibus nostris ea transcribi faciant, et in suis comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis nostra ordinatio et voluntas nota fieri possit. Cancellarius autem noster nomina Episcoporum et Comitum qui ea accipere curaverint, notet, et ea ad nostram notitiam perferat, ut nullus hoc praetermittere praesumat.

XXXVII. Et quoniam fideles nostri in istis qui in Sequana fiunt et in aliis operibus laborant, et heribergum nostrum, quod praeterito anno hic fieri iussimus, homines de illa parte Sequanae in istas partes venientes, et de istis partibus in illas partes euntes destruxerunt per occasionem, quia in illo contra debitam reverentiam manere coeperunt, et nunc istud heribergum non sine labore et dispendio fidelium nostrorum fieri fecimus, volumus et expresse mandamus ut sicut nec in nostro palatio, ita nec in isto heribergo aliquis alius sine nostra iussione manere praesumat, nec illud aliquis destruat. Quod si aliquis praesumpserit, et à custodibus, quos ad hoc deputatos habemus, nobis notum factum fuerit, non sine debita vindicta praesumptor evadet. Quia semper parati esse volumus, et vos paratos esse iubemus, ut in istis partibus, et in aliis quibuscunque nobis necesse fuerit, et contra Paganos et contra alios quoscunque, sicut consuetudo fuit, et vestri antecessores nostris antecessoribus auxilium praebuerunt, et vos nobis debitum et necessarium adiutorium exhibuistis, ita nunc et semper communiter ad Dei voluntatem et sanctae Ecclesiae atque istius Christianitatis defensionem, et nostram communem salutem et pacem obtinendam et defendendam in omnibus, quantum Deus auxilium praestare dignatus fuerit, parati semper et in omnibus simus.

Et post haec omnia lecta.

I. Monemus fidelitatem vestram ut haec similiter observetis, et semper sicut Dei et nostri dilecti fideles parati sitis ut, si necessitas nobis evenerit, aut contra Paganos aut contra quoscunque alios, ut statim quando unicuique nuntius venerit, aut nobis necesse audierit, sine ulla dilatione hostiliter praeparatus in Dei et nostrum servitium, ad communem utilitatem possit movere et certissime nobis occurrere. Et volumus et expresse mandamus ut quicunque

istis temporibus castella et firmitates et haias sine nostro verbo fecerunt, Kalendis Augusti omnes tales firmitates disfactas habeant; quia vicini et circummanentes exinde multas depraedationes et impedimenta sustinent. Et qui eas disfacere non voluerint, Comites in quorum comitatibus factae sunt, eas disfaciant. Et si aliquis eis contradixerit, ad tempus nobis notum facere curent. Qui si hoc, sicut mandamus, adimplere neglexerint, sciant quia, sicut in istis Capitulis et Capitularibus praedecessorum nostrorum continetur, tales Comites quaeremus et in illorum comitatibus constituemus qui nostrum mandatum facere velint et possint.

II. Et qui interpellatus est ut hic aliquam causam debeat deffinire, hic stet usquequo diffinita sit ratio de qua interpellatus habetur. Et qui pro sua causa hic demorandi habet necessitatem, et ipse nobiscum stare poterit quantum ei necessitas fuerit. Sed et vassalli nostri cum tantis hominibus sicut eis commoditas fuerit, nobiscum remaneant, et nobiscum pergant.

III. Vos autem alii, sed et ipsi qui nobiscum remanebunt, in eundo, et in patria remanendo, et ad nos redeundo, pacem à nobis communiter confirmatam servantes, ite cum Dei et nostra gratia. Et Deus nobis concedat ut cito et per plures annos sani et laeti nos invicem videamus, et de Dei super nos misericordia et gratia gaudeamus.

TITULUS XXXVII.

Apud Tusiacum.

(De statu Ecclesiae et Regni utilitate; et de illorum communi adiutorio.)

Haec quae sequuntur Capitula misit Domnus Rex Karolus in Burgundiam, exequendo per Gauslenum et Fulconem et per Waltarium et Lantuvinum, de Tusiaco, anno Incarnationis dominicae DCCCLXV.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis: Karolus, gratia Dei Rex, omnibus Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, Comitibus, et Vassis nostris, seu cunctis Dei et nostris fidelibus in regno Burgundiae consistentibus, salutem. Volumus et expresse praecipimus ut in his quae (subiecta *h*) sunt exequendis, et in aliis quae ad Dei voluntatem et sanctae Ecclesiae statum, atque ad nostram fidelitatem et ad nostrum honorem, ac ad regni soliditatem, necnon ad commune fidelium nostrorum salvamentum pertinent, unusquisque se-

h) al. ms. *subiuncta*.

cundum quod suo ordini et suae personae competit, istis Missis nostris obedientes et adiutores in omnibus existatis.

I. Ut sicut nostri infideles et communes contrarii nostri se invicem confirmaverunt ad nostram contrarietatem, ut nullus de his quae consideraverint suum parem discooperiat vel prodat, neque ad illa quae adimplere volunt dimittat, ita fideles nostri se confirment ad Dei voluntatem et nostram fidelitatem, et ad honorem et sanctae Ecclesiae statum, et regni utilitatem, et illorum commune adiutorium et salvamentum. Et nullus fidelium nostrorum cuicunque infideli nostro quocunque modo se coniungat, aut in aliquo faveat, vel in quacunque causa, in qua illum impedire potuerit, illi parcat, nisi statim ad fidelitatem nostram se convertere voluerit. Et si pro certo cognoscere potuerit qui contra istud capitulum fecerit, non nobis celet. Et si aliquis audierit quod pari suo fideli nostro necessitas evenerit aut evenire debeat ad resistendum infideli nostro, non expectet ut illi hoc mandetur, sed statim sit praeparatus, sicut Dei fidelis et noster, ad suum parem in nostra fidelitate adiuvandum, et quantum potuerit pergere festinet.

II. Ut omnes qui fidelitatem nobis adhuc promissam non habent, fidelitatem nobis promittant, sicut in Capitulis avi et patris nostri continetur.

III. Ut qui fidelitatem nobis promiserunt, et post illud sacramentum ad infideles nostros in nostrum damnum se coniunxerunt, proprietas illorum in nostrum indominicatum recipiatur, donec ipsi per fideiussores in nostram praesentiam veniant.

IV. Ut (nullus infidelium *i*) nostrorum, qui liberi homines sunt, in nostro regno immorari vel proprietatem habere permittatur, nisi fidelitatem nobis promiserit, et noster aut nostri fidelis homo deveniat.

V. Ut illae traditiones iniustae, et a nostris antecessoribus atque a nobis prohibitae, quae factae sunt aut mulieribus aut matribus aut quibuscunque personis; ut liberius ipsi traditores nostram infidelitatem perficere possint, aut ut iustitiam in comitatibus non reddant, tanquam factae non fuerint, pro nihilo habeantur. Et sicut ipsi ipsos alodes in sua manu tenuissent, ita de ipsis alodibus fiat. Et si nec ita ad fidelitatem nostram aut ad iustitiam reddendam adduci potuerint, ipsi alodes in nostrum dominicatum recipiantur, et certa illorum descriptio nobis adportetur. Ipsi autem infideles nostri in nostro regno locum habere non permittantur. Similiter et de commendationibus quarumlibet facultatum vel pecuniarum fiat. Et si ad casam Dei

---

i) al. mss. *nulli fidelium*.

aliquid commendatum habent, ipse Episcopus vel Rector Ecclesiae, ubi commendatae sunt, aut illis praesentaliter in praesentia Missorum nostrorum reddant qui eas commendaverunt, aut coram Missis nostris sigillentur, et sub sigillo custodiantur, donec ipsi veniant qui eas commendaverunt, et coram Missis nostris alias recipiant, et perinde distringantur ut ad fidelitatem nostram et ad pacem Ecclesiae ac regni revertantur.

VI. Ut de iniustis commutationibus quae ad casas Dei factae sunt sine regia auctoritate Missi nostri inquirant, et eas dissolvant, sicut in Capitularibus avi et patris nostri continetur. Et si mortua manus vel praeceptum regium super eas interiacet, describantur diligenter atque fideliter qualiter factae sunt, et nobis Missi nostri renuntient; et signatis ipsis praeceptis, sicut lex Romana praecipit, ad nostram praesentiam deferri faciant, sicut in Capitularibus progenitorum nostrorum continetur.

VII. Quia, ut comperimus, plures nobis petierunt alodes, et petentes parum, plus inde acceperunt, volumus ut Missi nostri hoc diligenter inquirant et describant, et ipsos homines cum praeceptis, ad nostram praesentiam venire faciant.

VIII. Ut Missi nostri de omnibus censibus vel paraveredis quos Franci homines ad regiam potestatem exsolvere debent, inquirant, et ubi per neglectum dimissum est, exsolvi faciant, et diligenter de singulis comitatibus cuncta describant et nobis renuntient. Similiter et de terris censalibus, et de rebus ad casas Dei traditis, unde census ad partem Regis exivit antiquitus. Et si aliquis aliquam auctoritatem regiam inde ostenderit, ad nostram praesentiam ipsam auctoritatem deferri faciant.

IX. Ut Missi nostri de locis ad claustra Canonicorum vel Monachorum, ubi necesse fuerit, nostra auctoritate exequantur sicut in Capitularibus avi et patris nostri continetur.

X. Ut de nonis et decimis ad casas Dei reddendis Missi nostri exsequantur, sicut in praefatis Capitularibus continetur.

XI. Ut de uno manso ad Ecclesiam dato nullus census, neque caballi pastus, a Senioribus de Presbyteris requiratur, sicut in praefato Capitulari continetur. Sed neque de terrulis ac vineolis pro loco sepulturae ad easdem Ecclesias datis, neque de decimis, sicut in Canonibus et in praefatis Capitularibus continetur. Et ubi inventum fuerit et a Missis nostris quod Seniores sine conscientia Episcoporum Presbyteros de Ecclesiis eiciunt vel in Ecclesiis statuunt, Missi nostri sicut in praefatis Capitularibus continetur, inde faciant. Et Episcopi de Clericis hominum

nostrorum ita faciant sicut in eisdem Capitularibus continetur.

XII. Ut Missi nostri iustitias, quantum temporis qualitas permiserit, omnibus indigentibus faciant; et quod modo pro qualitate vel brevitate temporis facere non potuerint, Comitibus commendent ut tempore congruo eis legem et iustitiam faciant. Et in suis memorialibus adnotent de quibus Comitibus commendaverunt; ut si iterum illi homines se reclamaverint quod iustitiam habere non potuerunt, nos ipsi investigemus, et decernamus quare hoc ipsi Comites dimiserunt.

XIII. Ut si infideles nostri se adunaverint ad devastationem regni nostri, fideles nostri, tam Episcopi, quam Abbates, et Comites, et Abbatissarum homines, sed et ipsi Comites, ac vassi nostri, seu caeteri quique fideles Dei ac nostri de uno missatico se in unum adunare procurent. Et Missi nostri de ipso missatico providentiam habeant qualiter unusquisque Episcopus, vel Abbas, seu Abbatissa, cum omni plenitudine et necessario hostili apparatu, et ad tempus, suos homines illuc transmiserit cum guntfanonario qui de suis paribus cum Missis nostris rationem habeat: et qualiter ipsi Comites et vassi nostri, seu caeteri quique Dei fideles, ad hoc occurrerint, nobis scripto renuntient. Et si de uno missatico ad hoc praevalere ad non potuerint, alium missaticum celeriter Missos suos dirigant, et omnes, sicut praediximus, de alio missatico ad illos qui indigent praeparati occurrant. Et si illi duo missatici ad hoc non suffecerint, nobis ad tempus hoc mandent, qualiter aut per nos, aut per filium nostrum, aut sicut viderimus, eis necessarium solatium transmittamus, quatenus in regno nostro nullus noster infidelis vel contrarius locum nocendi habeat.

XIV. Ut quia, sicut audivimus, quidam in domibus suis resident quandiu pacem habere possunt, et cum necessitas venit, dicunt se in nostrum venire servitium, nolumus ut aliquis de his qui in illa terra manent, et eam contra inimicos nostros defendere debent, deinceps hanc occasionem habeat; sed cum necessitas fuerit, sicut praediximus, ad Missos nostros et ad pares suos occurrant. Et si nos eum specialiter ad nos venire mandaverimus, aut ipse nobis necessariam causam de nostra fidelitate nuntiare voluerit, plenitudinem hominum *k*) suorum illic ad nostram fidelitatem exsequendam dimittat, et Missis nostris vel paribus suis hoc notum faciat. Aliter autem in nullam partem de illa terra pergat, nisi cum communi consilio vel commendatione Missorum nostrorum, aut reliquorum fidelium nostrorum, qui illam terram defendere debent. Et Missi nostri

k) al. ms. *omnium.*

cum Episcopis et Comitibus ac vassis nostris, qui super aquas commanent, per quas infideles nostri ad regnum nostrum transeunt, ordinent qualiter illac naves custodiantur, ne infideles nostri ad regnum nostrum devastandum transire possint. Et per cuius neglectum ipsae naves postea bene custoditae non fuerint, nobis renuntietur, ut nos dercernamus qualiter de illo contemptore praecepti nostri, quasi de proditore patriae, agi debeat.

XV. Ut si Missi nostri talem causam in illa terra invenerint quam ad debitum finem nec per ista Capitula, nec per Capitula progenitorum nostrorum, neque per legalia Capitula perducere possint, nobis rationabiliter et veraciter remandare procurent, ut nos illis remandemus qualiter inde agere debeant.

XVI. Ut ministri Comitum in unoquoque comitatu dispensam Missorum nostrorum, a quibuscunque dari debet, recipiant, sicut in tractoria nostra continetur; et ipsi ministerialibus Missorum nostrorum eam reddant. Missi autem nostri provideant ne pro hac occasione inde ministri Comitum amplius, nisi quantum in tractoria nostra continetur, inde exigant.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXV, XI. *Kalend. Martii haec quae sequuntur Hludouvicus et Karolus Reges in Tusiaco villa populo adnuntiaverunt.*

(DE TUITIONE ECCLESIAE ET REGNI).

Sicut vos et plures alios audisse credimus, iam secundo et tertio in isto tempore convenire insimul proposuimus; sed variis occupationibus praepedientibus, hoc usque modo implere nequivimus. Nunc quia, Deo gratias, insimul convenimus, volumus vos scire quoniam ad nullius deceptionem vel condemnationem, neque pro ulla indebita cupiditate, insimul convenimus. Propter quae autem, excepto debito ac fraterno desiderio ut nos invicem dilectione mutua videremus, noster conventus fuerit, vobis nota facere volumus, et quae Deo placita, et nobis ac fidelibus nostris salubria et proficua sunt, una cum Dei adiutorio, et vestro ac caeterorum communium fidelium nostrorum consilio et auxilio, tenere immutabiliter et augere utiliter volumus.

I. Primo nostras et sanctae Dei Ecclesiae, ac regni nobis commissi necessitates, fraterne et sincera mente ad invicem exposuimus.

II. Illa quae nuper cum fidelium nostrorum consilio

apud Confluentes inter nos confirmata fuerunt, diligenter rememoravimus, quae inviolabiliter adiuvante Domino conservabimus.

III. Sicut Deus hoc in corde nostro videt, volumus et vos scire quoniam de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, adunati, id est unanimes effecti sumus, quantum ipse dederit a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, ad Dei voluntatem, et nostrum communem honorem et salvamentum, et ad sanctae Dei Ecclesiae statum, et Sacerdotum ac servorum eius debitum honorem et vigorem, ac regni nobis a Deo commissi soliditatem restituendam et conservandam; ut Ecclesia et regnum, quod Deus in manus progenitorum nostrorum adunavit, et nobis misericordia sua commisit, in nostro tempore necessariam defensionem et tuitionem, et honorem atque soliditatem, habeat.

IV. Quoniam, sicut dicit sancta Scriptura, qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior, consideravimus et confirmavimus in fide nostra inter nos de uxoribus et filiis nostris, qui ita fideliter nobis subditi et obedientes fuerint sicut filii patribus et suis Senioribus esse debent, ut unusquisque nostrum alterius filios sicut proprios in vera dilectione habeat et qui superstes de nobis alteri fuerit, illius qui decesserit uxori et filiis, sicut inter nos convenit, debitum et necessarium adiutorium praestet et fidem conservet.

V. Consideravimus et statuimus ut communes fideles nostri, quorum consilio et auxilio sanctam Dei Ecclesiam et regnum nobis commissum gubernare debemus, debitum honorem et salvamentum habeant. Et ipsi ad Dei voluntatem, et ad nostrum debitum honorem et vigorem et salvamentum, et ad sanctae Dei Ecclesiae statum, et ad regni soliditatem et defensionem, qualiter populus in regno nostro legem et iustitiam et pacem ac tranquillitatem habeat, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, fideli consilio et auxilio nobis sint in omnibus adiutores. Et si aliquis, quod absit, ab hoc deviare tentaverit, unanimiter ut ad hoc redeat illum convertere decertemus. Et si ad hoc reduci non potuerit, unanimiter studeamus ut vel sibi soli noceat, et contra hoc quod salubriter conservare debemus, non possit damnabiliter agere. Et omnes, tam nobis amici, quam et contrarii, certissimum teneant quoniam qui contra quemlibet nostrum quiddam adversi machinatus vel molitus fuerit, apud alium locum familiaritatis et amicitiae non habebit.

VI. Vos scitis qualiter nepos noster Hlotharius per suam iuventutem, et per levium hominum consensum et hor-

tamentum et etiam per eorum favorem qui illum salvare debuerant, fecit et facit contra illam legem quam Deus primo in paradiso primis hominibus dedit, et quam in Evangelio per praesentiam carnis cum hominibus habitans renovavit et confirmavit, quae ad omnes homines pertinet qui secundum Deum legitimo utuntur coniugio. Unde et universalis Ecclesia Dei pulsatur, et Sacerdotes sunt dehonorati, et populus Christianus sicut de mali morbi contagio est maculatus. Propterea quod Deus dixit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, et sicut scriptum est: *Ipse os nostrum et caro nostra est*, et Ecclesia nobis et illi commissa et regnum unum est, et populus ac Christianitas una est, consideravimus ut ad illum Missos nostros mittamus, et ei tale consilium mandemus qualiter et ipse coram Deo salvus et coram seculo honoratus esse valeat, et Ecclesia et regnum, quod illi ad salvationem commissum est, solidum esse possit, et populus Dei salvus sit, et legem ac iustitiam et pacem ac tranquillitatem habeat.

VII. Quia etiam ipse suos Missos ad nos transmisit quasi consilium quaerens, per nostros Missos, et de his unde nobis mandavit, quantum nobis Dominus dedit, ei verum et sincerum consilium remandamus, et talem voluntatem nostram esse erga eum sicut vobis dicimus, illi per eosdem Missos nostros mandamus.

TITULUS XXXVIII.

APUD COMPENDIUM.

(De Ecclesiis et Monasteriis a Normannis expoliatis et destructis).

Capitula Karoli Regis in Compendio facta, anno regni eius XXVII, *Indictione* XV.

I. Ut Missi nostri per civitates et singula monasteria, tam Canonicorum quam Monachorum sive Sanctimonialium una cum Episcopo parochiae uniuscuiusque in qua consistunt, cum consilio etiam et consensu ipsius qui locum retinet, vitam ibi degentium et conversationem inquirant, et ubi necesse est corrigant, et ubi desunt, congruas officinas construere iubeant; et ubi sunt factae, et per neglegentiam sunt destructae, instaurari praecipiant; et victum, ac potum, et vestitum, atque caetera necessaria, pro qualitate et possibilitate loci et inhabitantium necessitate ordinent; et hospitalitatem supervenientium hospitum, et receptionem pauperum ibidem disponant et ordinent. Ecclesiae quoque luminaria et ornatum debitum ordinent; et thesau-

rum, ac vestimenta, seu libros diligenter inbrevient, et breves nobis reportent. Inbrevient etiam quid unusquisque Ecclesiarum Praelatus, quando praelationem Ecclesiae suscepit, ibi invenerit, et quid modo exinde ibi minus sit, vel quid et quantum sit superadditum. Quid etiam Nortmannis per nostram commendationem, sive sine nostra commendatione, datum sit, quidve relictum, vel quid a quoquam in eleemosyna datum. Numerum etiam Canonicorum et Monachorum sive Sanctimonialium uniuscuiusque loci describant, et nobis referant; ut secundum qualitatem et quantitatem loci, cum consilio Episcoporum et fidelium nostrorum, ubi minor numerus fuerit, nostra auctoritate addamus, ubi vero indiscretione Praelatorum superfuerit, ad mensuram redigamus. Inquirant quoque quot tempore avi nostri Karoli et Domni genitoris nostri Hludouvici unoquoque in loco fuerint, et quot modo sint; et ubi loca a Nortmannis sive a quibuslibet aliis destructa sunt et penitus adnullata, quot ibi nunc propter paucitatem rerum et devastationem eorumdem constitui vel ordinari possint; ut inde cum consensu fidelium nostrorum ordinemus quid de caetero agendum sit. Et qualiter Abbatiarum Praelati, et in locis sacris inhabitantes, de his quae Missi nostri praeceperunt obedierint, nobis diligentissime et capitulatim referant.

III. Ut Missi nostri diligenter investigent per singulas parochias, simul cum Episcopo, de monasteriis quae Deum timentes in suis proprietatibus aedificaverunt, et ne ab heredibus eorum dividerentur, parentibus et praedecessoribus nostris sub immunitatis defensione tradiderunt, et postea in alodem sunt data: et describant quae sint, et a quo vel quibus in proprietatem data sunt, et nobis renuntiare procurent; ut cum Episcopis et caeteris fidelibus nostris consideremus quid et qualiter inde, secundum Dei voluntatem et nostram salutem, agere debeamus.

III. Ut Missi nostri per singulas parochias una cum Episcopo parochiae ipsius requirant de Capellis et Abbatiolis ex casis Dei in beneficium datis, qualis census inde exeat, ut Ecclesia de qua sunt exinde vestituram habere possit, et nobis renuntient; ut hoc nostra auctoritate commendetur atque firmetur, et secundum qualitatem et quantitatem loci Clericos et luminaria ibi ordinent, et loca restaurari faciant.

IV. Denuntiandum est omnibus, et a Missis nostris ordinandum, ut omnes Ecclesiae et Presbyteri sub immunitate ac privilegio, et ordinatione atque dispositione Episcoporum singularum parochiarum in quibus consistunt, secundum auctoritatem canonicam et Capitularia Domni Karoli

Imperatoris avi nostri, et pii Augusti Hludouvici Domni et genitoris nostri, permaneant.

V. Ut Missi nostri diligenter investigent cum Episcopo et Praelatis monasteriorem, et per fideles et strenuos viros in unaquaque parochia, de rebus ecclesiasticis (in eadem 1) datis; et sicut evidentibus et veris indiciis ac auctoritatibus compererint, diligenter a quo et quibus datae sint, vel quantum exinde sit describant, et nobis renuntient.

VI. Ut Missi nostri expresse et cum omni diligentia, cum Episcopo et Praelatis monasteriorum, per singulas parochias requirant de rebus ecclesiasticis unde nonae et decimae solvi debent et non solvuntur, et persolvi ab easdem res retinentibus faciant. Et si aliqua contradictio, quae rationabilis videatur, oborta fuerit, describatur; et Praelatus ipsius casae Dei unde res esse noscuntur, et ille qui eas detinet, et nonam ac decimam solvere detrectat, simul cum Missis nostris ad nostram iubeatur venire praesentiam; ut tunc veritate comperta, et diffinitione decreta, quod rationabiliter invenerimus, inde praecipiamus. Volumus etiam ut investigent Missi nostri qualiter illi qui easdem res ecclesiasticas, unde decimae dantur sive non dantur, illas salvas habeant, et in casticiis, et in sylvis custoditis, vel si terrae aut mancipia inde perdita sunt, vel aliquid huiusmodi, aut si familia oppressa sit contra legem, et omnia per breves nobis renuntient.

VII. Ut Missi nostri per singulas parochias Comitibus et reipublicae ministris ex banno nostro praecipiant ne malla vel placita in exitibus et atriis Ecclesiarum et Presbyterorum mansionibus, neque in dominicis vel festivis diebus, tenere praesumant. Sed Comes convenientem locum consideret et inveniat ubi stationem ad mallum tenendum constituat; quia nefas est ibi reos puniri ubi respectu divinae reverentiae misericordiam, consensu fidelium nostrorum et decreto praedecessorum nostrorum, consequuntur.

VIII. Ut Missi nostri Comitibus et omnibus reipublicae Ministris firmiter ex verbo nostro denuntient atque praecipiant ut a quarta feria ante initium Quadragesimae, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas Paschae, mallum vel placitum, nisi de concordia et pacificatione discordantium, tenere praesumant. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem Domini usque post consecratos dies observent. Necnon et in ieiuniis quatuor temporum, et in rogationibus, simili observatione eosdem feriatos dies venerari omnimodis studeant.

IX. Ut Missi nostri omnibus per singulas parochias de-

1) Legend. *in alodem.*

nuntient quia si Episcopus, aut Ministri Episcoporum pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis propter metum aliorum, et ut ipsi criminosi corrigantur, cum tali discretione sine ulla occasione indebita, sicut in synodo conlocutum est, et vel inviti poenitentiam temporaliter et corporaliter agant, ne aeternaliter pereant, si Seniores ipsorum colonorum indigne tulerint, et aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur contendere praesumpserint, sciant quia et bannum nostrum component, et simul cum excommunicatione ecclesiastica nostram harmiscaram durissimam sustinebunt.

X. Ut Missi nostri omnibus reipublicae Ministris denuntient ut Comes vel reipublicae Ministri simul cum Episcopo uniuscuiusque parochiae sint in ministeriis illorum, quando idem Episcopus suam parochiam circumierit, cum Episcopus eis notum fecerit: et quos per excommunicationem Episcopus adducere non potuerit, ipsi regia auctoritate et potestate ad poenitentiam atque rationem vel satisfactionem adducant.

XI. Sciant etiam fideles nostri quia concessimus in synodo venerabilibus Episcopis ne super beneficia ecclesiastica vel praestarias, etiamsi Episcopus aut quilibet monasteriorum Praelatus inrationabiliter petierit, praecepta confirmationis nostrae ullo modo faciamus. Et ideo ab inrationabili petitione se unusquisque compescat.

XII. Ut Missi nostri omnibus per illorum missaticum denuntient ne commutationes rerum vel mancipiorum quilibet Praelatus earumdem rerum ecclesiasticarum sine licentia vel consensu nostro facere praesumat, neque mancipia ecclesiastica quisquam nisi ad libertatem commutet: videlicet ut mancipia quae pro ecclesiastico dantur, in Ecclesiae servitute permaneant; et ecclesiasticus homo qui commutatus fuerit, perpetua libertate fruatur.

TITULUS XXXIX.

APUD SANCTUM ARNULFUM.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXVIII, Indictione prima, Metis civitate, apud sanctum Arnulfum, hae pactiones inter Hludouvicum et Karolum gloriosos Reges factae sunt, his praesentibus, Hincmaro Archiepiscopo, Luitberto Archiepiscopo, Altfrido Episcopo, item Hincmaro Episcopo, Witgario Episcopo, Odone Episcopo, regni Karoli gloriosi Regis XXIX.

Amodo et deinceps ad Dei voluntatem, et sanctae Ecclesiae restaurationem et honorem atque defensionem, et ad

nostrum communem honorem et salvamentum atque profectum, et ad salvationem ac pacem Christiani populi nobis commissi, isti fratri meo Karolo et consilio et auxilio in vera fraternitate, quantum Deus mihi scire et posse dederit, fidelis adiutor ero. Et si Deus nobis amplius adhuc de regnis nepotum nostrorum donaverit, et in acquirendo ac in dividendo, sicuti plus aequaliter aut nos aut nostri communes fideles invenerint, quos communi consensu elegerimus, et in ipsa divisione consentiendo, et in habendo, et in conservando atque defendendo, tam istud quod habemus quam et quod nobis de praefatis regnis Dominus concesserit, absque dolositate aut deceptione vel superabreptione illi sincerus auxiliator et cooperator ero, sicut verus frater vero fratri per rectum esse debet; in hoc ut ipse similiter erga me conservet. Mundeburdem autem et defensionem sanctae Romanae Ecclesiae pariter conservabimus; in hoc ut Romani Pontifices nobis debitum honorem conservent, sicut eorum antecessores nostris antecessoribus conservaverunt. Sic me Deus adiuvet et isti Sancti.

Similiter et Karolus Hludouvico promisit.

TITULUS XL.

APUD PISTAS.

(De honore et immunitatibus Ecclesiarum et Sacerdotum; de mediis ante excommunicationem servandis.)

Haec quae sequuntur Capitula constituta sunt à Domno nostro Karolo, Rege glorioso et consensu Episcoporum, ac caeterorum Dei et suorum Fidelium qui adfuerunt in loco qui dicitur* Pistis, *anno Incarnationis Dominicae DCCCLXIX, anno autem regni sui XXX, Indictione secunda, et ab eo denuntiata sunt à se et ab omnibus fidelibus suis, secundum uniuscuiusque ordinem et personam, inviolabiliter conservanda.

I. De honore et cultu Dei, atque sanctarum Ecclesiarum in regno nostro, decernimus ut sicut tempore avi et patris nostri excultae et honoratae fuerunt, et sicut à nostra largitate honoratae et ditatae sunt, vel deinceps fuerint, salva aequitatis ratione, ita sub immunitate permaneant. Archiepiscopi quoque et Episcopi, et caeteri Sacerdotes ac servi et ancillae Dei, quique vel quaeque in ordinis sui dignitate, honorem atque immunitatem secundum sacras Leges et Canones habeant.

II. Ut ab Archiepiscopis et Episcopis, et ab aliis fidelibus nostris, honor regius et potestas, ac debita obedientia atque adiutorium ad regnum nostrum continendum et defensandum, nobis in omnibus et ab omnibus secundum uniuscuiusque ordinem et dignitatem atque possibilitatem, sicut tempore antecessorum nostrorum iuste et rationabiliter consueverat, exhibeatur.

III. Ut omnes nostri fideles veraciter sint de nobis securi quia, quantum sciero, et iuste ac rationabiliter potuero, Domino adiuvante, unumquemque secundum sui ordinis dignitatem et personam honorare et salvare, et honoratum ac salvatum conservare, volo, et unicuique eorum in suo ordine secundum sibi competentes leges, tam mundanas quam ecclesiasticas, rectam rationem et iustitiam conservabo: et nullum fidelium nostrorum contra legem et iustitiam, vel auctoritatem ac iustam rationem, aut damnabo aut dehonorabo, aut opprimam, aut indebitis machinationibus affligam; et legem, ut praediximus, unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore antecessorum meorum habuerunt, in omni dignitate et ordine, adiuvante Domino, conservaturum perdono, cuilibet duntaxat ex eis qui mihi fideles et obedientes, ac veri adiutores atque cooperatores iuxta suum ministerium et personam, consilio et auxilio secundum suum scire et posse, et secundum Deum ac secundum seculum fuerint, sicut per rectum unusquisque in suo ordine et statu Regi suo et suo Seniori esse debet. Et Capitula quae avus et pater noster pro statu et munimine sanctae Dei Ecclesiae ac ministrorum eius, et pro pace ac iustitia populi et quiete regni, constituerunt, et quae nos cum fratribus nostris Regibus, et nostris ac eorum fidelibus, communiter constituimus, sed et quae nos consilio et consensu Episcoporum, ac caeterorum Dei et nostrorum fidelium, pro suprascriptis causis in diversis placitis nostris conservanda statuimus, permanere inconvulsa decernimus.

IV. Ut quia regia nostra potestas hoc, adiuvante Domino, exequi per omnia cupit, regni Ministris, quantum Deus scire et posse illis donaverit, Episcopis et caeteris Sacerdotibus ac servis et ancillis Dei, ut suum ministerium implere possint, sicut ab antecessoribus nostris Imperatoribus et Regibus et à nobis constitutum est, adiutorium praestent, et sanctis Ecclesiis et Sacerdotibus ac servis et ancillis Dei, secundum sacras leges tam mundanas quam ecclesiasticas, et secundum Capitula avi et patris nostri ac nostra, debitum honorem et immunitatem conservent et exhibeant, ut quiete pro stabilitate regni, ac nostra et illorum salute, Dominum exorare possint.

V. Ut Episcopi Comitibus, Missis, et vassis nostris, sed et ipsis suis subditis, tam Clericis quam laicis, et Comitum ac vassallorum nostrorum hominibus, paternam benignitatem secundum suum ministerium, et debitum honorem ac legem et iustitiam, unicuique secundum suum ordinem ac dignitatem impendant et conservent, sicut sacrae leges tam mundanae quam ecclesiasticae, et Capitula avi et patris nostri decernunt, et sicut in Capitulis à nobis et à fratribus nostris Regibus ac communibus fidelibus nostris est constitutum, et sicut temporibus avi et patris nostri iusta et rationabilis consuetudo fuit. Similiter Comites et Missi ac vassi nostri Episcopis ac Presbyteris debitam reverentiam, et vassallis Episcoporum legem et iustitiam, et debitum honorem impendant secundum praefatas leges et praefata Capitula ac praefatam consuetudinem.

VI. Ut si Episcopi suis Clericis iniuste fecerint, secundum quod sacri Canones et sacrae leges, quas Ecclesia catholica probat et servat, praefigunt, hoc eorum iudicio, quorum interest, emendare procurent.

VII. Ut si Episcopi suis laicis iniuste fecerint, et ipsi laici se ad nos inde reclamaverint, nostrae regiae potestati secundum nostrum et suum ministerium ipsi Archiepiscopi et Episcopi obediant, ut secundum sanctos Canones, et iuxta leges quas Ecclesia catholica probat et servat, et secundum Capitula avi et patris nostri hoc emendare curent, et sicut temporibus avi et patris nostri iusta et rationabilis consuetudo fuit.

VIII. Ut Presbyteri parochiani sui Senioribus debitam reverentiam, et competentem honorem atque obsequium, secundum suum ministerium impendant, sicut in Legibus sacris et in praefatis Capitulis continetur, et sicut temporibus avi et patris nostri iusta et rationabilis consuetudo fuit. Quod si ipsi Presbyteri non fecerint, Seniores illorum Epsicopis, non per occasionem aut malitiam, sed per rationem et veritatem, hoc innotescere studeant; et Episcopi Presbyteros secundum suum ministerium et leges ecclesiasticas taliter castigent, ut hoc illos emendare delectet; qualiter cum necessaria benignitatis concordia et illi pro Senioribus suis orare, et Seniores illorum sacra officia et divina mysteria puro corde per illos suscipere possint.

IX. Ut si Abbates, vel Abbatissae, aut Comites, seu vassi nostri, aut caeteri laici Clericos probabilis vitae et doctrinae Episcopis canonice consecrandos, suisque in Ecclesiis constituendos, obtulerint, nulla qualibet occasione eos Episcopi vel ministri eorum reiiciant; et Episcopi praevideant quem honorem Presbyteri pro Ecclesiis suis Senioribus suis tribuere debent. Et Episcopi parochias et deci-

mas antiquis Ecclesiis servent; et Seniores immunitatem de manso ad Ecclesiam dato conservent: et non sine auctoritate vel consensu Episcoporum, Presbyteri in quibuslibet Ecclesiis constituantur vel expellantur, sicut in primo libro Capitulorum avi et patris nostri, et sicut in Capitulis patris nostri, anno XVI imperii eius factis, continetur. Et Senioribus Presbyterorum hoc sufficiat, et amplius per ingeniosas machinationes à Presbyteris non exigant vel exquirant, nisi sicut in eisdem Capitulis avi et patris nostri ac nostris est constitutum, ne Deum offendant, et pro lucro terreno, quod absit, suas animas perdant, et nostram offensam incurrant, ac post debitam emendationem dignam harmiscaram à nobis dispositam sustineant. Et Episcopi tàm Seniores Presbyterorum quam Presbyteros, sed et seipsos custodiant ne laici per ignorantiam, et Presbyteri per necessitatem, et ipsi Episcopi vel ministri eorum per cupiditatem et avaritiam, quod absit, in simoniacam haeresim cadant; quia, ut sanctus Gregorius dicit, qui praemio vel gratia, aut supplicatione indebita, ad sacros ordines accedit vel promovetur, haereticus à Domino deputatur, tám ille qui promovetur, quam ille à quo taliter promovetur, et cuius interventu taliter promovetur; et qui pro tali ordinatione inlicita quolibet malo ingenio, quod Deum latere non potest, aliquid dederit vel acceperit, vel mediator factus fuerit, à Deo, sicut Canones Dei spiritu conditi demonstrant, condemnátur per illorum iudicium qui cum Deo in coelis regnant et in terris miraculis corruscant. Damnantur utique in praesenti seculo, comburendi igne perpetuo, tales negotiatores pravi, cum quod iuste benemeritis dare gratis debent, iustitiam, sicut Iudas Christum, qui (ut dicit Apostolus) factus est nobis à Deo iustitia, vendidit, ita et isti Deum patrem omnipotentem, et eandem iustitiam Christum, atque consubstantialem illis Sanctum Spiritum, qui per impositionem manuum Sacerdotalium hominibus tribuitur, quoniam sanctae Trinitatis uná est natura, voluntas, et operatio, gradus ecclesiasticos temporali commodo dantes vel accipientes vendunt; et qui pretium proinde donant, emunt peccatum, et haeretici fiunt; et qui praemium proinde accipiunt, sicut idem sanctus demonstrat Gregorius, facti et ipsi haeretici eos malitiae suae gladiis occidunt quos vivificare orationis suae intercessione debuerunt.

X. Ut nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem antequam causa probetur propter quam ecclesiastici Canones hoc fieri iubent, et donec illum qui peccavit, et inde aut sponte confessus aut aperte convictus fuerit, secundum evangelicum *m*) praeceptum, ut ad emenda-

m) al. ms. *ecclesiasticum.*

tionem et poenitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccator, si commonitus de certa et manifesta causa ut ad emendationem et correptionem redeat, inobediens et incorrigibilis permanserit, et ad emendationem redire noluerit, et excommunicationem canonicam de causis designatis et manifestis parvipenderit, regiam vel reipublicae potestatem per se vel per ministros suos, aut per litteras suas, Episcopus adeat, ut constringatur, quatenus ad emendationem ac poenitentiam isdem peccator redeat; ne dicatur nobis à Domino quod olim populo veteri ab eo legimus dictum: *Anathema in medio tui. Non poteris stare coram inimicis tuis.* Si autem idem peccator de manifesta et comprobata, vel à se sponte confessa causa, ad poenitentiam venire voluerit, sed ipsam poenitentiam propter faidam secundum canones suscipere et quiete agere non potuerit, Episcopus per se vel per ministros, aut per litteras suas, regiam nostram vel reipublicae nostrae potestatem adeat, ut ipsa faida secundum constitutionem avi et patris nostri legaliter pacificetur, aut iuxta leges secundum quas in aliis regionibus quilibet vivunt, sedetur. Et tunc peccator medicinam poenitentiae secundum sacros Canones, cum pia et salubri discretione, secundum regulas sacras suscipiat et peragat, et reconciliationem atque communionem percipiat, sicut in eisdem sacris regulis discretissime et misericorditer continetur.

XI. Ut Comites et Missi ac vassi nostri, et ministeriales regni nostri, unusquisque secundum ordinem et dignitatem ac possibilitatem suam, pacem et iustitiam in suis ministeriis faciant, et iuste omnes sub Dei respectu iudicent, attendentes quod Dominus omnibus iudicantibus dicit: *In quo iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis.* Et: *Beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam in omni tempore.*

XII. Ut Episcopi atque Abbates et Comites ac vassi nostri et omnes fideles laici, concordi dilectione et unanimi voluntate ad Dei et sanctae Ecclesiae ac nostrum et regni nostri honorem et statum, atque communem nostram salvationem, sine invidia et malivolentia atque indebita contentione, communiter decertare procurent ut pax et iustitia, et vera cum Dei voluntate concordia, inter nos omnes et in regno nostro maneat; quia, sicut sancta Scriptura dicit, *iustitia elèvat gentem, miseros facit populos peccatum.* Et ubi non est vera cum Dei voluntate concordia, ibi nisi ad iudicium non habitat Deus, qui, sicut Psalmus dicit, *facit unanimes habitare in domo*, id est, in sancta Ecclesia. In qua fideliter consistentibus spiritum caritatis infundit; qui propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis; et cum essemus mortui in peccatis nostris, convivificavit nos in semetipso, ut essemus sancti et

immaculati in conspectu eius in caritate, et simus sectatores bonorum operum, in quibus cum fide recta perseverantes perveniamus omnes, ipso praeveniente, adiuvante, et subsequente, ad regnum coelorum.

XIII. Episcopi privilegia Romanae Sedis et Regum praecepta Ecclesiis suis confirmata vigili solertia custodiant, ut exinde auctorabili firmitate tueantur. Nonas et decimas, unde statutum est, absque alicuius contradictu recipiant. De terris censalibus et potestate Ecclesiae suae, et culturis indominicatis et absitatibus et manufirmatis maior Ecclesia, quae caput episcopatus est, decimam recipiat: similiter et de carruca indominicata. De mansis hereditariis Presbyter parochiae, sicut constitutum est, decimum consequatur. Et ne de hoc contentio oriatur, summopere cavendum est. *n)*

Adnuntiatio Karoli Regis.

I. Volumus vos scire quia secundum consuetudinem antecessorum nostrorum consideravimus in hoc placito, cum Episcopis et caeteris fidelibus nostris, de honore sanctae Ecclesiae, et Episcoporum ac caeterorum servorum Dei, ut debitum honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt. Et hominibus fidelibus nostris, unicuique in suo ordine, legem et iustitiam conservabimus, sicut eorum antecessores tempore antecessorum nostrorum habuerunt.

II. Et volumus atque iubemus ut vassalli Episcoporum, Abbatum, et Abbatissarum, atque Comitum, et vassorum nostrorum, talem legem et iustitiam apud Seniores suos habeant sicut eorum antecessores apud illorum Seniores tempore antecessorum habuerunt. Et si aliquis Episcopus, Abbas, aut Abbatissa, vel Comes ac vassus noster, suo homini contra rectum et iustitiam fecerit, et se inde ad nos reclamaverit, sciat quia sicut ratio et lex atque iustitia est, hoc emendare faciemus.

III. Et volumus atque iubemus ut Episcopi atque Abbates, Comites, ac vassi nostri, concordi dilectione et unanimi voluntate ad Dei et sanctae Ecclesiae ac nostrum et regni nostri honorem et statum, atque communem nostram salvationem, decertare procurent ut pax et iustitia, et vera cum Dei voluntate concordia, inter nos omnes et in regno nostro maneat, et omnes ita sint semper parati, ut si nobis necessitas evenerit, ad defensionem patriae contra Paganos aut contra alios Dei et nostros inimicos, sicut consuetudo fuit tempore antecessorum nostrorum, absque mora, statim ut eis nuntiatum fuerit, possint venire.

---

n) Hoc caput in uno tantum Codice inventum est.

IV. Et volumus ut sciatis quia commendamus ut unusquisque de sua opera tale certamen habeat sicut scit necesse esse ad defensionem istius sanctae Dei Ecclesiae, secundum nostram commendationem. Gratias vobis agimus quia fideliter secundum nostram commendationem in nostro venistis servitio. Et ite cum Dei gratia sani et salvi, et Deus nobis concedat ut iterum cum sanitate et gaudio ad suam voluntatem reconiungamur.

TITULUS XLI.

Quando Karolus Rex metis coronatus est in regno Hlotharii.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXIX, indictione secunda, V. Idus Septembris, Mettis civitate in Ecclesia sancti Stephani martyris, haec quae sequuntur Capitula Adventius, Episcopus ipsius civitatis, coram Rege et Episcopis qui adfuerunt, populo et scripto et verbis denuntiavit.

I. Vos scitis, et multis in plerimis regnis est cognitum, quantos et quales eventus tempore Senioris nostri, quem hactenus habuimus, pro causis notissimis communiter sustinuimus, et quanto dolore quantaque angustia de illius infausta morte nuper cordibus perculsi sumus. Unde unicum refugium et singulariter salubre consilium, Rege et Principe nostro destituti ac desolati, nobis omnibus esse consideravimus ut ieiuniis et orationibus ad eum nos converteremus qui est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, et cuius est consilium, ac cuius est regnum, et ut scriptum est, cui voluerit dabit illud, et in cuius manu corda sunt Regum, et facit unanimes habitare in domo, solvens medium parietem, et faciens utraque unum; deprecantes ipsius misericordiam ut daret nobis Regem ac Principem secundum cor suum, qui in iudicio et iustitia nos in omni ordine ac professione regeret, salvaret, atque defenderet iuxta voluntatem eius, et corda omnium nostrorum unanimiter in eum inclinaret atque uniret, quem ipse ad salutem et profectum nostrum praescitum et electum atque praedestinatum habebat secundum misericordiam suam.

II. Quia denique voluntate Dei, qui voluntatem timentium se facit, et deprecationes eorum exaudit, in concordi unanimitate nostra videmus hunc regni huius heredem esse legitimum, cui nos sponte commisimus, Domnum videlicet praesentem Regem ac Principem nostrum Karolum, ut nobis praesit et prosit, videtur nobis, si vobis placet, ut

sicut post illius verba vobis manifestabimus, signo certissimo demonstremus quia illum à Deo electum et nobis datum Principem credimus, et eidem largitori Deo ex suis beneficiis non simus ingrati; sed gratiarum actiones illi referentes, oremus quatenus et eum nobis ad salutem et defensionem sanctae suae Ecclesiae, et ad auxilium atque profectum omnium nostrum, cum salute ac pace et tranquillitate, nobis conservet diutius; et nos fideli devotione illi obsequentes, atque optata salvatione fruentes sub illius administratione, in suo gubernet servitio.

III. Et si illi placet, dignum ipsi et necessarium nobis esse videtur ut ex eius ore audiamus quod à Christianissimo Rege fideli et unanimi in servitio illius populo, unicuique in suo ordine, convenit audire ac devota mente suscipere.

Post haec Rex Karolus haec quae sequuntur per se in eadem Ecclesia cunctis qui affuerunt, denuntiavit.

Quia sicut isti venerabiles Episcopi unius ex ipsis voce dixerunt, et certis indiciis ex vestra unanimitate monstraverunt, et vos acclamastis, me Dei electione ad vestram salvationem et profectum, atque regimen et gubernationem, huc advenisse, sciatis me honorem et cultum Dei atque sanctarum Ecclesiarum, Domino adiuvante, conservare, et unumquemque vestrum secundum sui ordinis dignitatem et personam, iuxta meum scire et posse, honorare et salvare et honoratum ac salvatum tenere velle, et unicuique in suo ordine secundum sibi competentes leges, tam ecclesiasticas quam mundanas, legem et iustitiam conservare; in hoc ut honor regius et potestas, ac debita obedientia, atque adiutorium ad regnum mihi à Deo datum continendum et defensandum, ab unoquoque vestrum secundum suum ordinem et dignitatem atque possibilitatem mihi exhibeatur, sicut vestri antecessores fideliter, iuste et rationabiliter, meis antecessoribus exhibuerunt.

Et posthaec Hincmarus, Remorum Episcopus, haec quae sequuntur Capitula, iubente ac postulante Adventio, ipsius civitatis Episcopo, ac caeteris Episcopis Trevirorum provinciae, Attone scilicet Ecclesiae Viridunensis Episcopo, et Arnulfo Tullensis civitatis Episcopo, Francone Tungrensis civitatis Episcopo, conhibentibus provinciae Remorum Episcopis, coram Episcopis et Rege, cunctisque qui publice adfuerunt in eadem Ecclesia, publice denuntiavit.

I. Ne alicui forte videatur incongrue ac praesumptiose me ac provinciae nostrae venerabiles coepiscopos facere, quoniam de altera provincia ordinationi et causis huius provinciae nos immiscemus, sciat nos contra Canones sacros

non agere, quoniam Remensis et Treverensis Ecclesiae in hac regione Belgica cum sibi commissis Ecclesiis sorores et comprovinciales habentur, sicut auctoritas ecclesiastica et antiquissima demonstrat consuetudo. Ac per hoc unanimi consensu et synodalia iudicia exercere, et quae à sanctis Patribus constituta sunt, debent concorditer custodire; hac privilegii conditione servata, ut qui prior de Remensi et Treverensi Episcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur.

II. Et lex divinitus inspirata praecipit dicens: *Si transieris per messem amici tui colligens spicas, manu confricabis ad manducandum, falcem autem non mittas*, vel *falce non metas.* Messis est populus, ut Dominus monstrat in Evangelio dicens: *Messis quidem est multa, operarii autem pauci. Rogate dominum messis ut mittat operarios in messem suam;* quia vos pro nobis Episcopis debetis orare, ut vobis digna possimus loqui. Messis autem amici est populus in provincia alteri Metropolitano commissa. Unde vos hortando, quasi manu operis confricando, ad Dei voluntatem et vestram salutem in corpus unitatis Ecclesiae valemus et debemus traicere. In parochianos autem provinciarum aliis Metropolitanis commissarum falcem iudicii non mittimus, quia nec est unde, nec nostrum esse consideramus.

III. Est et alia causa, quia isti venerabiles Domini et confratres nostri provinciae istius Episcopi, non habentes metropolitanum Episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut et in specialibus nostris causis, nos fraterna caritate iubent et commonent agere. Est ita, Domini fratres? Et responderunt ipsi Episcopi: Ita est.

IV. Praeter ea quae Domnus Episcopus et frater noster Adventius vobis ex sua, et caeterorum suorum ac nostrorum fratrum et venerabilium Episcoporum voce, dixit, in hoc etiam animadvertere potestis voluntatem Dei esse ut praesens Domnus et Rex noster, qui in parte regni quam hactenus tenet et tenuit, et nobis ac Ecclesiis nostris et populo sibi commisso utiliter praeest ac praefuit, et salubriter prodest et profuit, inde ad hunc locum Domino ducente pervenerit, (quo etiam vos eius inspiratione confluxistis, et ipsi vos sponte commendastis, cuius instinctu animantia omnia in arcam Noe, significantem Ecclesiae unitatem, nullo cogente convenerunt) quia sanctae memoriae pater suus Dominus Hludouvicus, pius Imperator Augustus, ex progenie Hludouvici Regis Francorum inclyti, per beati Remigii Francorum Apostoli Catholicam praedicationem cum integra gente conversi, et cum tribus Francorum millibus, exceptis parvulis et mulieribus, vigilia sancti Paschae in Remensi metropoli baptizati, et coelitus sumpto chrismate, unde adhuc habemus, peruncti et in regem sacrati, exortus per beatum Arnulfum, a cuius

carne idem Hludouvicus pius Augustus originem duxit carnis, et a Stephano Papa Romano ante sanctae Dei genitricis et semper virginis Mariae altare Remis in Imperatorem est coronatus, et demum factione quorumdam terreno imperio destitutus, in praedictam regni partem unanimitate Episcoporum et fidelis populi ante sepulchrum sancti Dionysii eximii martyris, Ecclesiae sanctae est redditus; et in hac domo, ante hoc altare protomartyris Stephani, cuius nomen interpretatum, resonat coronatus, per Domini Sacerdotes, acclamatione fidelis populi, sicut vidimus qui adfuimus, corona regni est imperioque restitutus. Et quia, ut in historiis sacris legimus, Reges quando regna obtinuerunt, singulorum regnorum sibi diademata imposuerunt, non incongruum videtur istis venerabilibus Episcopis, si vestrae unanimitati placet, ut in obtentum regni, unde vos ad illum sponte convenistis, et ei vos commendastis, sacerdotali ministerio ante altare hoc coronetur, et sacra unctione Domino consecretur. Quod si vobis placet, propriis vocibus consonate. Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem Episcopus: Agamus ergo unanimiter Deo gratias, decantantes, *Te Deum laudamus.*

Et post haec ab Episcopis cum benedictione sacerdotali est idem Rex coronatus.

TITULUS XLII.

PACTIO AQUISGRANENSIS.

Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCLXX, *Indictione* III. *pridie nonas Martii, anno* XXXII. *Karoli gloriosi Regis, Aquisgrani palatio hae pactiones inter ipsum et Hludouvicum Regem fratrem ipsius factae sunt.*

INGELRAMNUS COMES EX PARTE KAROLI REGIS.

Sic promitto ex parte Senioris mei quod Senior meus Karolus Rex fratri suo Hludouvico Regi talem portionem de regno Hlotharii Regis consentit habere qualem aut ipsi iustiorem, et plus aequaliorem, aut communes fideles eorum inter se invenerint. Nec eum in ipsa portione, vel in regno quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet aut forconsiliabit, si frater suus Hludouvicus eandem firmitatem, et fidelitatem, quam ex parte Senioris mei illi habeo promissam, iste frater suus Hludouvicus Seniori meo ex parte sua, quandiu vixerit, inviolabiliter servaverit.

Item Leutfridus Comes ex parte Hludouvici Regis.

Sic promitto ego ex parte Senioris mei quod Senior meus Hludouvicus Rex fratri suo Karolo Regi talem portionem de regno Hlotharii Regis consentit habere, qualem aut ipsi iustiorem, aut plus aequaliorem, aut communes fideles eorum inter se invenerint. Nec eum in ipsa portione, vel in regno quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet aut forconsiliabit, si frater suus Karolus eandem firmitatem et fidelitatem quam ex parte Senioris mei illi habeo promissam, iste frater suus Karolus Seniori meo ex sua parte quandiu vixerit, inviolabiliter servaverit.

Haec eadem tertius Theodoricus Comes ex parte gloriosi Regis Karoli, et quartus Radulfus Comes ex parte Hludouvici prosecuti sunt.

Isti praesentes fuerunt, Leutbertus Archiepiscopus, Altfridus Episcopus, Odo Episcopus, Adalelmus Comes, Ingelramnus Comes, Liutfridus Comes, Theodoricus Comes, item Adalelmus Comes.

TITULUS XLIII.

Divisio Regni Hlotharii.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXX, *regni Karoli* XXXIII, *Indictione* III, VI. *Idus Augusti*, *inter gloriosos Reges Karolum et Hludouvicum fuit haec divisio regni facta in Procaspide super fluvium Mosam.*

Et haec est portio quam sibi Hludouvicus accepit.

Coloniam.
Treveris.
Uttrech.
Stratsburch.
Basulam.
Abbatiam Sivestre.
Berch.
Niu Monasterium.
Castellum.
Indam.
Sancti Maximini.
Ephternacum.
Horream.
Sancti Gangulfi.
Faverniacum.
Polemniacum.
Luxovium.
Luteram.
Balmam.
Olfonis villam.
Megeni Monasterium.
Sancti Deodati.
Bodonis Monasterium.
Stivagium.
Romerici montem.
Morbach.
Sancti Gregorii.
Mauri Monasterium.
Eboresheim.
Homowa.
Masonis Monasterium.
Homburch.

Sancti Stephani in *Strastburch*.
Erenstein.
Sancti Ursii in Salodoro.
Grandivallem.
Altam petram.
Iustenam.
Vallem Clusae.
Castellum Carnones.
Heribodesheim.
Abbatiam de Aquis.
Hoenchirche.
Augustchirche.
Comitatum Testrebant.
Batua.
Hattuarias.
Masau subterior de ista parte.
Item Masau superior, quod de ista parte est.
Lingas quod de ista parte est.
Districtum Aquense.
Districtum Trectis.
In Ripuarias Comitatus v.
Megenensium.
Bedagowa.
Nitachowa.
Sarachowa subterior.
Blesitchowa.
Selme.
Albechowa.
Suentisium.
Calmontis.
Sarachowa superior.
Odornense, quod Bernardus habuit.
Solocense.
Basiniacum.
Elischowe.
Warasch.
Scudingum.
Emaus.
Basalchowa.
In Elisatio Comitatus II.
De Frisia duas partes.

De regno quod Hlotharius habuit super istam divisionem, propter pacis et caritatis custodiam, superaddidimus istam adiectionem.

Civitatem Mettis, cum Abbatia sancti Petri et sancti Martini et Comitatu *Moslensi*, cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis quam et vassallorum. De Arduenna, sicut flumen Urta surgit inter Bislanc et Tumbas, ac decurrit in Mosam, et sicut recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes fideles nostri rectius invenerint; excepto quod de Condustro est ad partem Orientis trans Urtam Et Abbatias Prumiam et Stabolau, cum omnibus villis dominicatis et vassallorum.

ET HAEC EST PORTIO QUAM KAROLUS DE EODEM REGNO SIBI ACCEPIT.

Lugdunum.
Vesontium.
Viennam.
Tungris.
Tullum.
Viridunum.
Cameracum.
Vivarias.
Ucetia.
Montem Falconis.
Sancti Michaelis.
Culdini Monasterium.
Sanctae Mariae in Bisinciono.
Sancti Martini eodem loco.
Sancti Augentii.
Sancti Marcelli.
Sancti Laurentii Leudensi.
Sennonem.

Abbatiam Mellam.
Molbarium.
Laubias.
Sancti Gaugerici.
Sancti Salvii.
Crispinno.
Fossas Marilias.
Hunulcurt.
Sancti Servatii.
Maalinas.
Ledi.
Sumniacum.
Antonium.
Condatum.
Merrebecchi.
Ticlivinni.
Luitosa.
Calmontis.
Sancta Maria in Deonant.
Echa.
Andana.
Wasloi.
Altum montem.
Comitatum Texandrum.
In Bracbanto Comitatus quatuor.
Cameracensium.
Hanioum.
Lomensem.
In Hosbanio Comitatus quatuor.
Masau superior de ista parte Mosae.
Masau subterior, quantum de ista parte est.
Liugas quod de ista parte Mosae est, et pertinet ad Velsatum.
Scarponinse.
Viriduninse.
Dulminse.
Arlon.
Vaurense Comitatus duos.
Mosminse.
Castricium.
Condrust.
De Arduenna, sicut flumen Urta surgit inter Bislanc et Tumbas, ac decurrit ex hac parte in Mosam, et sicut recta via ex hac parte occidentis pergit in Bedensi, secundum quod Missi nostri rectius invenerint.
Tullense.
Aliud Odornense, quod Termarus habuit.
Barrense.
Portense.
Salmoringum.
Lugdunense.
Viennense.
Vivarias.
Vicetiam.
De Frisia tertiam partem.

Et in crastina, scilicet IV. Idus eiusdem mensis, simul convenerunt, et valefacientes se mutuo ab invicem discesserunt, Hludouvicus videlicet Aquis rediens; et Karolus Leptinis uxorem suam obviam sibi venire iubens: partem ipsius regni quam accepit, sicut placuit sibi divisit.

TITULUS XLIV.

APUD GUNDULFI VILLAM.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXII. *Indictione quinta, quinto Idus Septembris, in placito generali apud Gundulfi villam, cum Hludouvicus sacramenta superius scripta disrupisset et aequivoco suo itidem Hludouvico Imperatori se coniunxisset, et sacramenta quae superius scripta sunt fieri iussisset, Ingilberga Regina et legatis sedis Apostolicae, Formoso scilicet et Gaderico, praesentibus, hac tempestate urgente, Episcopi omnes ex regno gloriosi Regis Karoli hanc professionem infra scriptam fecerunt, et omnes laici hoc sacramentum similiter infra scriptum iuraverunt.*

PROFESSIO EPISCOPORUM.

Quantum sciero et potuero, adiuvante Domino, consilio et auxilio secundum meum ministerium fidelis vobis adiutor ero, ut regnum quod vobis Deus donavit vel donaverit, ad ipsius voluntatem et sanctae Ecclesiae ac debitum regium honorem vestrum et vestram fideliumque vestrorum salvationem habere et obtinere et continere possitis.

SACRAMENTUM LAICORUM.

Quantum sciero et potuero, adiuvante Domino, consilio et auxilio fidelis vobis adiutor ero, ut regnum quod habetis ad Dei voluntatem et sanctae Ecclesiae et vestrum honorem atque ad vestram salvationem continere possitis, et quod Deus adhuc vobis concesserit, adquirere et contra omnes homines defendere valeatis.

GENERALE OMNIUM FIDELIUM.

Sic promitto ego quia de isto die inantea isti Seniori meo, quandiu vixero, fidelis et obediens et adiutor quantumcunque plus et melius sciero et potuero et consilio et auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero absque fraude et malo ingenio, et absque ulla dolositate vel seductione seu deceptione, et absque respectu alicuius personae; et neque per me, neque per Missum, neque per litteras, sed neque per emissam seu intromissam personam, vel quocunque modo ac significatione contra suum honorem et sanctae Ec

clesiae atque Regni illi commissi quietem et tranquillitatem atque soliditatem machinabo vel machinanti consentiam; neque umquam aliquod scandalum movebo quod illius praesenti vel futurae saluti contrarium vel nocivum esse possit. Sic me Deus adiuvet et ista Sanctorum patrocinia.

TITULUS XLV.

APUD CARISIACUM.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXIII. *regni vero Domni Karoli* XXXIII *Indictione* V. *haec Capitula quae sequuntur, ab eodem Rege statuta sunt in Placito generali apud Carisiacum, omnium cum voluntate et consensu, et a praefato Rege et ab omnibus qui praesentes fuerunt confirmata.*

I. Quia necesse est ut quod male reincrescit, iterum recidatur, de constitutionibus antecessorum nostrorum et nostris, quae in illorum et nostris Capitulis constitutae sunt, ad resecanda mala quae specialiter iterum remergunt, Missis et Comitibus nostris firmiter exequenda proponimus, id est, ut quando Missi vel Comites nostri latronem vel aliquem malefactorem vel infidelem nostrum forbannierint, hoc nobis in nostro palatio et aliis Missis et Comitibus scire faciant, ut si ad nostram curtem venerit, inde faciamus quod nostrum est. Et si de uno missatico vel comitatu in alium missaticum vel comitatum fugerit, Missus vel Comes in cuius missaticum fugerit, per fideiussores constringat ut velit nolit illuc reveniat et ibi malum emendet ubi illud perpetravit. Et si fideiussores non habuerit, sub custodia illum habeat, donec ad illum Comitem, in cuius comitatu forbannitus fuerit, illum revenire faciat. Et si alodem habuerit vel in illo comitatu unde fugit, vel in illo comitatu ad quem fugit, Comes ipsum alodem in fiscum recipiat. Et qui talem forbannitum receperit, secundum quod constitutum est in Capitularibus avi et patris nostri in libro tertio, si francus est, cum duodecim similibus francis iuret quod ipsum latronem vel forbannitum esse non scisset, licet pater eius sit, aut frater, aut propinquus. Si hoc iurare non potuerit, vel ab alio convictus fuerit quod latronem vel malefactorem aut infidelem nostrum forbannitum in hospitio suscepisset, sicut ipse forbannitus et ut infidelis iudicetur.

II. Ut Comites et Missi nostri maximam curam adhibeant quatinus in illorum comitatibus et missaticis populus

iustitiam et pacem habeat, et de latronibus exturbandis maximum certamen habeant. Et si talis malefactor aut infidelis noster emerserit ut per se illum comprehendere Comes in suo comitatu non possit, accipiat homines tam nostros quam Episcoporum vel Abbatum et Abbatissarum in suo comitatu commanentes, et sic illum persequatur donec comprehendat. Et qui ad talem malefactorem accipiendum vocatus fuerit, et se inde retraxerit ut ad hoc adiutorium non praestet, si liber homo fuerit, bannum dominicum componat; et si colonus fuerit, sexaginta ictus accipiat. Et si talis malefactor in illa persecutione occisus fuerit, qui eum occiderit leudem inde non solvat, et nullus illi inde faidam portare praesumat. Quod si quis facere praesumpserit, per certos fideiussores ad nostram praesentiam perducatur.

III. De illis liberis hominibus qui infames vel clamodici sunt de testeiis vel latrociniis et rapacitatibus et assalturis vel de infidelitate nostra, et cum furto non comprehenduntur, si eis iam vita perdonata est propter aliquod malefactum, fiat de illis sicut in Capitulari avi et patris nostri continetur in libro III. capitulo XLVII. et si iam de latrocinio revicti sunt, fiat de illis sicut de revictis. Si autem illis adhuc vita perdonata non fuit, et revicti non sunt, et res et mancipia vel mobile habent, fiat de illis sicut in quarto libro Capitulorum capitulo XXIX. dicitur, cum ad mallum Comitis venerint. Si autem ad mallum non venerint, banniantur, et per res et mancipia vel mobile distringantur ut veniant. Si autem non venerint, fiat de illis sicut in Capitulari continetur. Et si post secundam Comitis admonitionen ad mallum venire noluerint, rebus eorum in bannum missis venire et iustitiam reddere compellantur. Et si talis est quem aut parentes aut propter faidam homines accusare noluerint aut ausi non fuerint, et cum malefacto comprehensus non fuerit et negaverit, iuret cum duodecim talibus francis, quorum testimonium leges publicae non reiciunt, quod testeiam vel latrocinium aut rapinam non fecerit; et post haec iuret ipse tantum quod deinceps testeiam vel latrocinium non faciet, neque facienti consentiet, et si scierit qui haec fecerit, illis ministris nostris, per quos talis causa emendari debet, non celet Et qui res et mancipia vel mobile non habent per quae distringi possint ut ad mallum veniant, et ibi aut se legaliter, ut praemisimus, excondicant, aut si se excondicere non potuerint, quod male fecerint legaliter emendent. Post secundam bannitionem Comitis si ad mallum non venerint, comprehendantur secundum praefatum Capitulare libri tertii capitulo LVI. quo dicitur de latronibus qui magnam habent blasphemiam. Quicunque aliquem ex his comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur. Comprehensus

autem, si fideiussores habere potuerit, per fideiussores ad mallum adducatur; si fideiussores habere non potuerit, a ministris Comitis custodiatur, et ad mallum perducatur. Et si aliquis eum accusaverit, fiat de illo secundum praefatum capitulum libri Capitularis Si autem eum nullus accusaverit, excondicat se praedicto modo, et iuret quod deinceps testeiam vel latrocinium non faciet, neque facienti consentiet, et si scierit qui hoc faciet, non celet ministris regni per quos talis causa emendari debet. Si vero tales, ut praediximus, ad mallum adduci non potuerint, in forbannum mittantur, et de his Missi vel Comites, sicut supradiximus, faciant; et de illis qui tales receperint, sicut praescripsimus, fiat. Si autem fiscalinus noster ita infamis in fiscum nostrum confugerit, vel colonus de immunitate in immunitatem confugerit, mandet Comes iudici nostro vel advocato cuiuscunque casae Dei ut talem infamem in mallo suo praesentet. Et si talem praesentaverit, si aliquis eum comprobare volu rit, faciat: et si nullus eum comprobare voluerit, tamen suam infamiam ad Dei iudicium purget, et per illud Dei iudicium aut liberetur aut condemnetur. Si autem iudex noster vel advocatus de casa Dei commonitus talem blasphemum Comiti in mallo suo non praesentaverit, fiat inde secundum Capitulare libri tertii Capitulo XXVI. Et si servus alicuius ita clamosus est, Comes dominum servi commoneat ut eum in mallo praesentet, et praesentatum si aliquis comprobare voluerit, faciat. Et si nullus eum comprobare voluerit, ad Dei iudicium praedicto modo se examinet, et per illud Dei iudicium aut liberetur aut condemnetur. Si autem dominus servi eundem servum suum Comiti in mallo praesentare noluerit, fiat inde secundum Capitulare libri tertii capitulo XLVI.

IV. De illis hominibus qui cum Carlomanno praeteritis annis tanta mala et scelera in regno nostro fecerunt, sicut tunc et verbis et scriptis praecipimus, ita Comites et Missi nostri exequantur in eos in quibus nostra iussio, quam consilio fidelium nostrorum iuss·mus, executa non est. Id est, ut fidelitatem nobis promittant, sicut tunc scarivimus, et scriptam Comitibus nostris dedimus. Et cui aliquid abstulerunt, aut emendent aut deprecentur, et poenitentiam faciant, sicut tunc constitutum fuit. Et qui Seniores, sicut tunc praecepimus, acceptos non habent, per fideiussores ad nostram praesentiam perducantur, et alodes quos habent Comites. in quorum comitatibus sunt, in fiscum recipiant.

V. Ut unusquisque Comes in suo Comitatu provideat ut qui fidelitatem nobis adhuc promissam non habent, fidelitatem nobis promittant, sicut in Capitulis avi et patris nostri continetur.

VI. Ut unusquisque Comes in Comitatu suo magnam providentiam accipiat ut nullus liber homo in nostro regno immorari vel proprietatem habere permittatur, cuiuscunque homo sit, nisi fidelitatem nobis promiserit.

VII. Et quia audivimus quod malefici homines et sortiariae per plura loca in nostro regno insurgunt, quorum maleficiis iam multi homines infirmati, et plures mortui sunt; quoniam, sicut sancti Dei homines scripserunt, Regis ministerium est impios de terra perdere, maleficos et veneficos non sinere vivere, expresse praecipimus ut unusquisque Comes in suo Comitatu magnum studium adhibeat ut tales perquirantur et comprehendantur. Et si iam inde comprobati masculi, vel comprobatae feminae sunt, sicut lex et iustitia docet, disperdantur. Si vero nomináti vel suspecti, et necdum inde comprobati sunt, vel per testes veraces inde comprobari non possunt, Dei iudicio examinentur; et sic per illud Dei iudicium aut liberentur aut condemnentur. Et non solum tales istius mali auctores, sed et conscii ac complices illorum, sive masculorum, sive feminarum, disperdantur, ut una cum eis scientia tanti mali de terra nostra pereat.

VII. Quia sicut et per scripturas et per auctoritatem et per rationem manifestum est, duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, Regia potestas, et Pontificalis auctoritas, et in libro Capitulorum avi et patris nostri coniuncte ponitur ut res et mancipia Ecclesiarum eo modo contineantur sicut res ad fiscum dominicum pertinentes contineri solent, iuste et rationabiliter de rebus et mancipiis quae in Regia et ecclesiastica vestitura fuerunt, uniformiter et uno modo tenendum est. Ut sicut quaecunque res et mancipia in regia vestitura Avi et Patris nostri et nostra fuerunt, et nunc ab aliis detinentur, demonstretur qualiter de regia vestitura Avi et Patris nostri et nostra exierunt, (quia plures inde per mendacium quaedam obtinuerunt, et quidam plura per fraudem obtinent) ita et de rebus quae in Ecclesiarum vestitura fuerunt, unde quaestio fuerit, demonstretur qua auctoritate in proprietatem eas quisque obtineant. Et quoniam quidam non contradicunt quod res et mancipia quae tenent, in vestitura nostra vel antecessorum nostrorum sive Ecclesiarum Dei non fuissent, sed patres illorum morientes eis in hereditatem dimiserunt, ideo non volunt inde ullam auctoritatem ostendere, sed suam hereditatem probare, contra illos dicitur quia potest fieri ut aliquis de fisco regio vel de rebus Ecclesiae aliquid proprindat aut per fraudem obtineat, et mortuo illo filius eius aut filia illas res tenere in hereditatem velit. Propterea per Capitula Avi et Patris nostri, quae Franci pro lege tenenda iudicaverunt, discernendum est de quali hereditate auctoritas non debet requiri, sed legitima hereditas

ab aliquo approbari. Ostenditur enim in eis Capitulis ubi de rebus alienis alicui per malum ingenium venditis vel datis loquitur, quae sit unicuique legitima hereditas, cum dicitur inter alia: Similiter de omnibus iustitiis ad eum pertinentibus rationem reddere compellatur, excepta sua legitima hereditate, quae ei per successionem parentum suorum legitime evenire debuit. Et de hac legitima hereditate non est auctoritas requirenda. Sed si interpellatio inde fuerit, legitima hereditas approbanda. Quia vero de rebus ex fisco regio et de rebus ecclesiasticis, quae ita, ut in eisdem Capitulis habetur, contineri debent sicut res ad fiscum dominicum pertinentes contineri solent, auctoritas est requirenda, qer quam auctoritatem quisque illas retineat, in ipsis Capitulis demonstratur, cum dicitur: *Ubicunque commutationes tam tempore nostro quam tempore genitoris et avi nostri legitime et rationabiliter atque utiles Ecclesiis Dei factae sunt, permaneant. Ubicunque vero inutiles et incommodae atque inrationabiles factae sunt, dissolvantur, et recipiat unusquisque quod dedit. Ubi vero mortua manus interiacet, aut alia quaelibet causa quae rationabilis esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, et ad nostram notitiam perferatur.* Sed et iustum atque rationabile videtur ut si rectores Ecclesiarum negligenter res quas acceperunt in commutationem neglexerunt, et commutantes commutatas excoluerunt, non compensentur excultae et neglectae aequaliter: sed sicut tunc fuerunt compensentur quando commutatae fuerunt. Et ita compensatio ad nostram notitiam perferatur, et nostro ac fidelium nostrorum iudicio, utrum permanere an dissolvi debeant istae commutationes, decernatur.

IX. Ut sicut in Capitulis avi et patris nostri continetur, Missi nostri, ubi boni Scabinei non sunt, bonos Scabineos mittant; et ubicunque malos Scabineos inveniunt, eiciant, et totius populi consensu in locum eorum bonos eligant; et cum electi fuerint, iurare eos faciant ut scienter iniuste non iudicent.

X. Volumus ut secundum Capitulare avi et patris nostri, quicunque de Scabineis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam iniuste iudicasse, per fideiussores missus ad praesentiam nostram veniat. Et omnibus Scabineis denuntietur ne quis etiam iustum iudicium vendere praesumat.

XI. Volumus ut secundum Capitulare avi et patris nostri, in comitatu omni hi qui meliores et veraciores inveniri possunt, eligantur a Missis nostris ad inquisitionem faciendam et rei veritatem discendam, et ut adiutores Comitum sint ad iustitias faciendas.

XII. Volumus ut secundum Capitula avi et patris nos-

tri et nostra mallus neque in Ecclesia neque in porticibus, aut atrio Ecclesiae, neque in mansione Presbyteri iuxta Ecclesiam habeatur: quia non est aequum ut ibi homines ad mortem iudicentur et dismembrentur et flagellentur ubi si confugerint, secundum aliud Capitulum pacem habere debent. Domus vero, sicut in Capitulis avi et patris nostri continetur, a Comite in loco ubi mallum tenere debet construatur, quatenus propter calorem solis et pluviam publica utilitas non remaneat. Minora vero placita Comes, sive intra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, excepto in Ecclesia, et porticibus, atque atrio Ecclesiae, et mansione Presbyteri, habeat, sicut in eisdem Capitulis continetur.

TITULUS XLVI.

Reclamatio Episcopi Barcinonensis apud Attiniacum.

Anno Incarnationis Dominicae* DCCCLXXIV. *haec quae sequuntur Capitula Domnus Rex Karolus in Attiniaco Kalend. Iulii statuit.

I. Episcopus Barcinonensis, se reclamavit quod Tyrsus Presbyter Cordubensis in Ecclesia intra muros ipsius civitatis sita seorsim conventus agens, pene duas partes ex decima ipsius civitatis sibi usurpat, et sine illius licentia Missas et baptisteria in eadem civitate praesumit celebrare, et convocatos ab Episcopo ad matrem Ecclesiam, etiam in solemnitatibus Paschae ac Nativitatis Domini, ad se revocat, atque contempto Episcopo eis communionem largitur. Unde sacrum Nicaenum Concilium dicit: *Quicunque temere ac periculose, neque timorem Dei prae oculis habentes, nec agnoscentes Ecclesiarum regulam, discedunt ab Ecclesia Presbyteri aut Diaconi vel quicunque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi; sed omnem necessitatem convenit illis imponi ut ad suas parochias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione privari.* Hoc de Tyrso, qui inregulariter à sua civitate discessit, decretum est. Caeterum de ipso et de aliis contemptoribus Antiochenum Concilium dicit: *Si quis Presbyter aut Diaconus Episcopum proprium contemnens, se ab Ecclesia sequestravit, et seorsum colligens altare constituit, et commonenti Episcopo non adquieverit, nec consentire vel obedire voluerit semel et iterum convocanti, hic damnetur omnimodo, nec ultra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem. Quod si Ecclesiam conturbare et sollicitare persistit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.* Hinc etiam Africae provinciae Canones

decreverunt. Sed tantum hoc Capitulum de Antiocheno Concilio posuisse sufficiat. De basilicis autem et decimis sacri Canones decreverunt ut omnes basilicas, quae per diversa loca constructae sunt, vel quotidie construuntur, secundum priorum Canonum regulam in eius Episcopi, in cuius territorio positae sunt, potestate consistant. Et sanctus Gelasius in decretis suis: *Quatuor,* inquit, *tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cuiuslibet Ecclesiae facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones: quarum una sit Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut Sacerdotis intererit integram ministris Ecclesiae memoratam dependere quantitatem, sic Clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quae ecclesiasticis aedificiis adtributa sunt, huic operi veraciter pro rogata locorum doceat instauratio manifesta Sanctorum: quia nefas est, si sacris aedibus destitutis in lucrum suum Praesul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen, iuxta quod scriptum est, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est, oportet etiam praesenti testificatione praedicari, et bonae famae praeconiis non taceri.* Et haec quidem de reditibus illis et oblationibus fidelium decreta sunt quae specialiter ad Episcopos Ecclesiarum in illis regionibus pertinent quae non abundant rebus, sed tantum de fidelium decimis ac votis subsistunt. Caeterum de rusticanis parochiis, quantum Episcopus in partibus Septimaniae atque Galliciae à Presbyteris exigere debeat, Bracarense Concilium capitulo secundo et Toletanum Concilium capitulo quarto demonstrant. De his autem qui contra auctoritatem et Barcinonensis Episcopi voluntatem Tyrsum Presbyterum in Ecclesia Barcinonae civitatis retinent, Capitulare Augustorum Domni Karoli et Domni Illudouvici decernit hoc modo: *De his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis constituunt, vel de Ecclesiis eiciunt, vel ab Episcopo vel à quolibet Misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum rewadiare cogantur, et per fideiussores ad Palatium nostrum venire iubeantur: et tunc nos decernamus utrum nobis placeat ut aut illum bannum persolvant, aut aliam harmiscaram sustineant.* Quia vero longum est istos ad praesentiam Regis adducere, vel periculosum est longius à marcha eos abducere, Domnus Rex commendabit suo Marchioni qualiter eos distringat atque castiget. De decimis vero quae in potestate et dispositione Episcopi esse debent, quas illi à matre Ecclesia abstrahunt, et pro suo libitu alibi donant, idem Capitulare dicit: *Quicunque deci-*

mam abstrahit de Ecclesia ad quam per iustitiam debet dari, et eam praesumptiose vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad aliam Ecclesiam dederit, à Comite vel à Misso nostro distringatur ut eiusdem decimae quantitatem cum sua lege restituat. Et item: *De his qui nonas et decimas iam per multos annos aut ex parte, aut ex toto dare neglexerunt, volumus ut per Missos nostros constringantur ut secundum Capitularem priorem solvant unius anni nonam et decimam cum sua lege, et insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicunque hanc negligentiam iteraverit, beneficium unde haec nona et decima persolvi debuit amissurum se sciat.*

II. De hoc quod se reclamavit quoniam castrum Terracinense suae subditum potestati, factione Baionis, per Presbyteri insolentiam suo resultat ministerio, definitio praefati Antiocheni Concilii sequenda est in causa insolentis Presbyteri. Contra factionem autem Baionis sequendum est Capitulum Carthaginensis Concilii, quo dicitur: *Visum est universis ab Imperatoribus postulari defensores, propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur.* Sequendum est etiam supra positum capitulum ex Capitulari Augustorum, de his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de Ecclesiis eiciunt.

III. De hoc quod se reclamavit quia Gothus quidam Madascius fraude atque subreptione per praeceptum Ecclesiam sancti Stephani nobilem et antiquam impetravit; ubi, postposito Dei cultu, foeda efficitur conversatio rusticorum. Et similiter Riconsidus Gothus fraude et subreptione agrum sanctae Eulaliae per praeceptum obtinuit. Iussio regia haec per fideles Missos diligenter ac veraciter inquirere iubeat, et ipsam inquisitionem per fidelium custodiam sub sigillo ad notitiam suam perferri faciat. Et si inventum fuerit quod praedicta Ecclesia sancti Stephani et ager sanctae Eulaliae à praefatis Gothis per praecepta obtenta sunt, ipsa praecepta secundum legem sigillentur, et una cum ipsa inquisitione ad praesentiam regiam perferantur; ut secundum iura forensia, qui in precibus fuere mentiti, non illis prosint quae impetraverunt, et ibi careant ipso scriptorum beneficio quo perducentur rescripta, et regia magnificentia recipiat quod est sui iuris Barcinonensis Ecclesia.

TITULUS XLVII.

SYNODI PONTIGONENSIS.

Synodus quae fuit acta apud Ticinum Palatium anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXVI. *Indictione* IX. *mense Februario; et postea fuit confirmata ipsa Synodus apud Pontigonem, cum Missis Domni Apostolici Iohannis aliisque multarum provinciarum Episcopis.*

ELECTIO KAROLI IMPERATORIS AB ITALICI REGNI EPISCOPIS ET CAETERIS CONFIRMATA.

Gloriosissimo et à Deo coronato, magno et pacifico Imperatori, Domno nostro Karolo perpetuo Augusto, nos quidem omnes Episcopi, Abbates, Comites, ac reliqui, qui nobiscum convenerunt, Italici regni Optimates, quorum nomina generaliter subter habentur inserta, perpetuam optant prosperitatem et pacem. Iam quia divina pietas vos beatorum Principum Apostolorum Petri et Pauli interventione per vicarium ipsorum Domnum videlicet Iohannem summum Pontificem et universalem Papam spiritualemque patrem vestrum ad profectum sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque omnium invitavit, et ad imperiale culmen sancti Spiritus iudicio provexit, nos unanimiter vos protectorem, dominum, ac defensorem omnium nostrum eligimus: cui et gaudenter toto cordis affectu subditi gaudemus, et omnia quae ad profectum totius sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque omnium salutem decernetis et sancietis, totis viribus, annuente Christo, concordi mente et prompta voluntate observare promittimus.

Et subscripserunt illi qui in Italia adfuerunt.

Anspertus sanctae Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopus subscripsi.
Iohannes sanctae Aretinae Ecclesiae humilis Episcopus subscripsi.
Iohannes Episcopus sanctae Ticinensis Ecclesiae subscripsi.
Benedictus Cremonensis Episcopus subscripsi.
Teudulfus Tertonensis Episcopus subscripsi.
Adalgaudus Vercellensis Episcopus subscripsi.
Azo Eporediensis Episcopus subscripsi.
Gerardus exiguus in exigua Laudensi Ecclesia Episcopus subscripsi.
Hilduinus Astensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Ratbornus sedis Augustanae Episcopus subscripsi.
Leodoinus Mutinensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Hildradus Albensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Bodo humilis sanctae Aquensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Sabbatinus Ienuensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Eilbertus Comensis Episcopus subscripsi.
Adelardus servus servorum Dei Veronensis Episcopus subscripsi.
Ego Paulus sanctae Ecclesiae Placentiae Episcopus subscripsi.
Ego Andreas sanctae Florentinae Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Reginerius Abbas subscripsi.
Signum Bosonis incliti Ducis et sacri palatii Archiministri atque Imperialis Missi.
Signum Richardi Comitis.
Signum Walfridi Comitis.
Signum Liutfridi Comitis.
Signum Alberici Comitis.
Signum Supponis Comitis.
Signum Hardingi Comitis.
Signum Bodradi Comitis palatii.
Signum Cuniberti Comitis.
Signum Bernardi Comitis.
Signum Airboldi Comitis.

Acta sunt haec in palatio Ticinensi anno Domini DCCCLXXVI. *regni Domni Imperatoris Karoli Hludouvici Augusti piae memoriae filii in Francia* XXXVI. *imperii primo, Indictione* IX.

CONFIRMATIO CISALPINORUM.

Sicut Domnus Iohannes Apostolicus et universalis Papa primo Romae elegit atque sacra unctione constituit, omnesque Italici regni Episcopi, Abbates, Comites, et reliqui omnes qui cum illis convenerunt, Domnum nostrum gloriosum Imperatorem Karolum Augustum unanimi devotione elegerunt sibi protectorem ac defensorem esse, ita et nos, qui de Francia Burgundia, Aquitania, Septimania, Neustria, ac Provincia pridie Kalendas Iulii in loco qui dicitur Pontigonis anno XXXVII. in Francia, ac Imperii primo, iussu eiusdem Domni et gloriosi Augusti convenimus, pari consensu ac concordi devotione eligimus et confirmamus.

Et subscripserunt omnes Cisalpini Episcopi qui adfuerunt, et quorum nomina subter sequentia Capitula, quae confirmaverunt, tenentur adscripta.

C A P I T U L U M

De honore Ecclesiae Romanae debito, eiusque immunitate; de rebus Ecclesiae non auferendis; de reverentia Episcopis et Sacerdotibus persolvenda; de decimis.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Incipiunt Capitula quae Domnus Imperator Karolus, Hludouvici Augusti piae memoriae filius, una cum consensu et suggestione venerabilium Episcoporum et illustrium Optimatum reliquorumque Fidelium suorum, ad honorem sanctae Dei Ecclesiae et ad pacem ac profectum totius Imperii sui, fecit anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCLXXVII regni vero sui in Francia XXXVI. Imperii autem sui primo, Indictione IX. mense Februario, in Palatio Ticinensi.

(*Ut Romana Ecclesia ab omnibus honoretur.*)

I. Ut sancta Romana Ecclesia, sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur; neque quisquam contra ius et potestatem ipsius aliquid iniuste agere praesumat: sed liceat ei debitum tenere vigorem, et pro universali Ecclesia pastoralem exhibere curam, atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

(*Ut Ioanni Papae honor, obedientiaque ab omnibus exhibeatur.*)

II. Ut honor Domno et spiritali patri nostro Iohanni summo Pontifici et universali Papae ab omnibus conservetur; et quae secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur.

(*Ut res Ecclesiae Romanae proprias nemo diripiat.*)

III. Et licet in omnibus id observare velimus, praecipue tamen sancimus ut in termino beatorum Petri et Pauli Apostolorum Principum nemo in eundo et redeundo, vel ibi morando, aliquam vastationem et depraedationem facere praesumat; et quae ipsius sanctae Ecclesiae propria sunt, nemo aliqua iniqua machinatione sine voluntate ipsius sacri Pontificis sibi vindicare praesumat. Quod si quisquam fecerit, restitutis male praesumptis immunitatem ipsius Ecclesiae persolvat, et bannum nostrum tripliciter componat.

(*Ut ecclesiasticus honor et reverentia praestetur.*)

IV. Ut ecclesiasticus honor, et sacerdotalis atque clericalis reverentia, debita competentique sinceritatis religio-

ne ab omnibus amplectatur, et in omnibus custodiatur, sicut avi et genitoris nostri monent edicta.

(*Ut Imperatori honor ab omnibus observetur.*)

V. Ut imperialis honor ab omnibus fideliter observetur; et quae ab eo seu per epistolam seu per legatos praecipiuntur, à nullo impune audeant violari.

(*Ut Episcopi ministerium suum sine cuiusquam impedimento et molestia peragant.*)

VI. Ut Episcopi ministerium suum secundum sacros et sancto Spiritu promulgatos Canones peragant, parochias suas absque alicuius impedimento, praedicando, corrigendo, et confirmando circumeant; et in hoc agendo nullus eis contraire et quod ad ministerium illorum pertinet contradicere in ipsis parochiis audeat, vel eis exinde aliquam molestiam inferat; sed adiutor, si oportuerit, invitatus a Pontifice quisque Ecclesiae filius existat; ut liceat eis criminalia scelera et alia quaeque corrigenda inquirere, discutere, et diiudicare canonice. Quod qui temerare proterve praesumpserit, triplicem legem et triplex bannum nostrum persolvat.

(*Ut Episcopi per se et Presbyteros praedicationi insistant: et fideles diebus festis ad publicas stationes occurrant, et nullus domi suae Missas celebret sine licentia Episcopi*).

VII. Ut Episcopi secundum sacram iussionem Domini nostri Iesu Christi praedicationem per se, vel per suos congruenter exerceant, et Presbyteros suos ut similiter faciant instruere procurent. Et ut seculares et fideles laici diebus festis, qui in civitatibus sunt, ad publicas stationes occurrant: et qui in villulis et possessionibus sunt, ad publicum officium in plebem festinent. Et nullus latibulosa Missarum in suis domibus officia celebrare praesumat sine sui rationabili licentia Episcopi.

(*Ut Episcopi cum Clero suo in claustris resideant: Presbyteros vero ab Ecclesiis suis abesse, aut ab eorum potestate dissilire non permittant*).

VIII. Ut Episcopi in civitatibus suis proximum Ecclesiae claustrum instituant, in quo ipsi cum clero secundum canonicam regulam Deo militent; et Sacerdotes suos ad hoc constringant ut Ecclesias non relinquant, et aliubi habitare praesùmant. Sint etiam subiecti proprio Episcopo secundum canonicam auctoritatem, nec per contumaciam ab eorum potestate dissiliant. Neque seculari potestati ad hoc eis commendare se liceat, aut eos quilibet recipere audeat, aut con-

tra canonicas leges et debitam Episcopi potestatem quodammodo defensentur. Huiusmodi vero Sacerdotes episcopalis illico censura disciplinis ecclesiasticis subdat. Nec fas est omnium eorum sollicitudinem Episcopos non gerere, quibus in committendis sacris ordinibus dignum visum est communicasse.

(*Ut Sacerdotes a foeminarum familiaritate, itemque a venatione, armis militaribus, et habitu non decenti abstineant*).

IX. Ut domibus Sacerdotum, propter malae opinionis famam, habitatio feminarum penitus tollatur; neque illi in domos earum intrare indiscrete praesumant, ne nomen Dei, quod absit, per illos blasphemetur per quos laudari pie et iugiter debet. Venationem quoque nullus tam sacri ordinis exercere praesumat: neque arma militaria pro qualicunque seditione portare audeat, aut habitum quemlibet tantum apicem sacerdotii non decentem assumat.

(*Ut res Ecclesiasticas nemo invadat, et quae cum detrimento Ecclesiae a Rectoribus distractae sunt, repetantur*).

X. Ut res Ecclesiasticas tam mobiles quam et immobiles nemo invadere vel auferre praesumat; et quae a Rectoribus Ecclesiae hactenus, ob timorem vel favorem, alicui libellario vel emphyteuticario iure dolose et cum damni detrimento Ecclesiae amisisse videntur, ad pristinum ius revertantur: quatenus liceat illis quibus earum cura commissa est, quieto et pacifico ordine eas tenere, et pro nobis ac regno nobis a Deo commisso orare, pauperibusque debita stipendia erogare, familiam Ecclesiae iuste et rationabiliter regere et gubernare. Transgressoribus autem indicimus iniuste praesumpta restituere, et sicut superius praefixum est, triplicem legem et triplex bannum nostrum persolvere.

(*Ut decimae absque fraude offerantur, et a Presbyteris Episcopi arbitrio dispensentur. Et de baptismalibus Ecclesiis per earum filios restaurandis*).

XI. Ut decimae conlaborationum et animalium secundum sacra praecepta Domino absque fraude et aliqua retractatione offerantur; et in potestate Episcopi maneat qualiter Presbyteris dispensentur canonice. Et ut Ecclesias baptismales, quas plebes appellant, secundum antiquam consuetudinem Ecclesiae filii instaurent.

(*Ut Episcopi Comites et vassos regios diligant ut filios, et hi Episcopos honorent ut patres: et ut Episcopi in suis Episcopiis Missorum dominicorum potestate fungantur*).

XII. Ut Episcopi Comites et vassos nostros in parochia

eorum manentes paterno amore secundum Ecclesiasticum ministerium diligant; ipsi vero Comites et vassalli seu reliqua generalitas praedictos Episcopos ut sanctos patres honorent et venerentur, et ad ministerium illorum peragendum, ubicunque potuerint, eos adiuvare decertent. Si vero, quod non optamus, eis infesti, quo minus quae Dei sunt exercere possint, reperti fuerint, aut ipsi contra leges officia sua violaverint, et eos quos venerari debent inquietaverint, secundum Capitulare avi et genitoris nostri emendent. Qualiter quoque Presbyteros ac reliquos gradus honorent, ipsius Capitularis forma doceantur. Ipsi nihilominus Episcopi, singuli in suo episcopio, missatici nostri potestate et auctoritate fungantur.

(*Ut Episcopi et Comites in pauperum domibus, nisi rogati, non diversentur, et ut praedas ac devastationes inhibeant*).

XIII. Ut Episcopi et Comites in suis ministeriis commorantes in suis consistant domibus cum suis vassallis, neque praesumant occasione hospitii in pauperioris cuiuspiam vicini domo, nisi rogati, commorari; quia ob hoc maxime depraedationes et discordias hactenus pullulasse manifestum est. Praevideant quoque, secundum ministerium unusquisque suum, ne in potestate illorum praedae et devastationes fiant. Et si aliqui hoc facere tentaverint, omni sua virtute illis resistant. Et si ipsi per se constringere illos ad emendationem non potuerint, constitutis Missis nostris renuntient, ut ipsorum iudicio legaliter secundum Capitulare avi et genitoris nostri emendent. Quod si et ipsi hoc emendare nequiverint, ad nostram notitiam perducant.

(*Ut defuncti Episcopi facultates nullus invadat, sed successori reserventur, vel pro illius anima erogentur*).

XIV. Ut quotiens divinum iudicium aliquem Ecclesiae Praesulem e saeculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates eius invadat, diripiat, et ad ius suum transferat; sed erogatariis et eleemosynariis ecclesiasticis, cum ipsius Ecclesiae constituto oeconomo, liberum sit, canonico more, iuste rationabiliterque deputata successori futuro reservare, vel quibuscunque, sicut expedit, pro eius spiritu distribuere. Quod qui iniqua cupiditate transgredi praesumpserit, ut superius praelibatum est, inrefragabiliter multetur.

(*Ut infideles Regi nemo celet, nec ullam eis sustentationem praebeat*).

XV. Ut nemo fidelium nostrorum quodammodo aliquem celet quem nostrum scierit infidelem esse, neque ei

sustentationem quamcunque praestare pertentet, si cum ad nostram fidelitatem revocare nequiverit. Quicunque autem contra haec fecerit, praedecessorum et progenitorum nostrorum iudicium experietur.

Subscriptiones Episcoporum, Abbatum et Comitum.

Ansbertus Archiepiscopus subscripsi.
Iohannis humilis Aretinae Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Adalardus servus servorum Dei sanctae Veronensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Adalgaudus Vercellensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Azo Eporediensis Episcopus, subscripsi.
Benedictus Episcopus Cremonensis subscripsi.
Hildradus Albensis Episcopus subscripsi.
Gerardus exiguus Ecclesiae Laudensis Episcopus subscripsi.
Iohannes humilis Episcopus sanctae Ticinensis Ecclesiae subscripsi.
Teudulfus Terdonensis Episcopus subscripsi.
Hilduinus Astensis Episcopus subscripsi.
Sabbatinus humilis Ienuensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Signum Bosonis Ducis et Missi Italiae atque sacri palatii Archiministri.
Signum Bernardi Comitis.
Signum Bodradi Comitis palatii.
Signum Ricardi Comitis.
Signum Airboldi Comitis.
Signum Cuniberti Comitis.
Signum Supponis Comitis.
Signum Alberici Comitis.
Signum item Bernardi.
Signum Hardingi Comitis.
Signum Berardi Comitis.
Iohannes Tuscanensis Episcopus, Legatus sanctae sedis Apostolicae et Domni Iohannis summi Pontificis et universalis Papae, in his quae supra scripta sunt interfui, consensi, et subscripsi.
Ansegisus Senonum metropolis Episcopus, sanctae et Apostolicae sedis per Domnum Iohannem summum Pontificem Papam Vicarius, interfui, consensi, et subscripsi.
Iohannes Aretinus Episcopus, sanctae sedis Apostolicae Legatus, interfui, consensi, et subscripsi.
Hincmarus Remorum Archiepiscopus subscripsi.
Frotarius Archiepiscopus consensi et subscripsi.
Aurelianus Lugdunensis Ecclesiae Episcopus in Christi nomine roboravi.

Ottramnus Viennensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Iohannes Rotomagensis Ecclesiae Archiepiscopus subscripsi.
Bertmundus Ebredunensis Ecclesiae Archiepiscopus subscripsi.
Ragenelmus Tornacensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Walterus humilis Aurelianensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Gerboldus Cabillonensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Gislebertus Carnotensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Hildeboldus Suessionensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Rostagnus sanctae Arelatensis Ecclesiae humilis Episcopus subscripsi.
Isaac Lingonensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Lantbertus Matiscensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Ingelwinus sanctae Parisiacensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Geroldus Ambianensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Abbo Nevernensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Iohannes Cameracensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Hadebertus Silvanectensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Odo Belgivacorum Episcopus in Christi nomine subscripsi.
Ratbertus Valentinae Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Bernarius Gratianopolitanae Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Angenulfus Gabalitanensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Birico Wapincensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Alduinus Avinionensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Wido Vallavensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Hildebrannus Sagensis Episcopus subscripsi.
Willebertus humilis Catalaunorum Episcopus subscripsi.
Ragenfridus Meldensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Heirardus Lixoviensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Sigenandus Constantiensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Aetherius Vivariensis Episcopus subscripsi.
Erchambertus Baiocensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Hedenulfus Laudunensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Agilmarus Arvernensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Anselmus Lemovicensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Adalbertus Morinensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Willelmus Cadurcorum Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Lupus Albiensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Ottulfus sanctae Trecassinae Ecclesiae humilis Episcopus subscripsi.
Berardus Viridunensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Arnaldus Leucorum Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Franco Tungrensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Theodoricus Vesontiorum Ecclesiae Archiepiscopus subscripsi.
Wala Autisiodorensis Episcopus subscripsi.
Adalgarius Augustidunensis Episcopus subscripsi.
Hemico Diensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Aimarus Ruthenensium Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Theotarius Gerundensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.
Hugo Abba.
Albustus Abbas ex monasterio quod vocatur Bethleem sive Ferrarias.
Hilduinus Abbas et Bibliothecarius.
Wlfardus Abba scripsit et subscripsit.
Gauzlenus Abba et Archicancellarius.

TITULUS XLVIII.

Actorum Synodi Pontigonensis editio altera, illa fortasse quam cum Legatis Apostolicis dictasse et in Synodo legisse dicitur Odo Episcopus Bellovacensis.

Sancta Synodus quae in nomine Domini vocatione Domni Iohannis ter beatissimi ac universalis Papae, et iussione Domni Karoli perpetuo Augusti congregata est in loco qui vocatur Pontigonis anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXVI. Indictione IX. regni praefati invictissimi Imperatoris XXXVII. imperii autem primo, XVII. Kalendas Augusti, haec Capitula quae subter adnexa sunt instituit.

I. Obeunte Hludouvico, qui Romani imperii iura regebat, Domnus Iohannes ter beatissimus Papa per Gadericum Veliternensem, Formosum Portuensem, Iohannem Aretinum venerabiles Episcopos Domnum Karolum tunc Regem ad limina beatorum Apostolorum invitavit, eumque Ecclesiae ipsius defensorem ac tutorem elegit, imperialique diademate coronavit, eum prae cunctis solum et specialem eligens qui Romani imperii sceptra teneret. Cuius sacris institutionibus pro debito parentes, quod ipse instituit instituimus, et quod ipse confirmavit pari consensu omnes firmamus.

II. Congregata igitur in Romana urbe sancta Synodo ante adventum praedicti Domni Imperatoris, misit cum consensu omnium epistolas Hludouvico Regi, filiis quoque ipsius, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac reliquis Primoribus regni sui, monentes eos apostolica auctoritate more

paterno servare quae pacis sunt, ne videlicet aliquam inreptionem in regno praefati Augusti facile tentarent usque dum simul ad mutuum colloquium venirent, et ipse inter eos et de pace conservanda et de iure regnorum secundum sibi à Deo ministerium creditum decerneret pariter et discerneret. Quas epistolas per Odonem Bellovacorum venerabilem Episcopum sibi destinatas et bis delatas omnino recipere renuerunt.

III. Ipse vero apostolica et paterna monita parvipendens, et fraterna foedera disrumpens, hostili manu tyrannico more fraternum regnum depopulando invasit; homicidia, stupra, adulteria, sacrilegia, et innumera mala quae enumerari nequeunt, auctoritas facientium perpetravit.

IV. Haec mala audiens ter beatissimus Papa perpetrata esse in regno spiritalis filii sui Domni Karoli semper Augusti, tactus dolore cordis acceleravit mittere Missos suos, Iohannem videlicet, et Iohannem venerabiles Episcopos, cum aliis suis epistolis, volens eum monere ut à tanto malo poenitudinem de praeteritis ageret, et tandem fraternum regnum invadere desineret. Quorum legationem secundo commonitus necdum recipere voluit.

V. Post hos denique misit iterum alios Legatos, Leonem scilicet sanctissimum Gabinensem Episcopum et sanctae Romanae Ecclesiae Missum et Apocrisiarium, pariterque et Petrum Forosemproniatem venerabilem Episcopum, haec eadem obsecrando, monendo protestans. Quorum monita utrum recipere velit, adhuc ambiguum constat.

VI. Verum quia praefatus Leo Gabinensis reverentissimus Episcopus et sanctae Romanae Ecclesiae Missus et Apocrisiarius, seu et Petrus Forosemproniatis Episcopus, pro quibusdam utilitatibus ecclesiasticis morari hic diutius nequeunt, neque Episcopos de longinquo venientes fatigare longius dignum est, decreverunt Iohannem Tuscanensem et Iohannem Aretinum venerandos Episcopos, qui legationem praefatorum pariter cum priori legatione suscipientes, ea quae peragenda sunt, cum caeteris Episcopis, quos communi consensu elegerint, vice omnium Episcoporum, quicquid seu in evocando seu in contemptoribus feriendo definierint, apostolica auctoritate libere definiant, et quicquid ipsi deliberaverint, et Domnus Apostolicus cum omni sancta Romana Ecclesia determinabit et in perpetuum mansurum statuet et firmabit.

VII. Sicut Dominus Papa Iohannes sanxit, connivente et consentiente et condecernente Domno et gloriosissimo Karolo Imperatore semper Augusto, Ansigisum venerabilem Episcopum, Senonum Archiepiscopum, suam vicem tenere et primatum ei Galliae et Germaniae contulit in evocanda

synodo et definiendo canonice si quaelibet insurrexerint necessaria, et ut graviora ad ipsius notitiam referat, et nos unanimiter omni devotione laudamus, et ut ita ipse primatum teneat Galliae et Germaniae decernimus et sancimus.

VIII. Synodum quam Domnus Iohannes Apostolicus et universalis Papa super quorundam depositionem, Formosi scilicet Portuensis Episcopi, et Gregorii Nomen culatoris, seu et Stephani Secundicerii, et Gregorii Vesterarii, caeterorumque suorum complicum, sicut in epistola ipsius ad nos missa continetur, nuper instituit, et nos secundum iussionem ipsius, in nullo à capite dissidentes, consentiendo decernimus, omnibusque apostolicis illius sanctionibus per omnia parentes sicut decet obedimus.

IX. Censuram vero quam Domnus Apostolicus super nefandissima acta Hludouvici Regis et complicum eius, nisi resipuerint, et debitam obedientiam Sedi Apostolicae exhibuerint, statuit et firmavit, omnes nos qui ad praesentem Synodum convenimus, unanimiter decernimus atque firmamus.

(Sequebatur post haec in Codice Sancti Remigii Remensis confirmatio Synodi Ticinensis, cum Episcoporum subscriptionibus, ut supra pag. 189 et 190.)

TITULUS XLIX.

Alia quaedam acta eiusdem Synodi Pontigonensis.

De Hludouvico Rege, de Presbytero infamato; de novo Hincmari iuramento.

Libellus proclamationis Ecclesiae Remensis adversus Hludouvicum Regem Karolo Imperatori oblatus in Synodo Pontigonensi.

I. Paternis magisteriis instruimur ut si qua maiora negotia vel maiores causae exortae fuerint, ad Sedem Apostolicam, prout auctoritas docet et mos antiquus obtinuit, semper referantur. Ideoque quia imperialem excellentiam vestram Synodo praeesse et Vicarios Sedis Apostolicae praesto nobis adesse gaudemus, calamitates et miserias Ecclesiae nostrae ac filiorum nostrorum, quas hoc anno ab Hludouvico Rege itemque Hludouvico filio eius et complicibus eorum, caedes videlicet, homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, et caetera flagitia quae nullus enumerare potest, Ecclesia nostra perpessa est, vestrae serenitati innotescimus, obsecrantes ut pro Dei omnipotentis amore, et pro ingenita vobis benignitate, ac pro ministerio imposito, nobis et Ecclesiae nostrae ac filiis nostris secundum pervulgatam omnibus ves-

tram sapientiam consulatis pariter ac succurratis, ne de caetero talia ac tanta mala Ecclesia nostra ac regnum patiatur qualia hactenus passa est.

Definitio Synodi Pontigonensis de Adalgaudo Presbytero infamato.

II. Pridie Idus Iulii, in loco qui vocatur Pontigonis, ita de Adalgaudo Presbytero à Legatis Sedis Apostolicae, Leone Apocrisiario sanctae sedis Romanae, Petro, Iohanne, itemque Iohanne Legatis memoratae sanctae sedis, ac Ansegiso Vicario eiusdem sanctae sedis, et ab omni Concilio definitum est ut illi propria Ecclesia reddatur, et à praefatis kalendis quatuor mensium dilatio ad famam suam purgandam illi concedatur. Si post quatuor menses purgare se canonice non poterit, nulla eius vox postea penitus audiatur.

Consensus Leonis Episcopi Missi et Apocrisiarii, cum post Synodum discessurus esset.

III. Quia Domnus noster Iohannes sanctissimus et ter beatissimus Papa nos quidem, me scilicet Leonem Gabinensem Episcopum et sanctae Romanae Ecclesiae Missum et Apocrisiarum, et Petrum venerabilem Forosemproniatem Episcopum, ad hoc in has partes direxit, ut seu pridem per venerabiles Episcopos Iohannem videlicet et Iohannem mandaverat, vestra sanctitate adgregata, de negotiis quae inter utrosque fratres hoc anno emerserant determinaremus, sed nos ob quasdam sanctae Romanae Ecclesiae utilitates quia diutius morari nequimus, et vestram beatitudinem longius fatigare nolumus, hos fratres nostros Iohannem videlicet Tuscanensem et Iohannem Aretinum venerabiles Episcopos vobiscum morari decrevimus usque dum res unde agitur optatum finem divina favente gratia accipiat: qui quicquid seu in evocanda Synodo, seu in definiendo, seu in contemptoribus feriendo definierint, Apostolica auctoritate libere definiant, et quicquid ipsi deliberaverint, et Domnus Apostolicus cum omni sancta Romana Ecclesia determinabit et in perpetuum mansurum statuet et firmabit.

Iuramentum quod Hincmarus Archiepiscopus edere iussus est apud Pontigonem.

IV. Sic promitto ego quia de isto die in antea isti Seniori meo, quandiu vixero, fidelis et obediens et adiutor, quantumcunque plus et melius sciero et potuero, et consilio et auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero absque fraude et malo ingenio et absque ulla dolositate vel seductione seu deceptione et absque respectu alicuius personae.

Et neque per me, neque per Missum, neque per litteras, sed neque per emissam vel intromissam personam, vel quocunque modo ac significatione, contra suum honorem et suam, Ecclesiae, atque regni illi commissi quietem et tranquillitatem atque soliditatem machinabo vel machinanti consentiam. Neque unquam aliquod scandalum movebo, quod illius praesenti vel futurae saluti contrarium vel nocivum esse possit. Sic me Deus adiuvet et ista sancta patrocinia.

TITULUS L.

Acta Synodi Romanae

De confirmatione electionis Karoli Imperatoris, missa per Adalgarium Episcopum Augustodunensem.

In vetusto exemplari istius Synodi, ut Sirmondus docet, haec leguntur de actis ipsis ad Karolum Imperatorem missis: *Synodus quam attulit Adalgarius Episcopus de parte Iohannis Papae aliorumque Episcoporum Karolo ad* Urbam *civitatem, quando pergebat isdem Karolus Romam.*

Sequitur gesta qualiter Domnus Karolus filius Hludouvici Imperatoris fuit factus Imperator Romae tempore Iohannis Apostolici; *anno Incarnationis Domini* DCCCLXXVII. *Indict.* X.

Sermo Domni Apostolici Iohannis in Synodo Episcoporum.

Omnibus generationibus, immo cunctis mortalibus liquet qualiter omnipotens et creator universorum Deus in Ecclesiae suae parte quae gemebunda peregrinatur in terris, per generationes et generationes electos suos velut in coelorum ambitu sidera nova produxerit, ut miro modo in eiusdem Ecclesiae coelo fixa, divino lumine radiantia, moerentium animos inlustrarent, depulsis tetrae moestitiae tenebris et diversarum angustiarum dissipata caligine. Inter quas tanquam clarissimum sidus diebus nostris ecce nobis Karolum Christianissimum Principem superna providentia praescitum à se et praeelectum ante mundi constitutionem et praedestinatum, non nisi copiosissima miseratione circa nostram salutem mota, secundum placitum suum, iuxta quod congruum erat in isto periculoso tempore tribuit, nepotem videlicet illius quondam magni Karoli qui rempublicam proeliis auxit, victoriis dilatavit, sapientia decoravit: qui cum omnes Ecclesias sublimasset, semper hoc ei erat in voto, semper in desiderio, sicut in gestis quae de eo scripta sunt legitur, ut sanctam Romanam Ecclesiam in antiquum statum et ordinem reformaret. Unde et hanc multis honoribus extulit, multis munificentiis et liberalitatibus ampliavit, adeo ut amissas

olim urbes ei restituisset, et ex regni quoque sui parte alias non modicas contulisset. Sed pauca dicta sunt, nisi quae circa religionis incrementum gessit magna et sublimia memorentur. Religionis quippe statum inter diversorum errorum et pravitatum vepres incultum inventum sacris litteris erudivit, divina pariter et humana scientia perornavit, erroribus expurgavit, ratis dogmatibus saginavit, atque intra brevissimum tempus ita industrio pietatis studio egit ut novus quodam modo videretur mundus, magnis luminaribus venustatus, et variis vernantibus floribus adornatus. Cuius filius, divae scilicet recordationis Hludouvicus Maximus Imperator pater huius à Deo electi Principis Karoli semper Augusti, patrium solium adeo religione imitatus, pietate laudabiliter aemulatus est, ut et paterna divini cultus vota et erga praelatam principalem Ecclesiam liberalitatis insignia pius natus aequipararet et roboraret, sed et uberioribus beneficiis et dapsilibus munificentiis, ut heres gratissimus, ampliaret. Verum iste huius praefulgidus filius, Karolus videlicet, de quo nobis sermo est, serenissimus et tranquillissimus Imperator, qui nobis, ut praetulimus, in quos fines seculorum devenerunt, quique caliginosi temporis et quadam parte tetras aerumnas et miserias sustinebamus, tanquam splendidissimum astrum ab arce polorum illuxit, non solum monumenta, progenitorum bonitatem electae radicis ferens in ramo alacriter aequiparavit, verum etiam omne prorsus avitum studium vicit, et universum paternum certamen in causa religionis atque iustitiae superavit, Ecclesias videlicet Domini diversis opibus ditans, Sacerdotes eius honorans, hos ad utramque philosophiam informans, illos ad virtutes sectandas adhortans, viros peritos amplectens, religiosos venerans, inopes recreans, et ad omne bonum penitus subsecutus, et omne malum medullitus detestatus. Quapropter et nos, carissimi fratres, tot ac tantarum dilectionum eius atque virtutum audientes insignia, et laudabilium longe lateque diffusa morum eius intuentes indicia, pietatis illius affectus experti frequentissime ac multifario viscera, non immerito intelleximus istum esse proculdubio qui à Deo constitutus esset salvator mundi, multo profecto praestantius ac decentius ita vocatus quam Ioseph, qui bene solam terram salvavit Aegypti. Unde ab universa sancta Romana plebe, voce almae illius Annae sanctae personam gestantis Ecclesiae sterilis et foecundae, prophetico quodam modo spiritu temulento quotidie clamabatur: *Dominus dabit imperium Regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.* Et iterum cum David orabat Rege pariter ac Propheta, *Da*, inquiens, *potestatem sive imperium puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae*, sanctae videlicet Catholicae et Apostolicae Ecclesiae. Unde

nos tantis indiciis divinitus incumbentibus luce clariusa gnitis, superni secreti consilium manifeste cognovimus. Et quia pridem apostolicae memoriae decessori nostro Papae Nicolao idipsum iam inspiratione coelesti revelatum fuisse comperimus, elegimus hunc merito et approbavimus una cum annisu et voto omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum atque aliorum sanctae Romanae Ecclesiae ministrorum, amplique Senatus, totiusque Romani Populi Gentisque Togatae, et secundum priscam consuetudinem solemniter ad Imperii Romani sceptra proveximus, et Augustali nomine decoravimus, unguentes eum oleo extrinsecus, ut interioris quoque Spiritus sancti unctionis monstraremus virtutem, qua unxit eum Dominus Deus suus prae consortibus suis, Christum hunc oleo laetitiae delibutum extrinsecus faciens, et Principem populi sui constituens, ad imitationem scilicet veri Regis Christi filii sui Domini nostri, ita ut quod ipse possidet per naturam, iste consequeretur per gratiam. Deinde non hic perpetuus Augustus ad tanta fastigia se velut improbus intulit, non tanquam importunus fraude aliqua, vel prava machinatione, aut inhianti ambitione ad imperialem apicem aspiravit. Absit. Neque enim sibi honorem praesumptiose absumpsit ut Imperator fieret; sed tanquam desideratus, postulatus à nobis, et à Deo vocatus et honorificatus, ad defendendam Religionem et Christi utique servos tuendos humiliter atque obedienter accessit, operaturus et roboraturus in Imperio summam pacem et tranquillitatem et in Ecclesia Dei iustitiam et exaltationem. Nisi enim nos talem eius cognovissemus intentionem, nunquam animus fieret noster tam promptus ad ipsius promotionem, et hoc per Sacerdotum Domini manus ministrorum eius officium, sicut David et Salomon et nonnulli alii Christi Domini, quos nimirum non esse tangendos Spiritus sanctus per Psalmorum cantica protestatur. Quapropter, fratres carissimi, omnes unanimes idipsum sentientes benedicamus Domino, et totius cordis ac corporis vocibus collaudemus, qui, secundum quod pollicitus est, spernentes sprevit, et glorificantem se glorificavit, quique hunc tantum nobis talemque contulit per quem moerentium consolatio et Paganorum contritio et Christianorum proculdubio speretur cita redemptio: summamque maiestatem eius et pietatem votis continuis obsecremus ut confirmet hoc in eo, immo et in nobis per eum, quod operatus est in eo à templo sancto suo, quod est in superna Hierusalem. Nosque quod iam in Romana Ecclesia, quae est magistra, mater, et caput Ecclesiarum, auctore Deo famulatus nostri ministerio gessimus, preces benedictionis fundentes, et coronam imponentes sceptri et diadema imperii, etiam hic in sancta hac generali fraternitatis nostrae

Synodo, ad quam Deo duce pro innumeris necessitatibus et utilitatibus sanctae Dei Ecclesiae convenisse dinoscimur, iterato cordis affectibus et oris vocibus et manus subscriptionibus roboremus, nec sint, quod absit, in nobis schismata, quae Apostolus medullitus execratur, nec animorum alicuius divisionis vel diversitatis dissensio.

RESPONSIO EPISCOPORUM.

Ecce, beatissime et apostolice Domine Papa Iohannes, luce clarius videmus mentem apicis vestri gratia sancti Spiritus inlustratam, qui profecto quos repleverit, ardentes pariter et loquentes facit. Nisi enim ipse cor vestrum inradians tetigisset, nec ad tantae dilectionis erga nos flagrantiam accenderetur, nec ad tot mellifluos et salutares effectus, quibus nos proculdubio pie et assidue instruitis, proculdubio moveretur. Spiritalem autem filium vestrum Dominum Imperatorem Karolum Christianissimum et mansuetissimum Principem tanto iure cupimus et desideramus augustalia Romani sceptri gubernacula inconcussa et immutilata immo augmentata et ampliata fine tenus retinere quanto liquidius non per hominem neque ab homine sublimatum et ad tantum culmen potestatis evectum, superna gratia revelante, cognovimus, qui nimirum cordi sacratissimo apostolatus vestri interius inspiravit ut non vos prius eligeret, sed antea vos eum et eligeretis et diligeretis. Sed et nos, o Domine et coangelice Papa, vestigia vestra sectantes, et salubria monita recipientes, quem amatis amamus quem dilexistis diligimus, quem elegistis eligimus, et quod in eo auctore omnium bonorum Deo, sive divina benedictione, sive sacra unctione, sive coronae imperialis impositione gessistis, viscerabili affectu sequimur, et celebri laude prosequimur, et digna honorificentia veneramur, atque totius sensus nostri nisibus ita permanere atque pollere semper optamus. Sed et si necessitas fortassis exegerit, totis officii nostri conatibus adversus aliter sentientium molimina resistere satagemus. Cum enim, secundum Apostolum, non sit potestas nisi a Deo, et haec praecipue quae tam pio collata est, haud dubium quin Dei ordinationi resistit qui isti ordinationi, quae nobis ministrantibus coelitus facta est, obstinata mente resistit. Apostolico quippe culmini, docente sancto Bonifacio Papa, nemo umquam obices manus intulit nisi qui de se voluit iudicari. Durum est autem contra stimulum calcitrare vel adversus impetus fluminis conari.

ITEM SUMMUS PONTIFEX.

Quia igitur, fratres dilectissimi, inspiratio divina omnium nostrum corda in unum sensum et in unum eundem-

que deliberationis finem direxit, ut scilicet unum sentiamus et unum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata, quae in praefato piissimo et tranquillissimo Imperatore spirituali filio nostro Karolo, auctore Deo, sive preces benedictionis super caput eius infundendo, sive sacrae unctionis oleo celsum ipsius verticem contingendo, sive coronam imperii conferendo gessimus, sententiae prolatione, si unanimi generalitati vestrae videtur, et per manuum subscriptionem etiam in praesenti hac venerabili Synodo, sicut iam hortati sumus, iterato promulgemus et roboremus.

Sancta Synodus respondet.

Placet et valde placet in omnibus vestra sacratissima sectari vestigia, neque fas est ut a culmine apostolatus vestri in aliquo dissentiamus, quem videlicet ipse Christus Dominus noster omnium nostrum ad vicem suam in terris esse voluit caput.

Tunc surgens summus Pontifex sententiam protulit, dicens.

Piissimi et serenissimi spiritualis filii nostri Karoli magni et pacifici Imperatoris ad imperialia sceptra electionem et promotionem ante mundi quidem ordinem divinus ordinatam, nuper autem, id est, praeterita nona Indictione, per ministerium nostrae mediocritatis exhibitam, annuente Deo ex tunc et nunc et in perpetuum firmam et stabilem decernimus permansuram.

Responderunt omnes: *Placet*, *placet*.

Item.

Si quis tantae rei divinitus actae proculdubio institutionem superbia aut avaritia vel certe aliquo pessimae ambitionis instinctu perturbare aut violare tentaverit, cuiuscunque sit ordinis, dignitatis, aut professionis, tanquam Dei inimicus, et ordinationi eius tyrannide saeva resistens, et Ecclesiae Dei hostis, totiusque pacis et Christianitatis dissipator, anathemate usque ad satisfactionem teneatur omni tempore annexus.

Responderunt: *Fiat*, *fiat*.

Item summus Pontifex.

Patratores et incitatores pessimi huius consilii, qui profecto cum ministri sint diaboli, sua quaerunt, non quae Iesus Christi, et in imperium subintroducere simultates et discordiam moliuntur, ac fraudulentia immittere schismata ad confundendam Ecclesiae unitatem regnique congruum statum et ordinem reique publicae utilitatem et tranquillita-

tem conantur, si deinceps in talibus inventi fuerint, si quidem ecclesiastici viri extiterint, tanquam viri schismatici et a capite dissidentes, omnimodis deponantur, laici vero et monachi perpetuo anathemate feriantur.

Et responderunt omnes tertio: *Fiat, fiat, fiat.*

Subscripsit ergo Domnus Papa, et cum eo Episcopi qui adfuerunt.

TITULUS LI.

(APUD COMPENDIUM).

Exactio Nortmannis constituta.

Haec exactio a Nortmannis, qui erant in Sequana tempore Karoli Regis, de suo regno fuit facta, ut ab ipsius regno recederent.

Unusquisque Episcopus qui habet Abbatiam, aut Abbas qui similiter habet Abbatiam, aut Comes qui aeque habet Abbatiam, de suo manso indominicato, similiterque et de vassallorum, accipiat de manso indominicato denarios duodecim de manso ingenuili, quatuor denarios de censu dominicato et quatuor de sua facultate. de servili vero duos denarios de censu, et de sua facultate duos. De omnibus vero Ecclesiis, unusquisque Episcopus vel Abbas de sua solummodo potestate accipiant, de Presbyteris a quocunque plurimum solidos quinque, et de unoquoque iuxta quod possibile fuerit, ita ut a quo plurimum, quinque solidos, a quo minimum, quatuor denarios. De Ecclesiis vero quas Comites et vassalli dominici habent, seu de illis qui cum Seniore nostro pergere debent, sive qui remanserint, Episcopus in cuius parochia consistunt secundum praetaxatum modum accipere procurabit. De Ecclesiis vero Imperatricis Episcopus similiter accipiet praetaxato modo.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXVII, *Nonis Maii, in Compendio palatio, de aliqua sed non de tota parte regni quod Domnus Imperator Karolus habuit antequam iunior Hlotharius defunctus fuisset, haec constituta est exactio Nortmannis, qui erant in Sequana, tribuenda, ut a regno eius recederent.*

Episcopi, Abbates, Comites, ac vassi dominici ex suis honoribus de unoquoque manso indominicato donent denarios duodecim de manso ingenuili, quatuor denarios de censu dominicato, et quatuor de facultate mansuarii; de servili vero manso, duos denarios de censu indominicato, et duos de facultate mansuarii. De omnibus vero Ecclesiis, unusquisque Episcopus de suo Episcopatu, vel

Abbas de sua solummodo Abbatia, in cuiuscumque Episcopi sint parochia, accipiant cum Misso Episcopi in cuius parrochia sunt, de Presbyteris secundum possibilitatem, quinque solidos, vel quatuor, vel tres, vel duos, vel unum solidum. A quo plurimum, quinque solidos; a quo minimum, quatuor denarios. De Ecclesiis vero Imperatoris et Imperatricis et Comitum ac vassallorum imperialium, tam de illis qui cum Imperatore pergent, quam et illis qui remanserint, Episcopus in cuius parochia consistunt secundum praedictum modum coniectum accipiat. De negotiatoribus autem, vel qui in civitatibus commanent, iuxta possibilitatem, secundum quod habuerint de facultatibus, coniectus exigatur.

TITULUS LII.

KAROLI IMPERATORIS APUD CARISIACUM.

(De Ecclesiae et Imperii regimine).

Haec Capitula constituta sunt a Domno Karolo, glorioso Imperatore, cum consensu Fidelium suorum apud Carisiacum anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXVII. *regni vero ipsius* XXXVII. *imperii autem secundo*, XVIII. *kalendas Iulias, Indictione decima. De quibus quaedam ipse definivit et de quibusdam a suis Fidelibus responderi iussit.*

I. De honore et cultu Dei atque sanctarum Ecclesiarum quae auctore Deo sub ditione et tuitione regiminis nostri consistunt, Domino mediante, decernimus ut sicut tempore beatae recordationis Domni et Genitoris nostri excultae et honoratae atque rebus ampliatae fuerunt et quae a nostra liberalitate honoratae atque ditatae sunt, de caetero sub integritate sui serventur; et Sacerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum et debita privilegia iuxta reverendam auctoritatem obtineant; et eisdem principalis potestas et inlustrium virorum strenuitas, seu reipublicae administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter et iuste concurrant. Et filius noster haec suprascripta similiter Deo iuvante conservet.

RP. Primum Capitulum, sicut Deo inspirante decrevistis, omnes conlaudamus et conservare volumus.

II. Ut Monasterium a nobis Compendio in honore sanctae Dei genitricis Mariae constructum, a filio nostro et

fidelibus nostris eo tenore quo coepimus honoretur, et privilegium a Domno Papa et ab omnibus Episcopis confirmatum, imperiale etiam decretum, ab omnibus fidelibus pro Dei et nostro amore benignissime atque inviolabiliter conservetur, et a filio nostro firmetur.

RP. De secundo similiter respondemus.

III. Ut tales a vobis eligantur, exceptis illis quibus commendatum habemus, quorum speciali consilio et adiutorio in praesenti itinere utamur.

RP. De tertio vos, sicut melius Deo inspirante vidistis, regni vestri defensionem atque tuitionem, et filii vestri custodiam per fideles vestros, tam per Episcopos, quam Abbates et Comites, dispositum habetis, et necessarium esse cognoscimus. Ipsam dispositionem nos disordinare non possumus, nec debemus; et qualiter illam melius disponere possimus, non sapimus.

IV. Quomodo securi esse possimus quousque Deo donante huc revertamur, à nullo regnum nostrum inquietari posse, quantum Deus vos adiuvare voluerit, et vestrum posse extiterit, et quomodo nos de filio nostro et de vobis securi esse possimus, et vos de filio nostro securi esse possitis, et ipse de vobis, et ut vos ad invicem credere possitis.

RP. De quarto, in quo scriptum est quomodo vos de filio vestro securi esse possitis, respondemus quia, Deo gratias, vos eundem filium vestrum et generastis et nutristis, et sub nutrimento vestro Deus ad hanc aetatem illum perduxit, et nemo nostrum illum amplius salvare potest, vel debet, aut sapit, quam vos, et in vestro consilio et in auxilio ac dispositione illius salvatio et honor post Deum et Sanctos eius consistit. Et qualiter ad Dei voluntatem et sanctae Ecclesiae et regni vestri utilitatem securi de illo esse possitis in vestra dispositione manet. Et de hoc quod ibi scriptum est, quomodo de nobis securi esse possitis, qualiter usquedum Deo donante huc revertamini, ut à nullo regnum vestrum inquietari possit, quantum Deus nos iuvare voluerit, et nostrum posse extiterit: respondemus quia sunt sacramenta quae vobis fecimus, et est professio quam vobis et Clerici et Laici in Carisiaco fecimus et subscripsimus, et est perdonatio quam dominatio vestra nobis fidelibus vestris et perdonavit et subscripsit, et est professio et sacramentum quae in Gundulfi villa pro novis causis emergentibus ex morte Hlotharii et missatico Domni Apostolici Hadriani et missatico Hludouvici nepotis vestri vobis fecimus. Est etiam professio quam Remis et de vestra fidelitate et de vestri regni dispositione ac defensione et de uxore vestra et de filio vestro quem habetis, et si Deus adhuc etiam alterum dederit, professi fuimus. Quae omnia hactenus conservavimus et conservamus, et

adiuvante Deo usque ad finem vitae nostrae conservare volumus. Unde pro certo nos veraciter credere potestis. Si autem aliquis à praefatis sacramentis vel professionibus deviavit, hoc secundum rationem et auctoritatem atque consuetudinem emendet et de caetero conservet. Si autem talis est de vestris fidelibus qui has professiones non fecit, si necesse fuerit faciat, et de caetero conservet. Fideles etiam vestri post mortem fratris vestri ad vos venerunt. Quale sacramentum vobis fecerunt, vos scitis. Qui autem de illis illud sacramentum hactenus conservavit, de caetero conservet. Et si aliquis ab illo sacramento deviavit, secundum rationem et auctoritatem atque consuetudinem hoc emendet, et deinceps conservet. De hoc quod ibidem scriptum est, qualiter nos securi de filio vestro esse possimus, respondemus quia de filio vestro, quem per Dei gratiam et vestram dispositionem futurum Seniorem post vos habere volumus, nullam firmitatem aliam quaerimus nisi hoc quod vos in Capitulari vestro statuistis et decrevistis, nobis unicuique in suo ordine et persona conservet. De hoc quod ibidem scriptum est, qualiter ipse de nobis securus esse possit, respondemus quod et Remis respondimus, quia si Deus et vos illum in regni regimine sublimaveritis, et in parte denominata illum designaveritis, sic ei fideles esse cupimus sicut per rectum esse Seniori debemus. De hoc quod ibi scriptum est, et nobis verbis dixistis, ut ad invicem nos credere possimus, verbis fideliter nos confirmavimus ut ad Dei voluntatem et vestram fidelitatem et honorem et sanctae Ecclesiae ac regni vestri utilitatem ac fidelium vestrorum salvamentum Deo mediante adunati simus, quantum unusquisque nostrum in suo ordine et persona per Dei gratiam scire et posse habuerit, ut ad invicem nos credamus, et mutuo adiuvemus.

V. Ut ea quae per largitatis nostrae praecepta dilectae coniugi nostrae in proprium habere concessimus, filius noster ante nos confirmet; et ex omnibus quae illi iure beneficiario concessimus sive concesserimus, si obitus noster evenerit, et illa nos supervixerit, quomodo securi sumus quatinus illam et sua omnia filius noster et fideles nostri condigno honore studeant conservare.

RP. De quinto Capitulo, in quo scriptum est de dilectae coniugis vestrae Dominae nostrae honore et salvamento, et de conservatione earum rerum quas illi dedistis, vel dederitis, et de confirmatione à filio vestro exinde facienda, et filius vester ad hoc paratus est, sicut iubetis; et nos, quantum scierimus et potuerimus, ad hoc parati erimus.

VI. De filiabus nostris, cum quo honore secundum Dei voluntatem, et quali salvamento aut adiutorio consistere de-

beant. Quod etiam parvulae nostrae filiae datum habemus, aut deinceps dederimus, cum quali securitate tenere possit. Et si Deus eam ad perfectam aetatem venire donaverit, in matris suae sit potestate, et à nullo contra ipsius voluntatem vel marito tribuatur, vel sacrum ei velamen imponatur.

RP. Similiter et de filiabus vestris, et etiam de parvula filia vestra, sicut in Capitulo vestro continetur, et filius vester paratus est conservare, et ad hoc conservandum, quantum scierimus et potuerimus, adiutorium praestabimus.

VII. De ordinandis sacris, et si nepotes nostri, sui patris imitantes vestigia, contra nos aut itinere, aut postquam ad dispositum locum Deo duce venerimus, aliquid nobis mali aut regno nostro machinari voluerint, quomodo illis, Deo iuvante, plenissime resistatur.

RP. De scaris ordinandis, et de adiutorio, si aliquis de nepotibus vestris aut inter vias aut in Italia vobis aliquod impedimentum facere voluerit, in vestra dispositione erit qui in isto regno remaneant, vel qui post vos in vestrum adiutorium pergant.

VIII. Si antequam redeamus, aliqui honores interim aperti fuerint, considerandum quid exinde agatur.

RP. Si antequam, iuvante Domino, revertamini, aliquis Archiepiscopus defunctus fuerit, vicinus Episcopus ipsius dioceseos cum Comite ipsam sedem praevideant usque dum obitus ipsius Archiepiscopi ad vestram notitiam perveniat. Si aliquis Episcopus interim obierit, Archiepiscopus ipsi sedi visitatorem secundum sacros Canones deputet, qui una cum Comite ipsam Ecclesiam, ne praedetur, custodiat usque dum ipsius Episcopi obitus ad vestram notitiam perveniat. Si Abbas vel Abbatissa obierit, Episcopus in cuius parochia monasterium illud est, una cum Comite illud monasterium custodiat usque dum vestra iussio inde fiat.

IX. Si Comes obierit, cuius filius nobiscum sit, filius noster cum caeteris fidelibus nostris ordinet de his qui illi plus familiares et propinquiores fuerint, qui cum ministerialibus ipsius comitatus et Episcopo ipsius comitatum praevideat usque dum nobis renuntietur. Si autem filium parvulum habuerit, isdem cum ministerialibus ipsius comitatus et Episcopo in cuius parochia consistit eundem comitatum praevideat donec ad nostram notitiam perveniat. Si vero filium non habuerit, filius noster cum caeteris fidelibus nostris ordinet qui cum ministerialibus ipsius comitatus et Episcopo ipsum comitatum praevideat donec iussio nostra inde fiat. Et pro hoc nullus irascatur, si eundem comitatum alteri cui nobis placuerit dederimus quam illi qui eum hactenus praevidit. Similiter et de vassallis nostris faciendum est. Et volumus atque expresse iubemus ut tam Episcopi quam Abbates, et Comites, seu

etiam caeteri Fideles nostri, hominibus suis similiter conservare studeant; et tam de Episcopatibus quam et de Abbatiis vicinus Episcopus et Comes praevideant ne aliquis res ecclesiasticas vel facultates diripiat, et nullus ad eorum eleemosynam faciendam impediat. Quod si praesumpserit, et secundum leges humanas hoc componat, et secundum leges ecclesiasticas inde Ecclesiae quam laesit satisfaciat, et nostram harmiscaram secundum modum culpae et ut nobis placuerit sustineat.

RP. Caetera capitula responsione non egent, quoniam à vestra sapientia sunt disposita et diffinita.

X. Si aliquis ex Fidelibus nostris post obitum nostrum Dei et nostro amore compunctus, seculo renuntiare voluerit, et filium vel talem propinquum habuerit qui reipublicae prodesse valeat, suos honores, prout melius voluerit, ei valeat placitare. Et si in alode suo quiete vivere voluerit, nullus ei aliquod impedimentum facere praesumat, neque aliud aliquid ab eo requiratur, nisi solummodo ut ad patriae defensionem pergat.

XI. Si aliqua occasione filio nostro aut fidelibus nostris de nostro obitu nuntiatum fuerit, non facile credatur: sed conveniant simul fideles nostris, et rationabiliter secundum Dei voluntatem omnia à nobis ordinata disponant.

XII. Si nos in Dei Sanctorumque ipsius servitio mors praeoccupaverit, eleemosynarii nostri, secundum quod illis commendatum habemus, de eleemosyna nostra decertent. Et libri nostri, qui in thesauro nostro sunt, ab illis, sicut dispositum habemus, inter sanctum Dionysium et sanctam Mariam in Compendio et filium nostrum dispertiantur. Id est, Hincmarus venerabilis Archiepiscopus, Franco Episcopus, Odo Episcopus, Gauzlinus Abba, Arnulfus Comes, Bernardus Comes, Chuonradus Comes, Adalelmus Comes. Similiter de his quae ad eleemosynam coniugis nostrae pertinent, si ipsa obierit, faciant. Quae vero superfuerint, ab ipsis salventur usque ad nostram, Deo dante, interrogationem.

XIII. Inveniendum qualem partem imperii, si obitus noster evenerit, sibi decernendam sperare filius noster debeat; et si Deus alterum filium nobis interim donare voluerit, quam ipse habeat. Et si aliquis ex nepotibus nostris ad hoc se dignum exhibuerit, vel si non fecerit, secundum quod nobis tunc, et cui placuerit, censeatur.

XIV. Ut filius noster talem se et taliter praeparet quatenus cum, Deo iuvante, reversi fuerimus, Romam ire valeat, et ibi Dei et sanctorum Apostolorum, quandiu necesse fuerit, servitium agere et ibi, Deo adminiculante, in Regem possit coronari.

XV. Qualiter et quo ordine filius noster in hoc regno

remaneat, et qui debeant esse quorum auxilio utatur, et vicissitudine cum eo sint. Videlicet ex Episcopis assidue sint cum illo aut Ingiluvinus, aut Reinelmus, sive Odo, seu Hildeboldus. Ex Abbatibus, si alia necessitas non evenerit, assidue sint cum eo Welpho, Gauzlinus, et Folco. Ex Comitibus vero, aut Teudericus, aut Balduinus, sive Chuonradus, seu Adalelmus, alternatim cum illo consistent, et, quanto saepius pro nostra utilitate potuerint, Boso et Bernardus. Si versus Mosam perrexerit, sint cum eo Franco Episcopus, Iohannes Episcopus, Arnulfus Comes, Gislebertus, Letardus, Matfridus, Widricus, Gotbertus, Adalbertus, Ingelgerus, Rainerus, una cum praedictis. Si ultra Sequanam perrexerit, Hugo Abba, Waltherus Episcopus, Wala Episcopus, Gislebertus Episcopus, et caeteri nostri Fideles illius partis, una cum praedictis. Sed et de aliis Fidelibus nostris, secundum quod in unaquaque parte regni necesse fuerit.

XVI. Si subito evenerit in aliqua parte regni necessitas, videtur nobis ut quia, Deo gratias, filius noster iuvenis est, non omnes fideles nostros aequaliter faciat laborare; sed sicut nos iam, Deo iuvante, saepissime fecimus, acceptis secum strenuis viris ex fidelibus nostris, inimicis nostris insperate superveniat, et eos viriliter perterreat; et qui cum eo ire non potuerint, mittant cum eo electos viros, prout necessitas fuerit.

XVII. Adalardus Comes palatii remaneat cum eo cum sigillo. Et si ipse pro aliqua necessitate defuerit, Gerardus sive Fredricus, vel unus eorum qui cum eo scariti sunt, causas teneat; et vel una die in septimana ipse causas teneat; et ubicunque fuerint, de pace praevideant.

XVIII. Comites quoque per suos Comitatus de raptoribus et malis hominibus praevideant qualiter pax fiat, et malla teneant, et omnibus qui hostem debent, denuntient ut parati sint quatinus, si necessitas fuerit, in Dei et nostrum servitium pergere valeant. Et Missi nostri, qui per omne regnum nostrum constituti sunt, missaticum nostrum, prout eis opportunum fuerit, agere non negligant.

XIX. Si werra in regno surrexerit, quam Comes per se comprimere non possit, filius noster cum fidelibus nostris eam quantocius comprimere studeat, antequam malum in regno nostro accrescere possit.

XX. Ut filius noster cum fidelibus nostris in illa parte regni moretur ubi maior necessitas fuerit, et nemo in villis nostris vel in villis uxoris nostrae mansionaticum accipiat, et nullus homines nostros sive alios depraedari audeat, et eorum qui nobiscum vadunt beneficia et villae sub immunitate maneant. Quod si aliquis praesumpserit, in tri-

plo componat sicut ille qui in truste dominico committit. Et qui in villas Episcoporum, Abbatum, vel aliorum Fidelium nostrorum depraedationes fecerint, sicut in Capitularibus antecessorum nostrorum et in nostro continetur emendent.

XXI. Ut nemo despiciat litteras nostra auctoritate aut filii nostri nomine signatas, vel eorum quos in hoc regno cum illo dimittimus, neque inobediens sit quae sibi mandata fuerint. Quod si praesumpserit, ita multetur sicut in Capitulare Avi et Domni ac Genitoris nostri continetur.

XXII. Monendum quoque et hortandum ut fidelium nostrorum, qui cum filio nostro remanserint, nullus in consilio tardus appareat; sed unusquisque ut sibi melius visum fuerit loquatur, et post omnium locutiones, quod melius visum fuerit eligant.

XXIII. Qualiter regnum quod necessitate Brittonibus quondam iuramento confirmatum fuerat, quia de illis quibus firmatum est nullus superstes est, a fidelibus nostris recipiatur.

XXIV. De regno Aquitanico.

XXV. Ut post nos, cum his quae nobis ferenda sunt pergat, primum Willebertus Episcopus, deinde Arnoldus Episcopus, et deinde Wala Episcopus. Et ut filius noster et alii nostri fideles ad hoc studeant ut nihil novi aut mali in hoc regno surgat quod aut per equites aut per cursores pedites non sciamus; quia de vestra prosperitate sicut de nostra semper solliciti erimus. Et si nepotes nostri, filii fratris nostri, sui patris imitantes exempla, post nos pergere et contra nos insurgere voluerint, non expectetur ut commendemus fidelibus nostris ut nobis occurrant; sed prout plenius potuerint, statim ut hoc cognoscere potuerint nobis in adiutorium, prout citius potuerint, veniant, et ad hoc omnes semper warniti sint.

XXVI. Ut castellum de Compendio, a nobis coeptum, pro nostro amore et vestro honore perficiatur in testimonium dilectionis vestrae erga nostram benignitatem.

XXVII. De civitate Parisius, et de castellis super Sequanam et super Ligerim ex utraque parte, qualiter et a quibus instaurentur, specialiter etiam de castello sancti Dionysii.

XXVIII. De Wlframno et Gauzmaro et Hadeberto aurifice, sicuti statuimus, ita permaneant.

XXIX. De monetis.

XXX. Qualiter hoc perficiatur et ad effectum perveniat quod Nortmannis dari debet de coniecto.

XXXI. De honoribus Bosonis, Bernardi, et Widonis, et aliorum illarum partium. Et de cappis et aliis negotia-

toribus, videlicet ut Iudaei dent decimam, et negotiatores Christiani undecimam.

XXXII. In quibus ex nostris palatiis filius noster, si necessitas non fuerit, morari vel in quibus forestibus venationem exercere non debeat. Carisiacus penitus cum forestibus excipitur. Silvacus cum toto Laudunensi similiter. Compendium cum Causia similiter. Salmonciacus similiter. In Ordreia villa porcos non accipiat; et non ibi caciet nisi in transeundo. In Attiniaco parum caciet. In Verno porcos accipiat tantum. Arduenna penitus excipitur, nisi in transeundo. Et villae ad servitium nostrum similiter. In Ligurio porcos et feramina accipiat. Aristallium cum foreste penitus excipitur. In Lens et Wara et Astenido et feramina et porcos capere potest. In Rugitusit, in Scadebolt, in Launif, tantummodo in transitu, et sicut minus potest. In Crisiaco similiter. In Lisga porcos tantum accipiat.

XXXIII. Ut Adelelmus de forestibus diligenter sciat quot porci et feramina in unaquaque a filio nostro caciata fuerint.

XVI. kalend. praedicti mensis, postquam Domnus Imperator Karolus adnuntiavit generaliter in populum de suo itinere Romam, et quia ordinatum habebat qualiter filius suus in regno isto consistat, et quorum in specialibus et generalibus causis utatur consilio et adiuvetur auxilio, et quia ordinatum habebat quomodo Nortmanni de isto regno expellantur, et postea defendantur, et si Werra de quacunque parte in isto regno surrexerit, comprimatur, vel defendatur, et quia de generalibus et specialibus causis generalia et specialia Capitula habebat disposita, quae filio suo et fidelibus suis, qui in isto regno remanebant, data habebat, et secum portabat, dixit quia de ipsis Capitulis quaedam Capitula excerpta habebat, quae in illorum omnium notitiam recitari volebat. Et tunc iussit Gauzlenum Cancellarium ut haec sequentia Capitula in populum recitaret.

HÆC CAPITULA FECIT DOMNUS KAROLUS IMPERATOR ET ADNUNTIARI IUSSIT NOVISSIME APUD CARISIACUM.

I. DE honore et cultu Dei atque sanctarum Ecclesiarum quae auctore Deo sub ditione et tuitione regiminis nostri consistunt, Domino mediante, decernimus ut sicut tempore beatae recordationis Domni et Genitoris nostri excultae et honoratae atque rebus ampliatae fuerunt, et quae a nostra liberalitate honoratae atque ditatae sunt, de caetero

sub integritate sui serventur, et Sacerdotes atque servi Dei vigorem ecclesiasticum et debita privilegia iuxta reverendam auctoritatem obtineant, et eisdem principalis potestas et illustrium virorum strenuitas, seu reipublicae administratores, ut suum ministerium competenter exsequi valeant, in omnibus rationabiliter et iuste concurrant. Et filius noster haec supradicta similiter, Deo iuvante, conservet.

II. Ut omnes nostri fideles veraciter sint de nobis securi quia quantum potuerimus, et iuste et rationabiliter scierimus, unumquemque secundum sui ordinis dignitatem et personam honorare et salvare et honoratum ac salvatum conservare volumus. Et unicuique eorum in suo ordine secundum sibi competentes leges, tam ecclesiasticas quam mundanas, rectam rationem et iustitiam conservabimus; et nullum fidelium nostrorum contra legem vel iustitiam aut auctoritatem et iustam rationem aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus; et legem, ut praediximus, unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore antecessorum nostrorum habuerunt, in omni dignitate et ordine nos, adiuvante Domino, servaturos perdonamus, illis videlicet qui nobis fideles et obedientes atque adiutores et cooperatores iuxta suum ministerium et personam consilio et auxilio secundum suum scire et posse et secundum Deum ac secundum seculum fuerint, sicut per rectum unusquisque in suo ordine et statu Imperatori suo et suo Seniori esse debet. Et Capitula quae Avus et Pater noster pro statu et munimine sanctae Dei Ecclesiae et ministrorum eius et pro pace ac iustitia populi ac quiete regni constituerunt, et quae nos cum fratribus nostris Regibus et nostris et eorum Fidelibus communiter constituimus, sed et quae nos consilio et consensu Episcoporum ac caeterorum Dei et nostrorum Fidelium pro suprascriptis causis in diversis placitis nostris conservanda statuimus, et manere inconvulsa decernimus, similiter et a filio nostro inconvulsa conservari volumus et mandamus.

III. Si Comes de isto regno obierit, cuius filius nobiscum sit, filius noster cum caeteris Fidelibus nostris ordinet de his qui eidem Comiti plus familiares propinquiores fuerunt, qui cum ministerialibus ipsius comitatus, et cum Episcopo in cuius parochia fuerit ipse comitatus, ipsum comitatum praevideant usque dum nobis renuntietur, ut filium illius qui nobiscum erit, de honoribus illius honoremus. Si autem filium parvulum habuerit, isdem filius eius cum ministerialibus ipsius comitatus, et cum Episcopo in cuius parochia consistit, eundem comitatum praevideant, donec obitus praefati Comitis ad notitiam nostram perveniat, et ipse filius eius per nostram concessionem de illius honoribus

honoretur. Si vero filium non habuerit, filius noster cum caeteris fidelibus nostris ordinet qui cum ministerialibus ipsius comitatus et cum Episcopo proprio ipsum comitatum praevideat, donec iussio nostra indefiat. Et pro hoc ille non irascatur qui illum comitatum praeviderit, si eundum comitatum alteri, cui nobis placuerit, dederimus quam illi qui eum eatenus praevidit. Similiter et de vassallis nostris faciendum est. Et volumus atque praecipimus ut tam Episcopi quam Abbates et Comites seu etiam caeteri Fideles nostri hoc erga homines suos studeant conservare.

IV. Volumus etiam et expresse praecipimus quod si aliquis Episcopus, vel Abbas, aut Abbatissa, vel Comes, aut vassallus noster obierit, nullus res ecclesiasticas aut facultates diripiat, vel Comitis aut vassalli nostri aut alicuius defuncti res aut facultates invadere vel usurpare praesumat, vel uxoribus defunctorum laicorum ac filiis quamcunque violentiam inferat, et nullus ad illorum eleemosynam faciendam eleemosynarios eorum impediat. Quod si aliquis praesumpserit, et secundum leges mundanas hoc cum banno nostro componat, et secundum leges ecclesiasticas inde Ecclesiae, quam laesit, satisfaciat. Insuper nostram harmiscaram, secundum modum culpae, et ut nobis placuerit, sustineat.

Post haec lecta capitula, dedit omnibus licentiam cum Dei gratia et sua redeundi ad propria, exceptis his quos specialiter pro specialibus causis considerandis vel pro dona liberanda secum aliquantis diebus manere praecepit.

CAPITULA
LUDOVICI II.
FRANCORUM REGIS KAROLI CALVI F.

TITULUS I.

QUANDO COMPENDII CORONATUS EST.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXVII. *in Compendio palatio, haec quae sequuntur ab Episcopis petita sunt apud Hludouvicum Regem, et ab eo promissa Episcopis.*

Petitio Episcoporum.

A vobis perdonari nobis petimus ut unicuique de nobis et Ecclesiis nobis commissis, secundum primum Capitulum quod novissime in Carisiaco Domnus Imperator pater vester a se et a vobis servaturum, consentientibus fidelibus suis ac vestris, atque Apostolicae sedis Legatis, legente Gauzleno, denuntiavit, canonicum privilegium et debitam legem atque iustitiam conservetis et defensionem exhibeatis, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo et Ecclesiae sibi commissae per rectum exhibere debet.

Promissio Regis.

Promitto et perdono vobis quia unicuique de vobis et Ecclesiis vobis commissis, secundum primum Capitulum quod novissime in Carisiaco Domnus Imperator pater meus a se et a me servaturum, consentientibus Fidelibus illius ac nostris atque Apostolicae sedis Legatis, legente Gauzleno, denuntiavit, canonicum privilegium et debitam legem atque iustitiam conservabo, et defensionem, quantum potuero, adiu-

vante Domino, exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo et Ecclesiae sibi commissae per rectum exhibere debet.

HOC EST CAPITULUM QUOD HIC COMMEMORATUR.

De honore quoque et cultu, etc. *ut supra pag.* 207 *et* 214.

Commendatio Ansegisi Episcopi et aliorum Episcoporum qui adfuerunt apud Compendium quando benedixerunt Hludouvicum filium Karoli Imperatoris.

Me ac Ecclesiam mihi commissam vobis commendo ad debitam legem et iustitiam conservandam et defensionem exhibendam, sicut Rex Episcopos Ecclesiae suae iusto iudicio conservare et exhibere debet.

PROFESSIO IPSORUM.

Ego ille ipse sic profiteor, de ista die et deinceps isti Seniori et Regi meo Hludouvico Karoli et Hermentrudis filio, secundum meum scire et posse et meum ministerium, auxilio et consilio fidelis et adiutor ero sicut Episcopus recte Seniori suo debitor est, in mea fide et meo sacerdotio.

Ad suprascriptam vero Episcoporum petitionem haec quae sequuntur Rex Hludouvicus professus est Episcopis, et istam ipsam perdonationis scripturam manu sua eis dedit in Compendio II. *Kalendas Decembris.*

PROMISSIO HLUDOUVICI REGIS.

Ego Hludouvicus, misericordia Domini Dei nostri et electione populi Rex constitutus, promitto, teste Ecclesia Dei, omnibus ordinibus, Episcoporum videlicet, Sacerdotum, Canonicorum, Monachorum, atque Sanctimonialium, regulas à Patribus conscriptas et apostolicis attestationibus roboratas ex hoc in futurum tempus me illis ex integro servaturum. Polliceor etiam me servaturum leges et statuta populo qui mihi ad regendum misericordia Dei committitur, per commune consilium fidelium nostrorum, secundum quod praedecessores mei Imperatores et Reges gestis inseruerunt, et omnino inviolabiliter tenenda et observanda decreverunt. Ego igitur Hludouvicus rectitudinis et iustitiae amore hanc spontaneam promissionem meam relegens manu propria firmavi.

TITULUS II.

Synodi Tricassinae.

Anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXVIII. *Indictione* XII *o*), *mense Augusto lecta sunt in Synodo Tricassina haec quae sequuntur Capitula, statuta à Domno Iohanne summo Pontifice Romana, quae sancta Synodus recepit et confirmavit.*

(*De honore quem Episcopis debent saeculi Potestates.*)

I. Ut Episcopi cum omni reverentia à cunctis mundi Potestatibus debite honorentur; atque coram eis sedere nullatenus audeant, nisi illis praecipientibus. Et res ecclesiasticae à laicis et popularibus praeter Praesulum earum conscientiam nullo modo contingantur. Quod si post hanc nostram definitionem quis tentaverit, prius communione Ecclesiae repulsus, si non resipuerit, anathematis vinculo innodetur.

(*Ut Ecclesiarum possessiones ab Episcopis non petant quibus non licet.*)

II. Ecclesiarum sanctarum possessiones, id est, monasteria, mansa, cortes, villas, patrimonia, omniaque quae iurisdictionibus earumdem conveniunt, nullus suppetere à Romano seu reliquis Pontificibus praesumat, nisi personae quas canonica sancit auctoritas; ut est illud primo anno ordinationis nostrae apud beatum Petrum Apostolum constitutum.

(*Ut Capitula Ravennae statuta observentur.*)

III. Ut illa capitula quae anno praecedente apud Ravennam statuimus synodali collegio, inconvulsa ab omnibus observentur.

(*Ut Episcopi mutuo in vexationibus se adiuvent.*)

IV. Ut Episcopi nullo modo confratrum consacerdotumque suorum parvipendere audeant vexationes Ecclesiarumque pressuras; sed unanimiter cuncti baculo pastorali et apostolica auctoritate succincti, in praelio pro domo Israel, id est, Christi Ecclesiae, stare communiter non praetermittant.

---

o) Legend. *Indictione XI.*

(*Ut à propriis Episcopis excommunicati ab aliis non recipiantur.*)

V. Ut expulsi laici vel quilibet de Clero pro quibusdam facinoribus à propriis Episcopis, ab aliis iuxta Canonum statuta non suscipiantur, ut igne poenitudinis decocti, misericordiam Domini, prout potuerint, lacrymis fletibusque sibimet ante mortis obitum adquirant.

(*Ut liberum alterius hominem contra leges nemo recolligat.*)

VI. Nemo alterius liberum hominem, sicut iam in alia Synodo constituimus, recolligere praesumat sine illis causis quas leges mundanae praecipiunt. Si quis deinceps contra haec nostra statuta tentaverit, sciat se ab omni ordine ecclesiastico esse privandum.

(*Occultae fratrum accusationes interdictae.*)

VII. Confratrum Coepiscoporumque accusationes fieri occulte omni modo prohibemus; quia saepe contigit ut innocentes à malis huiusmodi condemnentur. Sed si accusatio super persona cuiuslibet Episcopi dicitur, canonice sancitus in publicum praetendatur. Quoniam scriptum est: *Cecidit de coelo accusator fratrum, qui accusabat eos ante conspectum agni.* Et iterum: *Qui odit fratrem suum homicida est.* Et: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* His talibus documentis instructi, si quis contra hoc Dei decretum tentaverit Episcopus, Presbyter, et Diaconus, proprio honore privetur, laicus vero cuiuslibet dignitatis omni Christiana careat dignitate; et nisi utrique resipuerint, anathematis vinculo innodentur.

SUBSCRIPTIONES.

Iohannes Apostolicae Romanae Ecclesiae primae sedis Episcopus huic decreto à nobis promulgato subscripsi.
Walbertus Portuensis Episcopus subscripsi.
Petrus Forosempronii Episcopus subscripsi.
Pascasius Episcopus subscripsi.
Hincmarus Remorum metropolis Episcopus subscripsi.
Ansegisus Sennensis Archiepiscopus subscripsi.
Aurelianus Lugdunensis Archiepiscopus subscripsi.
Sigebodus Narbonensis Archiepiscopus subscripsi.
Rostagnus Arelatensis Archiepiscopus subscripsi.
Adalardus Turonensis Archiepiscopus subscripsi.
Teudericus Vesontionensis Archiepiscopus subscripsi.
Ottramus Viennensis Archiepiscopus subscripsi.
Isaac Lingonensis Episcopus subscripsi.
Gerboldus Cabillonensis Episcopus subscripsi.

Agilmarus Arvernensis Episcopus subscripsi.
Bernerus Gratianopolitanus Episcopus subscripsi.
Abbo Nevernensis Episcopus subscripsi.
Ottulfus Augustae Tricorum Episcopus subscripsi.
Gislebertus Carnotensis Episcopus subscripsi.
Hildeboldùs Suessionensis Episcopus subscripsi.
Teotharius Gerundensis Episcopus subscripsi.
Ingelwinus Parisiorum Episcopus subscripsi.
Edenulfus Laudunensis Episcopus subscripsi.
Adebertus Silvanectensis Episcopus subscripsi.
Berno Catalaunorum Episcopus subscripsi.
Maricus Biterrensis Episcopus subscripsi.
Ecfridus Pictavensis Episcopus subscripsi.
Item Abbo Magalonensis Episcopus subscripsi.
Frodoinus Barcilonensis Episcopus subscripsi.
Arnaldus Tullensis Episcopus subscripsi.

IOHANNIS VIII. PAPAE ADLOCUTIO AD REGEM SUB FINEM SYNODI.

Vos, carissime fili Hludouvice gloriose Rex, precor in defensionem, liberationem, atque exaltationem sanctae Romanae Ecclesiae, sicut praedecessores vestri fecerunt, et vobis sub attestatione facere mandaverunt, sine procrastinatione et ulla dilatione succurrite: quia ministri Dei estis, vindices in ira in his qui male agunt, et non sine causa gladium portatis; ne forte, quod absit, illa vos aut regnum vestrum culpa contegat quae quosdam veteres Reges inimicis et infidelibus Dei quondam parcentes damnabiliter strinxit. Vel si aliud placet, praesentaliter in isto loco date, per Deum et beatum Petrum vos coniuro, sine mora responsum.

CONFIRMATIO LEGIS KAROLI DE COMPOSITIONE SACRILEGII, edita coram Hludouvico Rege et Episcopis LIII. in Concilio Tricassino, et eorum auctoritate iuncta Gothicae legi.

Iohannes, Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis per Narbonensem atque Hispanicas provincias consistentibus, Abbatibus, Presbyteris, cunctisque simul ordinibus divino ministerio mancipatis, necnon Comitibus, Vicecomitibus, Vicariis, Centenariis, Iudicibus, et omnibus in potestatibus constitutis in Hispania et Gothia provinciis degentibus, omnique populo occidentali catholico, salutem et apostolicam benedictionem. Auctore omnipotente Deo mediante, Incarnationis Domini nostri Iesu Christi anno DCCCLXXVIII. Indictione XI. XV. Kalendas Septembris, Domno videlicet Hludouvico serenissimo regnante anno primo, actum est à nobis apud urbem Trecas pro statu sanctae Dei Ec-

clesiae synodale Concilium: ubi sedentibus nobis in corona, venit ante praesentiam nostram filius noster Sigebodus primae sedis Narbonensis Episcopus cum suis suffraganeis Episcopis, et detulit nobis librum Gothicae Legis, ubi nihil habebatur de sacrilegiis; et in eisdem legibus scriptum erat ut causae quas illae leges non habent, non audirentur a iudicibus illius patriae. Atque ita ius sanctae Ecclesiae suffocabatur ab incolis Galliae et Hispaniae provinciis. Unde nostra serenitas cum praescriptis Episcopis, inspectis Legibus Romanis, ubi habebatur de sacrilegiis, invenimus ibi a Iustiniano Imperatore legem compositionis sacrilegii constitutam, scilicet in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem praecipimus esse tenendam quae a Karolo est constituta pio Principe de compositione sacrilegii, videlicet in triginta libras examinati argenti, id est, sexcentorum solidorum argenti purissimi. Ideoque quisquis inventus fuerit reus sacrilegii, istam leviorem compositionem emendet ipsis Episcopis vel Abbatibus sive personis ad quos sacrilegii quaerimonia iuste pertinuerit. Et si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi subiaceat usquequo praedictam compositionem sexcentorum solidorum persolvat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus eius cum psalmis et hymnis non deferatur ad sepulturam. Et praecipimus ut in fine codicis legis mundanae scribatur haec lex.

TITULUS III.

CONVENTUS FURONENSIS.

Conventio quae inter gloriosos Reges Hludouvicum filium Karoli Imperatoris, itemque Hludouvicum filium Hludouvici Regis, in loco qui vocatur Furonis, *kalendis Novembris, ipsis et communibus fidelibus ipsorum faventibus et consentientibus, facta est anno Incarnationis Dominicae* DCCCLXXIX, *Indictione* XII p), *dicente Rege Hludouvico filio Karoli.*

Sicut inter patrem meum Karolum et patrem vestrum Hludouvicum regnum Hlotharii divisum fuit, volumus ut ita consistat. Et si aliquis nostrorum fidelium de regno paris sui ex hoc aliquid purprisum habet, iussu nostro illud dimittat.

p) Praeferenda est lectio unius Cod. *anno DCCCLXXVIII. Indictione XI.*

De regno vero quod Hludouvicus Imperator Italiae habuit, quia necdum ex illo aliqua divisio facta est, quicunque modo illud tenet, ita teneat, donec Domino volente iterum simul venientes, cum communibus fidelibus nostris inveniamus et diffiniamus quod ex hoc melius et iustius nobis visum fuerit.

De regno autem Italiae quia modo nulla ratio esse potest, omnes sciant quia partem nostram de illo regno et requisivimus et requirimus, et Domino auxiliante requiremus.

Ista sequenti die statuta sunt.

I. Ut quia firmitas amicitiae et coniunctionis nostrae modo, quibusdam praepedientibus causis, esse non potuit, usque ad illud placitum quo simul ut conveniamus statutum habemus, talis amicitia inter nos maneat, Domino auxiliante, de corde puro et conscientia bona et fide non ficta ut nemo suo pari vitam, regnum, aut fideles suos, vel aliquid quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regni pertinet, discupiat aut forconsiliet.

II. Ut si in cuiuscunque nostrum regnum Pagani sive pseudochristiani insurrexerint, unusquisque veraciter suum parem, ubicunque necessitas illi fuerit, et ipse rationabiliter potuerit, aut per semetipsum aut per suos fideles et consilio et auxilio, prout melius potuerit, adiuvet.

III. Ut si ego vobis superstes fuero, filium vestrum Hludouvicum adhuc parvulum et alios filios vestros quos vobis Dominus donaverit, ut regnum paternum hereditario iure quiete tenere possint, et consilio et auxilio, prout melius potuero, adiuvabo. Si autem vos mihi superstes fueritis, filios meos Hludouvicum et Karlomannum et alios quos divina pietas mihi donare voluerit, ut regnum paternum quiete tenere possint, similiter et consilio et auxilio, prout melius potueritis, adiuvetis.

IV. Ut si aliqui susurrones et detractores, et qui paci nostrae invident, et quietum regnum esse non patiuntur, inter nos lites et contentiones et discordias seminare voluerint, nullus nostrum hoc recipiat aut libenter acceptet; nisi forte hoc ad rationem coram nobis utriusque et communibus fidelibus nostris perducere voluerit. Si vero hoc noluerit, cum nullo nostrum aliquam societatem habeat; sed omnes illum sicut mendacem et falsarium, et inter fratres volentem seminare discordias communiter à nobis abiciamus, ne de caetero quisque talia mendacia auribus nostris inferre audeat.

V. Ut communiter, prout citius potuerimus, Missos nostros ad Karlomannum et Karolum gloriosos Reges dirigamus, qui eos ad placitum, quod VIII. Idus Februarii statutum habemus, invitent, et ut nullatenus venire differant, obse-

crent. Et si secundum quod optamus venire voluerint, communiter nos ad Dei voluntatem et sanctae Ecclesiae salvationem ac communem honorem nostrum et profectum ac salvamentum totius populi Christiani nobis commissi, Domino cooperante, ita coniungamus ut de caetero in eo qui unus est unum simus, et unum velimus, et idipsum dicamus, secundum Apostolum, et faciamus omnes, et non sint in nobis ulla schismata.

VI. Si autem illi obsecratione nostra vocati et invitati, aut Missi eorum ad praefatum placitum venire distulerint, nos, secundum quod statutum habemus, illuc omnino venire et nos secundum Dei voluntatem coniungere omnimodis non omittamus; nisi forte talis inevitabilis necessitas evenerit pro qua id fieri nullatenus possit. Et si hoc acciderit, ad tempus quisque pari suo hoc rescire faciat, et propterea amicitia nostra nec minuatur nec immutetur, donec, Domino volente, congruo tempore perfecte confirmetur.

VII. Ut res Ecclesiarum, in cuiuscunque regno caput fuerit, tam de Episcopatibus, quam de Abbatiis, sine ulla contradictione Rectores ipsarum Ecclésiarum illas possideant. Et si aliquid ibi misfactum à quoquam est, in cuiuscunque regno illae res consistunt, legaliter exinde iustitiam reddere faciat.

VIII. Et quia per vagos et in tyrannica consuetudine inreverentes homines pax et quies regni perturbari solet, volumus ut ad quemcunque nostrum talis venerit ut de his quae egit rationem et iustitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud récipiat vel retineat nisi ut ad rectam rationem et debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune in cuius regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno expellatur, vel deleatur.

IX. Volumus ut hi qui merito proprietatem illorum in nostro regno perdiderunt, ita iudicentur sicut temporibus antecessorum nostrorum inventum fuit. Qui vero dicunt se iniuste proprietatem illorum perdidisse, veniant in nostram praesentiam, et sicut iustum est, ita illis iudicetur, et sua recipiant.

Hoc dicto, Hludouvicus Hludouvici filius ad sua rediit; et Hludouvicus Karoli filius per Arduennam veniens anno Incarnationis dominicae DCCCLXXIX. *in Longlario Nativitatem Domini celebravit.*

CAPITULA KARLOMANNI FRANCORUM REGIS, LUDOVICI II. F.

TITULUS I.

Apud Carisiacum.

Quando post mortem Ludovici Fratris integrum regnum sortitus est anno DCCCLXXXII. *mense Septembri.*

Petitio Episcoporum ad Domnum Charolomannum Regem, quando ei se commendaverunt in Carisiaco V. Idus Septembris anno DCCCLXXXII.

A vobis perdonare petimus ut unicuique de nobis et Ecclesiis nobis commissis, secundum primum Capitulum quod novissime in Carisiaco Domnus Imperator avus vester à se et à patre vestro servaturum, consentientibus fidelibus illius ac patris vestri atque apostolicae sedis Legatis, legente Gauzleno, denuntiavit, canonicum privilegium et debitam legem atque iustitiam conservetis, et defensionem exhibeatis, sicut Rex in suo regno unicuique et Episcopo et Ecclesiae sibi commissae per rectum exhibere debet, et quemadmodum continetur in scripto quod in Ferrariorum monasterio coram altare sancti Petri perdonastis, et manu propria una cum fratre vestro confirmastis.

Promissio Domni Karolomanni Regis ad supradictam petitionem.

Promitto et perdono vobis quia unicuique de vobis et Ecclesiis vobis commissis, secundum primum Capitulum quod novissime in Carisiaco Domnus Imperator avus meus à se et à patre meo servaturum, consentientibus fidelibus suis ac patris mei atque apostolicae sedis Legatis, legente Gauzleno, denuntiavit, canonicum privilegium et debitam legem atque iustitiam conservabo, et defensionem, quantum potuero, adiuvante Domino, exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo et Ecclesiae sibi commissae per

rectum exhibere debet, et quemadmodum continetur in scripto quod in Ferrariorum monasterio coram altare sancti Petri perdonavi. In hoc ut vos mihi secundum Deum et secundum seculum sic fideles adiutores et consilio et auxilio sitis sicut vestri antecessores boni meis melioribus praedecessoribus extiterunt, secundum scire et posse.

TITULUS II.

In Broilo Compendii.

Haec Capitula, quae sequuntur, sunt promulgata à Domno glorioso Rege Karlomanno anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXXIII. VIII. *kal. Martias, feria* VI. *anno regni sui in Francia primo, in Broilo Compendii palàtii, de rapinis.*

I. Communi fidelium nostrorum consilio statutum habemus ut rapinam nullus deinceps faciat, aut facienti consentiat.

II. Ut rapina quae retro est acta, cum omni diligentia emendetur, et condignam pro hoc harmiscaram is qui eam fecit sustineat.

III. Ut si quis post hunc conventum et bannum nostrum rapinam faciens inventus fuerit, is cuius homo eam fecerit, cum ad legalem emendationem in praesentiam nostram adducat. Quod si eum adducere non potuerit, pro eo secundum statuta legum emendet. Eum autem qui iustitiam fugerit sciant omnes esse forbannitum, ita ut nullus eum nisi ad praesentandum recipiat.

TITULUS III.

Apud Vernis Palatium. p)

[*De cultu Dei et Religionis in regio palatio*; *de compositione furti*; *de adiutoribus Episcoporum.*]

[PRAEFATIO.]

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Karlomannus, gratia Dei Rex, omnibus venerabilibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Iudicibus, omnibusque sanctae Dei Ecclesiae et nostris fidelibus. Cum ad palatium Vernis anno Dominicae

p) In Capitulis huius Tituli quaedam ex veteri codice Palatino, ex Reginone, et Burchardo inter uncos ponenda iudicavimus, quae sunt extra lectionem Baluzii.

Incarnationis DCCCLXXXIV. anno autem regni nostri quinto, Indictione secunda, mense Martio convenissemus, et pars fidelium nostrorum nobiscum, placuit ut quaedam statuta sacrorum Canonum necnon quaedam Capitula antecessorum nostrorum renovarentur, quia graviter et moleste ferimus quod peccatis impedientibus, et malitiis perversorum hominum exuberantibus, ultra modum vilescunt atque pene adnullata existunt, praecipue illa quae contra malum rapinae et depraedationis à sanctis Patribus sunt promulgata, et à Christianissimis Regibus auctoritate regia confirmata. Si quidem ita passim longe lateque hoc venenum diffusum et dispersum est ut quasi libere iam male abutantur omnes infecti et corrupti corpore et anima hoc tam sceleratissimo atque mortifero morbo, non recogitantes hoc quod Paulus dicit, immo Deus omnipotens per ipsum: *Rapaces regnum Dei non possidebunt.* Neque illud quod alibi Apostolus ait, quia si nosmetipsos comedimus et consumimus, id est, depraedamur, cito deficiemus. Completur ergo in nobis, immo per nos, quod omnipotens Deus per Isaiam Prophetam improperat dicens: *Unusquisque carnem brachii sui vorabit*, id est, substantiam fratris sui diripiet. Carnem enim brachii sui devorat, et sanguinem brachii sui bibit, qui substantiam proximi sui tollit, unde caro sustentari debuit. Non est autem mirum si Pagani et exterae nationes nobis dominantur, nobisque bona temporalia tollunt, dum unusquisque proximo suo per vim tollit unde vivere debet. Ideo iuste convenit nobis illud quod omnipotens Deus per Isaiam Prophetam minatur dicens: *Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis?* Nos vero praedamur fratres nostros et idcirco Pagani merito nos nostramque substantiam depraedantur. Quomodo igitur securi poterimus pergere contra inimicos sanctae Dei Ecclesiae et nostros, cum rapina pauperis inclusa est in domo nostra? et non solum domi reclusa est; verum etiam plerumque evenit ut pleno ventre rapina in hostem quidam proficiscantur. Et quomodo poterimus inimicos nostros devincere, cum sanguis fratrum nostrorum ab ore nostro distillat, et manus nostrae plenae sunt sanguine, et brachia pondere miseriarum et rapinarum gravantur, totaque virtus animi corporisque debilitatur? Preces nostrae à Deo non recipiuntur, quia clamores et ploratus altaque suspiria pauperum et orphanorum, pupillorum atque viduarum praeoccupant et praeveniunt preces nostras, quae crudis carnibus fratrum nostrorum gravatae raucitudinem acceperunt, nullam sonoritatem virtutum habentes. Et sunt multi qui ex ipsa rapina videntur eleemosynas facere, non intelligentes quod de talibus dicit Esaias: *Qui offert Domino de rapina ablationem, quasi qui mactet filium ante patrem.* Et

sunt nonnulli qui de homicidiis, adulteriis, periuriis, incendiis consilium et poenitentiam quaerunt, et malum rapinae pro nihilo ducunt, non intelligentes quia quot pauperes quis exspoliat, et fame ac nuditate periclitari facit, tot homicidia perpetrat: quia tunc proximum suum interficit dum unde vivere debet ei tollit. Et scimus, dicente Paulo Apostolo, quia omnis homicida non habet vitam in regno Dei, et homicidas et adulteros iudicabit Deus. Quia ergo rapaces regnum Dei non possidebunt, nisi ea reddiderint quae tulerint, et insuper poenitentiam egerint, fugiamus hoc tantum malum unde tot ac tanta alia mala procedunt, et diligamus proximos sicut nosmetipsos, adimplentes legem quae dicit: *Non concupiscas rem proximi tui, nec omnia quae illius sunt.* Quia aliter neque inimicis nostris poterimus resistere, neque regnum Dei possidere.

I. Volumus itaque ut palatium nostrum, more praedecessorum nostrorum, et Dei cultu, et regali honore, sed et religionis habitu, et unanimitatis concordia, atque pacis ordine stabiliatur, et in eodem palatio nostro pax praedecessorum nostrorum sanctionibus servata per omne regnum nostrum exequenda proferatur.

II. Decernimus igitur ut omnes in palatio nostro commanentes, et illud undique adeuntes pacifice vivant. Quod si aliquis corrupta pace rapinam exercuerit, per nostram regiam auctoritatem et Missi nostri iussionem ad palatinam adducatur audientiam; ut secundum quod in Capitulis antecessorum continetur, legali multetur iudicio, tripla compositione peracta cum dominico banno.

III. Si quis vero absque Seniore aut infra palatium aut circa illud degens hoc idem fecerit, hunc Missus noster adeat, et ad ipsum palatium iussu nostro eum venire praecipiat. Quod si ausu temerario venire contempserit, vi ad nostram praesentiam adducatur, subdendus praedecessorum nostrorum sanctionibus. Si autem et nos et Missum nostrum contempserit, et ad nos venire noluerit, et se defendendo ibi occisus fuerit, et aliquis parentum aut amicorum eius inde faidam fidelibus nostris, qui eum occiderint, portare voluerit, potestative eam iurare faciemus, et fideles nostros regia auctoritate exinde adiuvabimus.

IV. Placuit etiam nobis et fidelibus nostris ut quicunque infra regnum nostrum aliquid rapuerit aut depraedatus fuerit, omnia in triplum componat, et bannum dominicum persolvat, et insuper publicam poenitentiam inde faciat, sicut in Capitulari antecessorum continetur. Si autem colonus aut servus fuerit, similiter omnia in triplum componat, aut dominus pro eo sexaginta ictus bene pressos accipiat, et insuper publicam poenitentiam inde agat; cuius modus erit

in consideratione Episcopi, secundum quantitatem facti: quia fornicationes et adulteria atque homicidia, necnon incendia, ebrietates, aliaque quamplura vitia exinde prodeunt. Si quis autem negaverit factum, si comprobatus non fuerit, propria manu iuramento se excondicat; excepto nostris vassis dominicis, pro quibus illorum homines meliores iuramentum persolvent. Hoc vero cum summa diligentia tali modo procurabitur.

V. Episcopus in cuius parochia aliquis consistens aliquid depraedatus fuerit; semel et bis atque tertio, si necesse fuerit, vocabit illum sua admonitione per suum Presbyterum canonice ad emendationem [sive ad compositionem] et ad poenitentiam, ut Deo et Ecclesiae satisfaciat quam laesit. Si autem despexerit atque contempserit eius admonitionem atque saluberrimam invitationem, feriat illum Pastorali virga, hoc est, sententia excommunicationis, ut a communione sanctae Ecclesiae omniumque Christianorum sit separatus usque ad congruam satisfactionem et [dignam] emendationem. Quam excommunicationem debebit idem Episcopus Seniori illius notam facere et omnibus suis Coepiscopis, ne eum recipiant usque ad [dignam] satisfationem.

VI. De illis autem qui infra parochiam beneficia et alodum non habent, et alterius Episcopi parochiani sunt, et dum ad curtem pergunt, aut de loco ad locum iter faciunt, rapinas et depraedationes infra parochiam faciunt, placuit nobis [et fidelibus nostris] ut si ita prope Episcopum, ut ei depraedatio illorum nota fieri possit, antequam parochiam eius exeant, mittat strenuum et prudentem Presbyterum, qui sua vice rationabiliter illos ad emendationem vocet. In quo superior modus compositionis et emendationis servabitur, si vocati venire voluerint. Si vero vocationem atque ammonitionem Episcopi superbe contempserint, simili sententia excommunicationis feriantur qua et illi qui infra parochiam res aut beneficia habent, et insuper excommunicentur, ne extra parochiam exeant antequam superius statuta adimpleant. Quorum excommunicatio Seniori illorum et proprio eorum Episcopo significanda est, ne eos recipiant antequam illuc redeant ubi rapinam fecerunt, ibique pleniter emendentur.

VII. Et quoniam Episcopi, qui nostris et suis et communibus Ecclesiae atque totius regni necessitatibus occupati sunt, non valent cuncta soli *q*) prospicere quae infra fines parochiae illorum perpetrantur, statuimus ut quotiescunque Episcopi à propria civitate digrediuntur, tales adiu-

---

q) al. ms. *sibi*.

tores unusquisque in sua civitate relinquat qui haec omnia in sua civitate prudentissime peragant, et pauperes sanguine Christi redempti semper in civitate praesentem inveniant à quo responsum et consolationem accipiant. In vicis autem, et villis longe à civitate remotis, constituat unusquisque Episcopus reverendos et cautos atque prudentia [morum] temperatos Presbyteros, qui sua vice superius statuta [modeste] perficiant, et ad quos alii Presbyteri iuniores et minus cauti suam causam referant.

VIII. Placuit nobis [et fidelibus nostris] pro communi utilitate et instanti necessitate ut nullus Episcoporum graviter ferat si eius parochianum pro huiusmodi causa depraedationis alter Episcopus excommunicaverit.

IX. Et quia ad tantum malum funditus eradicandum [atque tollendum] et tantum bonum plantandum [atque statuendum] nec esse habet episcopalis auctoritas iudiciali potestate adiuvari, placuit nobis nostrisque fidelibus in commune ut Missi dominici suis in locis ex hoc fideliter adiuvent, et Comes praecipiat suo Vicecomiti suisque [Vicariis atque] Centenariis ac reliquis ministris reipublicae, necnon francis hominibus mundanae legis documentis eruditis, ut pro amore Dei omnipotentis ac pace sanctae Ecclesiae et fidelitate nostra ex hoc adiuvent, quantum melius potuerint [tam per se quam cum Ministris Ecclesiae,] quoties Episcopi aut ministri illorum, sive etiam ipsi pauperes, [super hac re] eos appellaverint; ita ut Ministri Ecclesiae habeant auctoritatem sui Episcopi, et Ministri Comitis auctoritatem nostram et sui Comitis.

X. Volumus autem ut si episcopalem aut regiam auctoritatem ausu temerario aliquis pro nihilo duxerit, in Comitatu consistens aut iter faciens, si quod iniuste abstulerit, legaliter emendare contempserit, et rebellis existens, si ibi occisus fuerit, nulli fidelium nostrorum, qui eum occiderit, aliquis faidam portet, neque pro eius morte aliquid componat. Si vero aliquis parentum [aut amicorum] eius aliquam [inde] faidam portare voluerit, potestative eam iurare faciemus, et fideles nostros regia auctoritate exinde adiuvabimus.

XI. De nostris quoque dominicis vassallis iubemus ut si aliquis praedas egerit, Comes in cuius potestate fuerit, ad emendationem eum [venire] vocet. Qui si Comitem aut Missum illius audire noluerit, per forciam illud emendare cogatur, prout lex docet, et quemadmodum in Capitularibus Regum [antecessorum nostrorum] tenetur insertum, in eodem loco ubi praeda commissa fuerit. Quod si proclamaverit se ante praesentiam nostram velle distringi potius quam ante Comitem, per credibiles fideiussores aut per sa-

cramentum melioris hominis ante nos venire permittatur, ut ibi talis ratio finem accipiat. Honorem enim talem nostris vassis dominicis concedimus ut ipsi non sicut reliqui manu propria sacramentum iurent, sed melior homo illorum et credibilior illud agere non differat. Si autem quae supra diximus despexerint, et nullo modo emendare voluerint, et in contemptu permanentes ibi occisi fuerint, nullam contra ipsos qui eos occiderint iracundiam tenebimus unquam. Quod si aliquis parentum [aut amicorum eorum] inde faidam portare voluerit, [potestative eam ei iurare faciemus, sicut superius dictum est, et] nostra regia exinde eum *r*) iuvabimus. Si vero dixerint quod eis Comes non secundum legem fecerit, sed pro aliquo iracundia [aut invidia] quam [ante] contra illos tenebat, [illud fecerit,] hoc Comes eis ante nos satisfaciat, [secundum quod nobis placuerit,] quod non ob aliud quam pro rapina sit actum.

XII. Ut autem omnis occasio rapinae tollatur, volumus ut Presbyteri, qui bonum exemplum [caritatis] omnibus ostendere debent, hospitales existant, (sicut Apostolus dicit: *Hospitales invicem sine murmuratione:* [quam *s*] praebeant iter facientibus, quia per illam placuerunt quidam Deo angelis hospitio susceptis *t*).

XIII. Placuit nobis [et nostris fidelibus] ut Presbyteri suos parochianos admoneant ut et ipsi hospitales existant, et nulli iter facienti mansionem denegent. Et ut omnis occasio rapinae tollatur, (nihil carius vendatur transeuntibus nisi sicut in mercato accipiunt *u*). Quod si carius vendere voluerint, ad Presbyterum transeuntes hoc referant, et illius iussu cum humanitate eis vendant.

XIV. Volumus ut Presbyteri et ministri Comitis villanis praecipiant ne collectam faciant, quam vulgo *geldam* vocant, contra illos qui aliquid rapuerint. Sed causam suam ad illum Presbyterum referant qui Episcopi Missus est, et ad illos qui in illis locis ministri Comitis super hoc existunt, ut omnia prudenter et rationabiliter corrigantur.

---

r) Cod. Palat. *illos.*

s) Cod. Palat. *et hospitalitatem.*

t) Regino et Burchardus: *Iuxta dominicum et Apostolicum Praeceptum, et humanitatem praebeant iter facientibus: quia per hospitalitatem placuerunt quidam Deo, Angelis hospitio receptis. Et Dominus in die iudicii dicturus est electis: Hospes eram, et suscepistis me. Et Iob dicit: Hospitium meum semper viatori patuit.*

u) Cod. Palat. et Regino sic legunt: *nihil carius vendant transeuntibus nisi quanto in mercato vendere possunt.*

CAPITULUM ODONIS REGIS.

Quando unctus est a Walterio Archiepiscopo Senonensi anno DCCCLXXXVIII.

PROMISSIO ODONIS REGIS.

Promitto et perdono unicuique vestrum et Ecclesiis vobis commissis quia canonicum privilegium et debitam legem atque iustitiam conservabo, et contra depraedatores et oppressores Ecclesiarum vestrarum et rerum ad easdem pertinentium defensionem secundum ministerium meum, quantum mihi posse Deus dederit, exhibebo; et ius ecclesiasticum et legem canonicam vobis ita conservabo, et res Ecclesiarum vestrarum, tam a Regibus, vel Imperatoribus, quam a reliquis Dei fidelibus collatas, sub integritate et immunitate absque aliqua inhonoratione permanere concedam, quas modo iuste et legaliter vestrae retinent Ecclesiae; et eas augmentare et exaltare secundum debitum uniuscuiusque servitium, prout scire et posse mihi Deus rationabiliter dederit et tempus dictaverit, studebo, sicut mei antecessores, qui hoc bene et rationabiliter observaverunt, vestris praedecessoribus; in hoc ut vos mihi secundum Deum et secundum seculum sic fideles adiutores et consilio et auxilio sitis sicut vestri antecessores boni meis melioribus praedecessoribus extiterunt, secundum scire et posse. Et quae retro malo sunt ingenio depravata, in meliorem et pristinum gradum, adiuvante me divina clementia, reformabo cum vestro et aliorum nostrorum fidelium consilio et auxilio.
Confirmatio Odonis Regis. ODO.

CAPITULA
KAROLI III.
FRANCORUM REGIS, LUDOVICI II. F.

TITULUS I.

Constitutio dotis Friderunae Reginae Uxoris Karoli III. *facta apud Attiniacum anno Christi* DCCCCVII.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus, divina propitiante clementia, Rex. Si Regum consuetudines antiquorum exequimur, necnon patrum mores praecedentium imitamur, fideliumque nostrorum benigne consulta suscipimus, regium proculdubio honorem amplificamus, nobisque profuturum indubitanter credimus. Proinde omnibus sanctae Dei Ecclesiae nostrisque praesentibus atque futuris compertum sit fidelibus quod cum nostris nos regni negotia tractantes consiliariis, de nostro nos commonuere coniugio, salubre dicentes fore et opportunum si coniux condigna lateri adhaereret regio, ex qua filiorum, Deo largiente, totius regni profutura procederet propago. Eorum itaque admonitionibus sollicitati et consiliis exhortati quandam nobili prosapia puellam nomine Friderunam, communi duntaxat consensu fidelium, Deo, ut credimus, cooperante, secundum leges et statuta priorum nobis imperiali connubio sociavimus, regnique consortem statuimus. Quocirca regali eam more propriis rebus disponentes ditare, duos ei dotis nomine concedimus fiscos iugiter possidendos et pro libitu disponendos, Corbiniacum videlicet in Comitatu Laudunensi, cum Ecclesia quae est beati Petri Apostoli honore dicata, ubi confessoris Christi quiescit corpus Matulfi v), et Ecclesia una in Cruona; Pontigonem quin etiam in pago sibi vitam resque ecclesiasticas auferret, omnemque famili-

---

v) Legend. *Marculfi.*

Pertensi super fluvios Saltum et Brustionem, utrumque per hanc praesentem concedimus auctoritatem et de nostro iure in ius et proprietatem seu dominationem illius transfundimus et perpetualiter habendos delegamus. Quapropter regiae hoc munificentiae edictum fieri ac memoratae seu dilectae coniugi Friderunae iussimus dari; per quod praecipimus atque praecipiendo iubemus ut suprascriptos fiscos, Corbiniacum scilicet et Pontigonem, uti praesentialiter ad nos pertinere videntur, cum omni eorum integritate, Ecclesiis videlicet praescriptis et mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, mobilibus et immobilibus, exitibus et regressibus, et universis legitimis terminationibus iuste et legaliter ad se pertinentibus, perpetualiter habeat, teneat atque possideat, et quicquid exinde facere voluerit, liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem. Ut autem haec largitionis nostrae donatio et concessionis roboratio continuum obtineat firmitatis vigorem, manu propria subter firmatam nostro praecepimus anulo insigniri.

Signum Karoli gloriosissimi Regis.

Arnulphus Notarius ad vicem Alberici w) Episcopi recognovit.

Datum XIII. kalendas Maias, Indictione decima, anno XV. regnante Domno Karolo gloriosissimo Rege, redintegrante X.

Actum Attiniaco palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

TITULUS II.

TUNGRENSIS EPISCOPATUS CONTROVERSIA.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus, vir illustris, divina propitiante clementia, Rex Francorum, omnibus Archiepiscopis et Episcopis in regno nobis a Deo commisso constitutis, pax et salus ab eodem Deo aeterno.

I. Quia divinae propitiationis beneficia, quae ab ipso ab ipsis crepundiis experti sumus, nullatenus enumerare possumus, idcirco laudem Domini loquetur os meum, et benedicet nomen sanctum eius in seculum seculi. Unde quia, pluribus nostris exigentibus meritis, multotiens adversa quaeque sustinuimus, credimus non hoc ad nostrae damnationis meritum, sed ad gratiam suae reconciliationis nobis fore permissum: ut flagellis eius eruditi, discamus perversa cavere,

w) Legend. *Askerici.*

et in cunctis eius voluntatibus parere. Sicut vobis de multis notum est, cum olim quidam nostri fideles, a nostra debita fidelitate exorbitantes, vitam et regnum nobis auferre moliti sunt, euntes post inimicos nostros, eisque familiariter inhaerentes, res et episcopia nostri regni ab ipsis dari sibi concupierunt. Ut ergo de multis taceamus, unum qui nobis nostris visceribus serpentinum virus infudit, vestrae sanctitati propalabimus, Hilduinum videlicet, qui contra regalem agens potestatem, contra quoque Apostoli dicta, (ubi dicitur: *Deum timete, Regem honorificate.* Et: *Non est potestas nisi a Deo.* Et: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Non est enim potestas nisi a Deo.*) et adversus citharoedi David dicta, ubi ad Dominum loquitur: *Imposuisti homines super capita nostra*, quique ultra Rhenum ad inimicos nostros proficiscens, minimeque reminiscens sacramentorum suorum nobis promissorum, eaque retro dorsum abiciens, ab Heinrico inimico nostro Episcopium Tungrensis Ecclesiae expetiit, suaque damnatione contra omnia statuta tam sacrorum Patrum quam Regum videlicet antecessorum nostrorum usurpavit. De qualibus in libro Regum Capitulari ita dicitur: *Si quis praesumpserit quam non meruit a Principe vel Seniore iusto dignitatem, sacrilegus habeatur.* Et beatus Gregorius: *Sicut qui invitatus renuit, quaesitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel qui importunus se ingerit, proculdubio est repellendus. Nam qui nititur ad altiora contendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat? Cur non perpendit quia benedictio illi in maledictum convertitur qui ad hoc ut fiat haereticus promovetur.*

II. Cum quidam pestiferi viri, ut supra memoravimus a nostra fidelitate deviarent, convocavimus Archiepiscopos praesules XVI. nostri regni, nonnullos etiam Proceres, Marchiones, et Comites, Optimatesque, ut eorum consilio, auctoritate, atque virtute, tantae vesaniae resisteremus. Inventum est ut nova gibborum genera novis medicationibus secarentur ac sanarentur, pellentes eos episcopali auctoritate sacrorumque Canonum constitutione a coetu et consortio Christianorum. Quorum praesumptioni ac nefandae tyrannidi Hilduinus se intumescens, datis Heinrico suisque Proceribus complurimis auri argentique ponderibus, non solum cum eis scienter participavit, sed etiam ex thesauris Ecclesiae Tungrensis, quos instinctu diabolico rapuerat vel furatus fuerat, quibusdam minis ac terroribus egit ut Herimannus Agrippinae civitatis Archiepiscopus per violentiam Heinrici suorumque fidelium illum in Pontificem consecraret. Nam si non fecisset, sicut ipse venerabilis Archiepiscopus nobis postea in praesentia plurimorum retulit,

am trucidaret, ac illorum bona diriperet. Ideoque absque legitimorum antecessorum auctoritate eum consecravit, ut ipse adhuc testatur, sed tantis terroribus ac diris crudelitatibus coactus. Unde in Nicaeno Concilio ita ad locum invenitur: *Si quis ex Clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam ipse privetur communione, tanquam qui regulas confundit.* Quae longe lateque in diversis Conciliis et Capitularibus Regum de excommunicatis inveniuntur.

III. Idem etiam Hilduinus res nostri regni ex praefato Episcopio invasit, diripuit, et pro libito abduxit, agens contra statuta Anacleti Papae, ubi dicitur: Sanctus Anacletus, qui ab ipso Petro Apostolo ordinatur est Presbyter, postea in sede Romana successor illius factus Episcopus, cum totius mundi Sacerdotibus iudicavit. *Qui abstulerit,* inquit, *patri vel matri aliquid, homicidae particeps est. Pater noster sine dubio Deus est. Mater vero nostra Ecclesia est, quae nos in baptismo regeneravit. Ergo qui pecunias Christi et Ecclesiae rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida in conspectu iusti Iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur. Qui autem pecuniam vel res Ecclesiae abstulerit, sacrilegium facit, et ut sacrilegus iudicandus est.*

IV. Praefatus denique Hilduinus thesauros Ecclesiae Tungrensis et Aquisgrani palatii iuxta beati Lamberti Martyris corpus in quadam arca positos avida cupiditate rapuit, eosque inimicis nostris, suis videlicet fautoribus, contulit, et Ecclesiae abstulit. De quo quibusque huiuscemodi sacri Canones ita decernunt; *Si quis inventus fuerit aliquid de ministeriis Ecclesiae vendidisse vel abstulisse, sacrilegium commisit. Placuit eum in ordine ecclesiastico non haberi.* Unde et beatus Augustinus XLVII evangelii homilia Iohannis dicit: *Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas; et ne contemnas, fur hic sacrilegus est, non qualiumcunque fur locorum, sed dominicorum; locorum, sed sacrorum.* Et post pauca: *Quicunque aliquid de Ecclesia aufert vel fraudatur, Iudae proditori comparatur.*

V. Hos Ecclesiae thesauros Episcopis et Comitibus et fautoribus pro sua ordinatione dedit, non prae oculis habens statuta Africani Concilii, quibus praecipitur ut nullus per pecunias ordinetur, ita inquiens: *Si quis Episcopus per pecunias obtinuerit dignitatem, deiciatur, modis omnibus abiciatur, sicut Simon magus abscissus est a Petro.* Item in Concilio Chalcedonensi: *Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus sub pretio Spiritus sancti gratiam obtinere voluerit, proprii gradus periculo subiacebit; et nihil ex hac ordinatione vel promotione, quae est per negotiationem facta, proficiat, sed anathematizetur.*

VI. Iam dictus Hilduinus, ad cumulum suae damnationis, ante venerabilis Herimanni praesentiam veniens, super sacra nefande iuravit quod ego Karolus Episcopium Tungrense dederim; et quosdam ex Clericis et Laicis iurare compulit. Quod quam sit absurdum, quamque vitandum, sparsim sanctarum Scripturarum testimonia approbant.

VII. Memoratus praeterea Hilduinus per Dominum Herimannum Episcopum tertio vocatus ad Synodum, ut contra haec quae sibi obiciuntur responderet, si iustam causam haberet, aut si non posset, Canonum feriretur spiculis. Qui quoniam quidem venire distulit, incidit sententiam Bonifacii Papae ita dicentis: *Probat vera esse illa quae adversus se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult. Et ne dubitet quod ita iudicium nocens subterfugit quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quaerit.* Et post pauca: *Confitetur enim de omnibus quisquis subterfugere iudicium posse dilationibus putat.* Item ipse: *Si adesse voluerit, praesens, si confidit, ad obiecta respondeat. Quod si adesse neglexerit, dilationem sententiae de absentia non lucretur.*

VIII. Omnes tam Clerici quam Laici supradictae Ecclesiae nostram adeuntes sublimitatem, luctuosis vocibus innotuerunt quod iam memoratus Hilduinus cum suis praedonibus bona illorum diripuit, omnemque illorum facultatem et supellectilem abstulit, nihil illis remansit unde saltem sibi victus sufficientiam adhiberent. Addentes etiam in precibus, ut vestro consilio citius ageretur ne amplius praedae et direptioni paterent; sed illis ad ordinandum daremus Pontificem Richerum, quem concorditer elegerunt. De quibus videlicet omnibus hic Capitulatim insertis vestrum precamur pontificium, ut propter Deum et debitam, quam nobis polliciti estis, fidelitatem pro viribus exinde adiuvetis ut noster honor in huiusmodi negotiis amplius non decrescat, et status sanctae Dei Ecclesiae stabiliatur.

TITULUS III.

PACTUM KAROLI ET HENRICI.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Divina propitiante clementia anno Dominicae Incarnationis DCCCCXXVI anno vero regni Domni et gloriosissimi Regis Francorum Occidentalium Karoli XXIX. redintegrante XXIV. largiore vero hereditate indepta X. Indictione IX. anno quoque regni Domni et magnificentissimi Regis Francorum Orientalium Heinrici tertio, inter ipsos praefatos Principes unanimitatis pactum ac societatis amicitia quaesita repertaque exordia sumpsit, prout visa sunt competentia. Convenerunt enim

ambo illustres Reges, sicut inter se discurrentibus Legatis convenerant, II. Nonas Novembris, feria prima: Domnus enim Karolus super Rhenum flumen ad Bonnam castrum, et strenuus Heinricus ex altera parte Rheni. Et ea tantum die mutuis se visibus intuentes super ripas eiusdem fluminis huc et ultra, ut sui fierent fideles innoxii sacramento quo hanc eodem conventionem fuerant polliciti. Verum feria quarta, VII. Idus Novembris in medio Rheni fluminis, saepius dicti Principes in navibus quisque suis in tertiam ascenderunt, quae ancorata in fluminis medio gratia eorum colloquii fixa erat; ibique in primo hanc sibi vicissim convenientiam ob statum pacis iuramento sanxerunt ita.

Ego Karolus, divina propitiante clementia, Rex Francorum Occidentalium, amodo ero huic amico meo Regi Orientali Heinrico amicus, sicut amicus per rectum debet esse suo amico secundum meum scire ac posse; ea vero ratione, si ipse mihi iuraverit ipsum eundemque sacramentum, et attenderit quae promiserit. Si me Deus adiuvet et istae sanctae Reliquiae.

E contra Rex Heinricus eandem promissionem sacramento eisdem prosecutus est verbis subsequenter, ut huius amicitiae firmitas inviolabiliter observaretur.

Haec sunt nomina Episcoporum qui cum nobilibus ac fidelibus laicis firmitatem quam praememorati Reges inter se fecerunt, collaudando acceptaverunt, et manibus suis sacramentum firmaverunt nunquam à se destruendam.

Episcopi ex parte Domni regis Karoli. Herimannus Archiepiscopus Agrippinae, quae modo est Colonia vocitata, Rodgerus Archiepiscopus Trevirorum, Stephanus Praesul Cameracorum, Bovo Episcopus Catalaunensium, Baldricus Traiectensium Episcopus. Haec nomina Comitum. Matfredus, Erkengerus, Hagano, Boso, Waltkerus, Isaac, Ragenberus, Theodricus, Adalardus, Adelelmus.

Episcopi ex parte Regis inclyti Heinrici. Herigerus Archiepiscopus Moguntiacorum, Nithardus Episcopus Mimmogerneferdae, Dodo Episcopus Osnobroggae, Ricawdo Episcopus Vangionum, quae nunc dicitur Warmatia, Hunuardus Episcopus Paderbornensis, Notingus Episcopus Constantiae Alemannicae. Haec sunt nomina Comitum. Eurardus, Chonradus, Herimannus, Hatto, Godefredus, Otto, Herimannus, Cobbo, Magenhardus, Fridericus, Foldac.

CORONATIONES
KAROLI CALVI
ET LUDOVICI EIUS FILII
ITEM IUDITH FILIAE
ET HERMINTRUDIS CONIUGIS
KAROLI EIUSDEM.

TITULUS I.

KAROLI CALVI, QUANDO IN REGNO LOTHARII CORONATUS EST.

Ordo qualiter Karolus Rex fuit coronatus in Mettis civitate anno DCCCLXIX. *in mense Septembris* V. *Idus Septemb. quae evenit die Veneris, cum istis Episcopis videlicet Hincmaro Archiepiscopo, Adventio, Hattone, Arnulfo, Francone, Hincmaro, et Odone, quando quondam Rex Hlotharius, filius Hlotharii Imperatoris, fuit mortuus in Placentia civitate.*

ADNUNTIATIO.

ADVENTII EPISCOPI ANTE INITIUM MISSAE, IN ECCLESIA SANCTI STEPHANI, CORAM REGE ET EPISCOPIS ET ALIIS QUAMPLURIMIS.

Vos scitis, et multis in plurimis regnis est cognitum quantos et quales eventus tempore Senioris nostri, quem hactenus habuimus, etc. *usque* devota mente suscipere, *ut supra pag.* 173 174.

RESPONSIO

KAROLI AD POPULUM.

Quia, sicut isti venerabiles Episcopi unius ex ipsis voce

dixerunt, et certis indiciis ex vestra unanimitate monstraverunt, etc. *usque* antecessoribus exhibuerunt, *pag.* 174.

ADNUNTIATIO

Hincmari Archiepiscopi.

Ne alicui forte videatur incongrue ac praesumptiose me et provinciae nostrae venerabiles Coepiscopos facere quoniam, etc *usque* Te Deum laudamus, *pag.* 174. — 176.

Benedictiones super Regem Karolum ante Missam et altare sancti Stephani

Adventius Episcopus Mettensis.

Deus, qui populis tuis indulgentia consulis et amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiae, cui dedisti regimen disciplinae; ut tibi toto corde devotus, et in regni regimine maneat semper idoneus, et in bonis operibus perseverans, ad aeternum regnum te duce valeat pervenire. Per Dominum, etc.

Hatto Virdunensis.

Gratiae tuae, quaesumus, Domine, huic famulo tuo tribue largitatem; ut mandata tua te operante sectando, consolationem praesentis vitae percipiat et futurae. Per Dominum, etc.

Arnulfus Tullensis.

Nostris, quaesumus, Domine, in regimine istius famuli tui propitiare temporibus; ut tuo munere dirigatur et nostra securitas et devotio Christiana. Per Dominum.

Franco Tungrensis.

Da, quaesumus, Domine huic famulo tuo salutem mentis et corporis; ut bonis operibus inhaerendo, tua semper mereatur virtute defendi. Per Dominum.

Hincmarus Laudunensis.

Benedictionem tuam, Domine, hic famulus tuus accipiat; qua corpore salvatus et mente, et gratam tibi semper exhibeat servitutem, et propitiationis tuae beneficia semper inveniat. Per Dominum.

Odo Bellovacensis.

Conserva, quaesumus, Domine, hunc famulum tuum, et benedictionum tuarum propitius ubertate purifica, ut eruditionibus tuis semper multiplicetur et donis. Per Dominum.

BENEDICTIO
Hincmari Archiepiscopi.

Extendat omnipotens Dominus dexteram suae benedictionis, et effundat super te donum suae propitiationis, et circumdet te felici muro custodiae suae protectionis, sanctae Mariae et omnium Sanctorum intercedentibus meritis. Amen.

Indulgeat tibi mala omnia quae gessisti, et tribuat tibi gratiam et misericordiam quam humiliter ab eo deposcis; liberetque te ab adversitatibus cunctis et ab omnibus visibilium et invisibilium inimicorum insidiis. Amen.

Angelos suos bonos semper et ubique, qui te praecedant, comitentur, et subsequantur, ad custodiam tui ponat; et à peccato, seu gladio, et ab omnium periculorum discrimine te sua potentia liberet. Amen.

Inimicos tuos ad pacis caritatisque benignitatem convertat, et apud odientes te gratiosum et amabilem faciat. Pertinaces quoque in tui insectatione et odio confusione salutari induat. Super te autem sanctificatio sempiterna efflореat. Amen.

Ad ista verba, Coronet te Dominus, *inunxit eum Hincmarus Archiepiscopus de chrismate ad dextram auriculam, et in fronte usque ad sinistram auriculam, et in capite.*

Coronet te Dominus corona gloriae in misericordia et miserationibus suis, et ungat te in regni regimine oleo gratiae Spiritus sancti sui, unde unxit Sacerdotes, Reges, Prophetas, et Martyres, qui per fidem vicerunt regna, et operati sunt iustitiam, atque adepti sunt promissiones; eisdemque promissionibus gratia Dei dignus efficiaris, quatenus eorum consortio in coelesti regno perfrui merearis. Amen.

Victoriosum te atque triumphatorem de visibilibus atque invisibilibus hostibus semper efficiat; et sancti nominis sui timorem pariter et amorem continue cordi tuo infundat; et in fide recta ac bonis operibus perseverabilem reddat; et pace in diebus tuis concessa, cum palma victoriae te ad perpetuum regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere Regem, et in praesenti seculo felicem et aeternae felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluit opitulatione tuae subdere ditioni sua dispensatione et tua administratione per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare; quo divinis monitis parentes, adversitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, et in praesenti seculo pacis tranquillitate fruantur, et tecum aeternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse praestare dignetur.

Ad ista verba, Coronet te Dominus, *miserunt illi Episcopi coronam in capite.*

Coronet te Dominus corona gloriae atque iustitiae; ut cum fide recta et multiplici bonorum operum fructu ad coronam pervenias regni perpetui, ipso largiente cuius est regnum et imperium in secula seculorum.

Ad ista verba, Det tibi Dominus velle, *dederunt illi palmam et sceptrum.*

Det tibi Dominus velle et posse quae praecipit, ut in regni regimine secundum voluntatem suam proficiens, cum palma perseverantis victoriae ad palmam pervenias gloriae sempiternae. Gratia Domini nostri Iesu Christi, qui vivit.

Orationes in Missa.

Da nobis, omnipotens Deus, ut beati Gorgonii martyris tui veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Quaesumus, omnipotens, ut famulus tuus, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, a te virtutum etiam percipiat incrementa: quibus decenter ornatus, et vitiorum monstra vitare, et ad te, qui via, veritas, et vita es, gratiosus valeat pervenire. Qui vivis et regnas cum Deo.

Super oblata.

Respice, Domine, munera populi tui Sanctorum festivitate votiva, et tuae testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Munera, quaesumus, Domine, oblata sanctifica; ut et nobis unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et Karolo Regi nostro ad obtinendam animae corporisque salutem, te largiente, usquequaque proficiant. Per eundem.

Post Communionem.

Sacramentorum tuorum, Domine, communio sumpta nos salvet, et in tuae veritatis luce confirmet. Per Dominum.

Haec, Domine, communio salutaris famulum tuum ab omnibus tueatur adversis: quatenus et ecclesiasticae pacis obtineat tranquillitatem et post istius temporis decursum ad aeternum perveniat hereditatem. Per Dominum.

TITULUS II.

LUDOVICI II. QUANDO REX FRANCORUM CONSECRATUS EST.

Ordo qualiter Hludouvicus Rex, anno Incarnationis Dominicae DCCCLXXVII, VI. *Idus Decembris ab Hincmaro Archiepiscopo fuit coronatus in Compendio palatio; quando et haec, quae sequuntur, ab Episcopis petita sunt apud Regem, et ab eo promissa Episcopis.*

PETITIO EPISCOPORUM.

A vobis perdonari nobis petimus ut unicuique de nobis et Ecclesiis nobis commissis secundum primum Capitulum etc. *usque* exhibere debet, *ut supra, pag.* 217.

PROMISSIO REGIS.

Promitto vobis et perdono quia unicuique de Vobis et Ecclesiis vobis commissis secundum primum Capitulum, etc. *usque* exhibere debet, *pag.* 217. 218.

Benedictiones super Hludouvicum Regem factae.

Deus, qui populis tuis virtute consulis, et amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiae cum regimine diciplinae; ut tibi toto corde devotus, in regni regimine maneat semper idoneus, tuoque munere ipsius temporibus securitas Ecclesiae dirigatur, et in tranquillitate devotio Christiana permaneat. Per Dominum.

SACRI OLEI INFUSIO.

Omnipotens sempiterne Deus, creator et gubernator coeli et terrae, conditor et dispositor Angelorum et hominum, qui Abraham famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Iosue populo tuo praelatis multiplicem victoriam tribuisti, humilem quoque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, eumque de ore leonis et de manu bestiae atque Goliae, sed et de gladio maligno Saul et omnium inimicorum eius liberasti, et Salomonem sapientiae pacisque ineffabili munere ditasti, respice quaesumus ad preces humilitatis nostrae, et hunc famulum tuum virtutibus, quibus praefatos fideles tuos decorasti, multiplici honoris benedictione condecora, et in regni regimine sublimiter colloca, et oleo gratiae Spiritus sancti tui perunge, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, et Martyres, qui per fidem vicerunt regna, et operati sunt iustitiam, atque adepti sunt promissiones. Cuius sacratissima unctio super caput eius

defluat, atque ad interiora eius descendat, et cordis illius intima penetret, et promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi Reges, gratia tua dignus efficiatur; quatenus et in praesenti seculo feliciter regnet, et ad eorum consortium in coelesti regno perveniat. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui unctus est oleo laetitiae prae consortibus suis, et virtute crucis potestates aerias debellavit, tartara destruxit, regnumque diaboli superavit, et ad coelos victor ascendit. In cuius manu victoria omnis, gloria, et potestas consistunt, et tecum vivit et regnat Deus in unitate eiusdem Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.

IMPOSITIO CORONAE.

Coronet te Dominus corona gloriae atque iustitiae honore et opere fortitudinis; ut per officium nostrae benedictionis, cum fide recta et multiplici bonorum operum fructu, ad coronam pervenias regni perpetui, ipso largiente cuius regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SCEPTRI TRADITIO.

Accipe sceptrum, regiae potestatis insigne, virgam scilicet rectam regni, virgam virtutis; qua te ipsum bene regas, sanctam Ecclesiam, populum videlicet Christianum tibi a Deo commissum, regia virtute ab improbis defendas, pravos corrigas, rectos ut viam rectam tenere possint tuo iuvamine dirigas: quatenus de temporali regno ad aeternum regnum pervenias, ipso adiuvante cuius regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

BENEDICTIONES.

Dominus Deus omnipotens, qui dixit ad Moysem servum suum, Loquere ad Aaron fratrem tuum, et ad filios eius dicens, Sic benedicetis populo meo, et ego benedicam ei, benedicat tibi, et custodiat te. Amen.

Illuminet faciem suam super te, et misereatur tui. Amen.

Convertat vultum suum ad te, et donet tibi pacem. Amen.

Extendat dexteram suae benedictionis, et effundat super te donum suae propitiationis, et circumdet te felici muro custodiae suae protectionis, sanctae Mariae et omnium Sanctorum intercedentibus meritis. Amen.

Indulgeat tibi mala omnia quae gessisti, et tribuat tibi gratiam et misericordiam quam humiliter ab eo deposcis, liberetque te ab adversitatibus cunctis et omnibus visibilium et invisibilium inimicorum insidiis. Amen.

Multiplicet in te copiam suae benedictionis et confirmet in spe regni coelestis. Amen.

Actus tuos corrigat, vitam emendet, mores componat, et te ad coelestis paradisi hereditatem perducat. Amen.

Talique intentione repleri valeas quae ei in perpetuum placeat. Amen.

Angelos suos bonos semper et ubique, qui te praecedant, comitentur, et subsequantur, ad custodiam tui ponat; et a peccato, seu gladio, et ab omnium periculorum discrimine de sua poenitentia liberet. Amen.

Inimicos tuos ad pacis caritatisque benignitatem convertat, et odientibus te gratiosum et amabilem faciat. Pertinaces quoque in tui insectatione et odio confusione salutari induat. Super te autem sanctificatio sempiterna effloreat. Amen.

Victoriosum te atque triumphatorem de visibilibus atque invisibilibus hostibus Dominus semper efficiat, et sancti nominis sui timorem pariter et amorem continue cordi tuo infundat, et in fide recta ac bonis operibus perseverabilem reddat, et pace in diebus tuis concessa, cum corona victoriae ad perpetuum te regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere Regem, et in praesenti seculo felicem et aeternae felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluit opitulatione tuae subdere ditioni, sua dispensatione et tua administratione per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare: quo divinis monitis parentes, adversitatibus cunctis carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, et in praesenti seculo pacis tranquillitate fruantur, et tecum aeternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse praestare dignetur.

TITULUS III.

IUDITH KAROLI CALVI FILIAE, QUANDO CUM REGI ANGLORUM DESPONSATA EST ANNO DCCCLVI. APUD VERMERIAM PALATIUM.

Anno DCCCLVI, Edilwlf Rex occidentalium Anglorum Roma rediens, Iudith filiam Karoli Regis, mense Iulio desponsatam, kalendis Octobribus, in Vermeria palatio in matrimonium accipit, et eam Hincmaro Durocortori Remorum Episcopo benedicente, imposito capiti eius diademate, Reginae nomine insignit. Quod sibi suaeque genti catenus fuerat insuetum. Patratoque regiis apparatibus utrinque atque muneribus matrimonio, cum ea Brittanniam regni sui ditionem navigio repetit. *Ex Annalibus Bertinianis.*

Benedictio super Reginam quam Edelulfus Rex accepit in uxorem.

Nubas in Christo obnupta nube coelesti, et refrigerata gratia spiritali, ac protecta ab omni inlicita concupiscen-

tia, pangas foedus cum oculis tuis, ut non videas alienum virum ad concupiscendum eum, et non moecheris in corpore vel corde tuo, et avertas oculos tuos, ne videant vanitatem: quatenus in via Domini vivificeris, ut possis dicere cum propheta: *Ad te levavi oculos meos qui habitas in coelis.* Et: *Levavi oculos meos in montes, unde veniat auxilium mihi.* Per conditorem et redemptorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum.

Benedic, Domine, has dotes, et accipientes tua benedictione dotare digneris: ut coniugii fidem et thronum immaculatum servantes, sanctorum Patriarcharum adscisci mereantur consortio. Per Dominum.

Accipe anulum, fidei et dilectionis signum, atque coniugalis coniunctionis vinculum, ut non separet homo quos coniungit Deus. Qui vivit et regnat in omnia secula seculorum.

Despondeo te uni viro virginem castam atque pudicam futuram coniugem, ut sanctae mulieres fuere viris suis, Sarra, Rebecca, Rachel, Hester, Iudith, Anna, Noemi, favente auctore et sanctificatore nuptiarum Iesu Christo Domino nostro, qui vivit et regnat in secula seculorum.

Deus qui in mundi crescentis exordio multiplicandae proli benedixisti, propitiare supplicationibus nostris, et huic famulo tuo et huic famulae tuae opem tuae benedictionis infunde; ut in coniugali consortio secundum beneplacitum tuum affectu compari, mente consimili, sanctitate mutua copulentur. Dita eos fructibus sanctis operibus benedictis. Fac illos talem sobolem generare quae ad tui paradisi pertineat hereditatem. Aperi, Domine, Ianuas coeli, et visita eos in pace. Irriga terram eorum, ut germinet fructum spiritalem. Sanctifica eos, qui datus es nobis ex virgine; et praesta eis tempora salutis, quae ante tuum adventum praedixit sanctus Propheta Iohannes, ut hic fideliter credant, e beate viventes vitam et regnum consequantur aeternum, gratia tua, Christe salvator noster, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivis et regnas Deus per omnia.

Benedictio Reginae.

Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut hanc famulam tuam, quam tuae divinae dispensationis providentia in praesentem diem iuvenali flore laetantem crescere concessisti, tuae pietatis dono ditatam, plenam veritatis, de die in diem coram te et hominibus ad meliora semper proficere facias; ut in regimine suo gratiae supernae largitatem congaudens suscipiat, et misericordiae tuae muro adversitate undique munita, cum pace propitiationis vivere mereatur. Per Dominum.

Sursum corda.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, electorum fortitudo, et humilium celsitudo, qui in primordio per effusionem diluvii crimina mundi purgari voluisti, et per columbam ramum olivae portantem pacem terris redditam demonstrasti, iterum Aaron famulum tuum per unctionem olei Sacerdotem unxisti, et postea per huius unguenti infusionem ad regendum populum Israeliticum Sacerdotes, Reges, et Prophetas perfecisti, vultumque Ecclesiae in oleo exhilarandum prophetica famuli tui voce David esse praedixisti, qui hoc etiam unguento famulae tuae Iudith ad liberationem servorum tuorum et confusionem inimicorum vultum exhilarasti, et ancillae tuae Hester faciem hac spiritali misericordiae tuae unctione adeo lucifluam reddidisti ut efferatum cor Regis ad misericordiam et salvationem in te credentium, ipsius precibus inclinares. Te quaesumus, omnipotens Deus, ut per huius creaturae pinguedinem, Columbae pace, simplicitate, ac pudicitia decoram efficias. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui venturus est iudicare.

Coronatio.

Gloria et honore coronet te Dominus, et ponat super caput tuum coronam de spiritali lapide pretioso; ut quicquid in fulgore auri et in vario nitore gemmarum significatur, hoc in tuis moribus, hoc in actibus semper refulgeat. Quod ipse praestare dignetur cui est honor et gloria in secula seculorum.

Benedictiones.

Benedic, Domine, hanc famulam tuam, qui regna Regum à seculo moderaris. Amen.

Opera manuum illius suscipe et benedictione tua terra eius de pomis fructuum coeli et rore atque abysso subiacente repleatur. Amen.

De vertice antiquorum montium et collium aeternorum, de frugibus terrae, et plenitudine eius tua benedictione laetetur. Amen.

Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat super caput eius. Da ei de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini; ut serviant illi ac semini eius populi, et in honore tuo tribus illam et semen eius adorent. Amen.

Reple eam benedictionibus uberum et vulvae. Benedictiones patrum antiquorum confortatae sint super eam et super semen eius, sicut promisisti servo tuo Abrahae et semini eius in secula. Amen.

Concede, quaesumus, omnipotens et misericors Deus, ut haec dona tua, quae fideles tui acceperunt de manu tua,

dantibus, accipientibus, et dispensantibus ad praesentis vitae subsidium, ac redemptionem animarum, atque ad vitam capessendam proficiant sempiternam. Per Dominum.

TITULUS IV.

HERMINTRUDIS REGINAE, QUANDO SACRATA EST ANNO DCCCLXVI. MENSE AUGUSTO IN SYNODO SUESSIONENSI.

Allocutio duorum Episcoporum in Ecclesia sancti Medardi quando Hermintrudis fuit consecrata in Reginam.

Volumus vos scire, Fratres, quia Domnus et Senior noster Karolus Rex gloriosus nostrae humilitatis petiit devotionem ut auctoritate ministerii nobis a Deo conlati, sicut ipse in Regem est unctus et consecratus episcopali auctoritate, unctione sacra et benedictione, veluti in Scripturis legimus Dominum praecepisse ut Reges ungerentur et sacrarentur in regiam potestatem, ita uxorem suam Dominam nostram in nomine Reginae benedicamus, sicut et a sede Apostolica et a nostris decessoribus antea de aliis factum comperimus. Et ut non vobis sit mirum quare hoc petat, fraternitati vestrae rationem reddere maturamus. Videlicet quia, sicut multis est cognitum, Deus omnipotens sua gratia istud regnum in manus suorum antecessorum mirabiliter adunavit. Quod ipsi decessores sui nobiliter gubernaverunt, et per successiones sua progenies usque ad haec tempora rexit. Et isti nostro Seniori Deus filios, sicut vobis notum est, dedit: in quorum nobilitate ad sanctam Ecclesiam et regnum, quod Deus illi ad regendum commisit, fideles illius spem maximam se habere sunt gratulati. De quibus ipse aliquos Deo obtulit, ut etiam de fructu ventris sui oblationem Deo offerret. Aliquos Deus adhuc aetate immatura sua gratia de hoc seculo rapuit, ne, ut scriptum est, malitia mutaret corda eorum. Aliquibus autem, quod vos non latet, suo iudicio talem passionem permisit incurrere sicut Fideles illius agnoscuntur dolere. Propterea petit benedictionem episcopalem super uxorem suam venire; ut talem sobolem ei Dominus de illa dignetur donare unde sancta Ecclesia solatium, et regnum necessariam defensionem, et Fideles illius desiderabile adiutorium, et ista Christianitas optabilem tranquillitatem et legem atque iustitiam, cum illis quos adhuc habet, annuente et cooperante Domino, possit habere. Et de hoc in sanctis Scripturis habemus auctoritatem, quia sicut Dominus ad Abraham dixit:

In semine tuo benedicentur omnes gentes; cui iam centenario de nonagenaria uxore Isaac filium dedit, ita et ipsum Isaac uxorem sterilem accipere fecit, ut et in hoc, sicut in multis solet facere, misericordiae suae largitatem ostenderet. Et inde dicit Scriptura quia *deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis*, et concepit. Et non sit vobis mirum cur antea hoc non fecit. Quia, sicut sacra Scriptura dicit, in primordio coniunctionis masculi et feminae dixit Dominus ad Evam: *Ad virum tuum erit conversio tua, et ipse dominabitur tui.* Et cum iam essent moribus in legitima coniunctione maturi et provectae aetatis, Abraham et Sarra, et, ut sanctus Petrus dicit, *Sarra obediebat Abrahae, dominum eum vocans*, dixit Dominus ad Abraham quod antea nec ipsi nec alio homini legimus illum dixisse: *Omnia quae dixerit tibi Sarra, audi vocem eius.* Iam enim et Abraham Presbyter merito vocabatur, et defecerant muliebria id est omnis lascivietas Sarrae: et tunc acceperunt benedictionem seminis benedicti a Domino, in quo benedicuntur omnes gentes. Amen. His ergo fulti auctoritatibus, in dispensandis Dei donis, qui ab illo ministri eius sumus ad hoc constituti, ut Leo dicit, non debemus esse difficiles, nec devotorum petitiones negligere; maxime si ipsas petitiones evidentibus indiciis ex Dei viderimus inspiratione conceptas. Quia multiplex misericordia Dei ita saluti humanae subvenire decrevit, ut praecipue Sacerdotum supplicationibus ipsa salus debeat obtineri. Cui operi, ut in sacris literis legimus, ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest quae ministris suis exequenda commisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Et si quid per servitutem nostram bono ordine et gratulando implemus affectu, ut Leo dicit, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Et ideo, Fratres, quoniam ita est, et nostra pro vobis ministratio, et vestra erga nos coniuncta devotio, ut una fiat apud Dominum supplicatio, sicut legimus quia ad hoc constituti sunt Sacerdotes, ut prius pro suis, deinde pro populi orent peccatis, et oratio fiebat sine intermissione ad Deum pro Petro, id est, pro omni Episcoporum choro, orantibus nobis pro communi nostra immo pro totius Ecclesiae ac populi necessitate atque salute, commune votum etiam vestra communis prosequatur oratio apud eum qui facit unanimes habitare in domo, et vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

O r a t i o.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui potestate virtutis tuae de nihilo cuncta fecisti, et dispositis universitatis exordiis, homini ad imaginem tuam facto in

separabile mulieris adiutorium condidisti, ac femineo corpori de virili dedisti carne principium, docens quia quod ex uno placuit tibi institui, non liceat ab homine separari, respice propitius super hanc famulam tuam maritali iunctam consortio, quae tua se expetit protectione muniri. Sit in ea iugum dilectionis et pacis. Fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat feminarum. Sit amabilis ut Rachel viro, sapiens ut Rebecca, longaeva et fidelis ut Sarra. Nihil in ea ex actibus suis auctor praevaricationis usurpet. Nexa fidei mandatis permaneat, uni thoro iuncta contactus inlicitos fugiat. Muniat infirmitatem suam robore disciplinae. Sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis coelestibus erudita. Sit foecunda in tibi placita sobole, sit probata et innocens. Percipiat per hanc sacram misericordiae, et laetitiae, et exultationis olei unctionem sanitatem mentis, incolumitatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, plenitudinem caritatis. Corona eam, Domine, corona iustitiae, corona eam fructibus sanctis et operibus benedictis. Sit meritis et nomine atque virtute Regina, adsistens in hoc seculo fide recta et operibus bonis, et in futuro honore et gloria coronata a dextris Regis, in vestitu bonorum operum, circumdata virtutum varietate. Fac illam talem sobolem generare quae ad paradisi tui pertineat hereditatem. Praesta, Domine, huic famulae tuae tantum caritatis affectum et misericordiae studium atque religionis augmentum ut tuum iugiter promereatur auxilium. Callidi serpentis ab ea venena repelle, et lorica fidei indutam scuto salutis eam defende, actus eius corrige, vitam emenda, mores compone et eam in senectute bona ad coelestia regna digneris perducere. Per eundem Dominum nostrum.

Coronet te Dominus gloria et honore et sempiterna protectione. Qui vivit et regnat.

Deus omnipotens, qui benedixit Adam et Evam dicens: *Crescite et multiplicamini*, et Patriarcharum benedixit coniugia, quique cum Tobia misit Raphael Angelum suum, cuius ministerio daemonium effugavit a Sarra uxore ipsius, benedicat te et illam futuram uxorem tuam, ut secundum praeceptum Domini effecti duo in carne una, quod Deus iungit, homo non separet, et det vobis benedictionem de rore coeli et de pinguedine terrae. Benedicimus enim vobis in nomine Domini: qui mittat Angelos suos bonos, ut vos custodiant semper, et omnem phantasiam et nequitiam atque versutiam omnium malignorum spirituum et hominum a vobis depellant, et ab omni inquinamento omnis adulterii, omnibusque insidiis humanis diabolicis protegant, muniant, et defendant. Gratia Domini nostri Iesu Christi,

qui amorem et timorem suum iugiter cordibus vestris infundat; ut consenescatis pariter in senectute bona, et videatis filios filiorum vestrorum florentes in voluntate Domini, et pax vobiscum permaneat, atque in fide recta, ac bonis operibus, et concordia bona, et amore coniugali sincero, necnon et in confessione sanctae Trinitatis et Ecclesiae Catholicae communione perseverantes, ad vitam perveniatis aeternam. Quod ipse praestare dignetur cuius regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

CAPITULA
HLOTHARII
IMPERATORIS.

TITULUS I.

CAPITULARE ROMANUM, DATUM ANNO CHRISTI DCCCXXIV.

Ex Constitutionibus Hlotharii sub secundo Eugenio Papa gestis mense Novembris in atrio beati Petri Apostoli.

I. Constituimus ut omnes qui sub speciali defensione Domni Apostolici seu nostra fuerint suscepti, impetrata inviolabiliter utantur defensione. Quod si quis in quocunque violare praesumpserit, sciat se periculum vitae suae incursurum. Nam et hoc decernimus, ut Domno Apostolico in omnibus iusta servetur obedientia, seu Ducibus et Iudicibus suis ad iustitiam faciendam.

II. Ut depraedationes quae hactenus fieri solebant, nullo modo fiant, neque vivente Pontifice, neque defuncto. Si quis vero ulterius hoc fecerit, sciat se legali sententia condemnandum. Quae vero retro factae sunt, legaliter emendentur.

III. In electione autem Romani Pontificis nullus sive liber sive servus praesumat aliquod impedimentum facere; sed illi solummodo Romani quibus antiquitus concessum est constitutione sanctorum Patrum, sibi eligant Pontificem. Quod si quis contra hanc nostram Constitutionem facere praesumpserit, exilio tradatur.

IV. Volumus etiam ut Missi constituantur a Domno Apostolico et nobis, qui annuatim nobis renuntient qualiter singuli Duces et Iudices iustitiam populo faciant et quomodo

nostra Constitutio servetur. Decernimus itaque ut primum omnes clamores qui neglegentia Ducum aut Iudicum fuerint, ad notitiam Domni Apostolici deferantur; ut statim aut ipse per suos nuntios eosdem emendari faciat, aut nobis notificet, ut legatione a nobis directa, emendentur.

V. Volumus etiam ut omnis Senatus et Populus Romanus interrogetur quali vult Lege vivere, ut sub ea vivat; eisque denuntietur quod proculdubio, si offenderint contra eandem, eidem legi qua profitebuntur ex dispositione Domni Pontificis et nostra omnimodis subiacebunt.

VI. De rebus autem Ecclesiarum iniuste retentis, sub occasione quasi licentia accepta a Pontifice, volumus ut a Legatis nostris in potestatem Domni Pontificis et in ius Romanae Ecclesiae celerius redigantur.

VII. Praecipimus etiam ut depraedationes in confinio nostro non fiant; et quae factae sunt et caeterae iniustitiae secundum legem ab utrisque partibus emendentur.

VIII. Placuit etiam nobis ut cuncti Duces et Iudices, sive alii qui cunctis praeesse debent, in nostram praesentiam, dum Romae sumus, conveniant. Volumus enim et numerum et nomina eorum scire et singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere.

IX. Novissime praecipimus et monemus ut omnis homo, sicut Dei gratiam et nostram habere desiderat, ita praestet in omnibus obedientiam atque reverentiam Romano Pontifici.

TITULUS II.

ALIA EDITIO EIUSDEM CAPITULARIS.

Baluzius hanc editionem ex libris legis Longobardorum editis, sed auctoritate veterum exemplarium emendatis desumpsit. Nos autem lectorem ad nostram illius legis editionem delegamus.

TITULUS III.

Apud Olonam.

Incipiunt Capitula quae Domnus Hlotharius Imperator primo anno imperii sui, quando in Italia accessit, in suum generale placitum curte Olonna instituit.

I. Si liber homo seipsum ad servitium implicaverit

pro aliquibus causis, si liberam feminam habuerit aut infantes, ipsi in eorum libertate permaneant. Et si ipsa mulier defuncta fuerit, et aliam liberam feminam sibi copulaverit servienti, ipsa in servitio permaneat.

II. Si quis homo alienam uxorem adulteravit, et secundum legem ei in manus tradita fuerit, et postea convicti fuerint, partibus publicis recipiantur; et qui ipsos comparatos habuerit, pretium suum perdat.

III. Volumus ut Comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere de Vicariis et Centenariis qui magis propter cupiditatem quam propter iustitiam faciendam saepissime placita tenent, et exinde populum nimis affligunt, et ita teneatur sicut in Capitulare Domni Karoli continetur, id est, ut nullus ad placitum banniatur nisi qui causam suam quaerit, aut si alter ei quaerere debet; exceptis Scabinis septem, qui ad omnia placita esse debent.

IV. Volumus de obligationibus ut nullus homo per sacramentum nec per aliam obligationem adunationem faciat. Et si hoc facere praesumpserit, tunc ille qui prius ipsum consilium inchoavit et hoc factum habet, in exilio ab ipso Comite in Corsicam mittatur, et illi alii bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componant. Et si talis fuerit qui non habeat unde ipsum componat, sexaginta ictus accipiat.

V. Volumus ut cum collecta vel scutis in palatio *x*) Comitis nullus praesumat venire. Et si praesumpserit, bannum nostrum componat.

VI. De sanctimoniali femina statuimus ut si adulterium fecerit, et inventum fuerit, res quas habet fisco socientur; persona vero eius sit in potestate Episcopi in cuius parochia est, ut in monasterium intromittatur.

VII. Volumus ut Episcopi et Abbates et Abbatissae suos Advocatos habeant, et plenam iustitiam faciant ante Comitem suum.

VIII. De illis hominibus qui res suas alienaverint ubicunque, et super resident, distringat eos Comes per scubias publicas, sicut lex habet.

IX. Volumus ut Episcopi una cum Comite suo Advocatos eligant.

X. Placuit nobis de omnibus liberis hominibus, ut nihil eis superponatur nisi sicut lex et rectitudo continet.

XI. Volumus ut de scubiis publicis, quod ad utilitatem nostri regni pertinet, praeceptum emunitatis impedimentum non praestet, sed adiutorium.

XII. Ut Cancellarii electi boni et veraces chartas publicas conscribant ante Comitem et Scabinos et Vicarios eius;

---

x) al. mss. *in palatium*. Certe legend. *in placitum*.

et nullis modis hoc facere praesumant de pecunia ante quam legitimum pretium detur.

XIII. De Cancellariis qui veraces electi sunt, ad homines infirmos veniant, et secundum legem instrumenta chartarum conscribant, et à testibus roborentur. Et statim cum scripta charta fuerit, ostendatur ante Episcopum et Comitem sive Iudicem vel Vicarios, aut in plebe, ut veraces agnoscantur esse.

XIV. Ut mulieres Romanae quae viros habuerunt Longobardos, eis defunctis à legibus virorum sint solutae, et ad suam revertantur legem. Et hoc statuentes, ut simili modo servetur in caeterarum natione mulierum.

XV. Placuit nobis ut si pro quibuslibet culpis aut criminibus quaecunque persona totiens fuerit correpta ut etiam excommunicatione episcopali pro contemptu digna habeatur, Comitem suum Episcopus sibi consociet, et per amborum consensum huiuscemodi distringatur contemptor, ut iussioni sui Episcopi obediens existat. Si vero assensum non dederit, bannum nostrum nobis solvat. Quod si adhuc contumax perstiterit, tunc ab Episcopo excommunicetur. Si vero excommunicatus corrigi nequiverit, à Comite in vinculis distringatur quousque nostrum is contemptor suscipiat iudicium. Si vero in talibus Comes repertus fuerit noxius, per Episcopum eius nobis nuntietur. Si autem vassallus noster in hac culpa lapsus fuerit, sicut supra per Comitem distringatur. Quod si non audierit, nobis innotescat ante quam in vinculis mittatur.

XVI. Volumus ut omni modo emunitates pro Genitoris nostri mercede seu nostra pleniter ac iuste conserventur.

XVII. Volumus ut res quae à liberis personis locis Deo dicatis conferuntur, liceat sibi usumfructum et ordinationem earumdem rerum, si aliter sibi placuerit, reservare. Si aliter eas non ordinaverit, ita maneant sicut prius datae fuerint.

XVIII. Singulis Episcopis, Abbatibus, Abbatissis duos concedimus habere Advocatos; eosque, quandiu advocationem tenuerint, ab hoste relaxemus.

XIX. Prohibemus ut nemo usuram facere praesumat post Episcopi sui contestationem. Quod si quis post eius interdictum facere praesumpserit, à Comitibus, sicut supra dictum est de contemptoribus, praecipimus ut distringantur.

XX. Praecipimus ut singulae plebes secundum antiquam consuetudinem fiant restauratae. Quod si filii eiusdem Ecclesiae eas restaurare noluerint, à ministris reipublicae distringantur ut volentes nolentesque nostram observent praeceptionem.

XXI. De precariis quoque quae a Rectoribus Eccle-

siarum irrationabiliter fiebant, et se suosque successores poena gravi obligabant ut facta ipsius nequeant dissolvere, praecipimus ut nemo successor in antecessoris sui poena statuta sit obligatus; sed suae providentiae sit concessum, ut si antecessor eius res Ecclesiae irrationabiliter distribuerit, ab eo ad ius Ecclesiae tenendum revocetur.

XXII. Placuit nobis ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam reipublicae utilitatem, fraudulenter ac ingeniose res suas Ecclesiis delegant, easque denuo sub censu utendas recipiunt, ut quousque res suas possident, hostes et reliquas publicas functiones faciant.

XXIII. De feminis quibus, defunctis viris, Lex Longobardorum prohibet ante anni spatium vestem religionis mutare velumque suscipere, petierunt nostram licentiam ut mox dum divina pietas inspiraverit, eas indemnes liceat suscipere. Nos autem considerantes quia praeterito tempore pro ipsa dilatatione multae etiam raptu intra idem spatium ad aliam partem distractae fuerunt, ideo et earum petitionem, quia censuimus esse iustam, suscepimus, et eis fieri ita concedimus.

XXIV. Ut nullus Cancellarius pro ullo iudicato aut scripto aliquid amplius accipere audeat nisi dimidiam libram argenti de maioribus scriptis. De minoribus autem infra dimidiam libram, quantum res assimilare possit, et Iudicibus rectum videtur, accipiat. De orphanis autem vel de caeteris pauperibus qui exsolvere hoc non possunt, in providentia Comitis sit ut nequaquam inde aliquid accipiat. Notarii autem hoc iurare debent, quod nullum scriptum falsum faciant, nec in occulto scriptum aliquod faciant, nec de uno Comitatu in alio nisi per licentiam illius Comitis in cuius Comitatu stare debent. Si vero necessitas in itinere aliqua compulerit, aut infirmitas gravis, secundum Capitulare Genitoris nostri faciant. Si notarius aliter fecerit, appareat inanis et vacuus.

XXV. De chartis quae a quibusdam personis falsae appellantur constituimus ut si Notarius supervixerit et testes ipsi, veram et idoneam faciant. Et si testes mortui fuerint, et Notarius supervixerit, cum duodecim iuratoribus ipsam chartam veram et idoneam faciat.

XXVI. Placuit nobis ut haec Capitula, quae excerpsimus de Capitulare bonae memoriae Avi nostri Karoli ac Domni Genitoris nostri Lodoici Imperatoris, ab omnibus et sanctae Ecclesiae et nostris fidelibus in regno Italiae consistentibus pro lege teneantur et conserventur. Et quicunque eorum Capitulorum contemptor extiterit, sexaginta solidos componat.

XXVII. Quicunque liber homo ammonitus a Comite suo vel Ministris eius ad patriam defendendam ire neglexerit, et exercitus supervenerit ad istius regni vastationem vel contrarietatem fidelium nostrorum, capitali subiaceat sententiae. Similiter observandum est si vocati fuerint audito inimicorum nostrorum adventu, et ita contigerit ut hostes non supervenerint, ii qui vocati audire noluerint, unusquisque secundum suam legem emendet.

XXVIII. Ut si cuiuscunque servus liberam feminam sibi, ea consentiente, in coniugio copulaverit, et infra anni spatium secundum legem ad vindictam traditi non fuerint, sicut lex tales personas fisco nostro sociat, ita nostra liberalitate concedimus ut in potestate et servitio domini illius cuius servus fuerit ambo revertantur.

XXIX. Similiter concedere volumus cunctis liberis personis ut nullus Iudex publicus seu Ministri publici eos contra legem audeant pignorare in bubus; quia audivimus multa damna et afflictiones propter hoc populos nostros sustinere. Neque cogantur ad placita venire praeter ter in anno, sicut in Capitulare continetur, exceptis Scabinis et causatoribus et testibus necessariis; quia omnia haec auferre volumus, ut populus noster pacifice sub nostro regimine vivere possit.

XXX. Concedimus etiam Gastaldiis nostris curtes nostras providentibus ut si proprio eorum pretio res emerint, aut quolibet iusto adtractu adquisierint, sicut lex illas res ad nostram partem concedit, ita nos eas illis concedemus, si in servitio nostro fideles inventi fuerint.

XXXI. Si quis aliquem de aliquo negotio mallaverit, et ille qui mallatus fuerit dicat: *Ideo ei respondere nolo quia servus alterius sit*, aut si testimonia produxerit, et similiter dixerit quod ea recipere non debeat quia aliquis eorum servus sit alterius, nominet dominum eius, et sic det wadiam de eo ad placitum adducendo. Et posito placito, in quantum ire, ubi eum invenire credit, et reverti possit, Iudices dicant. Et si in placito publico constituto dominum non adduxerit, praebeat sacramentum quod pro nulla dilatatione iustitiae eius hoc dixerit, nisi pro certo ita verum esse crediderit. Quod si iurare ausus non fuerit quia pro occasione prolongandae iustitiae hoc non dixisset, componat illi bannum nostrum et iustitiam plenissimam faciat. Si vero aliquem adduxerit qui se dominum eius esse dicat, et illum quem de servitio appellavit replicare ad servitium non potuerit, tunc ille qui se dominum eius dixit esse, bannum nostrum illi componat, eo quod pro conculcanda iustitia tale ingenium facere ausus fuit. Crimina vero si super eum pro dilatanda iustitia imponere

voluerit, probare cogatur. Et si probare non potuerit, iustitiam faciat, et insuper bannum nostrum pro tanta calliditate componere cogatur.

XXXII. Si forte quispiam aliquem mallaverit, et ille qui mallatus fuerit dixerit eum servum suum esse, vel alius in ipsa altercatione veniens eum ad servitium mallaverit, volumus ut praesentaliter se vadiet, ut ad primum aut secundum vel tertium placitum causam ipsam deliberet. Inter placitum et placitum sint dies quindecim. Tertium vero, quando Comes placitum habuerit, si infra unum Comitatum est, sint dies quindecim. Sin autem in alium, sint dies viginti; ne pro tali occasione eius iustitia prolongetur. Quod si in his tribus placitis ille qui quaerit venire neglexerit, excepto servitio Regis aut inevitabili necessitate, et Comes placitum habuerit, ille quoque alius ad suam probandam libertatem, paratus fuerit, tunc Comes ipsam causam finiat, veluti si ipse qui quaerit praesens fuisset, et ultra ille qui quaesierit, facundiam dicendi de servitio illius non habeat, et insuper bannum nostrum illi componat ac iustitiam pleniter faciat. Et sunt aliqui dum aliquos in servitio mallant, et ipsi de sua libertate probanda dant wadiam, in tantum eos mutando per placita lacerant ut vix per suam paupertatem evadere possint. Unde tertium Capitulum placuit addere.

XXXIII. Si vero alium ad servitium aliquis mallaverit et ille qui mallatus fuerit, ad probandam libertatem wadiam dederit, iubemus ut supra ut ad primum vel ad secundum vel ad tertium placitum causam deliberet. Inter placitum et placitum sint dies quindecim. Tertium vero, quando Comes placitum habuerit, si infra unum Comitatum est, sint dies quindecim. Si autem in alium est, sint dies viginti. Et si in his tribus placitis ipse qui quaerit venire contempserit, anteposito quod superius anteposuimus, si est in servitio Regis vel inevitabili necessitate et Comes placitum habuerit, ille autem alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc Comes ipsos testes recipiat, et causam diffiniat, veluti si ipse qui quaerit praesens fuisset; et ultra ille qui quaesierit, tacitus de servitio illius permaneat.

Desunt nonnulla.

T I T U L U S IV.

CAPITULA ADDITA AD LEGEM LONGOBARDORUM.

Haec sunt Capitula quae Domnus Hlotharius Rex instituere iussit.

De Ecclesiis emendandis volumus ut ita observetis sicut in Capitulare nostro continetur quod ad Olonam fecimus. Ubi

in uno loco plures Ecclesiae sunt, destruantur. Quod si forte in aliquo loco sit Ecclesia constructa, quae tamen necessaria sit, et nihil dotis habuerit, volumus ut secundum iussionem Domni et Genitoris nostri unus mansus duodecim bunuariis de terra arabili ibi detur, et mancipia duo aut liberis hominibus qui ad eadem Ecclesia officium Dei audire debent, ut sacerdos ibi possit esse et divinus cultus fieri. Quod si hoc populus facere noluerit, destruantur.

II. Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum fuste, si Presbyter fuerit, in triplo componatur, duas partes eidem Presbytero, tertiam pro fredo ad Ecclesiam, insuper bannus noster. Similiter de Diacono iuxta compositionem eius in triplo cum banno nostro componatur. De Subdiaconis similiter triplos secundum suam compositionem, et de uniuscuiusque Ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplo persolvatur, insuper banno nostro. Similiter et de ictus sine sanguinis effusione de uniuscuiusque Ordinis Clero secundum suam compositionem triplo persolvatur, insuper banno nostro. Et qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitio eidem Ecclesiae usque dum totum debitum persolvat.

III. Statuimus de Presbyteris et Diaconibus ecclesiastico honore privatis, ut redigantur sub poenitentia, sicut Canones praecipiunt. Et si Episcopus in sua parochia habuerit monasterium, ibi mittantur. Quod si monasterium non habuerit, tunc praecipiat Episcopus, ut illi tales habitent in illa plebe, unde sunt; ut si res proprias habuerint, eligant sibi patronum, qui de ipsis rebus victum et vestimentum eis ministret. Ipsi tamen nullam habeant licentiam vagandi aut discurrendi, sive ad placita, sive ad palatium, sive ad ipsas res, quas proprias ante habuerint, sine licentia sui Episcopi, sed in eodem loco, ubi constitutum est, suam poenitentiam iugiter agant. Quod si hoc non observaverint, primum verberibus coerceantur. Quod si nec sic se castigaverint, in tali loco retrudantur, ubi velut sub poenitentia vivant.

IV. Ut nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere, nec testimonium dicere. Nec placitum Comes habeat, nisi ieiunus.

V. De reclamatoribus vel causidicis, qui nec iudicium Scabinorum acquiescere nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodia recludantur donec unum ex duobus faciant. Et si ad palatium pro hac re reclamaverint, et litteras detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur; sed cum custodia et cum ipsis litteris pariter ad palatium nostrum remittantur; ut ibi discutiantur sicut dignum est.

VI. De conspirationibus, quicunque facere praesump-

serint, et sacramento quamcunque conspirationem firmaverint, triplici ratione iudicentur. Primo, ut ubicunque aliquod malum per hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur, adiutores vero eorum alter ab altero flagellentur, et nares sibi invicem praecidant. Ubi vero nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, et capillos sibi vicissim detundant. Si vero per dextras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut iurent cum idoneis iuratoribus hoc pro malo non fecisse, aut si facere non potuerint, suam legem componant. Si vero servi sunt, flagellentur, ut de caetero in regno nostro nulla huiusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento.

VII. De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant a potentioribus per aliquod malum ingenium contra iustitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Ideo haec de liberis hominibus diximus, ne forte parentes eorum contra iustitiam fiant exheredati, et regale obsequium minuatur, et ipsi heredes propter indigentiam mendici vel latrones seu malefactores efficiantur.

VIII. Si quis litteras nostras dispexerit, id est, tractoriam quae propter Missos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco ubi praedictos Missos suscipere debuit tamdiu resideat et de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat quousque animo nostro satisfactum habeat. Qui vero epistolam nostram quocunque modo dispexerit, iussu nostro ad palatium veniat, et iuxta voluntatem nostram congruam stultitiae suae castigationem accipiat. Et si homo liber vel minister Comitis hoc fecerit, honorem, qualemcunque habuerit, sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palum vapuletur, et caput eius tondeatur.

IX. Decernimus ut quisquis aliter testes habere non potuerit, volumus ut per Comitis iussionem quos in suo testimonio necessarios quisque habuerit, veritatem probaturi in publico conventu adducantur, ut per ipsos rei veritas cum iuramento valeat inquiri. Quod si de duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco quod nullus eorum possit habere testes, antequam iurent fiat inquisitio facta. Quod si omnes ad unam partem dixerint testimonium, iurent verum dixisse testimonium. Quod si dissenserint, et quaedam pars testium uni praebuerit testimonium, et alia alteri, tunc interrogentur, si audeant per pugnam illorum testimonium approbare. Quod si nulla pars alteri cesserit, iurent, et pugna probetur illorum testimonium. Quod si una pars se subtraxerit, tunc pars illa quae ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium.

X. Quod per triginta annos servus liber fieri non pos-

sit, si pater illius servus aut mater eius ancilla fuerit. Similiter et de aldionibus, praecipimus.

XI. Quod nullus Cancellarius pro ullo iudicato aut scripto aliquid amplius accipere audeat nisi dimidiam libram argenti de maioribus scriptis. De minoribus autem infra ipsam dimidiam libram quantum res exposcit et Iudicibus rectum videtur accipiat. De orphanis autem et caeteris pauperibus, qui exsolvere hoc non possunt, in providentia Comitis sit ut nequaquam inde aliquid accipiat. Notarii autem hoc iurare debent, quod nullum scriptum falsum faciant, nec in occulto scriptum aliquis faciat, nec de uno Comitatu in alio nisi per licentiam illius Comitis in cuius Comitatu stare debet. Quod si aliter fecerit, inanis et vacuus appareat. Si vero necessitas itineris aliquem capitulaverit, aut infirmitas gravis, secundum Capitularem Genitoris nostri faciant.

XII. Placuit nobis ut haec Capitula, quae excerpsimus de Capitulis sanctae memoriae Avi nostri Karoli ac Domni Genitoris Hludouvici Imperatoribus, ab omnibus sanctae Dei Ecclesiae et nostris fidelibus in regno Italiae consistentibus pro lege teneantur et conserventur. Et quicunque eorum Capitulorum contemptor extiterit, sexaginta solidorum multam componat, sicut in Capitulis praedicti Domni Avi nostri Karoli continetur.

XIII. Placuit nobis de liberis feminis quae sibi servi copulant, sicut ad nostram regiam potestatem perteneunt, ita volumus ut deinceps ad ipsos Longobardos pertineant ipsae cum filiis suis et filiabus eorum.

XIV. Statutum est ut si qua femina libera cum servo alterius se copulaverit, et parentes eius eam anni spatio ad vindictam non dederint, volumus ut curtis regia adquirat. Si ipsa femina cum ipso servo annum et diem steterit, habeat eam cuius serva est, et filii qui ex ea nati fuerint sint servi sicut pater eorum.

XV. Statutum est ut si quis liber homo uxorem habens liberam propter aliquod crimen aut debitum servitium alteri se subdiderit, eademque coniux cum ipso manere noluerit, ipsorum procreatio, quae de tali coniugio sit, libertatis statum non amittat. Si vero ea defuncta, secunda uxor et tamen libera, tali se sciens iunxerit coniugio, liberi eorum subdantur.

XVI. Si quis percusserit Presbyterum, id est, Sacerdotem, componat auri optimi libras decem.

TITULUS V.

CAPITULA EXCERPTA EX LEGE LONGOBARDORUM.

Haec capitula in lege Longobardorum inter leges Lotharii I. sparsim extant, unde a Baluzio excerpta sunt.

TITULUS VI.

Edictum de restitutione Ebbonis Archiepiscopi Remensis in sedem et dioecesim suam ex crimine infidelitatis amissam.

Datum anno Christi DCCCXL. post mortem Ludovici Pii Imperatoris.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei aeterni. Hlotharius, divina ordinante providentia, Imperator Augustus. Quia confessio delictorum non minus in adversis necessaria est quam in prosperis, et cor contritum et humiliatum Deus non despicit, gaudium etiam esse Angelorum in coelo super uno peccatore poenitentiam agente non dubitamus, nos mortales in terris eos nequaquam despicimus pro quibus gaudere Angelos in coelo divino testimonio non ignoramus. Accusantes et reprehendentes in excessibus semetipsos divina nos benignitas non condemnare sed recreare docuit; qui meretricem non solum à legali damnatione eripuit, verum etiam publicanum humiliatum et accusantem se non condemnavit, sed magis iustificando exaltavit; qui non dixit: *Omnis qui se humiliat non condemnabitur*, sed *exaltabitur*. Potestatem ergo quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus Ecclesiae tuae filiis, sedem ac diocesim Remensis urbis tibi, Ebbo, restituimus, ut pristino sanctae largitatis apostolicae pallio indutus, concordiam atque gratiam divini officii nobiscum, humili satisfactione expleta, solemni nostra à largitate recipiendo exerceas.

Drogo Episcopus. Otgarius Archiepiscopus. Hecti Archiepiscopus. Amalvuinus Archiepiscopus. Audax Archiepiscopus. Ioseph Episcopus. Adalulfus Episcopus. David Episcopus. Rodingus Episcopus.	*assensi.*

Giselbertus Episcopus.
Flotarius Episcopus.
Badaratus Episcopus.
Hagaeno Episcopus.
Hartgarius Episcopus.
Ado Episcopus. } *assensi.*
Samuel Episcopus.
Rambertus Episcopus.
Haiminus Episcopus.
Ratoldus Presbyter vocatus Episcopus
Amalricus vocatus Episcopus

Cum caeteris plurimis Presbyteris ac Diaconis publice assistentibus.

Actum in Engilenheim palatio publico in mense Iunio VIII. kalendas Iulii, regnante et imperante Domno Hlothario Caesare anno reversiónis eius primo, successor patris factus in Francia, Indictione tertia.

CAPITULA LUDOVICI II. IMPERATORIS.

TITULUS I.

CAPITULA DATA ANNO CHRISTI DCCCL. IN CONVENTU TICINENSI.

Capitula de rebus secularibus quae statuit piissimus Imperator Hludouvicus quae gloriosi quoque Genitoris eius Hlotharii, serenissimi Augusti, auctoritate firmata sunt.

I. Perventum est ad nos quod eos qui Romam orationis causa pergunt, vel qui negotiandi causa per regnum nostrum discurrunt, collecti latrones diripiant, eosque aliquoties vulnerent vel occidant, et eorum bona diripiant. Ideo volumus ut Comites nostri, eorum *Sculdasii* adiunctis secum vassallis Episcoporum, si necessitas fuerit, ubicunque tales fuerint, studiosissime perquirant, ut eos capiant atque distringant. Et si huius criminis reos invenerint, poenas in legibus positas erga eos absque ulla negligentia exequantur, ut ab his malefactoribus regnum nostrum purgetur, et qui in nostra fiducia huc veniunt, sive orationis sive negotiandi gratia, salvi esse possint. Sciat autem unusquisque filium nostrorum quia quisque Comes et quilibet publicus Minister huiusmodi malefactoribus aut assensum praebuerit, aut eos qui persequi neglexerit, nostrae indignationis motum sentiet, et proprio honore privabitur.

II. Sed et hoc comperimus quia ex diversis locis huiusmodi noxii homines inter se conspirent, et diversos Comitatus circumeuntes, praedas et rapinas per villas seu per vias vel per silvas faciant, et innocentes homines depraeden-

tur et spolient. Et hi quoque similiter volumus ut diligenti studio perquisiti capiantur et distringantur. Et si obnoxii huius sceleris inventi fuerint, legalibus poenis absque ulla dilatione subiciantur, ut huiusmodi inquietudo et iniusta direptio à populo nostro auferatur, et liceat omnibus sub nostra ditione degentibus cum salvatione ac pace vivere, ut ordo reipublicae secundum iustam administrationem prorsus salvus et quietus permaneat.

III. Audivimus quoque quod quidam domos et possessiones habentes, consilient sibi atque consocient latrones aliunde venientes, eosque occulte foveant et solatientur ad tale facinus perpetrandum, ut quicquid ipsi ex pernicioso opere adquisierint, cum eis partiantur, quod genus malefactorum pessimum iudicamus; quia non solum ipsi mala peragunt, sed etiam aliorum opere et officio ad scelera utuntur. Ubicunque igitur in tali suspicione quilibet venerit, et rumor in populo dispersus fuerit quod haec facinora exerceant, si adhuc prolatum est, cum duodecim se purget. Si autem in aliquo manifestatus aut deprehensus est, statim capiatur et distringatur, et damnationem legibus praefixam sustineat. Ubicunque vero sive manentes sive vagantes latrones comprehendere publici muneris administrator voluerit, et ille se defensare conatus fuerit, si inter haec forte eundem latronem occidi contigerit, nulla is qui eum occidit damnatione multetur, neque ullas inimicitias à parentibus aut ullam persecutionem ab ullo eius amico vel propinquo sustineat. Quod si aliquis eius senior aut propinquus propter hoc vindictam facere conatus fuerit, et Iudex publicus eum compescere non potuerit, per fideiussores idoneos talis persona ad nostram deducatur praesentiam, ut complices et fautores sceleratorum nostra animadversione plectantur. Ubicunque autem fama est tales habitare, inquisitio per sacramentum per omnem populum circa manentem fiat; et cuiuscunque gentis aut conditionis fuerit, per quos hoc inquiri melius potuerit, iusiurandum dare, cum à Comite conventus fuerit, recusandi non habeat potestatem.

IV. Sed et hoc pervenit ad notitiam nostram, quod quando potentes et honorati, sive ecclesiastici, sive seculares, ad nos veniunt, à populo, in quorum domibus mansiones accipiunt, suis usibus suorumque equorum necessaria per vim tollant, et hac occasione populus noster affligatur. Idcirco praecipimus ut nullus fidelis noster, quicunque ad nostram praesentiam properat, nihil in veniendo aut revertendo ab aliquo violenter tollat, sed suis hominibus et equis, nisi forte ab amicis stipendia acceperit, ab hospitibus suis pretio iusto comparet. Nam quicunque huius mali famam

habuerit, cum ad nos venerit, veracem hominem volumus ut det qui pro suis omnibus iuret nihil eos in itinere tulisse. Et si forte in aliquo se suosque obnoxios recognoscit, donet idoneum hominem qui iuret, aut cuncta restituat his à quibus abstulisse visus est.

V. Hoc etiam multorum querelis ad nos delatum, quod potentes et honorati viri locis quibus conversantur minorem populum depopulentur et opprimant, eorum prata depascant, mansionem etiam contra voluntatem privatorum hominum sive pauperum domibus suis.... *Caetera desunt.*

TITULUS II.

Capitula edita anno DCCCLIV. in palatio Ticinensi.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCLIV. nostri Imperii VI. Indictione IV. *y*), dum conventum fidelium nostrorum palatio nostro Ticinae civitatis convocaretur, et simul Episcoporum et Nobilium nostrorum consultu non solum Ecclesiasticam utilitatem et populi pacem, salvationem, sed etiam totius regni statum perquirere studeremus, inter reliquos populus noster nobis quasdam petitiones obtulit, quas nos Dei amore et eorum fidelitate ducti libenter suscepimus, atque ideo subter annotata Capitula ad eorum utilitatem conscribi fecimus, quas in futurum pro lege tenenda firmamus.

I. De feminis quas defunctis viris lex Longobardorum prohibet ante anni spatium vestem religionis mutare, velumque suscipere, petierunt ut nostra licentia eis mox dum divina pietas inspiraverit, eas indemnes licere suscipere. Nos autem considerantes quia praeterito tempore pro ipsa dilatatione multae etiam raptae intra eundem spatium ad aliam partem distractae fuerunt, ideo et eorum petitionem, quam iustam censuimus, suscepimus, et eis ita fieri concedimus.

II. Nostrae maiestati reclamaverunt tempore patris nostri vel nostro super eas superfluas factas fuisse inquisitiones.

---

y) De certa huius Capitularis epocha non constat. Baluzius ipsum in exeuntem annum DCCCLV. reiecit. Suasit illi *Ludovici* nomen, et annus Imperii VI. in exemplari descriptus. Sed in exemplari, quod Labbaeus inter Sirmondicas schedas invenit, desideratur annus aerae vulgaris, et nomen Imperatoris, et non annus Imperii VI sed IV. occurrit. Quare tribuendum Lothario I. et ad annum DCCCXXVI. referendum esse putavit. In novissima Baluzii editione, studio Petri a Chiniae, haec capitula ex Cod. Colbert. emendata, illisque tria alia addita sunt.

Ideo eis concedimus ab hinc in futurum nullas alias super eos fieri inquisitiones nisi unde Karoli et avi nostri tempore factae fuerunt.

III. De liberis hominibus qui super alterius res resident, et usque nunc à Ministris reipublicae contra legem ad placita protrahebantur, constituimus ut secundum legem patroni eorum eos ad placitum adducant. Et si quis contra hanc nostram auctoritatem et eorum legem eos pignorare aut distringere praesumpserit, patrono eorum omnia cum lege emendet, et insuper pro incauta praesumptione bannum nostrum componat.

IV. De homicidio, unde lex pro simplicitate probationem trium testium quaerit, et testes habere non potuerit, concedimus ut cum duodecim iuratoribus iuret, et ab eadem simplicitate absolutus proprium non amittat.

V. De chartis quae à quibusdam personis falsae appellantur constituimus ut si Notarius superfuerit et testes qui eam veram et idoneam faciant; et si testes mortui fuerint, et Notarius superfuerit, cum duodecim iuratoribus veram et idoneam eam faciat. Concessas denique petitiones vestras consideravimus etiam ea quae ad nos iampridie pervenerunt, et ad resecandas malorum insidiatores iisdem adiungere capitulis; id est:

VI. Si quis aliquem de aliquo mallaverit negotio, et ille qui mallatus fuerit dicat ideo ei respondere nolle, quia servus est alterius, aut si testimonia produxerit, et similiter dixerit quod ea recipere non debet quia aliquis eorum servus sit, nominet dominum eius, et sic det wadia de eo adducendo; et posito placito in quantum ire ubi eum invenire credit et reverti posse iudices dixerint, si in placito constituto dominum non adduxerit, nisi pro certo ita verum esse crediderit. Quod si iurare ausus non fuerit, quin pro occasione prolongandi iustitiam obdixerit, componat illi bannum nostrum et iustitiam plenissimam faciat. Si vero aliquem adduxerit qui se dominum eius dicat, et illum quem de servitio appellavit applicare ad servitium non voluerit, tunc ipse qui se dominum esse dixerit, bannum nostrum illi componat eo quod conculcandam iustitiam ingenium tale ausus fuerit facere. Crimina vero si super eum pro dilatanda iustitia imponere voluerit, probare cogatur. Et si probare non potuerit, ei iustitiam faciat, et insuper bannum nostrum pro tanta calliditate componere cogatur.

VII. Si forte quispiam aliquem mallaverit, et ille qui mallatus fuerit, dixerit eum suum servum esse, vel alius in ipsa altercatione veniens ad servitium mallaverit, iubemus ut praesentaliter inter se wadient, ut ad primum aut secundum vel tertium placitum causam ipsam definiat. Inter placitum vero et placitum sint dies quindecim. Tertium autem quando Comes plac tum habuerit, si infra unum comitatum est. Si autem in alio, sint XX, ne pro tali occasione ei iustitia prolongetur. Quod si in his tribus placitis ille qui quaerit neglexerit, excepto servitio Regis et aut inevitabili necessitate, et Comes placitum habuerit, ille quoque alius ad suam probandam libertatem paratus fuerit, tunc Comes causam prodefiniat veluti si ipse qui quaerit praesens fuisset, et ultra

qui quaesierit facundia de servitio illius dicendi non habeat, et insuper ut supra bannum nostrum illi componat, et iustitiam pleniter faciat.

VIII. Et sunt aliquid dum alii in servitium mallant, et ipsi de sua libertate adprobare wadia dant in tantum eos mutandi placitum lacerant ut eis pro sua paupertate evadere possint. Unde tertium addere Capitulum placuit. Si vero aliquid alium ad servitium mallaverint, et ille qui mallatur wadia de sua probanda libertate dederit, iubemus, ut supra ad primum aut secundum vel tertium placitum causam deliberent. Inter placitum et placitum dies XV: tertium vero, quando Comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, si autem in alium, sint dies XX. Et si in his tribus placitis ipse qui quaerit, venire contempserit, anteposito quae superius ante posuimus, et Comes placitum habuerit, ille namque alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc Comes ipsos testes recipiat, et causas definiat veluti ipse qui quaerit praesens fuisset, et ultra ille qui quaesierit tacito illius de servitio permanet.

Alio tempore dictus serenissimus Augustus instituere praevidit Capitula z).

I. Si quislibet Episcopus, Abba, vel Comes in propria sede vel domo aut villa residet, homines ipsius depraedationes fecerint, messes vel prata defensionis tempore devastaverint, et hoc cognitum absque iniusta dilatione non emendaverint, et factori condignam castigationem non imposuerit, ipsum malum ut Lex est emendare cogatur, et insuper quadraginta dies et noctes vino et carne abstineat.

II. Per viam quoque ad palatium veniens aut rediens cuicunque homines rapinam fecerint, et cognito statim non emendaverit, et factori condignam castigationem non imposuerit, omnia quae rapta sunt ut Lex est emendare cogatur, et insuper triginta dies a carne et a vino abstineat.

TITULUS III.

CAPITULARE INTERROGATIONIS AD EPISCOPOS.

Datum, ut videtur, anno Christi DCCCLV.

Capitula quae gloriosus Imperator Hludouvicus suis Episcopis de statu sui regni considerare praecepit.

De conversatione Episcoporum, Presbyterorum, et caeterorum Clericorum, de doctrina et praedicatione in populo, de conscriptione librorum, de restauratione Ecclesiarum, de ordinatione plebium et xenodochiorum, de monasteriis virorum seu feminarum qua secundum regulam sancti Benedicti, vel ea quae secundum canonicam auctorita-

z) Etiam de his dubitatur, an non potius Lothario tribuenda sint.

tem disposita esse debent, quicquid in praefatis ordinibus extra ordinem est, aut per negligentiam praepositorum, aut per desidiam subditorum, vehementer cupio scire, et secundum Dei voluntatem vestrumque sanctum consilium sic emendare desiderio, ut in conspectu Dei nec ego reprobus sim, neque vos et populus in commissis iram suae indignationis incurrat. Quomodo autem istud rationabiliter quaesitum et inventum perficiatur, vobis hoc ad tractandum ac nobis renuntiandum committimus. De minoribus quoque causis, quae generaliter omnes, specialiter aliquos tangunt, et indigent emendatione, volumus ut posthac illas quaeratis, et ad nostram notitiam reducatis; sicut est de Comitibus et eorum ministris, si iustitias negligunt, aut ipsas vendunt, si sunt rapaces, aut Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, aut pauperum oppressores, si ad praedicationem veniunt, si debitum honorem aut obedientiam Sacerdotibus suis impendunt, si aliquas novitates aut argumenta, quae ad detrimentum populi pertinent, agere praesumunt, sicut est in acquirendis proprietatibus, aut irrationabiles preces ad adiutoria facienda, sive in reliquis causis ad peccatum nostrum pertinere possunt ac populi nostri.

Rescriptum consultationis seu exhortationis Episcoporum ad Domnum Hludouvicum Imperatorem.

Domino gloriosissimo Regi Hludouvico pax et vita et victoria ministretur a Deo patre et Domino nostro Iesu Christo. Nos quidem in Dei nomine Angilbertus Archiepiscopus et Andreas Patriarcha una cum Ioseph Archicapellano, cum ad hanc Synodum in urbe regia Ticino congregatam venissemus, replicavimus, eis piam vestram exhortationem, qua viva voce ad nos usi fuistis, flagrantes Spiritus sancti munere, et ultra quam huius aetatis teneritudo capere potuisse videretur, totius modestiae et gravitatis atque sapore sapientiae conditam protulimus, etiam et coram eis relegi fecimus commonitorium a vestra nobis magnificentia traditum. Quibus auditis, omnes unanimiter pro vestra indole omnipotenti Deo dignissime gratias egerunt quia populo suo tam piissimum tamque sanctissimum Principem dedit, qui cuncta ordinabiliter disponere cupit.

I. Et quoniam religiosa sollicitudo vestra primum de conversatione Episcoporum, Presbyterorum, et caeterorum Clericorum quaerere studuit, nos quoque, quo regulariter melius fieri potuit, eundem ordinem servamus. Episcopum quidem ita conversari debere pronuntiamus ut eius vita vivendi sit norma. Presbyteros vero et Clericos ita vivere oportet ut subditae plebi exemplo suae conversationis proficiant. Et quidam Coëpiscoporum nostrorum, qui

bonae conversationis sibi conscii sunt, palàm fateri recusabant, ne sui ipsorum laudatores viderentur. Qui vero negligentiam suam recognoscunt, more humani ingenii se ipsos accusare verebantur. Iuxta commonitionem tamen vestram diligentius perscrutantes, quosdam quales desideratis, qualesque populi Dei Pastores et Rectores esse debet, invenimus. Quorumdam vero negligentiam vel erga Clericorum suorum custodiam vel erga plebium sollicitudinem reperimus; quibus ut aliquantulum emendandi spatium tribuatis, humiliter petimus. Qui si cito delicta non correxerint, severiori sententiae subiacebunt.

II. Caeterum si quilibet laicorum vel Clericorum contra Episcopum vel alicuius ordinis Clericum aliquid quaeritur, noverint nos paratos et legitimam praebere audientiam, et si quid perperam gessisse probati fuerint, debita animadversione puniri.

III. Doctrina vero et praedicatio in populum, partim Episcoporum et reliquorum Sacerdotum, partim vero populi negligentia, non sicut necessarium est procuratur. Et Sacerdotum quidem incuria *a*) nullatenus est excusanda. Quidam vero laici, et maxime potentes ac nobiles quos studiosius ad praedicationem venire oportebàt, iuxta domos suas basilicas habent, in quibus divinum audientes Officium, ad maiores Ecclesias rarius venire consueverunt. Et dum soli afflicti et pauperes veniunt, quid aliud quam ut mala patienter ferant illis praedicandum est? Si autem divites, qui pauperibus iniuriam facere soliti sunt, venire non renuerint, admoneri utique possent ut eleemosynis peccata sua redimerent et à fluxu rerum temporalium se abstinerent. Admonendi sunt igitur potentes ut ad maiores Ecclesias ubi praedicationem audire possint, conveniant, et quantum dono omnipotentis Dei divitiis et honoribus caeteros antecedunt, tanto ad audiendum praecepta conditoris sui alacrius festinent.

IV. Quidam autem Comites et Vassi dominici Presbyteros et Clericos nostros caeteros, quod nec Episcopis facere licet, absque nostra licentia recipiunt. Insuper etiam ubicunque ordinatos, et quosdam de quibus dubium est utrum consecrati sunt, in parochiis nostris absque nostra examinatione Missas celebrare faciunt. Quod ne ulterius fiat, omnimodis est inhibendum. Quare in ordinandis plebium rationibus civium instituta serventur, et pestiferae ambitionis vitium radicitus extirpetur, et neque ob quorundam propinquitatem, neque pro alicuius familiaritatis gratia, neque, quod maxime detestandum, propter pecuniarum acceptionem, indignus quilibet ordinetur.

---

a) mss. habent: *iniuria*.

Et primum quidem ipsius loci Presbyteri vel caeteri Clerici idoneum sibi Rectorem eligant. Deinde populi qui ad eandem plebem aspicit sequatur assensus. Si autem in ipsa plebe talis inveniri non potuerit qui illud opus competenter peragere possit, tunc Episcopus de suis, quem idoneum iudicaverit, inibi constituat.

V. Sane removenda quorundam laicorum procacitas, qui hoc solo obtentu quod ad electionis consortium admittuntur, Archipresbyteris suis dominari praesumunt, et quos tanquam patres venerari debuerant, velut subditos contemnunt. Hi igitur intra proprii iuris terminos sunt redigendi. Et si extraordinariam dominationem in Ecclesiis exercere praesumpserint, regia sunt disciplina coercendi. Ipsi vero qui ad gubernandas plebes legitime provecti sunt, nullatenus à suis Episcopis repellantur, nisi aut alicuius criminis reatum inciderint, aut easdem plebes male tractaverint.

VI. Tollenda est enim prava omnino consuetudo quae in quibusdam locis oriri coepit; quia nonnulli Archipresbyteri, vel aliorum titulorum custodes, fruges vel alios Ecclesiarum reditus ad proprias domos abducunt. Quidam vero aliorum possessiones conducunt, ut in eis quae ab Ecclesiis suis male subtraxerunt recondant. Nonnulli autem laicorum in tantum eorum nequitiae se complices faciunt ut quae huiusmodi transgressóres ab Ecclesia subripuerunt, ipsi in suis domibus abscondant. Tales ergo primum à suis Episcopis corripiantur. Quod si se citius corrigere noluerint, tanquam qui ecclesiasticas res sacrilega temeritate tractaverunt, synodali sententia feriantur. Laicos vero qui post hanc denuntiationem socios se huius expilationis praebuerint, tanquam furti reos, iudiciaria coarctabit auctoritas.

VII. De restauratione Ecclesiarum illud Capitulum sufficit quod Genitor vester in Capitulare suo constituit. Sed ut servetur, vestra indiget admonitione.

VIII. Similiter et de xenodochiis, sicut in eodem Capitulari continetur, observandum est.

IX. De Monasteriis autem virorum seu feminarum, quae secundum regulam sancti Benedicti vel secundum canonicam auctoritatem disposita esse debent, quia inspiratio omnipotentis Dei, ut credimus, cor vestri moderaminis incitavit, ipsi gratias referimus. Nam quod iam maxima ex parte ordinem suum amiserint, omnibus est manifestum. Quae ut ad pristinum statum reducantur, in Domini ac Genitoris vestri ac vestra gloriosa dispositione consistit.

X. Ea quidem Monasteria quae adhuc statum suum retinent, unumquemque Episcoporum in cuius parochia constituta sunt providere oportet utrum ordinem suum teneant. Quod si aliter invenerit, una cum Rectore Monasterii corri-

gere debebit. Quod si Rectoris Monasterii principaliter culpa fuerit, et se suosque subditos ad Episcopi sui admonitionem corrigere dissimulaverit, synodica debet auctoritate percelli.

XI. Quidam autem Episcopi et Rectores Monasteriorum res Ecclesiarum suarum subtractas et aliis personis largitas esse queruntur, et ideo ecclesiasticas utilitates nequaquam se implere posse dicunt: quae ut restituantur, vestram regiam Maiestatem imploramus. Quia si hi qui eas pro animarum suarum remedio Ecclesiis contulerunt, praemium merentur, sine dubio damnatione digni sunt qui eas subtrahere moliuntur.

XII. In sacris Canonibus praefixum est ut decimae iuxta Episcopi dispositionem distribuantur. Quidam autem laici, qui vel in propriis vel in beneficiis suas habent basilicas, contempta Episcopi dispositione, non ad Ecclesias, ubi baptismum et praedicationem, manus impositionem, et alia Christi sacramenta percipiunt, decimas suas dant, sed vel propriis basilicis vel suis Clericis pro suo libitu tribuunt. Quod omnimodis divinae Legi et sacris Canonibus constat esse contrarium. Unde vestram potestatem, ut eos corrigatis, expetimus.

XIII. Sacra docet auctoritas ut publice peccantes publicae poenitentiae subiciantur. Inveniuntur autem quidam qui incesta matrimonia contraxerunt, et vel proximis suis vel Deo sacris mulieribus copulati sunt. Quidam etiam publicae possunt poenitentiae subiugari. Petimus ut Comitum vestrorum auxilio fulciantur.

XIV. Quosdam Ministros Comitum propter frequentia placita pauperiorem populum nimis affligere comperimus. Unde Maiestatem vestram obsecramus ut Capitulare Avi vestri de hac re observari praecipiatis.

XV. De Comitibus vero, de quorum vita et actibus à nobis quaerere voluit sublimitas vestra, quosdam tales esse scimus quales Dei ministros et vestrae reipublicae provisores esse decet. Nonnulli autem ut se suosque ministros corrigant, vestra admonitione indigent. Quibus tamen ut aliquantulum emendandi spatium tribuatis, exposcimus. Qui si se citius corrigere noluerint, regia sunt auctoritate reprimendi.

XVI. Statuimus etiam ne Episcopi, quando pro confirmando populum parochias circumeunt, Archipresbyteros suos gravent, et huiusmodi dispensa contenti sint, panes centum, friskingas quatuor, vini sextaria quinquaginta, pullos septem, ova quinquaginta, agnum unum, porcellum

unum, annonam ad caballos modios sex, foenum corr. *b*) tres; mel, oleum, cera, quod sufficit.

XVII. Petimus etiam ut emunitates Progenitorum vestrorum ita conservari praecipiatis sicut a glorioso Genitore vestro in suo Capitulare constitutum est.

XVIII. Per singulas parochias eas festivitates populus observare studeat quas proprius Episcopus venerari praedicaverit; ita ut neque illas negligant quas Sacerdotes monuerint, neque inani superstitione eas celebrare praesumant, quae nequaquam sunt observandae.

XIX. Si vero aliqui inventi fuerint, qui Sacerdotibus obtemperare noluerint, per ministros reipublicae distringantur, et satisfactionem poenitentiae, quam Presbyteri imposuerint, subire cogantur.

CAPITULA VI.

Edita post responsionem Episcoporum.

In nomine Dei omnipotentis. Anno Incarnationis Dominicae DCCCLV. Indictione III. mense Februario, die mensis eiusdem quarto, cum Dominus magnificentissimus Hludovicus Augustus apud Ticinensem civitatem in augustali aula resideret, tractaturus de statu sanctae matris Ecclesiae et pace divina dispositione commissi sibi imperii ac generali totius populi salute, praesentibus Optimatibus suis, dixit: Crebro vestram fidelitatem retroactis temporibus commonuimus, ut secundum normam Christianae Religionis vivere unusquisque nostrorum fidelium satageret, et suos a rapina compesceret. Attamen quia hactenus indiligenter est actum, amodo omni conamine omnes studere volumus, quo penitus a nostro regno rapina eliminetur, et pauperum voces usque nunc domini Sabaoth aures pulsantes querimoniis incipiant suo Creatori laudes rependere pro ubique pace et quiete concessa nobis agentibus.

I. Statuimus autem, ut Ecclesiae Dei per totius regni nostri fundatae terminos, sub nostrae emunitatis tuitione securae cum rebus et familiis permaneant, seu praedecessorum nostrorum piissimorum videlicet Augustorum temporibus fuisse probantur, earumque Rectores propriis utantur privilegiis, et Monachi per sua coenobia regularem teneant ordinem. Similiter et Clerus omnis proprio fungatur ministerio, neminem molestante nostri terroris formidine.

II. Sancimus nihilominus, ut singuli Comites et Actores reipublicae in suis ministeriis legalem procurent populo facere iustitiam; pupillos et viduas protegant, per loca solita restaurent palatia, quibus, cum iter dictaverit, nos legatos-

b) Forte legend. *corbes* vel *carras*.

que nostros valeant recipere, ne gravetur Ecclesia. Quando etiam Episcopos, Abbates, vel Comites, seu Fidelium nostrorum quempiam in propria villa morari contigerit, cum suis in suis maneant domibus, nec sub obtentu hospitii vicinos opprimant, vel eorum bona diripiant.

III. Denique quia Christi custodiente clementia neminem iuste consecuto privavimus, sed neque privari absque legali sanctione aliquem nostrorum fidelium volumus beneficio: iubemus ne quis suum depravet ullo modo, sed instauret securiter; ne qui dirigendi sunt a nobis undique, si depravata repererint, legaliter emendare compellantur, et eos deinceps perfrui prohibeant.

IV. Porro cum ad nostrum quislibet nostrorum fidelium properat obsequium, tam eundo quam redeundo gradiatur pacifice, et ni generalis utilitas cum scaritis veniat in statutis, iuxta maneat *c*). Episcopus et Comes, per quorum transeunt terminum, diligenter provideant, ne molestentur incolae, aut eorum domus per vim patiantur invadere, vel propria diripere absque pretio. Sed neque indigne per solita loca tectum, focum, aquam et paleam hospitibus denegare aut sua carius quam vicinis audeant vendere.

V. Igitur quia hactenus in regno nostro infrenate vixisse nulli est ambiguum, sancimus unumquemque suorum hominum solicitudinem gerere, ne solitam rapinam patrare praesumant. Qua pro re si quis arctatus suum Seniorem dimiserit, penitus interdicimus, ne recipiatur ab altero; quatenus nisi corrigi voluerit, a nostri regni penitus excludatur finibus.

VI. Haec olim saepe inculcata, et augustali nostra sanctione promulgata, quia ex parte in aliquibus videntur neglecta hactenus, acriori ulcisci debuerant examine. Attamen nostra mansuetudine ut corrigantur quantulumcunque largimur spatium, quo quisque neglecta emendare valeat, destinaturi post modicum legatos strenuos emendata inquirere. Qui vero negligens repertus fuerit, propriis honoribus nostro privabitur iudicio.

TITULUS IV.

Constitutio promotionis exercitus observantis partibus Beneventi, sub Indictione quinta decima.

I. Quicunque de mobilibus widrigild suum habere potest, pergat in hoste. Qui vero medium widrigild habet, duo iuncti in unum (qualitatem *d*) instruant ut bene ire pos-

---

c) Murator *pacifice, ut terrae generalis exigit utilitas; cum scaritis veniant in statutis, iuxta Dominus maneat.*

d) Forte legend. *aequaliter.*

sint. Pauperes vero personae ad custodiam maritimam vel patriae pergant; ita videlicet ut qui plusquam decem solidos habet de mobilibus, ad eandem custodiam vadant. Qui vero non plus quam decem solidos habet de mobilibus, nil ei requiratur. Si pater quoque unum filium habuerit, et ipse filius utilior patre est, instructus à patre pergat. Nam si pater utilior est, ipse pergat. Qui vero duos filios habuerit, quicunque ex eis utilior fuerit, ipse pergat. Alius autem cum patre remaneat. Quod si plures filios habuerit, utiliores omnes pergant. Tantum unus remaneat, qui (utilior *d*) fuerit. De fratribus indivisis, iuxta Capitularem Domini Genitoris nostri volumus ut si duo fuerint, ambo pergant. Si tres fuerint, unus qui inutilior apparuerit, remaneat; caeteri pergant. Si quoque plures omnes utiliores apparuerint, pergant; unus inutilior remaneat. De qua conditione volumus ut neque per praeceptum, neque per advocationem, aut quamcunque occasionem excusatus sit, aut Comes aut Gastald vel ministri eorum ullum excusatum habeant; praeter quod Comes in unoquoque Comitatu unum relinquat qui eundem locum custodiat, et duos cum uxore sua. Episcopi ergo nullum laicum relinquant. Quicunque enim contra hanc institutionem remanere praesumpserit, propriis eius amissis, quòd subter ordinatum habemus, praesentialiter ad nostrum opus recipere iussimus, et illum foras eiicere.

II. Omnibus enim notum esse volumus quia iam à prioribus nostris iuxta hanc institutionem tultae fuerunt, sed prima recuperare meruerunt. Nunc autem certissime scitote, cuiuscunque proprietas tulta fuerit, vix à nobis promerebitur recuperationem.

III. A fluvia Pado usque Trebia sit Missus Lotselmus. Inter Padum et Ticinum Eriulfus. Inter Ticinum et Adda Erembertus. Inter Adda et Addiza Landebertus. Ab Addiza usque ad Forum Iulii Theobaldus. Petrus et Arthemius Episcopi, iunctis secum Missis Episcoporum et Comitum, Pisa, Luca, Pistoris, et Lunis. Theutmondus, Florentia, Volterra, et Aristio. Rotselmus, Vlusid; et Sena, Andreas. In ministerio Witonis, Rimmo et Iohannes Episcopus de Forcona. In ministerio Verengari, Hiselmundus Episcopus. In littore Italico, Ermefridus, Macedo, et Vulferius.

IV. Hi volumus ut populum eiiciant, et custodiam praevideant, et populum in castella residere faciant, etiam et cum pace. Nam si Missus aliquis ausus fuerit praetermittere, qui nominibus remanserint, praesentaliter proprium tollant, et eum foris eiiciant. Et si inventus fuerit ipse Missus, proprium suum perdat. Et si Comes aliquem ex-

g) Forte legend. *inutilio*·

cusatum, aut bassallum suum, praeter quod superius diximus, dimiserit, honorem suum perdat. Similiter eorum ministri, si aliquem dimiserint, et proprium et ministerium perdant.

V. Quod si Comes aut Bassi nostri aliqua infirmitate remanserint, aut aliquem excusatum retinuerint, aut Abbates vel Abbatissae si plenissime homines suos non direxerint, ipsi suos honores perdant, et eorum Bassalli et proprium et beneficium perdant.

VI. Si quoque Episcopus absque manifesta infirmitate remanserit, pro tali negligentia ita emendetur ut in ipsa marcha resideat quousque alia vice exercitus illuc pergat, in quantum Dominus largire dignatus fuerit.

VII. Et ut certissime sciatis quia hanc expeditionem plenissime explere volumus, constituimus ut Episcopus, Comes, aut Bassus noster, si in infirmitate incerta detentus fuerit, Episcopus quippe per suum Missum, quem meliorem habet, Comes vero et Bassi nostri per se ipsos hoc sub sacramentum affirment quod pro nulla occasione remansissent nisi quod pro certissima infirmitate hoc agere non potuissent.

VIII. Omnes enim volumus ut omnem hostilem apparatum secum deferant; ut cum nos hoc prospexerimus, et inbreviare fecerimus, non negligentes appareant, sed gratiam quoque nostram habere mereantur.

IX. Vestimenta autem habeant ad annum unum, victualia vero quousque novum fructum ipsa patria habere poterit. Fragidis enim quicunque eundo et redeundo commotionem fecerit, vitae incurrat periculum.

X. Et quia temporis congruentia imminet quadragesimale, in quo studenda sunt praecepta Dei, constituimus ut quicunque Ecclesiam fregerit, adulteria et incendia fecerit, vitae incurrat periculum. Quicunque caballum, bovem, friscingas, vestes, arma, vel alia mobilia tollere ausus fuerit, triplici lege componat, et liberum armiscara, id est, sella, ad suum dorsum ante nos à suis semotus bis dirigatur, et usque ad nostram indulgentiam sustineatur, servi vero flagellentur et tundantur, et illorum domini, quae ipsi tulerunt, restituant. Quod si clamor ad Seniores venerit, et ipsi talia non emendaverint, tunc horum Seniores ipsam compositionem faciant, et eadem armiscara, quandiu nobis placuerit, sufficere compellantur.

XI. Et hoc constituimus, ut ex utraque parte iustitia servetur, videlicet nostri sicut circa vicini, quae necessaria sunt, emenda. Vicini autem nullatenus carius quam suis circa vicinis vendere praesumant.

XII. Qui vero homicidia indiscrete et praesumptiose fecerit, vitae incurrant periculum.

XIII. Iter enim erit nostrum per Ravennam, et immediate mense Martii in Piscariam, et omnis exercitus Italicus nobiscum. Tuscani autem, cum populo qui de ultra veniunt, per Romam veniant ad Pontem Curvum, inde Capuam, et per Beneventum descendant nobis obviam Luceria VIII. kalendas Aprilis.

FRAGMENTA
CAPITULARIUM.

De dubia conventione.

I. Si quis de conventione ulla aliquem interpellaverit, non per postremas aut adiacentes, sed per primarias rationes, iuxta quod in primis res facta se habuit, tractetur. Quod si testes legitimi adfuerunt conventioni, iuxta testimonium eorum maxime, non aliis posteris occasionibus quae per primam stipulationem quod factum est, oportet definiri.

Si servus Clericus fiat.

II. Si servus sciente et non contradicente domino in Clero sortitus sit, ex hoc ipso liber et ingenuus fiat. Si enim ignorante domino consecratio facta fuerit, liceat domino intra annum tantum conditionem probare et proprium servum recipere. Si autem servus sciente vel ignorante domino, secundum ea quae diximus, ex ipso honore clericatus libertatem meritus, postea ecclesiasticum ministerium reliquerit, et ad Laicorum vitam transierit, domino suo in servitio tradatur. *Ex Novella constitutione* CXXIII. *Imp. Iustiniani, cap.* 17.

Si Ecclesiae aliquid sui iuris defraudatum fuerit.

III. Si Ecclesiae aliquid sui iuris defraudatum fuerit à pravis procuratoribus aut prece aut pretio aut privata gratia praecessorum, successoribus omni tempore liceat inferre calumniam: quia nullo tempore Ecclesia debet suum ius amittere, praeter mobilem possessionem, ut est aurum, argentum, vestes, aut pecora, aut domus. Praedia vero, terras, villas, Ecclesias, census, quia inde magni redditus possunt exire in commune bonum, nulla commutatione, nullo pacto liceat ad proprietatem alicuius transferre. Quod postquam compertum fuerit, rescindatur.

De non accipiendis qualibuscunque personis in iudicio, in accusatione, et testimonio.

IV. Hoc sancimus ut in palatiis nostris ad accusandum et iudicandum et testimonium faciendum non se exhibeant viles personae et infames, histriones scilicet, nugatores, manzeres, scurrae, concubinarii, neque ex turpium feminarum commixtione progeniti, aut servi, aut criminosi. Frequenter enim homines huiusmodi ex suspicione conversationis pravae et naturae, ut inferiores non videantur, quod placet asserere nituntur contra digniores.

De nonis et decimis

V. Quicunque nonam et decimam admonente Episcopo vel Abbate vel quolibet alio Rectore ad primam eius admonitionem dare contempserit, regia potestate cogente easdem decimas et nonas solvat, et insuper ad partem eiusdem Ecclesiae legem suam componat. Si secundo admonitus praedictas nonas et decimas reddere neglexerit, cum eisdem nonis et decimis bannum dominicum persolvat. Nam si tertio admonitus in eisdem nonis et decimis dandis neglegens evenerit, res Ecclesiae, de quibus easdem nonas et decimas dare debuerat, penitus amittat. Nonae vero et decimae tantum de annona, legumine, vino, foeno, de nutrimine, et omnis generis animalium dandae sunt. Et hi qui nonas et decimas dare debent, iuxta quod rerum ecclesiasticarum habent, ad Ecclesias et claustra Rectorum venerabilium locorum adiutorium faciant.

De coniurationibus et conspirationibus. Ex Concilio Chalcedonensi titulo XVIII.

VI. Coniurationis vel conspirationis crimen etiam à veteribus legibus est omnino prohibitum. Multo magis hoc in Ecclesia Dei ne fiat, admonere convenit. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint coniurantes vel conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis aut Clericis, gradu proprio penitus abiciantur, et postmodum imperiali sententia modis omnibus feriantur.

De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant. Ex Concilio.

VII. Qui sacramento se obligaverint ut litigantes cum quolibet ad pacem nullo modo redeant, si Clerici fuerint, deponuntur; si laici, pro periurio uno anno à communione corporis et sanguinis Domini segregentur; reatum vero suum eleemosynis et fletibus quantis potuerint ieiuniis absolvant; ad caritatem vero, quae operit multitudinem peccatorum,

celeriter rediro festinent. Quod si contempserit facere, imperiali sententia feriatur.

De immunitate infracta Karolus Augustus.

VIII. Si quis infra claustra Ecclesiarum Dei violenter intraverit, et immunitatem infringere praesumpserit, usque ad satisfactionis emendationem veniat, omnium communione privetur, et à sanctae Dei Ecclesiae liminibus arceatur, nec cum fidelibus communicet qui sacrosancto loco divino cultui consecrato vim inferre non metuit. Primum ergo ab Episcopo parochiae excommunicandus est, et ab eo caeteris Episcopis innotescendum, ut nullius communioni iungatur donec emendando satisfaciat. Comes vero pagi ipsius eum per bannum venire faciat, et per legem omnia emendare compellatur; et pro damno quod in immunitate fecit, sexcentos solidos componat. Si autem ipse nec Episcopis nec Comiti acquieverit, à Missis nostris comprehensus in causas nostras legales deducatur; et pro eo quod Episcopis inobe diens fuit, et Comitis nostri et Scabinorum iudicio non acquievit, et bannum nostrum transgressus est, per legem iudicatus capitali sententia puniatur, et res ipsius in fiscum nostrum redigantur.

De decimis novalium.

IX. Novalia rura, quae iuxta cultos agros fiunt, Ecclesiae antiquae decimentur. Et si ultra milliaria quatuor vel quinque in saltu quaelibet digna persona aliquod novale conlaboraverit, ibidemque cum sui Episcopi consensu Ecclesiam construxerit, post consecrationem Ecclesiae provideat Presbyterum, eiusque conductu de eodem elaboratu decimas eidem Ecclesiae conferat.

Ut omnis controversia, si iudicio ecclesiastico expetit agitari, nequaquam ad seculare iudicium transeat.

X. Statutum est ut quaecunque controversiae iudicio et auctoritate ecclesiastica coeperint agitari, nequaquam ad seculare iudicium transeant, ubi iterato provocent, sed ecclesiasticis sanctionibus terminentur. Nam à Iudicibus quos communis consensus elegerit ad alios Iudices non licet provocare, nisi maior auctoritas sit, secundum canonicam normam. Si autem in seculari iudicio, id est, in Comitis placito, causa prius fuerit ventilata, secundum legem mundanam finiatur. Salvo ecclesiasticae legis privilegio.

De eo qui bannum Episcopi vel Presbyteri parvipendit.

XI. Quisquis bannum vel excommunicationem Episcopi vel Presbyteri sui superbiendo parvipenderit, hic talis ab Ecclesia penitus evellatur. Ait enim Dominus ad Moysen:

Anima quae superbiendo mandatum Domini transgressa fuerit, peribit de populo suo. Hinc Dominus in Evangelio: *Qui vos spernit, me spernit.* Et Moyses contumacibus dicit: *Non contra me est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Et Dathan et Abiron vivi absorpti sunt, quia insurrexerunt adversus eumdem Moysen, et eius mandatum spreverunt. Et ideo tale scelus gravissime vindicandum est.

Ne mancipia ecclesiastica in secularem servitutem redigantur. Ex Capitulis ad Carisiacum.

XII. Iniustum videtur et impium ut mancipia quae fideles viri seu feminae pro remedio animae suae Deo et Sanctis eius consecrarunt, cuiuscunque muneris, pretii, vel commutationis commercio iterum in secularem servitutem redigantur, cum Canonica auctoritas servos fugitivos tantummodo distrahi permittat. Et ideo omnes Rectores Ecclesiarum summopere caveant ne unius eleemosyna alterius peccatum fiat. Sicut enim indecens est ut ex libero servus fiat, sic absurdum ut ex ecclesiastica dignitate servus decidens humanae obnoxius sit servituti.

De sortilegis et sortiariis.

XIII. Ut Episcopi Episcoporumque ministri omnibus viribus elaborare studeant ut perniciosam et a diabolo inventam sortilegam et maleficam artem penitus ex parochiis suis eradant, et si aliquem virum aut feminam huiuscemodi sceleris sectatorem invenerint, turpiter dehonestatum de parochiis suis eiciant. Ait enim Apostolus: *Haereticum post unam et secundam admonitionem devita; sciens quia subversus est qui eiusmodi est.* Subversi sunt et a diabolo capti tenentur qui, derelicto Creatore suo, à diabolo suffragia quaerunt. Et ideo a tali peste mundari debet sancta Ecclesia. Illud etiam non omittendum, quaedam sceleratae mulieres retro post Satanam conversae, daemonum illusionibus et phantasmatibus seductae, credunt se et profitentur nocturnis horis cum Diana, Paganorum Dea, et innumerata multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, et multa terrarum spatia intempestae noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus velut dominae obedire, et certis noctibus ad eius servitium evocari. Sed utinam hae solae in perfidia sua perissent, et non multos secum in infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac falsa opionine decepta, haec vera esse credit, et credendo a recta fide deviat; et in errorem Paganorum revolvitur, cum aliquid divinitatis aut numinis extra unum Deum esse arbitratur. Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo cum omni instantia praedicare debent ut noverint haec omnimodis falsa esse, et non a divino sed a

maligno spiritu talia phantasmata mentibus infidelium ingerari. Siquidem ipse Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cum mentem cuiuscunque mulierculae ceperit, et hanc sibi per infidelitatem et incredulitatem subiugaverit, illico transformat se in diversarum personarum species atque similitudines, et mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, modo laeta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per devia quaeque deducit; et cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens haec, non in animo, sed in corpore, evenire opinatur. Quis enim non in somnis et nocturnis visionibus extra se ipsum educitur, et multa videt dormiendo quae nunquam viderat vigilando? Quis vero tam stultus et hebes sit qui haec omnia, quae in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur, cum Ezechiel Propheta visiones Domini in spiritu, non in corpore, viderit, et Iohannes Apostolus apocalypsis sacramenta in spiritu, non in corpore, vidit et audivit, sicut ipse dicit: *Statim fui in Spiritu.* Et Paulus non audet se dicere raptum in corpore. Omnibus itaque publice adnuntiandum est quod qui talia et his similia credit, fidem perdidit, et qui fidem rectam in Deo non habet, hic non est eius, sed illius in quem credit, id est, Diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt.* Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius aut deterius immutari aut transformari in aliam speciem vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, et per quem omnia facta sunt, procuìdubio infidelis est.

Ut in immunitatibus Ecclesiarum mallum vel placitum publicum nemo tenere praesumat.

XIV. Placuit ut nullus Comes neque aliquis ex iudicaria potestate mallum aut placitum in immunitatibus vel atriis Ecclesiarum tenere aut quemquam de familia earundem Ecclesiarum quacunque occasione aut temeritate iniuriare praesumat. Quod si fecerit, bannum dominicum persolvat et insuper Deo et Ecclesiae quam laesit secundum canonicam institutionem in omnibus satisfaciat. Quod etiam si facere distulerit, tamdiu a coetu fidelium arceatur donec poenitentia accepta reatum quem commisit emendet.

De libertis ex familia Ecclesiae factis.

Ex Concilio Toletano, cap. LXVII.

XV. Si nihil ex proprio conferunt Sacerdotes his qui eos faciunt, et si qui nulla ex rebus suis pauperibus Christi distribuunt, aeterni Iudicis voce in futurum condemnabuntur, quanto magis hi qui auferunt pauperibus quod non

dederunt. Quapropter Episcopi qui nihil ex proprio suo Ecclesiae Christi compensaverunt, hanc divinam sententiam metuant, et liberos ex familia Ecclesiae ad condemnationem suam facere non praesumant. Impium est enim ut qui res suas Ecclesiae Christi non contulerit, damnum inferat, et ius Ecclesiae alienare contendat. Tales igitur liberos successor Episcopus absque aliqua oppositione ad ius Ecclesiae revocabit, quia eos non aequitas, sed improbitas, absolvit.

De eo qui de obiectis se expurgare noluerit.

XVI. Probat illa vera esse quae adversum se dicta sunt qui ad ea confutanda minime vult adesse. Unde in secularibus legibus invenitur scriptum: Iniuste victus infra tres menses reparet causam. Quod si facere neglexerit, sententia quae adversus eum collata fuerit perseveret. Et ne sit vobis contrarium vel etiam ne miremini quod de secularibus legibus locutus sum in nostro iudicio, quia ecclesiasticae leges et divinae eas recipiunt.

Ut quos regia potestas in gratiam receperit, his etiam minores potestates communicent.

XVII. Si quos culpatorum regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit aut mensae suae participes effecerit, hos etiam Sacerdotum et populorum conventus suscipere in ecclesiastica communione debebit: ut quod principalis pietas recipit, nec a Sacerdotibus Dei extraneum habeatur.

De libero homine in hostem bannito.

XVIII. Et quia in hostem aut propter terram defendendam aut propter terram adquirendam itur, de lantuveri, id est, de patriae defensione, non aliter nisi secundum istum modum in Lege aut in Capitulis Imperatorum scriptum habemus nisi in anterioribus Capitulis de pauperibus Francis, qui si non habent unde heribannum persolvant, ut se in servitium Regis tradant, et tamdiu in eodem servitio maneant usque dum ille heribannus fiat persolutus. Et si mortuus fuerit in eodem servitio, herede seius suam hereditatem recipiant, et nec de libertate nec de ipso banno obnoxii fiant. Similiter in posterioribus capitulis de pauperibus Francis ibidem scriptum invenimus ut unusquisque Comes describat quanti sint in suo comitatu qui per se hostem facere non possunt, ut alios adfanniant, sicut ibi scriptum est.

FORMULAE IURIS.

MARCULFI
MONACHI
FORMULARUM
LIBRI DUO.

IN DEI NOMINE
INCIPIT PRÆFATIO LIBRI HUIUS.

Domino Sancto, meritis beatissimo, et apostolico semper honore suscipiendo, omnique praeconio laude celebrando Domno ac Reverentissimo Papae Landerico *a)* Marculfus ultimus ac vilissimus omnium Monachorum. Utinam, sancte Pater, iussionem vestram tam efficaciter quam spontanee obtemperare valuissem, quia iam supra vires meae possibilitatis conatus sum iniunctum a vobis subire negotium, cum fere septuaginta aut amplius annos expleam vivendi; et nec iam tremula ad scribendum manus est apta, nec ad videndum mihi oculi sufficiunt caligantes, nec ad cogitandum sufficit hebetudo mentis. Quia iuxta dictum cuiusdam prudentissimi viri, in pueris crescit sensus, in iuvenibus viget, in senibus minuiter. Propterea qui eleganter facere non

a) al. ms. *Glidulfo.*

potui ut volui, feci tamen ordinate ut potui, non solum ea quae iussistis, verum etiam multa alia in hac scedola, tam praeceptiones regales, quam chartas pagenses, iuxta simplicitatis et rusticitatis meae naturam intimare curavi. Scio enim multos fore et vos et alios prudentissimos viros et eloquentissimos ac rhetores et ad dictandum peritos qui ista, si legerint, pro minima et velut deliramenta, eorum comparata sapientiae, reputabunt, vel certe legere dedignabunt. Sed ego non pro talibus viris, sed ad exercenda initia puerorum, ut potui, aperte et simpliciter scripsi. Cui libet, is exinde aliqua exemplando faciat. Si vero displicet, nemo cogit invitum; nec praeiudicat mea rusticitas eruditorum et rhetorum floribus verborum, et eloquentiae facundiae. Sunt praeterea nonnulla negotia hominum, tam in palatio, quam in pago, quae scribi non queunt antequam invicem conferantur, et iuxta propositiones vel responsiones eloquia eorum tunc scribantur et gesta. Ego vero haec quae apud maiores meos, iuxta consuetudinem loci quo degimus, didici, vel ex sensu proprio cogitavi, ut potui coacervare in unum curavi, et Capitula praenotavi, ut facilius quod voluerit a quaerente inantea scripto reperiantur.

INCIPIUNT CAPITULA SCEDOLAE OPERIS HUIUS.

Incipiunt exemplaria de diversis conditionibus qualiter regales chartas pagenses, cui haec formola habere placuerit, et melius non valet, scribantur.

De privilegio.

Domino sancto et in Christo venerabili fratri illo Abbati, vel cunctae congregationi monasterii illius in honore beatorum illorum ab illo in pago illo, constructo ille Episcopus. Compellit nos affectio caritatis vestrae, radio inflammante divino, illa pro vestro quieti providere quae nobis maneant ad mercedem, et ea recto tramite inconvulso limite terminari quae perennem deinceps propitiante Domino, obtineant firmitatem; quia non minor Domino retributio speratur futura pro succiduis contemplante temporibus quam ad praesens munera pauperibus offerente. Et ne nobis aliquis detrahendo aestimet in id nova decernere carmina, dum ab antiquitus iuxta constitutionem Pontificum per regalem sanctionem monasteria sanctorum Lirinensis, Agaunensis, Luxoviensis, vel modo innumerabilia per omne regnum Francorum sub libertatis privilegium videntur consistere, sed pro reverentia sanctorum beatorumque omnium fratrum implendo iussa, custodiendo praecepta, obedientiam propalabo. Quid vero vos vel successores vestri sancto suadente Spiritu deinceps custodiatis, immo sanctae illius Ecclesiae Episcopus debeat adimplere, huic paginae credidimus inserendum. Hoc est. Ut de vestra congregatione qui in vestro monasterio sancta

debeant baiulare officia, quam Abbas cum omni congregatione poposcerit, a nobis vel a successoribus nostris sacros percipiant gradus, nullum pro ipsorum honore praemium percepturus. Altare in ipso monasterio praedictus Episcopus benedicat, et sanctum chrisma annis singulis, si voluerint postulare, pro reverentia loci sine pretium concedat, et iuxta dispensationem divinam, cum Abbas de ipso monasterio a Domino migraverit, quem unanimiter omnis congregatio illa Monachorum ex semetipsis optimae regula compertum et vitae meritis congruentem elegerint, similiter sine praemium memoratae urbis Episcopus ipse promoveat Abbatem. Nullam penitus aliam potestatem ad ipso monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque in villabus ibidem iam conlatis aut deinceps regio munere aut privatorum conlaturas, vel in reliqua substantia monasterii, nos successoresque nostri Episcopi, aut Archidiaconi, seu caeteri alii ordinatores, aut quaelibet alia persona praedictae civitatis habere non praesumant, aut quodcunque de eodem monasterio, sicut de parochiis aut caeteris monasteriis, muneris causa audeant sperare aut auferre; nec de hoc quod a Deum timentibus hominibus transmissum aut in altario offertum fuerit, aut sacris voluminibus, vel quibuscunque speciebus ad ornatum divini cultus pertinet, ad praesens conlata vel deinceps conlatura fuerint, auferre praesumant. Et nisi rogatus a congregatione illa vel ab Abbate, pro oratione lucranda, nulli nostrum liceat monasterii adire secreta aut finium ingredi septa. Et si ab eis illuc Pontifex postulatus, pro lucranda oratione vel eorum utilitate, accesserit, celebrato ac peracto divino mysterio, simplicem ac sobriam benedictionem perceptam, absque ullo requisitu domum studeat habere regressum; ut quatenus Monachi, qui Solitarii nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, et sub sancta regula viventes, et beatorum Patrum vitam sectantes, pro statu Ecclesiae et salute Regis vel patriae valeant plenius Dominum exorare. Et si aliquid ipsi Monachi de eorum religione tepidi an secus egerint, secundum eorum regulam ab eorum Abbate, si praevalet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa civitate coërcere debeat: quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quicquid domesticis fidei pro quietim tranquillitatis tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deus avertat, calliditate commotus, aut cupiditate praeventus, ea quae sunt superius comprehensa temerario spiritu violare praesumpserit, a divina ultione prostratus, reatu anathematis subiaceat, et tribus annis a communione omnium fratrum se noverit alienum. Et nihilhominus hoc privilegium perpetim maneat incorruptum. Quam constitutionem nostram, ut firmis sub-

sistat vigoribus, et nos et fratres nostri Domini Episcopi subscriptionibus manibus nostris decrevimus roborari. Actum ibi, sub die illo, anno illo.

Concessio Regis ad hoc privilegium.

II. Ille Rex viris apostolicis patribus nostris, necnon et inlustribus viris illi Comiti, vel omnibus agentibus praesentibus et futuris. Oportet enim clementiae principali ut inter caeterorum petitionibus Sacerdotibus debeat benignum accommodari auditum, et quod pro timore divini nominis postulatur, ponatur proculdubio ad effectum; ut fiat in mercedem coniunctio, dum pro quietem servorum Dei congrua impertitur petitio: quia fides perfecta non dubitat ad altissimi gratiam pertinere quod secundum sacro eloquio praecipue a domesticis fidei devota mente impenditur, quia scriptum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Ergo dum et ille Episcopus, aut Abbas, aut inluster vir monasterium in honore sancti illius in pago illo, aut super sua proprietate, aut super fisco, noscitur aedificasse, ubi ad praesens ille Abbas vel turba plurima Monachorum adunata esse noscuntur, ad petitionem illius clementia nostra pro quiete ipsorum servorum Dei praeceptionem vigoris nostri placuit propalare, sub quo tranquillitatis ordine, Domino protegente, ipsi Monachi iuxta Religionis normam perpetim valeant residere, elegimus ut et hac serie debeat plenius declarari: quia nihil de canonica institutione convellitur, quicquid ad domesticis fidei pro tranquillitatis pace conceditur. Nec nobis aliquis detrahendo aestimet in id nova decernere carmina, dum ab antiquitus iuxta constitutionem Pontificum per regalem sanctionem monasteria sanctorum illorum vel caetera in regno nostro sub libertatis privilegium videntur consistere, ita et praesens valeat, Deo adiutore, constare. Ergo, si quid in villabus, mancipiis, vel reliquis quibuscunque rebus, atque corporibus, aut regio munere aut privatorum aut suprascripti illius, vel à quibuslibet est delegatum, aut deinceps fuerit additum, iuxta quod ab illo Pontifice vel caeteris Domnis Episcopis ad praefato monasterio, iuxta quod eorum continet privilegium, quem nobis praefatus ille protulit recensendum, sancitum esse cognovimus, nullus Episcoporum, ut diximus, nec praesens, nec qui fuerint successores, seu Archidiaconi, vel eorum ordinatores, vel quaelibet persona, possit quoque ordine de loco ipso auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso monasterio praeter quod scriptum est adaptare, vel aliquid quasi per commutationis titulum minuare, aut de ministerii ornamenta vel de offertione in altario inlata abstollere, nec ad ipso monasterio vel cellulas

eius, nisi tantum pro lucranda oratione, et ipsud, si fuerit, cum voluntate Abbatis vel eius congregationis, absque dispendio eorum, aliter accedere penitus non praesumat; quo facilius secundum delegationis votum vel huius seriae auctoritatem ad ipso monasterio absque ullius inquietudine ibidem cuncta proficiant in augmentis. Adicientes ut nulli penitus Iudicum vel cuilibet hominum licentia sit de rebus praefati monasterii absque voluntate ipsorum servorum Dei in aliquo iniquiter defraudare, aut temerario spiritu suis usibus usurpare; ne, quod primitus est, et Dei iram incurrat et nostram offensam, vel à fisco grave damnum sustineat. Illud nobis pro integra mercede nostra placuit addendo, ut tam quod ex nostra largitate quam delegatione ipsius vel caeterorum aut cuiuslibet ibidem est aut fuerit devoluta possessio, quoque tempore, nulla iudiciaria potestas, nec praesens, nec succidiva, aut causas audiendo, aut aliquid exactando, ibidem non praesumat ingredere; sed sub omni emunitate hoc ipse monasterius vel congregatio sua sibimet omnes fredos concessos debeant possidere. Et quicquid exinde fiscus noster fortitan de eorum homines aut ingenuos aut servientes in eorum agros commanentes vel undecunque poterat sperare, ex indulgentia nostra in luminaribus ipsius sancti loci vel in stipendia servorum Dei, tam nobis in Dei nomine viventibus, quam per tempora succedentibus Regibus, pro mercedis compendium debeant cuncta proficere, ut pro aeterna salute vel felicitate patriae seu Regis constantiam delectet ipsis Monachis immensam Domini pietatem iugiter implorare. Quem praeceptum decreti nostri, Christo in omnibus suffraganti, ut firmior habeatur, et perenniter conservetur, subscriptione manus nostrae infra studuimus peragrari.

Emunitate regia.

III. Maximum regni nostri augere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis Ecclesiarum, *aut cui voluerit dicere,* benivola deliberatione concedimus; ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Igitur noverit sollertia vestra nos ad petitionem apostolico viro Domno illo, illius urbis Episcopo, talem pro aeterna retributione beneficium visi fuimus indulcisse ut in villabus Ecclesiae domus illius, quas moderno tempore aut nostro aut cuiuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit divina pietas ampliare, nullus Iudex publicus ad causas audiendo aut freda undique exigendum nullo umquam tempore non praesumat ingredere: sed hoc ipse Pontifex, vel successores eius propter nomen Domini, sub integrae emunitatis

nomine valeant dominare. Statuentes ergo ut neque vos neque iuniores, neque successores vestri, nec nulla publica iudiciaria potestas quoque tempore in villas ubicunque in regno nostro ipsius Ecclesiae aut regia aut privatorum largitate conlatas, aut qui inantea fuerint conlaturas, aut ad audiendum altercationes ingredere, aut freda de quaslibet causas exigere, nec mansiones aut paratas vel fideiussores tollere non praesumatis; sed quicquid exinde aut de ingenius aut de servientibus caeterisque nationibus quae sunt infra agros vel fines seu supra terras praedictae Ecclesiae commanentes fiscus aut de freda aut undecunque potuerat sperare, ex nostra indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius Ecclesiae per manum agentium eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini et animae nostrae remedium seu nostra subsequenti progenie plena devotione indulsimus, nec regalis sublimitas nec cuiuslibet Iudicum saeva cupiditas refragare tentet. Et ut praesens auctoritas tam praesentibus quam futuris temporibus inviolata, Deo adiutore, permaneat, manus nostrae subscriptionibus infra roborare decrevimus.

Confirmatio de emunitate.

IV. Principali quidem clementia cunctorum decet accommodare aure benigna; praecipue quae pro compendio animarum à praecedentibus Regibus parentibus nostris ad loca Sanctorum probantur esse indulta, devota debemus mente perpendere, et congrua beneficia, ut mereamur in mercedem esse participes, non negare, sed robustissimo iure per nostris oraculis confirmare. Igitur apostolicus vir ille, illius civitatis Episcopus, clementiae regni nostri suggessit eo quod ille Rex per suam auctoritatem sua manu subscriptam de villas Ecclesiae suae illius, quod ad praesens possidebat, vel quod à Deo timentibus hominibus ibidem inantea delegabatur, integram emunitatem concessisset ut nullus Iudex publicus ad causas audiendum, vel freda exigendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nec fideiussores tollendum nec homines ipsius Ecclesiae de quaslibet causas distringendum, nec nullas redhibitiones requirendum, ibidem ingredere non debeant. Unde et ipsam praeceptionem iamdicto Principe, seu et confirmationes illorum Regum, eorum manibus roboratas, antedictus Pontifex nobis ostendit relegendas, et ipse beneficius circa eodem vel memorata Ecclesia sua, sicut à supradictis Principibus fuit indultum, moderno tempore adserit esse conservatum. Sed pro firmitatis studium petit celsitudinem nostram ut hoc denuo circa eodem vel memorata Ecclesia sancti illius nostra deberet auctoritas generaliter confirmare; cuius petitionem pro reverentia ipsius sancti

loci, ut mereamur in mercedem sociari, plenissima voluntate praestitisse vel confirmasse cognoscite. Praecipientes ergo iubemus ut sicut constat ab antedictis Principibus de villis praefatae Ecclesiae Domini illius integra emunitas absque introitu iudicum fuit concessa, ita et inantea, auxiliante Domino, inspectas priorum Principum auctoritates omnimodis conserventur; et neque vos, neque iuniores, neque successores vestri, vel quislibet de iudiciaria potestate in villas antedictae Ecclesiae, quas moderno tempore ubicunque in regno nostro possidere noscuntur, vel quae inantea à Deum timentibus hominibus fuerint conlatae, tam de ingenuis, quam de servientibus vel quibuslibet nationibus hominum in praedictae Ecclesiae villas commanentes, nec ad agendum, nec freda exigendum, nec fideiussores tollendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nec eos de quaslibet causas distringendum, nec nullas redhibitiones requirendum, ibidem ingredere non praesumatis; sed sicut ipse beneficius à iam dictis Principibus ad iam dicta Ecclesia fuit indultus et usque modo conservatus, ita et deinceps per hanc nostram auctoritatem generaliter confirmatum in Dei nomine perenniter maneat inconvulsum; et quicquid exinde fiscus noster poterat sperare, in luminaribus ipsius Ecclesiae in perpetuum proficiat. Et ut haec auctoritas tam praesentibus quam futuris temporibus inviolata, Deo adiutore, possit constare, subtus eam propria manu decrevimus roborare.

Praeceptum de episcopatu.

V. Ille Rex viro apostolico illo Episcopo. Quamvis nos administrandum gubernandumque rerum statum praecelsis occupationibus regiae sollicitudinis cura constringat, nihil tamen tam principali quam Principe dignum est ut cum à pastorali paululum aberrat plebs destituta praesidio, pro salute animarum huiusmodi personis locis celsioribus pontificalem prospiciat committere dignitatem in quibus maneat dupliciter sermo, ut populus magistrum, actus Christi imitetur discipulus; qui plebem non minus pietate quam severitate constringat, qui sciat commissa sibi talenta assiduae praedicationis sermonibus expolire, et adquisita multiplicataque gregis sui salute, ad ovile dominico nullis maculis sordidato valeat praesentare. Et quia cognovimus sanctae recordationis Domno illo urbis illius Antestite evocatione divina ab hac luce migrasse, de cuius successore sollicitudine congrua unacum Pontificibus vel proceribus nostris plenius tractantes, decrevimus inlustri viro (aut venerabili) illo in ipsa urbe pontificalem in Dei nomine committere dignitatem; quem plerumque apud animos nostros et actio probata

commendat, et nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas, vel mansuetudinis et prudentiae honestas exornat. Qua de re statuta praesentibus ordinamus ut cum adunatorum caterva Pontificum, ad quos tamen nostrae serenitatis devotio scripta pervenit, ipsum, ut ordo postulat, benedicere vestra industria studeat et voluntatis nostrae deliberationem reseratis oraculis publicare, atque effectum Domino annuente sortire: quatenus dum Ecclesiam sibi à dispensatione divina commissam strenue regere atque gubernare videtur, nobis apud aeternum retributorum mercedem suffragia largiantur, et ille pro peccatorum nostrorum mole indesinenter immensum Dominum debeat deprecare.

Indiculus Regis ad Episcopum ut alium benedicat.

VI. Domino sancto sedis apostolicae dignitate colendo in Christo patri illi Episcopo ille Rex. Credimus iam ad vestram reverentiam pervenisse sanctae recordationis illum illius urbis Antestitem evocatione divina de praesentis seculi luce migrasse: de cuius successore sollicitudine congrua cum Pontificibus vel Primatibus populi nostri pertractantes, decrevimus inlustri viro illo, (aut venerabili viro illo) ad praefatam urbem pontificalem regulariter, Christo auspice, committere dignitatem. Et ideo salutationum iura dignum debito honore solventes, petimus ut cum ad vos pervenerit, ipsum, ut ordo postulat, benedicere vestra sanctitas non moretur, et iunctis vobiscum vestris Comprovincialibus, ipsum in suprascripta urbe Pontificem consecrare, Christo auspice, debeatis. Agat ergo almitas vestra ut et nostrae voluntatem devotionis incunctanter debeatis implere, et tam vos quam ipse pro stabilitate regni nostri iugi invigilatione plenius exoretis.

Concessio civium pro episcopatu.

VII. Suggestio piissimo ac praecellentissimo Domno illo Regi vel Seniori commune illius, à servis vestris, quorum subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta. Principalitatis vestrae circumspecta clementia novit iusta petentibus dignanter adnuere, suo moderaminis iudicio ponderante, praesertim cum illa deposcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat, constanter Ecclesiae regimen pullulare quod et ipsae regali clementiae prosit salutis pariter ac mercedis. Quoniam sanctae memoriae vir apostolicus ille, illius urbis Episcopus, fine adpropinquante ab hac luce migravit, tempore naturae complente, ne destitutae sint, quod absit, oves decedente pastore, in loco eiusdem suppliciter postulamus ut instituere dignemini inlustrem virum illum (aut venerabilum illum) cathe-

drae illius successorem, in quo est praespicuitas sublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia castitatis, caritatis locuplex voluntas. Inrefragabiliter manu nostra hunc consensum decrevimus roborare.

(*Nota*. Formulae V, VI et VII a Sirmondo referuntur cum quibusdam differentiis).

Charta de ducatu, patritiatu, vel comitatu.

VIII. Praespicue regalis in hoc perfecta conlaudatur clementia ut inter cuncto populo bonitas et vigilantia requiratur personarum; nec facile cuilibet iudiciariam convenit committere dignitatem, nisi prius fides seu strenuitas videatur esse probata. Ergo dum et fidem et utilitatem tum videmur habere compertam, ideo tibi actionem comitatus, ducatus, ac pratritiatus in pago illo, quem antecessor tuus ille usque nunc visus est egisse, tibi ad agendum regendumque commisimus; ita ut semper erga regimine nostro fidem inlibatam custodias, et omnis populus ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, quam reliquas nationes sub tuo regimine et gubernatione degant et moderentur, et eos recto tramite secundum legem et consuetudinem eorum regas, viduis et pupillis maximus defensor appareas, latronum et malefactorum scelera a te severissime reprimantur; ut populi bene viventes sub tuo regimine gaudentes debeant consistere quieti; et quicquid de ipsa actione in fisci ditionibus speratur, per temetipsum annis singulis nostris aerariis inferatur.

Indiculus ad alium Regem, cum legatio dirigitur et verbis suggeritur commendatitiis.

IX. Domino glorioso atque praecellentissimo fratri illo Regi in Dei nomine ille Rex. Desideratus eventus fidelissimam nobis obtulit facultatem, qua vestrae serenitati salutationis honorificentiam praebeamus, eo videlicet dilectionis affectu prosperitatem vestrae celsitudinis cognoscere cupientes quo vestram gloriam erga nos fraternitatis individuam arbitramur. Proinde praesentes viros inlustres illo et illo ad praesentiam fraternitatis vestrae direximus; quibus, ut vestram gloriam condecet, benignissima tranquillitate susceptis, petimus ut dum officium legationis iniunctae peregerint, responsis vestrae clementiae praemoniti, ad referendum salutis indicium sacris vestris litteris honorentur.

Rescriptio ad Regem.

X. Domino gloriosissimo atque praecellentissimo et à nobis cum summo caritatis vinculo in amore Christi amplectendo illo Regi ille Rex. Apices vestrae celsitudinis per

magnificos et inlustres viros illo et illo summa cum aviditate nos accepisse comperite, per quos vestrae celsitudinae salutationum munera, ut condecet, praemittentes, et quae circa vos sunt prospera cognoscentes, gavisi, ipsos in vestro amore, tales ut condecet viros, devotione benignissima suscepimus, officium legationis sibi à vobis iniunctum nostris auribus pandiderunt; sed omnia à nobis in responsis accepta, qui cum feliciter in Dei nomine remeaverint, celsitudinis vestrae auribus debeant enarrare.

Tractatoria Legatariorum vel minima facienda istius instar.

XI. Ille Rex omnibus agentibus. Dum et nos in Dei nomine apostolico viro illo necnon et inlustre viro illo partibus illis legationis causa direximus, ideo iubemus ut locis convenientibus eisdem à vobis evectio simul et humanitas ministretur, hoc est, veredos sive paraveredos tantos, pane nitido modios tantos, vino modios tantos, cervisa modios tantos, lardo libras tantas, carne libras tantas, porcos tantos, porcellos tantos, vervices tantos, agnellos tantos, aucas tantas, fasianos tantos, pullos tantos, ova tanta, oleo libras tantas, garo libras tantas, melle tantas, aceto tantas, cymino libras tantas, pipere tantas, costo tantas, gariofile tantas, spico tantas, cinamo tantas, granomastice libras tantas, dactylas tantas, pistacias tantas, amandola tantas, cereos librales tantos, caseo libras tantas, salis tantas, olera, legumina, ligna, carra tanta, faculas tantas, itemque victum ad caballes eorum, foeno carra tanta, sulfuso modios tantos. Haec omnia diebus singulis tam ad ambulandum quam ad nos in Dei nomine revertendo unusquisque vestrum per loca consuetudinaria eisdem ministrare et adimplere procuretis; qualiter nec moram habeant, nec iniuriam perferant, si gratiam nostram optatis habere.

Praeceptum donationis.

XII. Dum Dominus omnipotentes, creator coeli et terrae, permisit, iuxta quod legitur, in principio masculum et feminam copulae sociari consortio dicens: *Relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*, si aliquid pro amore dilectionis inter se invicem condonare decreverint, hoc nostra serenitas in id ipsis non renuit confirmare. Igitur venientes ille et illa ibi in palatio nostro, pro eo quod filiorum procreationem inter se minime habere videntur, omnes res eorum inter se per manu nostra visi sunt condonasse, et si ita convenit villas aliquas inter se visi sunt condonasse. Dedit igitur praedictus vir ille per manu nostra iam dictae coniugi suae illi villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, quas aut mu-

nere regio, aut de alode parentum, vel undecunque ad praesens tenere videtur, cum terris, domibus, et caetera. Similiter in compensatione rerum dedit praedicta femina antedicto ingali suo illo villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, et caetera, seu praesidio domus eorum, argentum et aurum, fabricaturas, drappos, vestimenta, vel omne supellectile eorum, pars parti per manu nostra visi sunt condonasse; ita ut dum pariter advixerint in hunc seculum, omnes res suprascriptas ab utrasque partes pariter debeant possidere; vel si eis pro animabus eorum aliquid exinde ad loca Sanctorum dare decreverint, voluntatis eorum liberum maneat arbitrium; et qui pari suo ex ipsis in hunc seculum supprestis extiterit, ambabus rebus, quandiu advixerit, usufructuario ordine debeat possidere; et post amborum de hac luce discessum, sicut eorum delegationes continentur, tam ad loca Sanctorum quam benemeritis vel eorum propinquis debeant revertere heredibus tam suprascriptas villas quam et de praesidio eorum, quicquid morientes reliquerint. Propterea per praesentem praeceptum decernimus ac iubemus ut dum taliter suprascriptis illis decrevit voluntas, et per manu nostra invicem condonatum esse dinoscitur, per hunc praeceptum robustissimo iure suffultum atque firmatum, quicquid superius continetur, auxiliante Domino, cum Dei et nostra gratia debeat perdurare; ita ut nulla refragatio nec de parte fisci nostri, nec à parentibus eorum propinquis, nec à quocunque possit convelli, sed omni tempore maneat inconvulsum. Quam vero auctoritatem, ut firmior habeatur, vel per tempora conservetur, manu propria subter eam decrevimus roborare.

Praeceptum de laesiuverpo per manum Regis.

XIII. Quicquid enim in praesentia nostra agitur, vel per manu nostra videtur esse transvulsum, volumus ac iubemus ut maneat in posterum robustissimo iure firmissimum. Ideoque veniens ille fidelis noster ibi in palatio nostro in nostra vel procerum nostrorum praesentia villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, sua spontanea voluntate nobis per fistucam visus est leuseuverpisse vel condonasse, in ea ratione si ita convenit, ut dum vixerit eas ex nostro permisso sub usu beneficio debeat possidere; et post suum discessum, sicut eius adfuit petitio, nos ipsas villas fideli nostro illo plena gratia visi fuimus concessisse. Quapropter per praesentem decernimus praeceptum, quod perpetualiter mansurum esse iubemus, ut dummodo taliter ipsius illius decrevit voluntas quod ipsas villas in suprascripta loca nobis voluntario ordine visus est leuseuverpisse vel condonasse, et nos praedicto viro illo ex nostro munere largitatis, sicut ipsius

illius decrevit voluntas, concessimus, hoc est, tam in terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, ad integrum quicquid ibidem ipsius illius portio fuit, dum advixerit, absque aliqua deminuatione, de qualibet re usufructuario ordine debeat possidere, et post eius discessum memoratus ille hoc habeat, teneat, et possideat, et suis posteris aut cui voluerit ad possidendum relinquat. Et ut haec auctoritas.

Prologi de cessionibus Regis.

XIV. Merito largitatis nostrae munere sublevantur qui parentibus nostris vel nobis ab adolescentia aetatis eorum instanti famulantur officio. Item alio. Praespicue compendiis regalibus illud adscribitur quod pro contemplatione servitutis fidelibus suis, concedente Domino, consultissime muneratur. Item alio ad loco sancto. Nihil, ut ait Apostolus, in hoc mundo intulimus, nec quicquam ex eo auferre nobiscum poterimus, nisi quod ob animae salutem locis Sanctorum devote Domino offerentes impertire videmur. Ergo cognoscat magnitudo seu strenuitas vestra nos inlustri viro illi promptissima voluntate villa nuncupante illa, sita in pago illo, cum omni merito et termino suo, integritate, sicut ab illo aut à fisco nostro fuit possessa, vel moderno tempore possidetur, visi fuimus concessisse. Quapropter praesentem auctoritatem nostram decernimus, quod perpetualiter mansuram esse iubemus, ut ipsa villa illa antedictus vir ille, ut diximus, in omni integritate, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, adiacentiis, appendiciis, vel qualibet genus hominum ditioni fisci nostri subditum, qui ibidem commanent, in integra emunitate, absque ullius introitu Iudicum, de quaslibet causas freda exigendum, perpetualiter habeat concessa; ita ut eam iure proprietario absque ullius expectata Iudicum traditione habeat, teneat, atque possideat, et suis posteris, Domino adiuvante, ex nostra largitate, aut cui voluerit ad possidendum relinquat vel quicquid exinde facere voluerit, ex nostro permisso liberam in omnibus habeat potestatem. Et ut haec auctoritas.

Cessio Regis ad loco sancto.

XV. Cognoscat magnitudo seu utilitas vestra nos propter nomen Domini ad Basilica illa vel illa, ubi apostolicus pater noster ille aut venerabilis vir ille Abbas praeesse videtur, villa nuncupante illa, sita in pago illo, quam usque nunc fiscus noster aut ille tenuit, promptissima devotione

cum omni integritate visi fuimus concessisse. Quapropter per praesentem auctoritatem nostram decernimus, quod perpetualiter mansuram esse iubemus, ut ipsa villa memorata Ecclesia illa, vel antedictus Pontifex, aut ille Abbas, ut diximus in omni integritate cum terris, et caetera quae superius sunt, ita ut eam et ipsi et successores sui habeant, teneant, et possideant, vel quicquid exinde ad profectum Ecclesiae illius aut basilicae facere voluerint, ex permisso nostro in omnibus habeant potestatem. Et ut haec auctoritas firmior habeatur vel per tempora conservetur, manus nostrae subscriptionibus subter eam decrevimus roborare.

Confirmatio.

XVI. Quem divina pietas sublimatur ad regnum, condecet facta conservare parentum; praecipue quae pro compendiis Ecclesiarum aut locis Sanctorum à regali clementia pro aeterna retributione probatur esse indultum, oportet conservare in aevum. Igitur apostolicus vir pater noster in Christo ille illius urbis Episcopus clementiae regni nostri detulit in notitia quod ille Rex per sua praeceptione sua manu subscripta ad Ecclesia illius, cui praeesse dinoscitur, villa nuncupante illa, sita in pago illo, cum integritate sua, sub omni emunitate, absque ullius introitu Iudicum de quaslibet causas freda exigendum propter nomen Domini concessisset; et ipsam praeceptionem se prae manibus habere adfirmat, et memoratam villam ipse Pontifex sub eodem modo ad partem Ecclesiae possidere videtur, petit celsitudini nostrae ut hoc circa eodem vel memorata Ecclesia Domni illius per nostris deberemus confirmare oraculis. Quod nos propter nomen Domini et reverentia ipsius sancti loci vel merita praefato Pontifice gratante animo praestitisse et confirmasse cognoscite. Praecipientes enim ut sicut constat praefata villa à iamdicto Principe memoratae Ecclesiae illius cum integritate sub omni emunitate fuisse concessa, et eam ad praesens possidere videtur, inspecta ipsa cessione, per hunc praeceptum plenius in Dei nomine confirmamus, sub eo ordine et ipse et successores eius vel memorata Ecclesia Domni illius illam teneant et possideant, et eorum successoribus ad possidendum relinquant, vel quicquid exinde opportunitate ipsius sancti loci faciendum decreverint, ex nostro permisso liberam habeant potestatem. Et ut haec auctoritas. Et caetera.

Item confirmatio ad secularibus viris.

XVII. Regiam consuetudinem exercemus, et fidelium nostrorum animos adhortamus, si petitionibus nostrorum fidelium libenter annuimus, et eas in Dei nomine effectui

mancipamus. Igitur inlustris vir ille clementiae regni nostri suggessit eo quod ante hos annos ille quondam Rex parens noster villam aliquam nuncupante illa, sitam in pago illo, quam antea ad fisco suo adspexerat, et ille tenuerat, pro fidei sui respectu, eius meritis compellentibus, cum omni integritate ad ipsa villa aspicientem per suam praeceptionem sua manu roboratam in integra emunitate absque ullius introitu Iudicum de quaslibet causas freda exigendum eidem concessisset. Unde et ipsam praeceptionem antedicto Principe nobis ostendit relegendam, et memorata villa ad praesens sub eodem modo possidere videtur. Petiit ergo ut hoc circa eodem nostra plenius deberet auctoritas generaliter confirmare. Cuius petitionem pro respectu fidei suae sicut unicuique de fidelibus nostris iusta petentibus nequivimus denegare, sed gratante animo praestitisse et confirmasse cognoscite. Praecipientes ergo, ut sicut constat antedicta villa illa cum omni integritate sua ab ipso Principe illo memorato lui fuisse concessa, et eam ad praesens iure proprietario possidere videtur, per hunc praeceptum plenius in Dei nomine confirmatum, inspecta ipsa praeceptione, et ipse et posteritas eius eam teneant et possideant, et cui voluerint ad possidendum relinquant, vel quicquid exinde facere decreverint, ex nostro permisso libero perfruantur arbitrio. Quam vero auctoritatem, ut firmior habeatur, et per tempora conservetur, propria manu subter eam decrevimus roborare.

De Regis antrustione.

XVIII. Rectum est ut qui nobis fidem pollicentur inlaesam, nostro tueantur auxilio. Et quia ille fidelis Deo propitio noster veniens ibi in palatio nostro una cum arimania sua *b*) in manu nostra trustem et fidelitatem nobis visus est coniurasse, propterea per praesentem praeceptum decernimus ac iubemus ut deinceps memoratus ille in numero antrustionum computetur. Et si quis fortasse eum interficere praesumpserit, noverit se wirgildo suo solidos sexcentis esse culpabilem iudicetur.

Praeceptum de Clericatu.

XIX. Si eis qui se ad onus clericati transferre deliberant licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus, quia scriptum est: *Noli prohibere benefacere ei qui potest. Si vales, et ipse benefac.* Igitur veniens ille ad nostram praesentiam petiit serenitati nostrae ut ei licentiam tribuere deberemus qualiter comam capitis

b) al. ms. *cum arma sua.*

sui ad onus clericati deponere deberet, et ad basilica illa aut monasterio deservire deberet. Quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratante animo praestitisse cognoscite. Praecipientes ergo iubemus ut si memoratus ille de caput suum bene ingenuus esse videtur, et in puletico c) publico censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsorare et ad suprascripta basilica vel monasterio deservire vel pro nobis Domini misericordiam adtentius exorare.

De divisione, ubi Regis accesserit Missus.

XX. Dum et divisio vel exaequatio inter illum et illum seu consortes eorum de alode illo aut de agro illo celebrari debetur, et quatenus petitio illorum adfuit ut Missus de Palatio nostro ad hoc inter eos dividendum vel exaequandum accedere deberet, ideo cognoscite quod nos Misso nostro inlustre viro illo ad hoc inter eos exaequando visi fuimus direxisse. Propterea per praesentem decernimus Praeceptum ac iubemus ut ipsum in hoc vos recipere faciatis, et unicuique ex ipsis iuste debita portionem terminetur, et decima illius (sumptus litis d) quod exinde in fisci ditionibus, tam de terra, vineis, mancipiis, vel undecunque redebetur, ipse vir ille habeat ex nostra indulgentia concessum, vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem.

De causas alterius receptas.

XXI. Fidelis Deo propitio noster ille ad nostram veniens praesentiam suggessit nobis eo quod propter simplicitatem suam causas suas minime possit prosequere vel admallare, clementiae regni nostri petiit ut inluster vir ille omnes causas suas in vice ipsius tam in pago quam in palatio nostro admallandum prosequendumque recipere deberet, quod in praesenti per fistucam eas eidem visus est commendasse. Propterea iubemus ut dum taliter utrisque decrevit voluntas, memoratus ille vir omnes causas lui ubicunque prosequere vel admallare deberet, ut unicuique pro ipso vel hominibus suis, reputatis conditionibus, et directum faciat, et ab aliis simili modo veritatem recipiat. Sic tamen quandiu amborum decrevit voluntas.

Praeceptum denariale.

XXII. Et quia apostolicus aut inluster vir ille servo suo nomine illo per manum illius in nostra praesentia iactante denario secundum Legem Salicam dimisit ingenuum, eius quoque absolutionem per praesentem auctoritatem nos-

---

c) Legend. *polyptico*. d) In uno ms. legitur: *suntellitis*.

tram firmamus; praecipientes enim ut sicut et reliqui mansoarii, qui per talem titulum à iugo servitutis in praesentia Principum noscuntur esse relaxati ingenui, ita et amodo memoratus ille per nostro praecepto plenius in Dei nomine confirmatus nullum inquietantem Deo auxiliante perennisque temporibus cum Dei et nostra gratia valeat permanere bene ingenuus atque securus.

Charta de causa suspensa.

XXIII. Cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, dum et nos ad praesens apostolico viro illo (aut inlustri viro) pro nostris utilitatibus ambulare praecepimus, ideo iubemus ut dum illis partibus fuerit demoratus, omnes causas suas suisque amicis aut gasindis, seu undecunque ipsi legitimo redebit mittio, in suspenso debeant residere. Propterea per praesentem decernimus ac iubemus Praeceptum ut interim quod de illis partibus revertitur, omnes causas eius aut amicorum suorum, tam illorum qui cum ipso pergunt, quam qui ad propria eorum resident, vel undecunque ipse legitimo redebit mittio, in suspenso resideant, et postea unicuique pro ipsis de reputatis conditionibus et iustitiam reddat et ab aliis simili modo veritatem percipiat.

Charta de mundeburde Regis et Principis.

XXIV. Rectum est ut regalis potestas illis tuitionem impertiat quorum necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas vestra quod nos apostolico (aut venerabile) viro illo de civitate (aut de monasterio) in honore Sancti illius constructo, cum omnibus rebus vel hominibus suis aut gasindis, vel amicis, seu undecunque ipse legitimo reddebit mittio, iuxta eius petitionem, propter malorum hominum inlicitas infestationes, sub sermone tuitionis nostrae visi fuimus recepisse, ut sub mundeburde vel defensione inlustris viri illius Maioris domus nostri cum omnibus rebus praefatae Ecclesiae aut Monasterii quietus debeat residere, et sub ipso viro illo inlustris vir ille causas ipsius Pontificis aut Abbatis vel Ecclesiae aut Monasterii, vel qui per eum sperare videntur, vel undecunque legitimo reddebit mittio, tam in pago quam in palatio nostro persequi deberet. Propterea per praesentem decernimus ac iubemus Praeceptum ut memoratus Pontifex aut Abba sub nostro sermone et mundeburde antedicti viri quietus resideat, et nec vos, nec iuniores, aut successores vestri, vel quislibet eum de inquisitis occasionibus iniuriare nec inquietare non praesumatis. Et si aliquas causas adversus eum vel suo mittio surrexerint, quae in pago absque eius gravi dispendio definitae non fuerint, in nostri praesentia

reserventur. Quam praeceptionem, ut firmior habeatur, propria manu subscripsimus.

Prologus de Regis iudicio, cum de magna re duo causantur simul.

XXV. Cui Dominus regendi curam committit, cunctorum iurgia diligenti examinatione rimari oportet, ut iuxta propositiones vel responsiones alloquia inter alterutrum salubris donetur sententia; quo fiat ut et nodos causarum vivacis mentis acumen coërceat, et ubi praelucet iustitia, illuc gressum deliberationis imponat. Ergo cum nos in Dei nomine ibi in palatio nostro ad universorum causas recto iudicio terminandas una cum Domnis et patribus nostris Episcopis, vel cum pluribus Optimatibus nostris illis, Patribus illis, Referendariis illis, Domesticis illis, vel Seniscalcis illis, Cubiculariis, et illo Comite palatii, vel reliquis quampluribus nostris Fidelibus resideremus; ibique veniens ille illum interpellavit, cum diceret. Et caetera.

Indiculus commonitorius ad Episcopum.

XXVI. Domino sancto et apostolica sede colendo Domno et in Christo patri illi Episcopo ille Rex. Fidelis Deo propitio noster ille ad praesentiam nostram veniens suggessit nobis eo quod villa aliquante nuncupante illa, quae ad eum de parte illius pervenire debuerat, post vos retineatis indebite, et nullam iustitiam vobiscum ob hoc possit consequere. Propterea praesentem Indiculum ad coronam beatitudinis vestrae direximus, ut et pro nobis orare debeatis, et si taliter agitur, antedicto illo de suprascripta villa legibus revestire faciatis. Certe si nolueritis, et aliquid contra hoc habueritis opponere, vosmetipsi per hunc Indiculum commoniti, aut Missus in persona vestra instructus, nunc ad nostram veniatis praesentiam, ipsius lui ad hoc dando responsum.

Item Indiculus ad Episcopum pro alio distringendo.

XXVII. Domino sancto et apostolico Domno et patri illi Episcopo ille Rex. Veniens ille ad praesentiam nostram suggessit quasi Abba vester, aut Clericus, vel homo vester ille, eidem servo suo per fortiam tulisset, vel post se retineat iniuste, et nulla iustitia cum eodem ex hoc consequere possit. Propterea praesentem Indiculum ad sanctitatem vestram direximus, per quem petimus ut et pro nobis orare dignetis, et si taliter agitur, ipso Abbate vestro aut Clerico praesentaliter constringatis qualiter si ita agitur, hanc causam contra iamdicto illo legibus studeat emendare. Certe si noluerit, et aliquid contra hoc habuerit quod op-

ponat, ipso illo per fideiussores positos tunc ad nostram studeatis dirigere praesentiam.

Charta audientiale.

XXVIII. Ille Rex vir inluster illo Comite. Fidelis Deo propitio noster ille ad praesentiam nostram veniens clementiae regni nostri suggessit eo quod pagensis vester ille eidem terram suam in loco nuncupante illo per fortiam tulisset et post se retineat iniuste, et nullam iustitiam ex hoc apud ipsum consequi possit. Propterea Ordinationem praesentem ad vos direximus; per quam omnino iubemus ut ipso illo taliter constringatur qualiter si ita agitur, hanc causam contra iam dicto illo legibus studeat emendare. Certe si noluerit, et ante vos recte non finitur, memorato illo tultis fideiussoribus kalendas illas ad nostram eum omnimodis dirigere faciatis praesentiam.

Indiculus ad laico.

XXIX. Ille Rex vir inluster illi. Fidelis noster ille ad praesentiam nostram veniens nobis suggessit quasi vos eum nulla manente causa in via adsallissetis et graviter livorassetis, et rauba sua in solidos tantos eidem tulissetis vel post vos retineatis indebite, et nullam iustitiam ex hoc apud vos consequere possit. Propterea praesentem Indiculum ad vos direximus, per quem omnino iubemus ut si taliter agitur, de praesente hoc contra iamdicto illo legibus studeatis emendare. Certe si nolueritis, et aliquid contra hoc habueritis quod opponere, non aliter fiat nisi vosmetipsi per hunc Indiculum commoniti kalendas illas proximas ad nostram veniatis praesentiam eidem ob hoc integrum et legale dare responsum.

Commutatio cum Rege.

XXX. Ille Rex illo Regi. Nihil sibi quisque cernitur minuendo quicquid e contra recipitur in augmento. Dum inter nos et inlustre viro illo unanimiter convenit ut loca aliqua inter nos commutare deberemus, nos dedimus ei locello nuncupante illo in pago illo, cum colonicas illas vel omnes adiacentias eorum et merito suo, tam domibus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, vel reliquis quibuscunque beneficiis, quodcunque ille vel fiscus noster in ipsa loca tenuisse noscitur. Et ipse haec contra dedit nobis omni portione sua quod in villa illa in pago illo habuisse visus est, cum itemque domibus, mancipiis, vineis, silvis, vel reliquis quibuscunque beneficiis, quaecunque ibidem habuit, et nos pro animae nostrae remedium ibi dedimus. Quapropter hunc Praeceptum ad modum commuta-

tionis ipsius viro fieri decrevimus, ut à praesente die ipsa locella cum omnia superius scripta vel cum omni integritate sua, quicquid, ut diximus, ille vel fiscus noster ibidem tenuit, ipse ille hoc habeat, teneat, atque possideat, et suis posteris ad possidendum relinquat, vel quicquid exinde facere voluerit, ex nostra commutatione liberam habeat potestatem; et unaquaeque pars quod in concambio bonae pacis placuit accepisse, exinde per longa tempora debeat Deo permittente gratulare. Et ut haec praeceptio. Et caetera.

Confirmatio Regis de omni corpore facultatis.

XXXI. Merito regalis clementia in illis conlata munera vel proprietates parentum nostrorum confirmare deliberat quos cognoscit anteriorum Regum parentum nostrorum vel nobis fidem integram conservasse inlaesam. Idcirco inluster vir ille Chartas praecedentium Regum nobis protulit recensendas, qualiter parentibus suis loca aliqua fuissent concessa; petiit ut eum de omni corpore facultatis suae, tam quod regio munere ipse vel parentes sui promeruerunt, quam quod per venditionis, cessionis, donationis, communicationisque titulum ad praesens iuste et rationabiliter est conquisitum, et ad praesens possidere videtur per nostrum in ipso deberemus generaliter confirmare Praeceptum. Quod nos pro divino intuitu, vel eius meritis compellentibus, integra devotione magnitudo vestra praestitisse cognoscat. Praecipientes enim ut quicquid ex successione parentum, vel eius voluntate, tam munere regio, vel perquaelibet instrumenta chartarum ad eodem iuste pervenit, tam in villabus, mancipiis, aedificiis, accolabus, aurum, argentum, speciebus, ornamentis, mobile et immobile, aut quodcunque in quibuslibet rebus per instrumenta chartarum tempore praesenti cum rationis ordine dominare videtur, per hanc auctoritatem firmatus cum Dei et nostrà gratia in integritate hoc valeat possidere et suis posteris auctore Deo derelinquere. Et ut haec auctoritas.

Si aliquis contra Regis voluntatem egerit, securitas cui eum persequi iusserit.

XXXII. Qui regiam obtemperant iussionem, experire malum in posterum à quemlibet non debent. Igitur cum et ille cum reliquos pares suos, qui eum secuti fuerunt, faciente (rebello *e*) illo interfecit, aut quaslibet alias causas contra Regem admisit, vel de regno nostro se transtulit, quod nobis satis fuit molestum, et una cum consilio

e) al. ms. *revello.*

fidelium nostrorum omnes res eius sub fisci titulum inlustribus viris illis praecepimus revocare, quia si se non distulisset, non solum res perderat, sed pro tali rebello in vita ipsius eos ordinaveramus insequere, propterea praesentem Praeceptionem dedimus ut dum praedicti viri illi, vel reliqui pares aut gasindi eorum, non ex sua praesumptione, nisi per nostra ordinatione una cum consilio Seniorum fidelium nostrorum ipsas res sub fisco nostro positas habuerunt, et nostris ditionibus ubi iussimus, vel reliquorum qui cum eodem mixti fuerunt, ex hoc comprehensum adduxerunt, ideo iubemus ut dum per nostra ordinatione factum est, nullo umquam tempore nec à iamdicto illo, nec qui cum eo mixti fuerunt, nec ab heredes eorum exinde qualibet calumnia aut repetitione ulla habere penitus non debeant, sed tam ipsa ille quam pares, gasindi, vel amici eorum, quicquid de res praedicto illo fuerunt et abstultum fuit, dum per eius culpas et nostra ordinatione factum est, omni tempore exinde educti et absoluti permaneant, et ut diximus, calumnia aut repetitione vel damnietate quandoquidem exinde suprascripti viri illi fideles nostri non pertimescant habere. Et ut haec Praeceptio firmior sit.

Praeceptum quorum ab hostibus vel alio modo fuerint instrumenta incensa.

XXXIII. A regale necesse est releventur clementia qui damnietate ab hostibus vel passi sunt violentia. Igitur fidelis Deo propitio noster ille clementiae regni nostri suggessit eo quod ante hos annos, aut anno superiori, exercitus noster aut illius Regis domus suas incendio cremassent, vel res suas quamplures una cum strumenta chartarum, tam quod per regio munere perceperat, quam et quod per venditionis, donationis, cessionis, commutationis titulum, vel de alode parentum in quocunque loco in regno nostro aliquid possidebat, ibidem concrematas fuissent. Unde relationem bonorum hominum manibus roboratam, qualiter ipsis ita cognitum sit, suggessit nobis, et protulit recensendam; et omnes res suas unde ipsa instrumenta perierunt, absque ullius inquietudine, sicut et antea fecit, quietus possidere videtur. Sed pro firmitatis studium petiit memoratus ille ut per nostra auctoritate omnes res suas, tam quod regio munere, quam quod per venditionis, donationis, cessionis, commutationisque titulum, vel reliqua alode ad praesens cum aequitatis ordine quietus possedit, deinceps in iure et dominatione eius confirmare deberemus. Cuius petitionem gratanti animo praestitisse vel confirmasse cognoscite. Praecipientes ergo iubemus ut quicquid memoratus ille tam in terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis,

silvis, campis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis, quod per relationem supra scriptorum virorum cognovimus, iuste et rationabiliter usque nunc ubicunque in regno nostro possidere videtur, dum eius instrumenta cremata esse cognovimus, per hunc praeceptum plenius in Dei nomine circa eum suffultum atque confirmatum absque ullius inquietudine vel refragatione teneat et possideat, et suis posteris aut cui voluerit in Dei nomine ad possidendum relinquat. Quam vero auctoritatem perpetuis temporibus valituram propria manu subter roborare decrevimus.

Relatio pagensium ad Regem directa.

XXXIV. Suggerendo piissimo atque praecellentissimo Domino illo Regi, et Maiorem domus illo, à servis vestris pagensibus illis, quorum subscriptionibus vel signacula subtus tenentur inserta. Principalitatis vestrae circumspecta clementia novit iusta petentibus dignanter annuere et necessitatem patientibus subvenire clementer. Pene omnibus patet regionem nostram ab hostibus depopulatam esse, et domus multorum igne crematas, vel res ablatas; inter quos servus vester ille non modicum ibidem perpessus est damnum et de rebus suis dispendium, vel omnia instrumenta chartarum, quod ipse vel parentes sui habuerunt, tam quod ex munificentia Regum possedit, quam quod per venditionis, cessionis, donationis, commutationisque titulum habuit, una cum domo sua incendio concremata esse noscuntur. Unde nostram parvitatem petiit, quod veraciter exinde cognovimus, per hanc notitiam suggestionis vestrae innotescere clementiae. Quod et facere servi vestri curavimus. Vestra pietas iubeat quod usque modo in regno vestro quietus possedit, circa eodem per vestro munere praeceptum ut inantea valeat, dum sua perdidit instrumenta, possidere quietus et securus. Nos servi vestri quod exinde veracius scimus innotescere praesumpsimus. Vestrum est necessitatem patientibus subvenire.

Confirmatio de omni corpore facultatis Monasterii.

XXXV. Ille Rex illo Patricio atque omnibus Agentibus. Rectum esse censemus ut petitionibus Sacerdotum quae ad profectum pertinent locorum Sanctorum ad effectum Christo praesule, perducamus. Igitur venerabilis vir ille, illius sancti Monasterii Abbas, gloriae regni nostri petiit ut dum ipse sanctus monasterius de conlatione parentum nostrorum, Deo adiutore, videtur esse constructum, nos omni corpore facultatis eius, tam quod antecessores Abbates ibidem laboraverunt, vel ille Domnus Abbas, qui ibidem fuisse

dinoscitur, de re monasterii ibidem visus est augmentasse aut comparasse, quod ab ipso sancto loco moderno tempore possidetur, per nostrum deberemus generaliter confirmare praeceptum. Quod nos pro divino respectu vel mercedis nostrae augmentum praestitisse vestra non dubitet magnitudo. Etiam et privilegium ipsius monasterii, quod ex institutione sedis apostolicae seu reliquorum Episcoporum visi sunt meruisse, et per auctoritatem Domni illius seu à reliquis successoribus parentibus nostris adumbratum fuisse dinoscitur, iuxta quod etiam per priorem praeceptionem nostram erga se perhibentes se munitum, pro perenni stabilitate decrevimus roborare. Praecipientes ergo ut omnes facultates ipsius monasterii, quicquid aut regia conlatione, aut privatorum munere, vel antecessores Abbatis, seu et Domni lui ibidem est legaliter adquisitum aut comparatum, immo de quibuscunque rebus recte adtractum, quodcunque dominatio ipsius sancti loci undique moderno tempore in villabus, domibus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aut quibuslibet beneficiis cernitur cum aequitatis ordine possidere, per hanc auctoritatem suffultum, absque cuiuslibet inlicitas controversias, inibi tam praesenti quam futuro tempore, Christo praesule, proficiat in augmentum. Adicientes ut et privilegium tam de Abbatis ingressu ipsa congregatio, postquam alius migraverit, ex se instituendo, quam et de reliqua omnia quod per institutionem Pontificum de tempora illius usque nunc ipse monasterius habuit concessum et usque hactenus conservatum, vel per decessorum Regum circa se firmatum, ita et inantea, resecatas quarumcunque superfluas inquietudines, sub eo ordine valeant in nostro sermone, auxiliante Domino, per tempora permanere. Et vos et successores vestri, ubi necessitas fuerit, in conditionibus ipsius monasterii iustum faciatis auxilium impartire, ut eis delectet pro salute nostra crebrius exorare, et vobis ob hoc ad gratiam nostram debeat pertinere. Et ut haec praeceptio firma stabilitate subsistat, propria manu infra decrevimus roborare.

Ut causas auctorum adsumendi suorum aliquis licentiam habeat.

XXXVI. Malorum necesse est tergiversationem regali coercere censura. Igitur apostolicus vir ille illius urbis Episcopus, aut venerabilis ille Abbas, aut Deo sacrata illa Abbatissa de monasterio illo, vel quilibet fidelium Domnorum, missa petitione, aut ipse nobis innotuit eo quod à diversis hominibus eorum spontanea voluntate tam ipse quam antecessores eorum data pecunia infra regno nostro plurima in terris aut mancipia comparassent, vel reliqui homines ad ipsa Ecclesia vel monasterio pro animae eorum remedium

nonnulla per eorum instrumenta delegassent, et hoc ad praesens cum aequitatis ordine possidere videantur, petiit ut pro tempore futuro vel malorum hominum ingenia coercendo, dum plures benefactores vel venditores pro clade quae grassatur in populo, vel complente fine naturae, absque heredibus de hac luce discesserunt, si aliquis per quodlibet ingenium de ipsas res eum inquietare voluerit, licentiam haberet in vice auctorum suorum ipse vel Advocatus suus eorum causas adsumere. Quod nos propter nomen Domini et reverentiam ipsius sancti loci praestitisse cognoscite. Praecipientes ergo iubemus ut memoratus Pontifex aut Abbas vel Abbatissa seu Advocatus eius in vice auctorum suorum causas ipsius licentiam habeat adsumendi vel (obmallandi *f*), et per eorum instrumenta aut de annis ipsam rem, unde tunc à quolibet inquietari videntur, partibus Ecclesiae vel monasterii sui, cum aequitatis ordine respondendi vel obmallandi, super annis contra quemcunque sanciendi.

Iudicium evinditale.

XXXVII. Veniens ille in nostri vel Procerum nostrorum praesentia suggessit quasi homo nomine ille pagensis vester eum in villa nulla manente causa adsallisset et eum graviter livorasset, vel rauba sua in solidos tantos eidem tulisset, et ob hoc vobis per nostram ordinationem tales datos habuisset fideiussores ut Kalendas illas ex hoc in nostri praesentia debuissent astare causantes. A quo placito veniens memoratus ille ibi in palatio nostro, et per triduo seu amplius, ut lex habuit, placitum suum custodisset, et memoratus ille abiectus sit vel solsatissit, ipse nec venisset ad placitum, nec nulla sunnia nuntiasset, adfirmat. Proinde nos taliter una cum nostris proceribus constitit decrevisse, ut si evidenter memoratus ille pro hac causa tales vobis datos habuit fideiussores, et placitum suum minime custodivit, dum et inlustris vir ille Comes palatii nostri testimoniavit quod antedictus ille placitum suum legibus custodivit, et eum adiectivit vel solsativit, et ipse ille placitum suum austodire neglexit, iubemus ut quicquid lex loci vestri de tali causa edocet, vobis distringentibus, antedictus ille partibus illius componere et satisfacere non recuset.

Charta paricla.

XXXVIII. Cum in nostra vel procerum nostrorum praesentia homo nomine ille itemque homine nomine illo interpellasset dum diceret quasi servo suo nomine illo, una cum rauba sua in solidos tantos, post se fugitivos pedes recepisset, vel post se retineret indebite, aut haec praefatus ille omnia haec fortiter visus est denegasse; quod nec ipse

f) al. ms. *homallandi.*

ipso servo fugitivos pedes nec rauba sua post se nunquam recepisset. Sed dum inter se intenderent, sic eidem à proceribus nostris, in quantum inlustris vir ille Comes palatii nostri testimoniavit fuit iudicatum, ut de quinque denominatos idem ille apud tres et alios tres, sua manu septima, tunc in palatio nostro super capella Domni Martini ubi reliqua sacramenta percurrunt, debeant coniurare quod suprascripto servo illo memoratus ille pedes fugitivos una cum rauba sua in solidos tantos post se nunquam recepisset. Si hoc coniurare potuerit, de hac causa ductus sedeat. Sin autem non potuerit, ipso servo una cum rauba sua in solidos tantos cum legis beneficium partibus antedicto illo reddere studeat. Interim vero usque in ipso placito, non nec utra pars ex ipsis victa appareat, unde aequales praeceptiones ei fieri et accipere iussimus.

Ut pro nativitate Regis ingenui relaxentur.

XXXIX. Ille Rex Francorum viro inlustro illo Comiti. Dum et nobis divina pietas iuxta votum Fidelium et Procerum nostrorum de nativitate filii nostri illius magnum gaudium habere concessit, ut misericordia Dei vitam eidem concedere dignetur, iubemus ut per omnes villas nostras, quae in vestra vel in cuncto regno nostro aliorum domesticorum sunt actionibus, tres homines servientes in utroque sexu in unaquaque villa ex nostra indulgentia per vestras epistolas ingenuos relaxare faciatis.

Ut leudesamio promittantur Regi.

XL. Ille Rex illi Comiti. Dum et nos una cum consensu Procerum nostrorum in regno nostro illo glorioso filio nostro illo regnare praecepimus, ideo iubemus ut omnes pagenses vestros, tam Francos, Romanos, vel reliqua natione degentibus bannire et locis congruis per civitates, vicos, et castella congregare faciatis; quatenus praesente Misso nostro inlustri viro illo, quem ex nostro latere illuc pro hoc direximus, fidelitatem praecelso filio nostro vel nobis et leode et samio per loca Sanctorum vel pignora quae illuc per eodem direximus, debeant promittere et coniurare.

LIBER SECUNDUS.

Incipiunt Capitula de chartis pagensibus.

1. *Si quis monasterio aut exsenodochio de magna re vult construere.*
2. *Prologus qui de magna re facit Ecclesiis donation.*
3. *Item alio prologo cum ipsa donatione ad hoc opus.*
4. *Cessio ad die praesente ad Ecclesiam, de villa.*

INCIPIT SCEDOLA QUALITER CHARTAS PAGINSES FIANTUR g).

De magna re qui vult exsenodochio aut monasterio construere.

I. Domino vero sancto atque sedula ostensione patentibus virtutum miraculis Christi remuneratione fulgenti, oratorio ac cellula in honore sanctae ac semper Virginis genitricis Domini nostri Iesu Christi aut in alterius Sancti constructa, ille, reus quidem meritis flagitiis, quoque sceleribus, praelascivis actibus ac nimia foeditate pollutus, vel opere omnium bonorum Christianorum longe satis extremus. Hoc tota pene sanctarum Scripturarum series Christianis fidelibus pia exhortatione pronuntiat, hoc etiam tonitrualis illa Evangelistarum vox, sancto suggerente Spiritu, sua potestate concelebrat, ut faciat in pauperes eleemosynam qui vult tartari evadere supplicia. Unde et Dominus in Evangelio dicit: *Vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo.* Pensemus ergo omnes Christiani quanta sit pietas et largitio Redemptoris ut eleemosynas pauperum promittantur nobis thesauri regni coelorum. Procuremus igitur, sicut Dominus et salvator noster praecepit, et ac si non quantum avemus, saltim in quantum possumus, eleemosynam faciamus. Nemo itaque dubitet, nemo tardet: quia si nos facimus quae Dominus et salvator noster praecepit ille sine dubio facturus est quae promisit. Ait enim Scriptura: *Abscondite eleemosynam in corde pauperis, et ipsa pro te deprecabitur Domino.* Abscondamus ergo eleemosynam in corde pauperis, ut proveniat nobis deprecatio pauperum in remissionem peccatorum. Multa quidem et alia quae latiniosa sunt prosequi pro eleemosynis faciendis testimonia in Scripturis sanctis reperimus; inter quibus vel ex quibus illam ego existimo potiorem sententiam quae ait: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit pec-*

g) al. ms. *qualiter chartae pagenses fiant.*

catum. Quid ergo verius potest credi, quid confidentius, quidve expressius, quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum? Iuste ergo extinguitur qui peccatorum incendia eleemosynis iuxta pollicitationem divinam extinguere non festinat. Faciant quippe caeteri quod voluerint, agant quod ipsi maluerint, idcirco quia omnis homo suo sensu ducitur; ego tamen huius rei exemplum secutus elegi ad praefato oratorio vel cellula, iuxta Apostolorum numerum duodecim ad praesens pauperum, pro remissione peccatorum meorum, vel pro diluenda meorum mole peccaminum, Christo praesule conlocare; ubi etiam per praesentem epistolam donationis meae dono ad praesente die quod in luminaribus ipsius oratorii vel in alimonia et substantiali victu, vestitu quoque et sustentatione ipsorum pauperum vel Clericorum ibidem servientium, Deo gubernante et opitulante, proficiat, donatumque in perpetuum esse volo, atque de meo iure in eorum dominatione et potestate lego, trado, transmitto, atque transfundo, hoc est, agros quorum vocabula sunt illa et illa, quae ponuntur in territorio illo, pari modo, et quicquid in illo territorio ponitur, in omni soliditate portione mea, una cum mancipiis, aedificiis, vineis, terris, pratis, silvis, omnique iure eorum, una cum colonicis adiunctis, adiacentiis earum, in omni soliditate earum, sicut a me noscitur fuisse possessum, aut mihi ex legitima successione aut undecunque aliquid mihi ibidem obvenit, cum omni soliditate vel opportunitate earum ad integrum; ea scilicet ratione atque praetexto ut remota Pontificum simulque ecclesiasticorum omnium officialium seu publicorum omnium potestate, nullas functiones vel exactiones, neque exquisita et lauta convivia, neque gratiosa vel insidiosa munuscula, neque etiam caballorum pastus, aut paravereda, vel caeteras angarias, aut in quodcunque functionis titulum dici potest, de ipsa facultate penitus non requiratur, sed sub integra emunitate facultaticula ipsa, sicut à me huc usque possessa est, in iure oratorii sancti illi et praedictorum pauperum debeant, Deo protegente et opitulante, persistere; nisi tantum sancti et apostolici illius urbis Episcopi, in cuius oppido exsenodocius ipse ponitur, pro tradendis benedictionibus vel substituendis Abbatibus, Presbyteris quoque et Diaconibus, absque ulla pecuniarum adeptione. Amplius vero donandi, exigendi, vel minuendi causam nullam habeat potestatem. Sed nec per commutationis locum quicquam ex hoc auferendi nullo tempore occasio vel aditus tribuatur, sed perpetualiter in potestate praefati oratorii sancti illius vel ipsorum pauperum, Christo favente, permaneat. Hoc etiam ipsis Pontificibus obsecro vel committo, ut illos

per succedentibus temporibus, cum casus mortis extiterit, Abbatibus aut Clericis vel reliquis Clericorum gradus in eodem loco dignentur vel debeant instituere quos sapientia et eruditio scripturarum clarificat, vel quos vita sancta et actio bona aut conversatio honesta commendat. Unde obsecro clementissimis Regibus tam praesentibus quam futuris et omnibus in Deo Episcopis omnibusque Potestatibus ac Primatibus, omnes etiam Seniores, quoscunque Iudices esse constiterit, per ineffabilem Dei omnipotentiam et per inseparabilem Patri et Filio et Spiritui sancto Trinitatem, ut hac voluntate mea pro nullis occasionibus, sicut existente sine Deo cupiditate res exigi solet, nulla ratione nulloque tempore convellere permittatis, sed per sollicitudinem et curam Episcopi constare potius pro reverentia Trinitatis immensae vestro tempore et studio vel opere iubeatis; quatenus ut et ille vobis mercedem restituat in futuro qui scit me eleemosynis ipsis sanctis Dei pauperibus pro amore Domini nostri Iesu Christi ardenti desiderio tribuisse. Si quis huic voluntati meae pro quibuslibet adinventionibus seu oppositionibus, sicut mundus cottidie artibus et ingeniis expolio obvius, vel repetitor, convulsor etiam, aut tergiversator extiterit, anathema sit; et tam qui fecerit quam qui faciendo consenserit, anathema sit; et sicut Dathan et Abiron hiatu terrae absorpti sunt, vivens in infernum descendat, et cum Ziezi fraudis mercatore et in praesenti et in futuro seculo partem damnationis excipiat; et tunc veniam consequatur quando consecuturus est et diabolus, qui sese fallendo aetheria sede deiectus, cruenta adinventione bonis operibus semper obviare pervigilat; insuper etiam inferat sociante quoque tam in persecutione quam in exactione sacratissimo fisco, vel sancto Episcopo Ecclesiae ipsius auri libras centum; et nihilominus haec praesens epistola, quae à me pro timore Dei et amore pauperum conscripta est, firma, incorrupta, intemerata, inviolataque permaneat. Ego namque de conlatis ac superius praenotatis rebus omnia ad curam et sollicitudinem aut defensionem rerum vel gubernationem ipsorum pauperum sancto ac praenotato Domno illo Episcopo vel successoribus suis, Deo sibi teste, committo; et instrumenta, per quod res ipsas, auxiliante Domino, per eorum sollicitudine defensentur, superscripto Domno illi Episcopo prae manibus tradidi; et qualiter ibidem provide, pie, rectene secus egerit, Christo Domino in se iudice recognoscat. Mihi autem nihil exinde proprietatis titulum penitus non reservavi: quia facile contemnit omnia qui cupit ab inferni faucibus erui, vel ille qui peccatorum remissionem, Deo remunerante, desiderat, aut ille qui semper cogitat eum velit nolit esse moriturum. Stipulatione. Et caetera.

Prologus qui de grandi causa facit donationem.

II. Quantum intellectus sensusque humanus potest mente sagaci pensare atque sollerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in huius seculi luce gaudia fugitiva lucrare quam quod de rebus suis locis venerabilibus in alimoniis pauperum curetur impendere: quatenus fragilitatem naturae quod omnes generaliter patiuntur, priusquam subitanea transpositio eveniat, oportet pro salute animae vigilare, ut non inveniat quemquam imparatum, et sine aliquo respectu discedat à seculo. Quin potius, dum proprio libertatis iure subsistit, ex caducis substantiis in aeterna tabernacula vitam quaerat mercari aeternam; ut inter iustorum consortium desiderabilem valeat adipisci locum, et retributorem sibi praeparet Deum, ut de fructu indeficienti paradisi mereatur foveri; de cuius vivo fonte, perfecta fide poscente, nec subtrahitur poculum, nec minuitur alveus, sed potius uti quisque hauserit, inrigatus dulcedine coelitus, atque suavis ei flagratur odor balsami paradisi.

Item alio prologo.

In nomine sanctae Trinitatis. Prosperum ac salubriter consilium immoque satis iucundum esse dinoscitur ut homo de mundanis rebus comparet paradisum et de terrena transferat in coelestia. Sic Dominus in sancto Evangelio praeclaram intonat vocem, dicens: *Thesaurizate vobis thesauros in coelo, ubi nec fur effodit, nec tinea sulcat.*

Prologo de Clerico qui in Monasterio tonsoratur, qui suam rem ad ipso loco donat.

Debet unusquisque, largiente Domino, dum versatur in corpore, futura tractare et de caducis rebus mercari aeterna: ut quandoquidem, iubente Deo, de corpore egredi contigerit, de mammona iniquitatis mansionem sibi reperiat comparatam in coelis. Idcirco ego ille cedo ad monasterio illo, ubi Abba ille custos praeesse videtur, et comam capitis mei ibidem deposui, et in ipso monasterio sub norma Sanctorum vivere cupio, cessumque in perpetuum.

Item prologo.

Opportunum est unumquemque, dum terrena munera possidet, pro anima sua frequentius cogitare, ut terrenam beatitudinem possidere mereatur. Ego inluster vir ille sentio me infra corpus meum infirmum esse et infra anima mea nimis esse peccatorem. Admonet me divina potentia, vel compunctio cordis mei mihi obvenit, ut pro peccatis meis remedium aliquid de res meas locis Sanctorum delegare debeam. Ideo cedo.

Item prologo.

In nomine sanctae Trinitatis. Prosperum, salubre, et satis iocundum esse censuimus ut homo de caduca quispiam seculi ad peccata sua redimendum valeat offerre, aut quid promptiore consilio, ut homo de mundanis rebus seculi comparet paradisum, et de terrena substantia se transferat in coelestia. Itaque ego ille pro divino intuitu et mei mercede compendii, ut me Dominus in futurum veniam concedere dignetur, vel ut nomen meum in libro vitae adscribatur, dono ad iamdicto monasterio in luminaribus Ecclesiae vel in stipendiis pauperum aut Monachorum, donatumque iure legitimo esse volo.

Item prologo.

Dum huius exempli in quodam noscitur cecidisse, patimur arumnam, et die mortis cotidie ante oculos suspicamur esse propinqua, oportet unicuique ob amore coelestis patriae devotionis lucra complecti et res sibi datas in Sanctorum vel etiam indigentium usibus alegatas relinquere, ut peccatorum pondera, quae pontificium poenitendo non valent laxare, ab eorum intercessione plenius ad veniam debeant pervenire. Idcirco ego ille.

Item alio prologo cum ipsa donatione ad hoc opus.

III. Mundi terminum ruinis crebrescentibus adpropinquantem indicia certa manifestant et experimenta liquida declarare noscuntur, et ad discutiendas torpentes infidelium mentes illa dudum in evangeliis à Domino dicta oracula incumbere noscuntur. Ergo operae pretium arbitror futurum vicissitudine praeoccupans anticipare, et incertum humanae conditionis eventum sagaci mentis intuitu providere; quatenus ex hoc inflictis facinorum vulneribus, indulta pietate, remedia merear adipisci. Ergo ego in Dei nomine ille et coniux mea illa considerantes qua gravamur sarcina peccatorum, et reminiscentes bonitatem Dei dicentis: *Date eleemosynam, et omnia munda fiunt vobis*, de tanta igitur miseratione et pietate Domini confisi, idcirco per hanc epistolam donamus, donatumque in perpetuum esse volumus, atque de iure nostro in potestate et dominatione Monasterii illius in honore Sancti illius in pago illo constructi, ubi praeest venerabilis ille Abba, vel turma plurima Monachorum adunata, transmittimus atque transfundimus villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adiunctis, adiacentiis, appendiciis, peculium utriusque sexus, mobilibus et immobilibus; sicut a nobis moderno tempore possidetur, vel si inantea ibi undecunque aliquid augmentare

vel meliorare poterimus, ad praefato monasterio in alimoniis vel substantiis Monachorum ibidem habitantium, Christo protegente, proficiat; ea scilicet ratione ut dum pariter advivimus, antedictas villas sub uso beneficio tantummodo absque praeiudicio vel diminutione aliqua ipsius monasterii possideamus; nisi tantum si aliquem ex servientibus nostris à iugo servitutis pro communi mercede relaxare voluerimus. Post obitum vero, quandoquidem Deus voluerit nostrum, absque ullius Iudicis vel heredum nostrorum expectata traditione, cum omni re emeliorata, quicquid in suprascriptas villas in quibuslibet rebus vel corporibus augmentatum velelioratum fuerit, de praesenti hoc pars antedicti monasterii vel memoratus Abbas suique successores in Dei nomine perpetualiter recipiant possidendum, tanquam si ad praesens absque usu nostro eorum fuisset subsecuta possessio, ita ut quicquid de praedictas villas propter opportunitatem ipsius monasterii facere decreverint, liberum in omnibus potiantur arbitrium. Praesentem vero donationem, ne quicquam auri talium vilitate, gestis municipalibus alligari curavimus, et omnino decernimus ne aliquando in eam ob hoc causam quisquam valeat reperire. Quod si aliquos in strumentis de ipsas villas de nomen nostrum in adversitate praedicti monasterii quolibet ordine comprehensus, aut anterius aut posterius praenotatos, quod nos nec fecimus nec facere rogavimus, à quocunque praeter istum, quem firmissimum volumus esse, quoquo tempore ostensus fuerit, nullum sortiatur effectum, nisi vacuus et inanis appareat; auctorem vero criminis vel falsarium nec incultum tunc temporis patiatur iudiciaria abire potestas. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, huic voluntati nostrae per quibuslibet adinventionibus aliquis de heredibus nostris, aut Iudicum saeva cupiditas, vel qualibet persona, obvius repetitor extiterit, à conventu omnium Christianorum vel limitibus Ecclesiarum extraneus habeatur, et Iudae traditoris Domini nostri Iesu Christi perfruatur consortium, insuper etiam inferat partibus ipsius monasterii vel fratrum ibidem consistentium, sociato quoque tam in actibus quam in prosecutione sacratissimo fisco, auri libras tantas, argento pondo tanta, et ne sic quoque quod repetit valeat vindicare, nihilominus praesens donatio, quae à nos pro timore Dei et amore pauperum Christi conscripta est, firma et inlibata omni tempore debeat permanere. Stipulatione subnixa. Actum ibi sub die illo.

Cessio à die praesente ad Ecclesia.

IV. Dum fragilitatis humani generis pertimescit ultimum vitae temporis subitanea transpositione ventura, opor-

tet ut non inveniat unumquemque imparatum, ne sine aliquo boni operis respectu migret de seculo; nisi dum suo iure et potestate consistit, praeparet viam salutis, per quam ad aeternam valeat beatitudinem pervenire. Ideoque ego in Dei nomine ille et coniux mea illa pro remedium animae nostrae et remissionem peccatorum nostrorum, ut veniam in futurum consequi mereamur, cedimus à praesente die cessumque in perpetuo esse volumus, atque de iure nostro in iure et dominatione sanctae Ecclesiae illius in honore illius constructae, villa nuncupante illa, sita in pago illo, quae ex alode parentum aut undecunque ad nostra pervenit dominatione, et ad praesens possidere videmur, cum omni merito et termino suo, cum adiacentiis, adiunctis, appendiciis, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, cum pastoribus gregis, peculium utriusque sexus maiore vel minore, mobilibus et immobilibus, vel quicquid dici aut nominari potest, et tempore praesente nostra videtur esse possessio, ad praesente Ecclesia volumus esse concessum; ita ut ab hac die memorata villa illa pars antedictae Ecclesiae, vel Pontifex civitatis illius, aut auctores Ecclesiarum, eam habendi, tenendi, possidendi, vel quicquid exinde pro opportunitate ipsius elegerint faciendi, liberum in omnibus perfruantur arbitrium; ita ut nomen nostrum in libro vitae conscribatur, vel pro nos utrumque sacrificium post obitum nostrum pro Domino offeratur. Licet in cessionibus poenam adnecti non sit necesse, sed nobis pio omni firmitate placuit inserendum. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus vel proheredibus nostris, seu qualibet persona, calliditate commotus, aut cupiditate praeventus, ullo unquam tempore contra praesentem epistolam cessionis nostrae, quam propter nomen Domini et venerationo sancti ipsius loci spontanea voluntate fieri decrevimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiversator extiterit, anathema sit, et cum suprascripto Domno illo ante tribunal Christi deducat rationes, insuper inferat iuxta poena seculi, cum cogenti fisco, partibus ipsius Ecclesiae, aut auri libras tantas, aut argenti pondo tanta, aut quod repetit nullatenus valeat vindicare, sed praesens cessio omni tempore inlibata permaneat, cum stipulatione subnixa.

Praecaria de ipsa villa, dum vivit.

V. Domino sancto et apostolica sede colendo Domno et in Christo patri illi Episcopo ego ille et coniux mea illa.

Pluribus non est incognitum qualiter propter nomen Domini ad Ecclesiam illam in honore sancti illius villa nostra nuncupante illa, sita in pago illo, quicquid ibidem undecunque fuit nostra possessio, in integritate per epistolam cessionis nostrae visi fuimus concessisse, et eam vos ad parte suprascriptae Ecclesiae recepistis. Sed dum postea nostra fuit petitio, et vestra benevolentia et pietas habuit, ut ipsa villa, dum advivimus, aut qui pari suo ex nobis supprestis fuerit, dum advivit, nobis ad beneficium usufructuario ordine excolendum tenere permisistis; ea scilicet ratione ut nihil exinde penitus de qualibet re alienandi aut minuandi pontificium non habeamus, sed absque ullo praeiudicio suprascriptae Ecclesiae vel vestro eam tantummodo excolere debeamus. Ideo hanc precariam vobis emittimus, ut nullo unquam tempore nostra possessio, etiamsi spatium vitae nobis Dominus prolongaverit, nullo praeiudicio aut deminutione aliqua de ipsa villa vobis generare non debeat, nisi usu tantum, dum advivimus, habere debeamus, et post nostrum ambobus discessum, cum omni re meliorata, quicquid ibidem undique adtrahere aut meliorare poterimus, per hanc precaturiam, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, absque ullius Iudicis aut heredum nostrorum expectata traditione, vos vel successores vestri aut agentes Ecclesiae in vestram eam faciatis dominationem revocare perpetualiter possidendum, vel quicquid exinde facere elegeritis, sicut nostra continet epistola, ad profectum praefatae Ecclesiae Domni illius liberum habeatis arbitrium. Facta precaria ibi.

Donatio de parva re ad Ecclesia.

VI. Si aliquid de rebus nostris locis Sanctorum vel in substantia pauperum conferimus, hoc nobis proculdubium in aeterna beatitudine retribuere confidimus. Ergo ego in Dei nomine ille in amorem Domini nostri Iesu Christi et remissionem peccatorum meorum, ut veniam delictis meis consequi merear in futurum, dono donatumque in perpetuum esse volo ad basilica illa in honore sancti illius constructa portionem meam in villa nuncupante illa, in pago illo, quicquid ibidem ad praesens tam de alode parentum vel de qualibet adtractu possidere videor, totum et ad integrum ad praefata basilica volo esse donatum; ea videlicet ratione ut dum advixero sub usu beneficii teneam absque ullo praeiudicio vel deminutione aliqua de qualibet re antedictae basilicae excolere debeam. Post meum quoque quandoquidem Deus de hac luce voluerit discessum, de praesente, absque cuiuslibet Iudicum aut heredum meorum expectata traditione aut contrarietate, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, campis, vineis, silvis, pratis, pascuis,

aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis Abba de ipsa basilica vel agentes eius in eorum debeant dominatione revocare perpetualiter possidendum; habendi, tenendi, vel quicquid exinde pro opportunitate antedictae Ecclesiae elegerint faciendi liberam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus nostris, seu qualibet opposita persona, calliditate commotus, aut cupiditate praeventus, contra hanc epistolam donationis nostrae, quam spontanea voluntate propter nomen Domini fieri decrevimus, venire aut eam infrangere conatus fuerit, iram trinae maiestatis incurrat, et cum suprascripto Sancto illo ante tribunal Christi deducat rationes; insuper inferat partibus ipsius basilieae, cum cogente fisco, auri libras tantas, argenti tantas, et quod repetit vindicare non valeat; sed praesens epistola omni tempore firma et inviolata permaneat, stipulatione subnixa.

Charta interdonationis inter viro et femina de eorum res.

VII. Quicquid enim inter coniugatos de propria facultate, manente caritate, pro amore dilectionis in invicem condonare placuerit, scripturarum necesse est titulis allegare ne in posterum ab heredibus eorum vel à quocunque possit convelli; quia secundum legem, si manente coniugio vir uxori vel uxor marito aliquid donaverit, si is cui donatum est prior mortuus fuerit, apud donatorem ea quae donata fuerint remanebunt. Igitur ego in Dei nomine, ille, et te dulcissima coniux mea illa, dum et inter nos procreatio filiorum minime esse videtur, ideo convenit nobis ut omne corpore facultatis nostrae invicem usufructuario ordine condonare debeamus. Quod ita et fecimus. Proinde et dono tibi dulcissima coniux mea, si mihi in hunc seculum suprestis fueris, omni corpore facultatis meae, tam de alode, aut de comparatum, vel de qualibet adtractu, ubicunque habere videor, et quod pariter in coniugium positi laboravimus, tam terris, villabus, domibus, cum omni praesidio, accolabus, mancipiis, vineis, cam[illegible], pratis, aquis, aquarumve decursibus, aurum, argentum, vestimenta, peculium utriusque sexus maiore vel minore, ita ut dum vixeris usufructuario ordine valeas possidere vel dominare; excepto quod pro animae remedium ad loca Sanctorum condonavimus, ut inspecta nostra delegatione in omnibus conservetur, et quantumcunque de alode nostra post meum discessum pro communi mercede ad loca Sanctorum legaliter condonare et delegare volueris, hoc licentiam habeas faciendi, et inspecta delegatione inconvulsum permaneat; in reliquo vero omnes res ipsas, quantum post tuum dis-

cessum intestamentum remanserit, ad nostros legitimos revertatur heredes. Similiter et ego illa, dulcissime iugalis meus ille, commonet me dulcitudo tua, in compensatione rerum tuarum quod in me visus es contulisse, si mihi in hunc seculum suprestis fueris, dono tibi omni corpore facultatis meae, ubicunque, undecunque, tam de hereditate parentum quam de comparatum, vel quod pariter laboravimus, totum et ad integrum, tam in villabus, domibus, et caetera, excepto quod pro animae remedio ad loca Sanctorum delegavimus, ut inspecta ipsa instrumenta, in omnibus conservetur, et quod de ipsa alode mea post meum discessum pro communi mercede ad loca Sanctorum *** vel ingenuos relaxare volueris, licentiam habeas, et inspecta ipsa instrumenta, in omnibus conservetur. Post tuum quoque discessum, quicquid intestamentum remanserit, ad nostros heredes, qui tunc propinquiores fuerint, revertatur. Si vero, quod futurum esse non credimus, aliqui de heredibus nostris vel quicunque contra hanc interdonationem, unde inter nos uno tenore conscriptas firmavimus, venire aut infrangere voluerit[1], nullatenus valeat vindicare, sed inferat partibus vestris, cum cogente fisco, auri libras tantas, argenti tantas; praesente vero epistola in nullo possit convelli, sed firma et inlibata permaneat.

Item alia sine aliqua minuatione.

VIII. *Ista alia à capite instar prioris usque* dum advixeris usufructuario ordine debeas possidere, post tuum quoque discessum ad legitimos nostros revertatur heredes, et nullum pontificium quicquam exinde alienandi aut minuandi habere non debeas. Similiter et ego illa, dulcissime iugalis meus ille, commonet me dulcitudo tua in compensatione rerum tuarum, quod in me visus es contulisse, si mihi in hoc seculum suprestis fueris, omnes res meas quascunque, aut ubicunque, tam in terris, et reliqua, sub usu beneficio debeas possidere, et nullum pontificium quicquam exinde alienandi aut minuandi praeter usum tantum non habeas, et post tuum discessum ad legitimos nostros revertatur heredes.

Charta obnoxiationis a patre in filiis facta.

IX. Dulcissimis filiis meis ego ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos villas aliquas nuncupantes illas, sitas ibi, genetrice vestra illa, antequam eam meo sociassem coniugio, per epistolam cessionis aut libellum dotis visus sum condonasse. Sed dum et ipsa, peccatis meis facientibus, ab hac luce discessit, et vos om-

ni alode ipsius genetrice vestra illa, iuxta quod et ratio praestitit, mecum exinde in praesentia bonorum hominum aut Regis altercastis, per ipsam epistolam, quam in eam feceramus, contra nos evindicastis, et in vestra potestate omne alode ipsius recepistis. Sed dum mea fuit petitio, et vos, ut condecet bonis filiis, voluntatem meam obtemperantes ipsas villas vel res quae fuerunt genetrice vestra, quas ego ei dedi vel condonaveram, mihi ad usum beneficii tenere et excolere absque ullo vestro praeiudicio permisistis, ideo nobis complacuit alias villas nostras illas pro vestra benevolentia et suprascripto usu de villas vestras per hanc epistolam obnoxiationis vobis obnoxiasse; ita ut deinceps tam suprascriptas villas quam etiam et illas quas supra scriptae genetricae vestrae per meam epistolam contuleram, per vestro beneficio excolere debeamus, et nullum pontificium de omnia suprascripta nec vendere nec alienare nec concambiare nec per qualibet ingenio minuare habere non debeam, potestatem, nisi tantum usum, sed per hanc epistolam obnoxiationis meae in vestro sint arbitrio et potestate, et quandocunque volueritis, et vobis placuerit, absque ulla mea contrarietate aut repetitione omnia superius praenotata tam quod vestrum antea de parte genetrice vestrae fuit alode; quam et illas alias nuncupantes sic, quod vobis pro ipso usu visus sum obnoxiasse, in vestra debeatis revocare dominatione perpetualiter ad possidendum, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam inde habeatis potestatem, absque alia aliqua intercedente precaria, sed per hanc obnoxiationem, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, perpetim valeat obtinere vigorem. Stipulatione subnixa. Actum et reliqua.

Epistola cum in loco filiorum nepotes instituuntur ab avo.

X. Dulcissimis nepotibus meis illis ego ille. Quicquid filiis vel nepotibus de facultate pater cognoscitur ordinasse, voluntatem eius in omnibus Lex Romana constringit adimplere. Ideoque ego in Dei nomine ille, dum et peccatis meis facientibus genetrix vestra filia mea illa, quod non optaveram, tempore naturae suae complente ab hac luce discessit, ego vero pensans consanguinitatis causa, dum et per lege cum caeteris filiis meis avunculis vestris in alode meo succedere minime potueratis, ideo per hanc epistolam vos, dulcissimi nepotes mei, volo ut in omni alode mea post meum discessum, si mihi suprestis fueritis, hoc est, tam terris, domibus, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, peculium utriusque sexus maiore vel minore, omnique supellectile domus, in quodcunque

dici potest, quicquid supradicta genetrix vestra, si mihi suprestis fuisset, de alode mea recipere potuerat, vos contra avunculos vestros filios meos praefata portione recipere faciatis, et dum ipsius filiae meae genitricae vestrae, quando eam nuptam tradidi, in aliquid de rebus meis mobilibus, drappos, fabricaturas, vel aliqua mancipia in solidos tantos dedi, vobis hoc in parte vestra supputare contra filiis meis faciatis. Et si amplius vobis insuper de praesidio nostro obvenerit, tunc cum filiis meis avunculis vestris portionem vobis ex hoc debitam recipiatis, et quicquid exinde omnia superius conscripta facere volueritis, liberam habeatis in omnibus potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, aliquis de heredibus vel proheredibus meis, vel qualibet persona, contra hanc epistolam venire tentaverit, aut eam infrangere voluerit, inferat vobis tan. et quod repetit nullatenus vindicare valeat; sed praesens epistola omni tempore firma permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum illo.

Charta qui filio aut nepote suo aliquid meliorare voluerit.

XI. Dulcissimo filio vel nepote meo illi ego ille. Quicquid pater unumquemque de filiis vel nepotibus plus habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem sine consortis repetitione defendat, nec praesumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dum et mihi iam senectus adgravat, et necessitates meas ut oportet procurare non valeo, et tu mihi in necessitatibus meis solatium praebere non desistis, et die noctuque deservire non cessas, ideo pro bonitate et pro respectu servitii tui, qua circa me desudas, cedo tibi cessumque in perpetuum esse volo, et de meo iure in tua transfundo dominatione et potestate, absque consortio fratrum tuorum vel filiis meis, loco nuncupante illo, quicquid ibidem usque nunc tam de alode parentum quam de reliquo adtractu visus sum tenuisse, una cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis, tibi, ut diximus, à die praesente volo esse concessum; ita ut ab hac die, sicut superius diximus, eum cum omni integritate sua habeas, teneas, possideas vel quicquid exinde facere volueris, absque consortium fratrum tuorum vel filiorum meorum, liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, aliquis de heredibus vel proheredibus meis, seu qualibet persona, contra hanc cessionem meam quoquo tempore venire aut eam infrangere voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tantum; et quod repetit vindicare non valeat;

sed praesens epistola firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum.

Charta ut filia cum fratribus in paterna succedat alode.

XII. Dulcissima filia mea illa, ego ille. Diuturna, sed impia, inter nos consuetudo tenetur, ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant. Sed ego perpendens hanc impietatem, sicut mihi à Deo aequaliter donati estis filii, ita et à me sitis aequaliter diligendi, et de res meas post meum discessum aequalitor gratuletis. Ideoque per hanc epistolam te, dulcissima filia mea, contra germanos tuos filios meos illos in omni hereditate mea aequalem et legitimam esse constituo heredem, ut tam de alode paterna quam de comparatum vel mancipia aut praesidium nostrum vel quodcunque moriens reliquero, aequale lance cum filiis meis germanis tuis dividere vel exaequare debeas, et in nullo penitus portionem minorem quam ipsi non accipias, sed omnia vel ex omnibus inter vos dividere vel exaequare aequaliter debeatis. Si quis vero. Et quod sequitur.

Si quis extraneo homine in loco filiorum adaptaverit.

XIII. Domino fratri illo ille. Dum peccatis meis facientibus, diu orbatus à filiis, et mihi paupertas et infirmitas afficere videtur, et te, iuxta quod inter nos bonae pacis placuit atque convenit, in loco filiorum meorum visus sum adoptasse, ita ut dum advixero, victum et vestitum, tam in dorso, quam in lecto, seu calciamentum mihi in omnibus sufficienter impertias et procures, et omnes res meas, quascunque habere videor, tam manso, vinea, prato, peculio, seu reliqua supellectile domus mei, salvo iure ille, me vivente in tua potestate recipere debeas, propterea tibi hanc epistolam fieri decrevi, ut neque ego, nec nullus de heredibus meis, aut quicunque hanc convenientiam inter nos factam emutare non possit, sed sicut superius continetur, mea necessitate, dum advixero, debeas procurare, et omnes res meas et ad praesens et post meum discessum in tua potestate permaneant, et quod tibi exinde placuerit faciendi liberam habeas potestatem. Quod si aliquis hoc quoquo tempore emutare voluerit, inferat tibi tantum, et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens epistola omni tempore firma permaneat.

Pactum inter parentes de eorum hereditate.

XIV. Quicquid enim inter propinquos de alode parentum, non à iudiciaria potestate coacti, sed sponte, manente caritate, iuste debita unicuique portio terminatur,

non de rebus detrimentum, sed augmentum potius potest esse censendum. Et ideo necesse est inter se eorum facta scripturarum serie alligari, ne ab aliquibus in posterum valeat refragari. Ideo dum inter illo et germano suo illo de alode genitoribus eorum ill. et ill. bonae pacis placuit atque convenit ut eam inter se manente caritate dividere vel exaequare deberent. Quod ita et fecerunt. Accepit itaque ille villas nuncupantes illas, sitas ibi, cum mancipia tanta illa similiter. De praesidio vero, drappos, fabricaturas, vel omni supellectile domus, quicquid dici aut nominari potest, aequalentia inter se visi sunt dividisse vel exaequasse, et hoc invicem pars parti tradidisse, et per fistuca omnia partitum esse dixisse. Propterea praesentes epistolas duas uno tenore conscriptas locum pactionis inter se visi sunt conscripsisse, ut nullus deinceps contra pare suo, nisi quod ad praesens accepit, de ipsa alode genitore eorum amplius requirendi pontificium habere non debeat. Quod si aliquando aliquis ex ipsis aut heredes eorum hoc emutare voluerint, aut amplius requirere quam accepit voluerit aut adsumere, inferat pari suo ista tuta servanti auri libras tantas, argenti pondua tanta, et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens pactio omni tempore firma permaneat. Stipulatione subnexa. Actum.

Libellum dotis.

XV. Quod bonum, faustum, felix, prosperumve eveniat. De disponsandis maritandisque ordinibus, ac procreatione liberorum, causis quae stant necesse est, ut omnia, etiam donatio, per scripturarum seriem pleniorem obtineant firmitatem. Donat igitur ille honestae puellae ac nurui suae illae, sponsa filio suo illo, ante die nuptiarum, donantisque animo transfert atque transcribit, hoc est, in tanto dono villa nuncupante illa, sitam ibi, cum domo condigna ad habitandum, vel omni integritate ibidem aspiciente. Similiter et in dotis titulum alias villas nuncupantes illas, sitas ibi, mancipia tanta illa et illa, inter aurum et argentum, fabricaturas in solidos tantos, caballos tantos, boves tantos, gregem equarum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ovium; ita ut haec omnia per manu sua ad suprascripta puella nuro sua illa ante die nuptiarum debeant pervenire et in sua dominatione revocare, vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem. Quod si quis contra hunc libellum dotis venire et eum infrangere conaverit, inferat partibus ill. tantum. Et reliqua.

Si aliquis puella invita traxerit.

XVI. Dulcissima coniuge mea illa ille. Dum et te per voluntate parentum tuorum habui disponsatam, et absque

tua vel parentum tuorum voluntate, rapto scelere, meo coniugio sociavi, id est, dum et te faciente conturno *h*) contra voluntatem parentum tuorum rapto scelere in coniugio sociavi, unde vitae periculum incurrere debui, sed intervenientes Sacerdotes vel bonis hominibus vitam obtinui, sic tamen ut quod tibi in tanto dono, vel in dotis titulum, ante die nuptiarum, si te disponsatam habuissem, conferre debueram, per hanc epistolam compositionalem aut, si convenit, cessionem firmare deberem. Quod ita et feci. Ideoque dono tibi locello nuncupante illo, situm in pago illo, cum domibus ad manendum condignis, vel omnia intrinsecus utensilia necessaria, cum terris, accolabus, mancipia tanta illa, vineis, silvis, pratis, pascuis, vel reliquis quibuscunque beneficiis, caballos tantos, boves tantos, gregem equorum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ovium, inter aurum et fabricaturas in solidos tantos, drappos tantos, haec omnia superius comprehensa à die praesente in tua tradidi potestate et dominatione possidendum, habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris faciendi liberam habeas potestatem. Si quis vero. Et caetera.

Qualiter in uno volumine testamentum duarum personarum condatur.

XVII. Regnante in perpetuo Domino nostro Iesu Christo, loco illo, anno illo, regnante illo Rege, sub die illo, ego ille et coniux mea illa sana mente integroque consilio, metuentes casus humanae fragilitatis, testamentum nostrum condidimus, quem illi Notario scribendum commisimus, ut quomodo dies legitimus *i*) post transitum nostrum advenerit, recognitis sigillis, inciso lino, ut Romanae Legis decrevit auctoritas, per inlustris viros illos, quos in hac pagina testamenti nostri legatarios instituimus, gestis reipublicae municipalibus titulis eorum prosecutione ab ipsis muniatur. Igitur cum, iubente Domino de istius vitae cursu migraverimus, tunc quicquid in omnibus pridie quam moriamur tenere videmur, quicquid ex proprietate parentum, vel proprio labore, seu ex munificentia à piis Principibus percipere meruimus, vel de quibuslibet titulis atque contractibus venditionis, cessionis, donationis, vel undique, Domino adiuvante, ad nostram pervenit dominationem, tu tunc dulcissima coniux mea illa, heredes quoque meos quos esse volo, hereditatem meam habetote. Reliqui vero exheredes sint. Ergo excepto quod unicuique per hoc testamentum dedero dareque iussero, id ut fiat, detur, praestetur, impleatur, te, omnipotens Deus, testem committo. Villas ve-

---

h) Forte legend. *contubernio.* *i*) al. ms. *legitonos.*

ro illas et illas, sitas in pago illo, filius noster ille recipiat. Similiter villas illas sitas in pago illo filius meus vel filia illa recipiat. Villas illas, basilica illa vel monasteria sitas ibi recipiat. Id ut fiat, detur, praestetur, impleatur, te omnipotens Deus ad defensandum committo; licet de omnibus, dum advivimus, nostrum reservavimus usum. Sed dum in villas aliquas, quas superius memoravimus, quas ad loca Sanctorum heredibus nostris deputavimus, quod pariter stante coniugio adquisivimus, praedicta coniux nostra tertiam inde habere potuerat, propter ipsam tertiam villas nuncupantes illas, sitas in pagos illos, in integritate, si nobis subprestis fuerit, in compensatione recipiat. Et quicquid exinde pro commune mercede, vel in pauperibus, aut benemeritis nostris facere decreverit, licentiam habeat. Et post eius discessum, si aliquid intestamentum remanserit, heredes nostri recipiant. Liberos, liberas, quos quasque pro animae remedium fecimus, aut inantea facere voluerimus, et eis epistolas manu nostra firmatas dederimus, obsequium filiorum nostrorum habere cognoscant, et oblata vel luminaria, iuxta quod ipsas epistolas continent, ad sepulchra nostra tam ipsi quam proles eorum implere studeant. Et quibus aliquid de facultate nostra contulimus, singulariter in hoc testamentum nostrum inserere curavimus. In reliquo vero, qualescunque à quocunque epistolas de nomine nostro manus nostras firmatas ostensas fuerint, et ante hoc testamentum praenotas, quas hic non commemoravimus, excepto de ingenuitatibus, quas pro animae nostrae remedium fecimus aut adhuc facere voluerimus, vacuas permaneant. Et qui ex nobis pari suo suprestitis fuerit, et per qualecunque instrumentum de suprascripta facultate in cuiuslibet persona vel benemeritos nostros munere aliquid contulerimus, in quantum lex permittit, firma stabilitate debeat perdurare. Reliquas vero epistolas vacuas et inannis permaneant. Et sic nobis pariter convenit; si tu mihi, dulcissima coniux, suprestis fueris, et ad alio marito, quod tibi Deus non permittat, transire volueris, omnem facultatem meam, quod ad usu fructo possidere tibi concessimus, vel quod à die praesente deputavimus, et habere potueras, hoc praesentaliter heredes nostri recipiant inter se dividendum. Itemque ego illa ancilla tua, Domno et iugalis meus ille, in hoc testamentum promtissima voluntate scribere atque perpetua conservatione rogavi, ut si tu, Domne et iugalis meus, mihi suprestis fueris, omni corpore facultate mea, quantumcunque ex successione parentum habere videor, vel in tuo servitio pariter laboravimus, et quod in tertia mea accepi, in integrum, quicquid exinde facere elegeris, aut pro animae remedium in pauperes dispensare, aut ad vassos nostros vel benemeritis nostris, absque repetitione he-

redum meorum quod tua decrevit voluntas faciendi liberam habeas potestatem. Et post discessum vestrum, quod non fuerit dispensatum, ad legitimos nostros revertatur heredes. Hanc paginam testamenti et manus nostrae propriae subscriptionibus, quod ex consuetudine habuimus, subscripsimus, et per personas reliquas studuimus subscriptionibus roborari. Et ut haec pagina huius testamenti in disceptatione venire non possit, si quae liturae, caraxaturae, adiectiones, superdictionesve factae sunt, nos eas fecimus vel facere iussimus, dum testamentum nostrum saepius recurrimus vel emendavimus. Si quis nostra voluntate resistere aut testamentum nostrum cuiuslibet calliditas conatus fuerit casu aliquo refragari, id implorantes divini nominis maiestatem obtestamur ut pro nostrorum omnium criminum ac peccatorum obnoxius in die iudicii teneatur expers Ecclesiae catholicae communionis et pacis ante tribunal Christi pro violata defuncti voluntate compellatur subire rationem, atque in eum Dominus suam ultionem, quam promisit iniustis, cum venerit seculum iudicare per ignem, feriatur, et accipiat in conspectu eius damnationem perpetuam, quam suscepit Iudas traditor Domini. Illud namque intimare volumus, ut si aliquis de heredibus vel proheredibus nostris seu qualibet persona contra hanc testamenti paginam, quam plena et integra voluntate fieri rogavimus, venire aut aliquid pulsare voluerit, inferat contra quem repetit tantum et alium tantum quantum in hunc testamentum continetur scriptum, et insuper satiatas fisco auri libras tantas, argenti tantas, et quod repetit vindicare non valeat.

Securitas pro homicidio facto.

XVIII. Domino fratre illo ille. Dum et instigante adversario, quod non debueras, germano nostro illo visus es interfecisse, et ob hoc vitae periculum incurrere potueras, sed intervenientes Sacerdotes et magnificis viris, quorum nomina subtus tenentur adnexa, nos ad pacis concordiam ob hoc visi fuerunt revocasse, ita ut pro ipsa causa solidos tantos in pagalia mihi dare deberes, quos et in praesente per wadio tuo visus es transolvisse, et nos ipsa causa per festuca contra te visus sum werpisse. Propterea iuxta quod convenit, hanc epistolam securitatis in te nobis conscribere complacuit, ut de ipsa morte germano nostro nec à me nec ab heredibus meis aut suis, nec de iudiciaria potestate nec à quemlibet nullo casu, nec refragatione aliqua aut damnietate amplius habere non pertimescas, sed in omnibus exinde ductus et absolutus appareas. Et si fortasse ego ipse aut aliquis de heredibus meis vel quicunque te ob hoc inquietare voluerit, et à me defensatum non fuerit, inferamus tibi cum cogente fisco du-

plum quod nobis dedisti, et quod repetit quis vindicare non valeat, sed praesens epistola securitatis à me facta firma permaneat, stipulatione subnexa.

Venditio de villa.

XIX. Domino fratre illo ille. Licet empti venditique contractus sola pretii adnumeratione et rei ipsius traditione consistat, ac tabularum aliorumque docimentorum ad hoc tantum interponatur instructio ut fides rei factae et veri ratio comprobetur, idcirco vendidisse me tibi constat et ita vendidi villa iuris mei nuncupante illa, sitam in pago illo, quam ex legitima successione parentum (vel de quolibet modo ad eum pervenit) habere videor, in integritate, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adiecentiis, appenditiis, vel omni merito et termino ibidem aspiciente. Et accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit, tantum, et memorata villa vobis praesentaliter tradidi ad possidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris faciendi liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus vel proheredibus, seu qualibet opposita persona, contra venditionem venire tentaverit, aut me male vendidisse convicerit, et à me vel heredibus meis defensatum non fuerit, tunc inferamus vobis heredibusque vestris dupla pecunia quantum à vobis accepi et ipsa villa meliorata valuerit, et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens venditio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum.

Venditio de area infra civitate.

XX. Domino sancto et apostolico Domno et patri illo Episcopo ille. Constat me nullius coactum imperio, neque imaginario iure, sed propriae voluntatis arbitrio, vobis vendidisse et ita vendidi aream iuris mei infra muros civitatis illius, habentem per longo pedes tantos et in lato pedes tantos, quae subiungit ab uno latus terra illo, ab alio latus terra illo, à fronte uno terra illo, ab alio fronte terra illo. Et accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit, auri solidos tantos, et praefata area vobis praesentaliter tradidi possidendum, ut habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeritis faciendi liberum perfruatis arbitrium. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, seu qualibet persona contra hanc venditionem venire tentaverit, aut eam infrangere conatus fuerit, inferat vobis aut auctoribus ves-

tris dupla pecunia vel quantum area ipsa eo tempore meliorata valuerit. Et caetera.

Venditio de campo.

XXI. Domino fratri illo ille. Constat me tibi vendidisse et ita vendidi campo iuris mei, situm in territorio illo, habentem plus minus tantum, qui subiungit à latere uno lui, ab alio latere lui, à fronte uno illo, ab alio vero fronte illius. Et accepi à vobis in pretium, iuxta quod mihi complacuit, auri solidos tantos; et ipso campo vobis praesentaliter tradidi possidendum, habendi vel quicquid exinde volueris faciendi liberam habeas potestatem. Si quis vero. Et caetera.

Venditio de servo aut ancilla.

XXII. Domino fratri illo ego ille. Constat me tibi vendidisse et ita vendidi servum iuris mei aut ancillam nomen illo, non furo, non fugitivo, neque cadivo, sed mente et omne corpore sano. Pro quo accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit, auri solidos probos atque praesentes numero tantos, et ipso servo vobis praesentaliter tradidi possidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde decreveris faciendi liberum potiaris arbitrium. Si quis vero quod futurum esse non credimus, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, seu qualibet persona contra hanc venditionem venire tentaverit, aut eam infrangere voluerit, inferat tibi cum cogenti fisco auri tantum vel quantum servus ipse eo tempore melioratus valuerit, et haec venditio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum illo, sub die illo, anno illo.

Concambio de villis.

XXIII Inter quos caritas inlibata permanserit, pars parti beneficia opportuna praestantur: quia nihil sibi de rebus propriis censet minui quod e contra recipit in augmentum. Ideo placuit atque convenit inter venerabile viro illo ex permisso apostolico viro illo et inlustris viro illo ut locella aliqua inter se concambiare deberent quod et ita fecerunt. Dedit igitur ille venerabilis vir lui locello nuncupante illo, situm ibi, de parte basilicae sancti ill. memorato lui quicquid ibidem ad praesens de qualibet adtractu tenere videbatur, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel omnia ibidem aspicientem. Similiter in compensationem huius meriti dedit suprascriptus ille ad partem memorato Abbate illo vel praedicta basilica

alio locello nuncupante illo, situm ibi, quicquid ibidem ad praesens de quocunque adtractu ibidem habere videbatur, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel omnia ibidem aspicientem, ita ut ab hac die unusquisque memorata loca, quod acceperunt, habendi, tenendi, vel quicquid exinde pro eorum opportunitate et compendio facere elegerint liberum perfruantur arbitrium. Illud vero addi convenit, ut si aliqua pars ex ipsis aut heredes vel successores eorum hoc emutare vel refragare voluerit, rem quam accepit amittat, et insuper inferat pari suo, qui hoc facere praesumpserit, auri libras tantas, argenti pondua tanta, et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens commutatio, unde duas inter se uno tenore chartas conscripserunt, firma et inviolata permaneat, stipulatione subnexa. Actum illo.

Concambio de terra aut vinea.

XXIV. Ideoque placuit inter illo et illo ut terra aliqua, aut prato, aut vinea, seu qualibet inter se commutare deberent quod ita et fecerunt. Dedit igitur *ille* illius campo loco nuncupante illo, habente tantum, qui subiungit à latere uno illo, ab alio latere aut fronte illo. Simili modo e contra in compenso dedit ille illius alio campo ibi, aut in alio loco, habente tantum, qui subiungit de lateribus à frontibus illius, ita ut ab hac die unusquisque ex ipsis quod accepit habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegerint faciendi liberam habeant potestatem. Si quis vero aliquid ex ipsis aut heredes eorum vel quicunque hoc emutare voluerit, quam acceperit pari suo amittat, et insuper inferat cum cogenti fisco auri tantum, et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens commutatio, unde inter se pro firmitatis studium duas uno tenore conscripserunt, omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum illo.

Cautiones diverso modo factas.

XXV. Domino mihi propitio illo ille. Dum et ad meam petitionem et necessitatem supplendo vestra bonitas habuit ut libram de argento de rebus vestris mihi ad beneficium praestitistis, ideo per hunc vinculum cautionis spondeo me Kalendas illas proximas ipsum argentum vestris partibus esse redditurum. Quod si non fecero, et dies placitus mei praefinitus transierit, pro duplum in crastinum me aut heredes meos vos aut heredes vestri, aut cui hanc cautionem dederitis exigendam, teneatis obnoxium. Facta cautione ibi, sub die illo, anno illo.

Item alia.

XXVI. Domino suo illo ille. Constat me à vobis accepisse et accipere debere et debeo, hoc est, solidos tantos; pro quos solidos spondeo me, quandiu ipsos post me retinuero, annis singulis per singulos solidos singulos triantes vestris partibus esse redditurum. Et si hoc facere contempsero, aut exinde neglegens apparuero, ad duplum ipso locario vobis reddere spondeo. Et quomodo de mea proprietate ipsos solidos vestros reddere potuero, hanc cautionem à vobis recipiam.

Item alia.

XXVII. Domino fratri illo ille. Quatenus à necessitate mea supplendo solidos vestros numero tantos mihi ad beneficium praestitisti, ideo iuxta quod mihi aptificavit, taliter inter nos convenit, ut dum ipsos solidos de meo proprio reddere potuero, dies tantos in unaquaque hebdomada servitio vestro, quale mihi vos aut agentes vestri iniunxeritis, facere debeam. Quod si exinde negligens aut tardus apparuero, licentiam habeatis sicut et caeteros servientes vestros disciplinam corporalem imponere. Et quomodo solidos vestros reddere potuero meam cautionem absque ulla evacuaturia intercedente recipiam.

Qui se in servitio alterius obnoxiat.

XXVIII. Domino mihi proprio illo ille. Dum et instigante adversario, fragilitate mea praevalente, in casus graves cecidi, unde mortis periculum incurrere potueram, sed dum vestras pietas me iam morti adiudicatum de pecunia vestra redemistis, vel pro mea scelera res vestras quamplures dedistis, et ego de rebus meis unde vestra beneficia rependere debuissem non habeo, ideo pro hoc statum ingenuitatis meae vobis visus sum obnoxiasse, ita ut ab hac die de vestro servitio penitus non discedam, sed quicquid reliqui servi vestri faciunt, pro vestro aut agentium vestrorum imperio facere spondeo. Quod si non fecero, aut me per quodlibet ingenium de servitio vestro abstrahere voluero, vel dominium alterius expetere aut res suscipere voluero, licentiam habeatis mihi qualemcunque volueritis disciplinam imponere, vel venundare, aut quod vobis placuerit de me facere. Facta obnoxiatione, tunc, sub die illo.

Charta de agnatione, si servus ingenuam trahit.

XXIX. Igitur ego in Dei nomine ille, illa femina. Omnibus non habetur incognitum qualiter servus meus nomine ille te absque parentum vel tua voluntate rapto scelere in coniugium sociavit, et ob hoc vitae periculum incurrere

potuerat, sed venientes et mediantes amicis vel bonis hominibus convenit inter nos ut si aliqua procreatio filiorum orta fuerit inter vos, in integra ingenuitate permaneant.

Et si voluntaria servum accipit, dicis.

Omnibus non habetur incognitum qualiter servo meo nomine illo voluntaria secuta es et accepisti maritum. Sed dum te ipsa et agnatione tua in meo inclinare potueram servitio, sed propter nomen Domini et remissionem peccatorum meorum propterea praesentem epistolam in te mihi complacuit conscribere, ut si aliqua procreatio filiorum aut filiarum inter vos orta fuerit, penitus nec nos nec heredes nostri nec quislibet persona ullo unquam tempore in servitio inclinare non debeamus, sed in integra ingenuitate, tanquam si ab utrisque parentibus ingenuis fuissent procreati vel nati, omni tempore vitae suae permaneant, peculiare concesso quodcunque laborare potuerint, et sub integra ingenuitate super terra nostra aut filiorum nostrorum absque ullo praeiudicio de statu ingenuitatis eorum commanere debeant, et reditus terrae, ut mos est pro ingenuis, annis singulis desolvant, et semper in integra ingenuitate permaneant tam ipsi quam et posteritas illorum. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipsi, aut aliquis de heredibus, vel quicunque contra hanc chartolam venire tentaverit, aut eam infrangere voluerit, inferat tibi aut heredibus tuis auri libras tantas, argento pondo tanta, et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens chartola omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum illo.

Libellum repudii.

XXX. Certis rebus et probatis causis inter maritum et uxorem repudiandi locus patet. Idcirco dum et inter illo et coniuge sua illa non caritas secundum Deum, sed discordia regnat, et ob hoc pariter conversare minime possunt, placuit utriusque voluntas ut se à consortio separare deberent. Quod ita et fecerunt. Propterea has epistolas inter se uno tenore conscriptas fieri et adfirmare decreverunt, ut unusquisque ex ipsis, sive ad servitium Dei in monasterio, aut ad copolam matrimonii se sociare voluerit, licentiam habeat, et nulla requisitione ex hoc de parte proximi sui habere non debeat. Si quis vero aut aliqua pars ex ipsis hoc emutare aut contra pare suo repetere voluerit, inferat pari suo auri libram unam, et sua repetitio nullum obtineat effectum, sed ut decreverunt, à proprio consortio sequestrati, in ea quam elegerint parte permaneant. Facta epistola sub die illo, anno illo, regnante Rege illo.

Mandatum.

XXXI. Domino fratre illo ille. Precor et supplico dominationi vestrae, dum et causa pro alode aut qualicunque cum homine nomine illo in palatio aut ubilibet habere videor, ut ipsa causa suscipere ad mallandum vel prosequendum in vice mea debeas, et cum suprascripto illo ex hoc rationare, vel quicquid exinde cum eo de ipsa causa egeris gesserisve, ratum et definitum apud me esse cognoscas. Eactum mandatum sub die illo.

Incipiunt ingenuitates diverso modo factas.

Ingenuitas à die praesente.

XXXII. Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, mercedem in futurum apud Dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille et coniux mea illa pro remedium animae nostrae vel retributione aeterna te illo ex familia nostra à praesente die ab omni vinculo servitutis absolvimus, ita ut deinceps tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus vel natus, vitam ducas ingenuam, et nulli heredum ac proheredum nostrorum vel cuicunque servitium impendas nec libertinitatis obsequium debeas nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt; peculiare concesso quod habes aut deinceps elaborare potueris. Si tibi necessitas ad tua ingenuitate tuenda contigerit, absque ullo praeiudicio ingenuitatis tuae defensionem Ecclesiae, aut cuiuscumque te eligere placuerit, licentiam habeas, et vitam semper bene et integre ducas ingenuam. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipsi quod absit, aut aliquis de heredibus nostris, vel qualibet opposita persona contra hanc ingenuitatem tuam venire aut eam infrangere conaverit, aut te in servitio inclinare voluerit, divina illum ultio subsequatur, et à limitibus Ecclesiarum vel à communione extraneus efficiatur, et insuper inferat tibi cum cogenti fisco auri libram unam, et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens ingenuitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa.

Item ingenuitas alio modo post discessum.

XXXIII. Dilecto suo illo aut illa, ille. Pro respectu fidei ac servitii tui, quam mihi famularis, pro remissione peccatorum meorum, te ab omni vinculo servitutis absolvo, ea tamen conditione ut dum advixero, mihi deservias; post obitum vero meum, si mihi suprestis fueris, sis ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, et nulli heredum ac proheredum meorum vel cuicunque servitium impendas; peculiare concesso quod habes aut elaborare potueris. Et caetera.

Item alia adhuc alio modo.

XXXIV. Si aliquos ex servientibus nostris à iugo servitutis absolvimus, mercedem in futurum nobis ex hoc retribuere confidimus. Igitur ego ille propter nomen Domini et retributione aeterna te illum ab omni vinculo servitutis absolvimus, ita ut ab hac die vitam ducas ingenuam, tamquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, et nulli heredum ac proheredum meorum vel cuicunque servitium impendas, nisi sub integra ingenuitate defensione cui te ex meis heredibus elegeris habere debeas, et oblata mea, ubi meum requiescit corpusculum, vel luminaria annis singulis debeas procurare; peculiare concesso quod habes aut elaborare potueris, aut si convenit defensionem Ecclesiae illius, et vitam semper ducas ingenuam. Si quis vero.

Evacuatoria.

XXXV. Domino fratri illo ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos, aut ante anno, solidos nostros numero tantos ad beneficium accepisti, et cautionem nobis pro hoc emisisti ut ipsos solidos tunc nobis reddere deberes. Quod et ita fecisti. Sed dum illa cautione quod nobis emiseras ad praesens non invenimus, ideo tibi hanc epistolam evacuaturiam fecimus, ut de ipsis solidis tantum omni tempore ductus et absolutus resideas; et si ipsa cautio apparuerit, vel à nobis aut heredibus nostris quoque tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum, sed vacua et inanis permaneat.

Si aliquis servo vel gasindo suo aliquid concedere voluerit.

XXXVI. Iustissimis nostris sublevantur muneribus qui nobis fideliter et instanter famulantur officio. Ego in Dei nomine ille fideli nostro illo. Pro respectu fidei et servitii tui, quam circa nos impendere non desistis, promptissima voluntate cedimus tibi à die praesente locello nuncupante illo, aut manso illo infra termino villa nostra illa cum omni adiacentia ad ipso locello aut mansello aspiciente, terris, domibus, mancipiis, vineis, pratella, silvola, vel reliquis beneficiis ibidem aspicientibus, ita ut ab hac die ipso iure proprietario, si ita convenit, aut sub reditus terrae in tua revoces potestate, et nulla fonctione aut reditus terrae vel pascuario aut agrario, carropera, aut quodcunque dici potest, exinde solvere nec tu nec tua posteritas nobis nec heredibus nostris nec cuicunque post nos ipsa villa possederit, non debeatis, nisi tantum si ita vult riga; sed ipsum omnibus diebus vitae tuae aut heredis tui emuniter debeatis possidere, vel quicquid exinde facere volueritis liberam habeatis potestatem. Si quis vero quod futurum esse non cre-

dimus, aliquis de heredibus nostris, vel quicunque contra hanc cessionem nostram agere aut ipsam rem tibi auferre conaverit, inferat tibi cum cogente fisco auri tantum et haec epistola firma permaneat, stipulatione subnexa.

Gesta iuxta consuetudinem Romanorum, qualiter donationes vel testamenta allegentur.

XXXVII. Anno illo, regnante Domno nostro Rege illo, sub die illo, civitate illa, adstante viro illo laudabile Defensore et omni Curiam illius civitatis, vir magnificus ille Prosecutor dixit: Peto, optime Defensor, vosque laudabiles Curiales atque Municipes, ut mihi codices publicos patere iubeatis. Quaedam enim in manibus habeo quae gestorum cupio allegatione roborari. Defensor et Curiales dixerunt: Patent tibi codices publici. Prosequere quod optas, dicere non moreris. Vir magnificus Prosecutor ille dixit: Venerabilis vir aut inluster vir ille per chartam mandati sui mihi iniunxit ut illam donationem testamenti aut cessionem quam ad basilica ad loco sancto illo aut inlustri viro illo ad praesens aut post discessum delegavit, in vice sua, ut mos est, gestis municipalibus ipsam donationem debeam allegare. Vir honestus Defensor dixit ille: Mandatum quod in te conscriptum habere dicis nobis ostende, vel in praesente recitare. Et ille Prosecutor hoc modo recitavit.

Textum mandatum.

XXXVIII. Domino magnifico fratri illo ille. Peto et supplico caritati tuae ut in vicem meam epistolam donationis aut testamenti seu cessionis quod de rebus meis illis ad basilica illa pro animae meae remedium aut inlustris viri illius post discessum meum vel ad praesens delegavi, in civitate illa publice prosequere et gestis municipalibus, ut mos est, eam debeas allegare. Propterea tibi hunc mandatum conscripsimus, ut sicut superius continetur, taliter prosequere et firmare debeas; et quicquid exinde egeris gesserisve, ratum et definitum apud nos in omnibus esse cognoscas. Factum mandatum tunc, ibi, anno illo.

Post recitationem mandati, vir honestus ille Defensor dixit: Mandatum quidem recitatum est; sed suprascripta donatione, testamentum, aut cessione, quam prae manibus habere dicis, nobis praesentibus recitetur, et ut postulas gestis publicis firmetur. Quam vero donationem ille professor recitavit. Post recitationem vero vir laudabilis ille Defensor et Curiales dixerunt: Epistola qui recitata est, gestis publicis inseratur et quod ille Prosecutor vellit et petit, gesta ei publice datur. Ille Prosecutor dixit: Sufficit mi-

hi, bone Defensor, ut donatio quae recitata est, si mihi gesta tradere iubeatis. Ille Defensor dixit: Et quia epistola donationis aut cessionis seu testamenti et mandatum in te conscriptum per ordinem condita et bonorum hominum manibus roborata, atque signata, manifesta esse cognovimus, dignum est ut gesta ex hoc conscripta atque subscripta tibi tradatur, et ut in arcipibus publicis memoranda servetur. Edatur super ordine et mandatus suus in loco, et totum textum, et manumissoris epistolae scribantur; et postea Defensor et Curiales civium et reliqui eam subscribantur atque signentur.

Epistola si aliqui rem Ecclesiae ad usum habeant, et eorum proprietatem pro hoc donent.

XXXIX. Domino sancto et apostolico. Domno et in Christo patri illi Episcopo ille et coniux mea illa. Quatenus ad nostram petitionem vestra habuit pietas et benevolentia ut locello aliquo Ecclesiae vestrae, nuncupante illo, situm in pago illo, quam ille pro animae suae remedium ad Ecclesia vestra illa in honore Sancti illius delegavit, nobis ad beneficium, dum pariter advivimus, aut qui ex nobis pare suo suprestis fuerit, dum advixerit, excolere permisistis. Et nos pariter, iuxta quod convenit, tam pro ipso usu quam pro animae remedium, alio locello nuncupante sic, situm ibi, post nostrum ambobus discessum, vobis vel successoribus vestris ad memorata Ecclesia visi fuimus condonasse, ea tamen conditione ut dum advivimus, supruscripta loca, tam illa quam nobis praestitistis, quam et ea quod nos pro animae nostrae remedium ad ipsam Ecclesiam delegavimus, absque ullo praeiudicio Ecclesiae vestrae sine ulla diminutione de qualibet re usufructuario ordine possidere debeamus, et post nostrum, ut diximus, ambobus discessum, praefata loca absque ulla alia renovata, ut mos est in caeteris, precaria per hanc epistolam absque ullius heredum nostrorum aut cuiuscunque contrarietate vel expectata traditione vos vel successores vestri aut agentes Ecclesiae in vestra faciatis revocare dominatione perpetualiter dominandum, et nostra possessio nullo unquam tempore nullum praeiudicium vobis ex hoc generare non debeat. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipsi, aut aliquis de heredibus nostris, vel qualibet persona contra hanc epistolam venire aut aliquid de ipsa locella vobis minuari aut auferre voluerit, cum suprascripto Domno illo ante tribunal Christi deducat rationes, et insuper inferat partibus Ecclesiae vestrae tantum, et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens epistola firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum illo.

Praestaria de re Ecclesiae ab Episcopo facta.

XL. In Christo sanctae Ecclesiae filiis, (aut, si tales fuerint, inlustribus viris illis,) ille illius Ecclesiae gratia Dei Episcopus. Dum ad petitionem vestram, alio locello nuncupante sic, situm ibi, vobis pariter ad beneficium, dum advixeritis, excolere permisimus, et per hoc alio locello nuncupante sic, situm ibi, de proprietate vestra tam pro ipso usu quam pro animae vestrae remedio post amborum discessum ad ipsa Ecclesia sancti illius per vestram epistolam delegastis, ideo nobis cum consensu fratrum nostrorum convenit hanc epistolam praestariam in vobis pariter conscribere, ut dum pariter advixeritis, aut qui ex vobis pari suo suprestis fuerit et advixerit, nec nos nec successores nostri nec quislibet de parte Ecclesiae nostrae ipsa locella de vestra potestate pontificium auferendi non habeamus, sed per nostrum beneficium aut successorum nostrorum, du n advixeritis, absque ullo praeiudicio Ecclesiae nostrae vel minuatione aliqua de qualibet re in integritate amba locella excolere debeatis, et post vestrum ambobus discessum, sicut et vestra continet epistola locum praecariae facta, absque ullius expectata traditione eas nos aut successores nostri ad partem Ecclesiae nostrae revocare debeamus. Facta epistola.

Si aliquis rem alterius quam excolit ad proprietatem habere vult, et non potest, et postea eam precaverit.

XLI. Domno inlustri illo et mihi proprio Domno illi. Dum per malorum hominum consilium, quod non debueram, de terra vestra in loco nuncupante illo, quem excolere video, revellare amavi et ipsa terra ad proprietatem sacire, et non potui, quod nec ratio praestitit, et vos vel agentes vestri eam ad partem vestram revocastis, vel nobis exinde eiecistis, sed postea ad petitionem bonorum hominum nobis eam ad excolendum reddidistis. Propterea hanc precariam dominationi vestrae emittimus, ut quandiu vobis placuerit ut eam teneamus, absque ullo vestro praeiudicio quicquid reliqui accolani vestri faciunt, nos reddere spondimus. Quod si non fecerimus, et ob hoc neglegentes, tardi, aut contumaces fuerimus, publice per hanc praecariam, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, condemnati, ut lex praestat tardis aut negligentibus, et de ipsa terra nos pontificium habeatis eiciendi. Facta precaria ibi sub de illo, anno illo, illo Rege.

Indiculus Episcopi, ad alium in resurrectione Domini eulogias dirigendo.

XLII. Domino sancto et apostolica veneratione colendo Domno et in Christo fratri illi Episcopo ille gratia Dei,

ac si peccator, Episcopus. Dominicae festivitatis resurrectionisque mysteria, in qua idem Deus Christus tartarius per semetipsum decrevit absolvere, nudus victorque de exsuperato hoste triumphans captivitatem, dedit bona hominibus, propterea remeavit ad coelos, anni circulum revolventi, quae felicitas prosperitatem vestram constitit industriam aut sanctitatem excepisse, ipsoque Deo praesule percogisse, cum eologias peculiaris patro vestro sancti illius, et salutationis officia veneratione praecipua, quaesumus ut nostram extremitatem affatu dignabili iubeatis specialibus informare.

Rescriptio ad Episcopo.

XLIII. Domino sancto, meritis apostolico, in Christo desiderabili, Domino et fratri illo Papae, ille peccator Episcopus. Vestras sacras common. almitatui vestri deferenti venerabile filio commune illo, ut coelitus donabile, nos accepisse praenusce et comperite. De edulium inquit dedepasti recreati sancto hoc de munere vestro trepudiantes, multum de qua pagina faerrit. Quod valitantes vobis praescimus esse eum ve.tris et quintati habuit vestra indignatio instigio ut in virendotirio fuistis dignati, infimo gratias agimus. In his e plura solventes, plusculum quod valeat internum congignere compus, vel verborum carmina pandant, oracula dictua dicimus. Et illud quod nos flagitare oportet, ut in vestris saepius nobis reminiscat oratio.

Quomodo Episcopus Nativitatem Domini ad Regi, Regina, vel ad Episcopo visitationis dirigit scriptum.

XLIV. Glorioso atque praecelso et universale catholicae sanctae Ecclesiae filio illi Regi, ille Episcopus. Gloriosa atque praecelsa et universale catholicae sanctae Ecclesiae filia illa Regina, ille misericordia Dei Episcopus. Domino inclitoque cultore atque apostolico Domino et in Christo fratri illi Episcopo, ille peccator Episcopus. Dum generaliter dominicae nativitatis exultamus adventum, censum debita subiectionis desolvere perurguemus ex voto: atque ideo salutationum munia cum eologias peculiaris patroni vestri sancti illius (*si ad Regem*) clementiae vestrae (*si ad Episcopum*) sanctitati vestrae dereximus, cum omni humilitatis genere clementissime dependentes, suggerimus ut iugi nos praemunientes orato, de vestrae sospitate integritatem trepudiare faciatis, dignabili protinus rescribtu.

Item alia de Nativitate Domini.

XLV. Iocunditatis mutuae gratiam cognoscere cupientes, divinitus universitate conlata, non distituemus epistolis praeferendam vestram praevenire clementiam, aut sancti-

tatem, cum eulogias peculiaris patroni vestri illius, honorabile ac devoto cultu poscentes ut qua alacritate festiva Nativitatis dominicae peregistis insignia, nos doceant vestrae sanctitatis exempla. Erunt enim nobis provectuum vestrae incrementa salutis, locuplex thesauri facultatis.

Commendatitias litteras ad Episcopo noto.

XLVI. Domino reverentissimo illo Papae ille. Reminiscentes vestram affectuosam beatitudinis caritatem, qua tunc ab obtentu retributionis aeternae nostrae extremitatis personolam in intimis visceribus ac si unicae dilectionis vinculum amplectebamini sedule; qua fiducia provocatus hos apices vilitatis nostrae fidenter ad dignationem vestram per fratres nostros filios vestros gerulos praesentes destinare praesumpsi, per quos vestram almitatem, si praesumptio non offendit, salutationum munia, ut decet, non arroganter, sed humiliter destinare praesumo, quos ut commendatos in omnibus recipere dignetis, quaesumus opportune. Etenim in tam longinquis regionibus propter necessitates fratrum comparandum euntes, vestris, Christo praesule, indigent adminiculis; pro quibus beneficiis centuplicato foenore à Domino retributore bonorum omnium refertum mercedis cumulum in aevum recipiatis dignissimum. Dominus Deus noster piam coronam vestram memorem mei et praesentibus repleat bonis et dignam reddat aeternis, Domine semper meus.

Item commendatitias litteras ad Abbate noto.

XLVII. Domino beatissimo et meritis venerando sancto patri illo Abbati ille in Domino perpetuam mittit salutem. Multimoda nobis benivolo vestro generare comperite gaudia quotiens aditus dederit opportunus ut ad indagandam sospitatem vestram nostras dirigere debeamus litterolas. Idcirco cum salutationem officiis humili prece almitati vestrae quaesumus ut pro nobis misericordiarum dominum, ubi dignas sedulasque funditis preces, exorare non dedignemini quatenus vestris fulti precibus olim optatam adire mereamur patriam. Pariterque latores praesentes famulos vestros, fratres in Christo nostros, quos ob necessaria monasterii nostri illuc usque destinavimus, vestrae beatitudini plurimum commendare praesumimus, ut eis in quo necessarium duxerint solatium praebere pro divino intuitu non dedignetis. Vale pro nobis orans, Domine sancte ac beatissime pater.

Supplicaturio pro eo qui in monasterio conversare desiderat.

XLVIII. Domino sancto, Deique cultore, et mihi in Christo honorabile fratri, illi Abbati, ille salutem optans

mitti in Christo. Primum illud tanquam praesens sanctis vestris suggero praevolutus pedibus ut meae extremitatis litterolae, cum vestris fuerint sacris manibus traditae, pro me meisque, quos mihi in Christo cohaerere fecit amor, fratribus, precibus Domino commendetis. Deinde subiectus vestri frater in Christo noster illi, superno inspiratus munere, vestrae sanctitati obedientiae nostras se petiit litterolas almitati vestrae commendari; per quas suppliciter postulamus ut ovem fauce lupi boni pastoris Christi manu erepta, ad caulas Christi gregis tua sit diligentia reducta, ac vice patris ac medici pia, oro, circa hunc sit vigilantia aegrum: quem si pristinae redditum sanitati pastori omnium cum caeteris praesentaveris inlaesum, quae sequatur tuo merces laboris, optime divinis nosti instructus oraculis. Vale, memor esto mei venerabilis in Christo frater.

Indiculum generale ad omnes homines.

XLIX. Domno nostro, orthodoxo Romanae sedis apostolicae à Deo instituto illi Papae, vel omnibus apostolicis Domnis et patribus, seu Abbatibus, vel Deo dicatis coenobiis degentibus, necnon et inlustribus viris Patriciis, Ducibus, Comitibus, vel omnibus Christiani cultus divina Religione sectantes, ille peccator Episcopus vilissimus omnibus in Domino praesumo mitti salutem. Quatenus praesens portitor ille, radio inflammante divino, non (ut plerisque mos est) vacandi causa, sed propter nomen Domini, itinera ardua et laboriosa parvipendens, ob lucrandam orationem, limina sanctorum Apostolorum Domni Petri et Pauli adire cupiens, meae parvitate se petiit vestrae commendare almitate ac industriae litterolas; per quas vilissimus omnium, tanquam vestris provolutus vestigiis singulorum, supplicare praesumo ut pro me minimo exorari iubeatis, et eundem euntem vel redeuntem, si Dominus permiserit, propter nomen Domini solita pietate commendatum recipiatis, et quod necesse habuerit impertire tanti habeatis; quatenus ab ipso mereamini mercedem recipere cumulum qui sibi dixit impleri quantum quis in suis pauperibus visus fuerit erogare.

Indiculum commendatitium ad viros inlustres laicos.

L. Domino inlustre, et prae cunctis magnificentissimo, ac nobilitatis prosapiae decorato atque sublimato illi, ille peccator in Domino praesumit mittere salutem. Quamquam vestra excellentia meae parvitate minime sit cognita, tamen multorum relatione dedici vestram in Domino maximam devotionem et in servos Dei vel pauperes eius ob aeterna retributione sollicitudinem non pigram. Qua fiducio provo-

catus, hos apices vilitatis meae per latores praesentes famulos vestros, fratres in Christo nostro ad dominationem vestram direximus; per quos vestram industriam, si praesumptio non offendit, plurimum salutare praesumo; et peto ut eis euntibus vel redeuntibus, in quo necessarium duxerint, propter nomen Domini solita pietate consolare iubeatis.

Indiculum ad homines potentes Palatinos, maxime ad cognitos sibi.

LI. Domino inlustri et prae cunctis magnificentissimo viro illi ille peccator perennem in Domino mittit salutem. Uberem strenuitatis vestrae agapem erga nos potissimo iure flagrantem litterarum serie non omittimus excitare, quo, avidi facilitatis vestrae quaestus praestolantes, uberes in Domino à vobis fructus semper suscipiamus, et dum praesenti in vita tibi rerum arbiter locum dedit quo et Ecclesiarum et amicorum feras suffragia, non pigeat subire laborem qui in posterum mercedem conferat lucra, et nunc multiplicia ex numero amicorum ferant suffragia, et unde tibi praesentium portitores, sodales mei, famuli vestri suggesserint, pie obaudientes affectui mancipetis. Vale, vir vigoris atque tuorum decus amicorum. Omnipotentis Domini pietas ad Ecclesiarum profectum per multa spatia temporum vos conservare et custodire dignetur.

Qualiter ex ordinatione Regis pro nativitate filii sui Domesticus de villa Regis per sua epistola relaxat ingenuos.

LII. Ego in Dei nomine ille Domesticus ac si indignus gloriosissimi Domni illius Regis super villas ipsius illas, illi ex familia dominica de villa illa. Dum generaliter ad omnes Domesticos Regis ordinatio processit pro nativitate Domnicelli nostri illo, ut à Domino melius conservetur, de unaquaque villa fiscale tres homines ex servientibus inter utroque sexu à servitio laxarentur, et nos ita faciendum ob hoc ordinatione recepimus, propterea te per hanc epistolam nostram, sicut mihi iussum est, ab omni vinculo servitutis absolvo, ita ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, vitam ducas ingenuam, et in nullo servitio nec à nobis nec à successoribus Domesticis nec à quocunque de parte fisci penitus in servitio inclinari non possis, sed per hanc epistolam ingenuitatis, sicut nobis iussum est fieri, bene et integre ingenuus cunctis diebus vitae tuae debeas permanere. Si quis vero aliquis te de statu ingenuitatis tuae impulsare voluerit, inferat tibi cum cogenti fisco auri libram unam, et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens epistola firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum ibi sub die illo, anno illo, Rege illo, suprascripto illo Domno nostro Rege.

APPENDIX

FORMULARUM MARCULFI

SIVE

FORMULAE VETERES

INCERTI AUCTORIS.

INDEX CAPITULORUM.

Notitia de colono evindicato.

I. Notitia qualiter vel quibus praesentibus veniens homo aliquis, nomine ille, Advocatus Sancti illius de Monasterio illo et illo Abbate, in civitate illa in mallo publico ante illustri viro illo Comite vel aliis quampluribus personis ibidem residentibus, interpellabat homine aliquo nomine illo, repetebat ei, dum diceret eo quod ante hos dies ipse homo sacramentum contra ipsam casam Dei vel ipsius Abbatis habuisset adhramitum ad suam ingenuitatem defensandum in ipso mallo in basilica Sancti illius ob hoc iurare debuisset, et ipse homo de ipso sacramento iectivus remansit, et ipse homo nullatenus rationes potuit tradere per quod ingenuus esse deberet, vel ipso sacramento iurare potuisset. Et dum haec causa apud ipso Comite vel ipsis Racimburgiis diligenter fuit inventa vel inquisita, et legibus fuit definita, et ipse homo in praesente pro colono ad casam Sancti illius vel ipsius Abbatis sibi recognovit vel recredidit, et ipse Vicarius per iussionem ipsius Comitis ipsum hominem per manus, pro colono ipsius, Advocato illius Abbatis visus est reddidisse, propterea taliter ei fuit iudicàtum ut de hac causa notitiam bonorum hominum manibus roboratam eum accipere deberet, quod ita et fecit, ut ipsum hominem ipsa casa Dei vel ipse Abba seu rectores eorum pro colono habeant evindicatum, et sit inter ipsos postmodum ex hac re sublata causatio. His praesentibus qui subter firmaverunt.

Charta sacramentalis.

II. Veniens Advocatus Sancti illius de Monasterio illo, seu et illius Abbatis de praedicto Monasterio illo, castro illo, in mallo publico, ante illustre viro illo Comite vel aliis quampluris qui ibidem aderant, interpellabat homine aliquo nomen illo, repetebat ei dum diceret eo quod genitor suus nomine illo colonus Sancti illius de villa illa fuisset, et ipso colonitio de capud suum ad ipsa casa Dei redebeat, et ex-

inde neglegens aderat; et ipse in praesente hoc fortiter denegabat, et taliter dedit in suo responso quod de patre franco fuisset generatus, et de matre franca fuisset natus. Unde tale sacramento per suam fistucam visus fuit adrhamire, et taliter ei fuit iudicatum, ut hac causa apud proximiores parentes suos, octo de parte genitore suo, et quatuor de parte genitricae suae, si praemortui non sunt, et si praemortui sunt, apud duodecim francos, tales qualem se esse dixit, in illo castro, in basilica Sancto illo, ubi reliqua sacramenta percurrunt, in quadraginta noctes in proximo mallo post bannum resisum hoc debeat coniurare.

Notitia de servo.

III. Notitia qualiter vel quibus praesentibus veniens ille in causa Monasterii Sancti illius, civitatis illius Pontifici, ad vicem venerabile viro illo Abbate de praedicto Monasterio, die illo, illa civitate, in mallo publico, ante inlustre viro illo Comite, et ante illo Episcopo, vel aliis plures magnificis viris qui ibidem resedebant, homine aliquo nomen illo ibidem interpellabat dicens eo quod servus Monasterii Sancti illius de capud suum aderat, et colonus ipsius Sancti ille nomine illum de franco homine comparasset, et malo ordine ipso servitio partibus Monasterii Sancti illius effugiebat vel intendebat. Interrogatum fuit ipsi servo si ipsa causa vera erat aut non. Sed ipse servus in omnibus hoc fortiter denegavit, et ipse Abba vel suus Advocatus contra praedicto servo intendebant, et taliter dixerunt, quod testimonia homines francos praesentare potebant, qui hic adstabant, quod ipse colonus ipso comparaverat, et in suum servitium eum viderant deservire, et per lege servus Sancti illo esse debet. Et ipsa hora ipse Abba, vel ipse Advocatus, sua testimonia homines septem, his nominibus illo et illo, adrhamivit ut in crastinum die illo ibidem praesentare deberent. Quod ita et fecerunt. Et ipsi homines sic testimoniaverunt, quod per lege servus Sancti illius aderat debitus, et quomodo hoc testimoniaverunt . . . . super altario Sancti illius, in villa capella, quam in curte fisci, ubi reliqua sacramenta soluta sunt, iurati dixerunt. Denuo ipsius servo fuit interrogatum si ipsa causa recognoscebat, si sic erat veritas. Sed ipse servus in omnibus hanc causam recognovit, et ad servitium sibi reversus fuit; et ipse Abba per iudicium ad ipsas personas, per iussionem illius Comite, de manu ill. Vicario exceptum, ibidem pro servo Sancti illius evindicabat. His praesentibus.

Iudicatum evindicatum de colono.

IV. Cum resedissent venerabilis ille Abba et inluster vir ille in villa illa in pago illo, ubi ille Comes esse vide-

tur, per iussionem Domno et glorioso illo Rege, ad universorum causas audiendum vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, ibique veniens ille Advocatus Monasterii illius vel illius Abbatis homine aliquo nomen illo interpellabat, repetebat ei, dum diceret eo quod legitimo colonitio partibus Monasterii Sancti illius Abbatis ad villa illa de parte genitrice sua redeberet, et neglegens et iectivus exinde adesset. Sed ipse homo de praesenti adstabat, et ipsam causam nullatenus potuit denegare, et ad ipsum colonitium se recognovit, et per manibus ipsum hominem ipsius Abbatis reddidit. Proinde taliter ab ipsis Missis dominicis, vel illo Comite, seu et ab ipsis Rachimburgiis, ipsius advocato in causa Sancti illius vel ipsius Abbatis pro firmitatis studium fuit iudicatum ut dum ipsa causa taliter fuit inventa et legibus definita, ut tale iudicio evindicato exinde accipere deberet, quod ita et fecit, ut omni tempore ad ipsum colonitium Sancti illius ad illa villa illum habeat evindicatum vel elidiatum, et sit in postmodum inter eos ex hac re sublata causatio. Datum in mense illo, in anno illo.

Notitia de colona evindicata.

V. Veniens homo aliquis nomine ille Advocatus Sancti illius, de Monasterio Sancti illius, vel illius Abbatis de ipso Monasterio, die illo, in mallo publico, ante inlustre illo viro illo Comite, vel ante quampluris personis qui ibidem aderant ad universorum causas audiendum vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, qui subter firmaverunt, femina aliqua nomine illa ibidem interpellabat, repetebat ei dum diceret eo quod avus suus nomine ille quondam, vel genitor suus ille quondam, coloni Sancti illius de villa illa fuissent, et ipsa femina colona esse debebat, et ipso colonitio malo ordine de ipsa casa Dei effugeret. Sic ipsa femina in praesente adstitit, et ab ipsis personis ei interrogatum fuit si ipsa causa esset veritas, an non. Sed ipsa..... in omnibus fortiter denegavit, et taliter dixit, quod avus suus ille quondam, nec genitor suus ille quondam, coloni Sancti illius de villa illa nunquam fuissent, nec ipsa colonitio de capud suum ad ipsa casa Dei Sancti illius nunquam redebebat, sed de patre et de matre bene ingenua nata vel procreata fuisset. Sic ab ipsis personis taliter ei fuit indicatum, ut apud duodecim homines parentes suos, octo de patre, et quatuor de matre, si praemortui non sunt, et si praemortui sunt, apud duodecim homines bene francos Salicos, in ipso mallo super altario Sancti illius, in proximo mallo quem ipse Comes ibidem tenebit, hoc coniurare debeat quod avus suus ille quondam, nec genitor suus ille quondam, coloni Sancti illius de Monasterio illo de villa

illa nunquam fuissent, nec ipsa colonitio de capud suum ad ipsa casa Dei non redebeat. Et si hoc in eo placito, sicut superius insertum est, coniurare potuerit, de hac causa ducta et secura resideat. Sin autem non potuerit, ad ipsa casa Dei se recognoscere faciat. Datum ibi.

Notitia de servo quem colonus comparat.

VI. Notitia qualiter vel quibus praesentibus veniens magnificus vir ille die illa in illa civitate in mallo publico ante inlustre viro illo Comite et ante apostolico viro illo, vel praesentibus quampluribus viris venerabilibus Rachimburgis qui ibidem ad universorum causas audiendum vel recta in Dei iudicia terminandum residebant vel adstabant, quorum nomina subter tenentur adnexa, homine aliquo nomine illo interpellabat, dixit eo quod servus ad colono suo nomine illo de capud suum aderat, et venditionem habebat quomodo ipse colonus ipsum comparaverat, et ipsam venditionem ibidem ostendebat ad relegendum. Relecta epistola, sic ipsi viri ipsum interrogaverunt, si aliquid contra ipsa charta dicere volebat, vel si eam agnoscebat, an non. Sed ipse servus ipsa charta vera et legitima recognovit. Sic ipsi viri tale decreverunt iudicio, ut ipse ille ipsum ad servitium recipere deberet; quod ita et fecit, et per manu illius Vicarii per iussionem inlustre viro illo Comite et per iudicium ad ipsas personas praesentaliter recepit. His praesentibus. Datum ibi, sub die illo.

Notitia de terra evindicata.

VII. Notitia qualiter vel quibus praesentibus veniens venerabilis vir ille Abbas de Monasterio illo, die illo, in illo loco ante inlustribus viris magnificis illis et illis Missis Domno et gloriosissimo illo Rege, vel aliis quampluris qui subter firmaverunt, quorum nomina subter tenentur inserta, homine aliquo nomine illo interpellabat, repetebat ei, eo quod illa terra quam apud homine illo concambiavit, qui est in pago illo, in grafia illa, in loco qui vocatur ille, post se malo ordine retineret iniuste. Et ipse homo in praesente adstabat, et hanc causam nullatenus potuit denegare, nec tradere rationes per quas ipsam terram habere debeat. Sic ipsi homini fuit iudicatum, ut ipsam terram ante ipsos Missos dominicos secundum suam legem ipsi venerabili viro illo Abbati reddere vel revestire deberet. Quod ita in praesente et fecit. Propterea iubemus ut dum hanc causam sic actam vel perpetratam esse cognovimus, ut ipsa terra ipse Abbas habeat evindicata atque elidiata, sit postmodum ex hac re omnique tempore sublata causatio. Datum ibi sub die illo, anno illo, regnante Domno nostro gloriosissimo Rege.

Ingenuitas.

VIII. Quoniam sanctissimi Hludouvici Imperatoris pietas, quam habet in Deum, ea quaerere et indagare non cessat quae Domini potissimum congruant voluntati, quibus quoque Religionis honor et devotio magis ac magis de die in dies crescat atque proficiat, et ea quae ad divinum cultum et officium sanctum pertinent, decoris et honestatis amplius in diebus eius quam prius habuerint accipiant, et cunctis in futurum temporibus quae secundum Deum ab eodem inventa procurataque sunt proficiant, et perenni stabilitate à successoribus eius et fidelibus sanctae Dei Ecclesiae inviolabiliter in perpetuum conserventur, memor semper quod dicitur: *Misericordia et veritas custodiunt Regem, et iustitia firmatur thronus eius;* adeo ut verissime et propemodum specialiter de eo dictum videatur: *Beata terra cuius Rex sapiens est;* cui etiam illud non inconvenienter potest aptari quod Dominus de David perhibuit dicens: *Inveni David secundum cor meum, qui facias omnes voluntates meas.* Huiusmodi itaque studiis Rex iste sapiens et beatus indesinenter intentus, et Domini semper adhaerens voluntati, cupiens, ut praemissum est, divinum officium modis omnibus honestare, et eos qui Domino Deo sacrificium super altare sanctum offerre debent, et corpus et sanguinem dominicum precum mediatione consecrare, honori habere, et ampliore gratia circumdare, statui ut Episcopi et Abbates et quicunque ecclesiasticis possessionibus iure praelati sunt, si aliquos ex familia ad presbyteratus ordinem promovere velint, prius eos, permissu ipsius, libertate donent, et sic tandem ad Sacerdotii gradum dignissime subvehant. Igitur ego ille minimus servorum Dei famulus, Ecclesiae Senonicae Archiepiscopus, tanta serenissimi Hludouvici Augusti auctoritate, quae Senonis in arcibo Ecclesiae episcopii servatur, fultus per hunc libellum manumissionis te fratrem nostrum quem servilis conditio hactenus addictum tenuit inter huius Ecclesiae familiam, quia fratrum testimonio, inter quos enutritus es, dignus ad sacerdotalem honorem suscipiendum praedicaris, censeo te atque statuo ante sacri altaris cornu in conspectu Sacerdotum et Cleri et populi adstantis à praesenti die et deinceps ab omni iugo servitutis humanae absolutum fore civemque Romanum appellari, et ita ut nulli hominum pro servili conditione quicquam debeas servitii, nec obsequii, neque etiam libertinitatis munus impendere, non mihi, nec successoribus, aut actoribus, quicunque praefuerint huic Ecclesiae, non iudiciaria praeditis potestate; sed soli Deo licentiam et facultatem habeas libere famulandi, diesque tuos vitamque ipsi dicandi; ut in ipsius Ecclesia proficias ad honorem et profectum plebis pretiosa sanguine Christi re-

demptae; quatenus hanc pro modulo tuo monitis instruas, orationibus iuves, exemplis informes, corporis et sanguinis dominici consecratione, propter cuius honorem hanc consecutus es dignitatem, reficias; ut sicut ab humana servitute liberatus per hanc manumissionem esse cognosceris, ita per divinam doceas diabolicae dominationis iugum evadere plebem quae tibi à proprio Pontifice fuerit commissa. His quoque subnectere placuit, canonicis admoniti constitutionibus, ut si qua deinceps praedia vel mancipia tui nominis titulo comparaveris, hoc observare studeas quod in eisdem decretum esse cognoscitur. Et si forte, quod absit, à tuo proposito exorbitaveris, Presbyteratus gradum Canonico iudicio amittere cogaris. Hanc ingenuitatem manu propria subscripsi, et qui subscriberent rogavi. Actum. Et reliqua.

Mandatum.

IX. Legibus institutum est et consuetudine per tempora conservatum ut quicunque Advocatum instruere velit, mandato legaliter dato atque solenniter confirmato eum instruere debeat ut omnes causas quas aggredi vel repellere debet, prosequi et defendere inoffense valeat. Igitur ego ille sanctae illae Ecclesiae vocatus Episcopus iniungo, mando, et per has litteras delego tibi illo fideli meo de rebus Sancti illius, sitis in pago illo, in locis nuncupatis sic, cum adiacentiis vel aspicientibus ad eas locis aliis per omni iure investigare, inquirere, prosequi, et admallare debeas per mallos, vicos, castella, oppida, et civitates, necnon etiam, si necessitas incubuerit, in palatio ante Vicarios, Comites, Missos dominicos, Comites palatii, sive ante omnes Iudices quibus hoc officium delegatum est, ut causationes et lites definire et terminare iuste et rationabiliter debeant; et quicquid legibus cum iustitia inde prosecutus fueris et definieris, scito apud me ratum et acceptum atque inconvulsum mansurum. Quod mandatum in te conlatum ut firmum fixumque permaneat, manu propria subter firmavi et qui adfirmare deberent rogavi.

Tracturia pro itinere peragendo.

X. Dominis sanctis et apostolicis sedibus allocatis Episcopis, Abbatibus, vel Abbatissis, et omnibus in Christo Patribus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, et Decanis, vel omnibus in Christo credentibus et Deum timentibus, ego in Dei nomine ille, ac si indignus peccator, ultimus omnium servorum Dei servus, Episcopus videlicet, sive Abbas de civitate illa, vel de monasterio illo, ubi pretiosus ille Martyr, sive Confessor Christi humanitus in corpore requiescit, salutem vobis perennem in Domino des-

tinare curavimus. Cognoscatis siquidem, Domni et sancti Patres, seu et Sorores in Christo, quia innotescimus vobis eo quod peregrinus iste, nomen ille, ex genere illo, ad nos venit et nobis innotuit atque consilium quaesivit de hoc videlicet facto quod instigante adversario, peccatis facientibus, proprio filio suo vel fratre suo sive nepote nomine illo interfecit, et nos pro hac causa secundum consuetudinem vel canonicam institutionem diiudicavimus ut in Lege peregrinorum ipse praefatus vir annis tot in peregrinatione ambulare deberet. Propterea cognoscatis, sanctissimi Patres, has litteras, ut quando ad sanctitatem vestram venerit, melius ei credatis, et quod nullatenus pro alia causa ambulare dinoscitur nisi, sicut superius diximus, pro peccatis suis redimendis, ut vos eum nullo modo teneatis; nisi tantum, quando ad vos venerit, mansionem ei et focum, panem et aquam largire dignemini; et postea sine detentione liceat ei ad loca Sanctorum festinare. Sic exinde agite pro amore Dei et reverentia sancti Petri, sanctissimi Patres, ut vobis pius Dominus in illa beata seu immortali vita remunerare dignetur, quia in ipso perigrino Christum pavistis seu suscepistis, considerantes videlicet quod ipse Dominus dixit; *Hospes fui, et suscepistis me.* Et: *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Quid plura? Ad sapientes sufficit semel loqui. Commendamus nos obnixe in vestris sacris precibus, ut nostri meminisse dignemini. Valete in Christo feliciter, sanctissimi Patres, ut ad aeternam Angelorum digni habeamini mansionem perpetuam. Facta haec epistola sub die illo.

Cessio ad Ecclesiam à novo aedificatam.

XI. Regnante Domino Iesu Christo in perpetuum, ego ille Episcopus. Omnibus non habetur incognitum qualiter ego, auxiliante Domino, in pago, in villa cuius vocabulo est ibi, basilicam sanct...... atque sancti Stephani, vel in honore caeterorum Sanctorum quorum ibidem Reliquiae quiescunt, construxi atque Kalendas Iunii dedicare certavi, consentientibus etiam Confratribus, tam Canonicis quam et Monachis, vel caeteris hominibus qui ad praesentes fuerunt, ut villae quarum vocabula sunt Cadiliaco, Tanculfovilla, Fagido, et Barbitione villare, ut ibidem aspicere deberent, ad Missas veniendi et ad baptismum vel praedicationem, et ut decimas suas ad memoratam basilicam dare deberent. Propterea pro firmitatis studium hanc consensionem scribere rogavimus, ut temporibus nostris atque successoribus nostris haec nostra consensio firma et stabilis valeat permanere, et sciant omnes tam praesentes quam et absentes seu successores nostri, quia dedimus in memora-

tum illum Cadiliaco duos mansos ad ipsam luminariam providendam vel unde Presbyter qui ibidem officium fungere videtur vivere debeat. Et addimus ad hoc insuper de terra arabile....... et de vinca aripenne uno et dimidio, ut aevo tempore in elimosinam nostram seu successorum nostrorum ita valeat perdurare. Actum fuit hoc sub die memorato KL. Iunii in anno VIII. Christo propitio imperii Domni Karoli serenissimi Augusti, et anno (XLIII.) regni eius in Francia, atque XXXV. in Italia, Indictione prima, in Dei nomine feliciter. Amen. His praesentibus qui adfuerunt, illuc his praesentibus.

Litterae commendatitiae.

XII. Sancto et Deo amabili Magnoni, dono Dei Archiepiscopo ex Senonica urbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus, dono Dei Archiepiscopus ex Bitorige urbe, in Domino Iesu salutes optamus vobis in perpetuum. De caetero notum facimus sanctitati vestrae quia iste praesens Presbyter, nomen Dodobertus, parochianus noster, in nostra diocese natus, et sacris litteris edocatus sit, ad ordinem sacrum eum promovere iussimus. Postea vero petivit nobis licentiam ut in vestra parochia apud hominem aliquem nomen Hercambaldum manere voluisset. Nos vero petitionem illius non denegavimus, nisi licentiam illi dedimus, quia scimus quod de bene liberis hominibus ortus sit. Unde has litteras commendatitias more Ecclesiastico factas ad sanctitatem vestram misimus, ut scire valeat Deo digna caritas vestra eum nec fuga lapsum, nec sua malitia à nobis eiectum, sed nostra voluntate destinatum. Et ut certius credatis, Graeca elementa quae octogenarium quadringentesimum et primum numerum exprimunt inprimitus adnexuimus. Π. Petri quoque nomine primam litteram sumptam in medium adscribere rogavimus. Nihilominus etiam parvitatis nostrae nomine primam litteram E. magnitudinis vestrae secundam litteram A. istius fratris nomine tertiam litteram Δ. civitatis nostrae quartam Ω. et Indictionem quartam adiunximus. Addidimus nonagenarium et nonum numerum, id est Φ. et Θ et insequenter impressione sigilli nostri subter confirmavimus, et manu propria eam roboravimus et Clericis iussimus nostris roborari. Actum in anno decimo imperii Domini nostri ill. et anno XLIII. regni eius in Dei nomine feliciter. Amen.

In nomine Π et Υ et A. Reverentissimo Sancto et Deo amabili illi Archiepiscopo Senonicae urbis. Ego enim in Dei nomine ille Cinomanicae civitatis Episcopus in Domino Iesu Christo opto vobis salutem in perpetuum. De caetero notum facimus sanctitati vestrae quia iste praesens

Presbyter etc. *quae ad verbum eadem sunt cum superiori, ideoque hic repetita noluimus.*

In Dei nomine. Sanctissimo ac reverentissimo fratri illo Episcopo ille illius urbis Episcopus in Domino sempiternam salutem. Cognoscat fraternitas seu caritas vestra quia iste praesens Presbyter nomine ille in parochia et in Ecclesia nostra sacris litteris edocatus fuit, et ab infantia fuit apud nos seu praedecessores nostros bonum habens testimonium, bonamque continentiam et innocentiam vitam deducens. Unde placuit illi modo ut ad aliam Ecclesiam se converteret, volens sibi quaerere Seniorem qui se de rebus temporalibus adiuvet, et cui ille secundum ministerium quod sibi iniunctum est obsequium praebeat. Unde vestram fraternitatem compertam facimus ut cuicunque placuerit eum suscipere, absque ulla ambiguitate hoc faciat, sciens illum et boni esse testimonii et à nobis sibi ab Ecclesia, quae nobis ad regendum concessa est, migrandi licentiam accepisse. Et ut hae litterae firmiorem obtineant dignitatem, meliusque eis fides adhibeatur, manu nostra eas subter roboravimus

Ingenuitas.

XIII. Dum omnipotens Deus nobis concedit in hoc seculo sanum corpus habere, oportet nobis pro salute animae nostrae frequentius cogitare debere ut aliquantulum de peccatis nostris minuare mereamus. Itaque ego ille in Dei nomine pro animae meae remedium, vel pro meis peccatis minuendis, ut in futurum Dominus veniam mihi praestare dignetur, servum iuris mei nomine illum relaxavi ingenuum; ea vero ratione ut à die praesente sit bene ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Peculiare vero si aliquid habet, aut inantea Christo propitio laborare potuerit, cessum habeat. Et nulli heredum ac proheredum meorum nullum impendat servitium, nec libertinitatis, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem vel mundeburdem Ecclesiarum aut bonorum hominum, ubicunque se eligere voluerit licentiam habeat ad conquirendum. Si quis vero, quod nec fieri..... si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, quae contra hanc ingenuitatem ista, quam ego plenissima voluntate mea pro amore Domini nostri Iesu Christi et pro meis peccatis fieri et adfirmare rogavi, venire conaverit, inferat tibi una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, et praesens ingenuitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum illo.

Venditio.

XIV. Domino inlustri illo ille. Ratio et consuetudo exposcit ut inter emptore et venditore scriptura confirmat, ita ut nec distrahendi, sed ulla repetitio, nec comparandi qualibet videtur esse formido. Idcirco nulli cogentis imperium, nec à iudiciaria potestate coactus, sed mea propria et spontanea voluntate et arbitrium, accepto vero pretio, constat me vendidisse vel tradidisse, et ita vendidi, vel de praesente tradidi, hoc sunt res proprietatis meae in pago illo, quae dicuntur illae, id est, tam mansis, domibus, aedificiis, totum et ad integrum re inexquisita. Et accepi à te pretium pro hoc quod mihi bene complacuit, hoc est, tam in argentum quam in actum valentes solidos tantos tantum. Et superscriptas res per hanc venditionem publice tibi à die praesente tradidi ad possidendum, ut quicquid exinde à die praesente facere volueris, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut ullus de meis heredibus, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra venditionem istam venire conaverit, et à me vel heredibus meis non fuerit defensatum, tunc inferat tibi, una cum socio fisco, duplum tantum quantum à te accepi, vel quantum ipsas res immelioratas valuerint in duplum esse reddendum, et praesens venditio omni tempore firma permaneat.

Cautio.

XV. Domino fratri illo ille. Ad petitionem meam mihi non denegasti nisi ut in summa necessitate mea argento vel acto tuo valente solidos tantos in manu mea ad praestitum beneficium mihi praestitisti. Et ego pro hoc talem cautionem in te fieri et adfirmare rogavi ut usque ad annos tantos in unaquaque hebdomada dies tantos opera tua, qualia mihi iniunxeris, et ratio praestat, facere debeam. Quod si minime fecero, aut neglegens aut tardus exinde apparuero, aut ante ipso placito me immutare praesumpsero, tunc spondeo me per huius vinculum cautionis, ubi et ubi me invenire potueris, sine ullo iudicio interpellationis pro dupli satisfactione me retineas debitorem. Et quomodo ipsi anni transacti fuerint, debito tuo tibi reddito, cautionem meam per manibus recipiam, stipulatione subnexa. Et reliqua.

Obnoxiatio.

XVI. Domino fratri illo ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter mihi gravis necessitas et natas pessimas mihi oppresserunt, et minime habeo unde vivere vel

vestiri debeam. Propterea ad petitionem meam mihi non denegasti nisi ut in summa necessitate mea argentum vel acto tuo valente solidos tot in manu mea mihi dedisti, et ego minime habeo unde ipsos solidos tuos tibi reddere debeam. Propterea obnoxiationem de capud ingenuitatis meae in te fieri et adfirmare rogavi; ut quicquid de mancipia tua originalia vestra facitis, tam vendendi, commutandi, et disciplinam imponendi, ita et de me ab hodierno die liberam et firmissimam in omnibus potestatem faciendi habeas. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet opposita persona, qui contra hanc obnoxiationem istam venire conaverit, inferat tibi una, cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, et praesens obnoxiatio firma permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum illo.

Commutationes de terris.

XVII. Inter quos caritas inlibata permanserit, pars pari suo opportuna et congrua beneficia non denegabit. Ideoque, auxiliante Domino nostro, placuit, atque convenit inter illum et illum de commutandis terris eorum, ut pro communi opportunitate inter se commutare deberent. Quod ita et fecerunt. Dedit itaque ille de parte sua ad partem ipsius illius terram proprietatis suae in pago illo, in loco qui dicitur ille. Habet in longo dextros tantos, et in lato dextros tantos. Subiungit de uno latus terra lui, de uno fronte terra illius, ex alio vero fronte terra illius infra ipsa terminatione et mensura ad integrum. E contra ad vicem dedit ille de parte sua ad parte ipsius lui terram proprietatis suae in pago illo, in loco qui dicitur ille. Habet in longo dextros tantos, et in lato dextros tantos. Subiungit de uno latus terra lui, de alio latus terra illius infra ipsa terminatione et mensura ad integrum. Ita ut ab hodierno die unusquisque contra pare suo quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde à die praesente facere voluerit, liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona qui contra hanc commutationem pars contra pare suo venire conaverit, inferat pars pari suo ista tota servante, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multandum, et praesentes commutationes duo uno tenore conscriptas omni tempore firmas et inviolatas permaneant.

Charta agnationis.

XVIII. Femina illa, ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter te per voluntatem tuam servus iuris mei

nomine ille ad coniugium sociavit uxorem. Unde te vel procreationem tuam in servitio inclinare potueram. Sed mihi praepatuit voluntas plenissima ut talem epistolam donationis in te fieri et adfirmare rogarem, ut si aliquae procreationes filiorum aut filiarum ex te natae vel procreatae fuerint, sub integra ingenuitate cum omni peculiare eorum valeant, Christo propitio, permanere, et quicquid laborare potuerint cessum habeant, et nulli heredum ac proheredum meorum nullum impendant servitium nec hominium vel patronatus obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem vero vel mundeburdem Ecclesiarum aut bonorum hominum, ubicunque eligere voluerit, licentiam habeat ad conquirendum. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc epistolam agnationis venire conaverit, inferat ei cui litem intulerit ista tota servante, una cum socio fico, auri uncias tantas esse multandum, et praesens agnatio omni tempore firma permaneat.

Traditoria de terra.

XIX. Veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, ante bonos homines qui subter firmaverunt, terram illam, id est, tam mansis etc. totum et ad integrum, quam ante hos dies homine aliquo nomine ille per venditionis titulum accepto vero pretio visus fuit vendidisse; sed ante ipsos bonos homines ad integrum, ut quicquid praedicta venditione ei vendidit, per manus partibus ipsius lui vel herbam vel terram visus fuit tradidisse et per suam fistucam contra ipsum illum exinde exitum fecit, ut quicquid ipse ille de ipsa terra à die praesente facere voluerit, liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Et caetera.

Traditoria de venditione.

XX. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine ille Missus inlustris viri illius super fluvio illo, in loco quod dicitur ille, ad illo manso vel illa terra quam ille homo hominibus illis ante hos dies ad casa Sancti illius pagensis per chartam cessionis partibus ipsius illius per illud ostium vel anaticula de ipsa casa per herba vel terra de ipso manso, vel quicquid ad ipso manso aspicit, sicut in ipsa cessione est insertum, ad partem ipsius Ecclesiae visus fuit tradidisse vel consignasse. Id sunt quibus praesentibus.

Notitia de servo.

XXI. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, seu in mercato, vel in quocunqe loco, ante bonis hominibus qui subter firmaverunt, dato suo pretio ad hominem negotiantem solidos tantos, servum suum nomine illum visus est comparasse. Et ipse negotians ipsum servum superius nominatum per manus partibus ipsius lui visus est tradidisse, non fraude, sed in publico, ut quicquid exinde à die praesente facere voluerit, liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Id sunt.

Notitia de iactivis.

XXII. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante viro illo Comite vel reliquis quampluris bonis hominibus qui subter firmaverunt, repetebat ei, dum diceret eo quod homine aliquo nomine illo ante ipsum Comitem aframitum habuisset. A quo placitum venit ipse, ille placito suo custodiebat, et nec ipse ille ad eum placitum venit, nec misso in vicem suam direxit qui ulla sonia nuntiasset, et placito suo neglexit, et iactivus exinde remansit. Id sunt quibus praesentibus fuerunt.

Securitas.

XXIII. Non minima sed maxima vertitur discordia inter illos et illos. Venientes ante illo et illo, repetivit ipse ille adversus ipsius lui, eo quod genitore suo aut germano suo illo malo ordine interfecisset. Interrogatum fuit ab ipsis viris ipsi lui si haec causa ita acta vel perpetrata fuisset an non, id ipse in praesente dicere deberet. Sed cum ipse ille hanc causam minime potuit denegare, sic ab ipsis viris fuit iudicatum, ut illos leode, ut lex erat, desolvere deberet. Quod ita in praesente et fecit. Et ego hanc securitatem in ipso illo fieri et adfirmare rogavi ut nullo unquam tempore de iam dicta morte nec de ipsa leode nec ego ipse, nec ullus de heredibus meis, nec quislibet ullas calumnias nec repetitiones agere nec repetere non debeamus. Quod qui attentaverimus, nullum obtineat effectum, et insuper inferamus tibi, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multando, et praesens securitas omni tempore firma permaneat.

Charta denarialis ante Regem.

XXIV. Ille Rex Francorum vir inluster. Et quia ille veniens ante nos vel procerum nostrorum praesentia iac-

tante denario secundum Lege Salica servo suo nomen ille dimisit ingenuo, eius quoque absolutionem per praesente auctoritatem firmamus. Praecipientes enim ut sicut enim et reliqua mansuaria qui per tale titulum in praesentia Principum noscuntur esse relaxati ingenuum, ita et admodum memoratus ille per nostro praecepto plenius in Dei nomen confirmatum perennis temporibus cum Dei et nostra gratia valeat, Christo propitio, permanere bene ingenuus atque securus.

Mandatum.

XXV. Domino magnifico fratri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter me senectus adgravat et infirmitas domat, et causas meas minime valeo prosequere vel admallare. Propterea precor et supplico caritati tuae ut in vicem meam omnes causas meas, tam in pago, quam et in palatio, vel in quibuscunque pagis vel territoriis ubicunque mihi oportet, apud quemlibet hominem, tam ad mallandum quam ad responsum dandum prosequere facias. Et quicquid exinde egeris gesserisve, apud me in omnibus et ex omnibus ratum et aptum atque transactum in omnibus definitum esse cognoscas: quia amo te plus quam me, plus te quam heredes meos. Et ut hoc mandatum post te firmius retineas, et taliter obtineat firmitatem quasi gestis fuisset alligatum, manu propria subter decrevi adfirmare, et qui subscripserunt in praesente rogavi.

Cessio ad Ecclesiam.

XXVI. Dominae sanctae ac reverentissimae Ecclesiae sancti illius, quae est constructa in pago illo, in loco qui dicitur ille, ego in Dei nomine ille, pro meis peccatis minuendis, ut in futurum Dominus veniam mihi praestare dignetur, cedo ad luminare vel sacrificio ad ipsa casa Dei vel ipso domo Dei condirgendo, cessumque in perpetuum esse volo, et de iure meo in iure et dominatione ipsius Ecclesiae transcribo atque transfundo, hoc est, res proprietatis meae in pago illo, in loco quod dicitur illo, in iamdicta loca, id est, tam mansis, domibus, aedificiis, totum et ad integrum re inexquisita, ita ut ad hodierno die ipsa casa Dei ad altare Domini proferendo, vel ad ipso domo Dei condirgendo, ipsas res habere debeat. Et si mihi placuit inserendum ut nullus Pontifex aut quislibet Rector, si de ipsa casa Dei, de ipso luminare vel sacrificio ipsas res abstrahere conaverit, au in beneficium dare praesumpserit, tunc ipsas res ad me vel heredibus meis perveniant. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet opposita perso-

na, qui contra hanc cessionem istam, quam ego plenissima voluntate mea pro amore Domini nostri Iesu Christi fieri et adfirmare rogavi, venire conaverit, inferat tibi ista tota servante una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multando, et praesens cessio omni tempore firma permaneat.

Precaria.

XXVII. Dominae sanctae ac reverentissimae Ecclesiae pagensi, his nominibus, quae est constructa in pago illo, in loco quod dicitur ille, ego in Dei nomine ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter res proprietatis meae in pago illo, in loco cui vocabulum sunt illas et illas, in iam dicta loca, id est, tam mansis, omnia et ex omnia per mea cessione ad lumen vel sacrificium ad ipsa casa Dei à die praesente delegavi; postea ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi ut ipsas res, quandiu advivo, mihi ad usandum vel condirgendum praestare deberetis. Quod ita et fecistis, sic taliter ut tempore vitae meae ipsas res habere et usare vel condirgere debeam, et post meum quoque discessum cum omni r: immeliorata, agentes ipsius Ecclesiae absque exspectata traditione in eorum revocent dominatione vel potestate. Propterea talem precariam ad ipsa casa Dei fieri et adfirmare rogavi ut ipsas res nec vendere, nec donare, nec commutare, nec per nullis modis nullisque ingeniis de ipsa casa Dei abstrahere, nec minuare pontificium non habeam, nec mea possessio nullo praeiudicio vobis nec ad ipsa casa Dei agere nec generare non debeam nec ego ipse, nec ullus de heredibus meis, nec quislibet opposita persona. Quod si attentaverimus, nullum obtineat effectum, et insuper inferamus partibus ipsius Ecclesiae vel suis Rectoribus, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multando, et alias precarias per quinquennium fuerint renovatas, ista per se obtineat firmitatem.

Praestaria ad Ecclesia.

XXVIII. In Christo filio illo, in Dei nomine ille donum Dei Rector, qui est custos Ecclesiae illius, quae est constructa in pago illo, in loco quod dicitur ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter tu res proprietatis tuae tam infra civitatem quam et aforis in ipso pago, in loco cuius vocabulum sunt illas et illas, in iam dicta loca omnem rem tuam per tua concessione ad ipsa casa Dei vel ipso domo Dei à die praesente delegasti. Postea ad petitionem tuam non denegavimus, nisi ut ipsas res ad praestitum beneficium tibi praestare deberemus. Quod ita et fecimus, sic taliter ut tempore vitae tuae ipsas res per nostro beneficio habere vel condirgere sive usare debeas, et

annis singulis in festivitate sancto illo censo ad lumen vel sacrificium solidos tantos per temetipsos solvere facias; et nec nos ipse, nec nullus de successoribus nostris, nec quislibet de parte nostra, ipsas res tempore vitae tuae tibi abstrahere nec minuare non debeamus. Et ut has litteras firmius post te firmiores retineas, manu propria subter decrevimus adfirmare.

Notitia de homine forbatudo.

XXIX. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco quod dicitur ille, in mallo publico, ante ipso Comite illo vel aliis bonis hominibus qui subter firmaverunt, posita manu sua super sacrosancto altario sancto illo sic iuratus dixit: Hic iurò per hunc loco sancto et Deo altissimo et virtutis Sancto illius quod homo aliquis nomine ille, ita factus, apud arma sua super me venit, et colpus super me misit, et sic mihi Deus directum dedit, ego ipso de arma mea percussi, et talis colpus ei dedi pro quid ipse mortuus est; et quod feci super me feci; et ego hodíe ipso facio infra damno et forbatudo infra noctes XI.II. sicut lex est et nostra consuetudo, apud tres aloarius, et duodecim conlaudantès iuraverunt, et de linguas eorum legibus dixerunt. Id sunt qui praesen.

Indiculus regalis.

XXX. Ille Rex Francorum vir inluster magnifico fratri illi Comiti. Cognoscas quia iste praesens ille ab hac missa petitione nobis suggessit eo quod homo aliquis nomine ille res suas in vestro ministerio ad sancto illo delegasset, et dicit quod ille vel alii homines ipsas res contendunt malo ordine. Propterea omnino tibi rogamus ut, si veritas est, integram iustitiam sine ulla moratione ei facias exinde. Et si antea minime definitum non fuerit, tunc ipsos homines qui hoc contendunt malo ordine, per fideiussores positos, super noctes tantas postquam has litteras recipies, ante nos facias advenire. Taliter agas, si gratiam nostram velis habere.

Item alius Indiculus.

XXXI. Ille Rex Francorum vir inluster illo Comite, seu iunioribus atque successoribus vestris, seu Missis nostris discurrentibus. Cognoscatis quia in nostra eleemosyna taliter isto presente illo, dum et ipse senus esse videtur, taliter ei concessimus, ut de omnes hostes vel omnibus bannis seu et arribannus sit conservatus, ut neque vos neque iuniores atque successores vestri ipso pro hoc inquietare

nec dismanuare non praesumatis, nec facere dimittatis; sed liceat ei cum Dei et nostra gratia quieto ordine ad propria vivere vel sedere. Et ut certius credatis, manu nostra subter adfirmavimus, et anulo nostro sigillavimus.

Notitia de colonitio.

XXXII. Notitia qualiter vel quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine illo in pago illo, in mallo publico, ante viro illo Comite vel reliquis quampluris bonis hominibus qui subter firmaverunt, homine aliquo nomine illo ibidem interpellabat, repetebat ei eo quod genitor suus aut genetrix sua illa coloni sui fuissent, et ipse ille suus colonus esse debebat, et malo ordine de ipso colonatico se abstrahebat et neglegens erat. Interrogatum fuit ab ipsis viris ipsius, si ipse illo colonus ipsius lui esse debeat, an non, in praesente ei dicere deberet. Et ipse ille nullatenus potuit dicere, nec adponere, nec nullam ratione tradere per quid ipse de ipso colonatico se abstrahere potuisset; et in praesente pro colono ipsius lue se recredidit vel recognovit. Sic ab ipsis viris fuit iudicatum, ut ipse ille ipso pro colono habere debeat. Et sic iam dictus Comes ipso illo per manus partibus lue visus est reddidisse. His praesentibus.

Notitia sacramentalis.

XXXIII. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in basilica sancto illo, ubi plurima sacramenta percurrere videntur, ante viro magnifico illo vel reliquis quampluris bonis hominibus qui subter firmaverunt, posita manu sua super sacrosancto altario sancto illo, sic iuratus dixit: Hic iuro per hunc loco sancto et Deo altissimo et virtutis sancto illo, unde me ille homo in mallo publico mallabat, quod ego terra sua aut ad coniuge sua illa, in pago illo, in loco quod dicitur ille, de eorum potestate per fortia nunquam proprisi aut pervasi, sed de ista parte triginta et uno anno fere amplius . . . . semper exinde fui vestitus, et post me divisi, et per legem et iustitiam plus obtineat me adhabere quam ipsius lue aut coniuge sua reddere, et ad quod mihi iudicatum fuit in nullo non redebeo, nisi isto et unico sacramento, per hunc loco sancto et Deo altissimo et virtutis sancto illo. Insequenter vero post ipso tres aloarii et duodecim conlaudantes iuraverunt, et de linguas eorum legibus dixerunt. Id sunt. Et reliqua.

Notitia de herbas maleficas.

XXXIV. Notitia qualiter vel quibus praesentibus veniens femina aliqua nomine illa in pago illo, in mallo pu-

blico, in basilica sancto illo; ante illos et illos et alios quamplures bonis hominibus qui subter firmaverunt, posita manu sua super sacrosancto altare sancto illo, sic iurata dixit: Hic iuro per hunc loco sancto et Deo altissimo et virtutis sancto illo, unde me ille ante viro magnifico illo vel aliis bonis hominibus mallavit, quod ego herbas maleficas temporassem, vel bibere ei dedissem, per quid ipse infirmasset aut vitam suam perdere debuisset, ego herbas maleficas nec potiones malas nunquam temporavi, nec bibere dedi, per quid ipse infirmus vel insanus fuisset, aut vitam suam perdere debuisset, et aliud de ista causa in nullum non redebeo nisi isto unico et idoneo sacramento per hunc loco sancto et Deo altissimo et virtutis sancto illo. Insequenter vero post ipsam tantae iuraverunt, et de linguas eorum legibus dixerunt. Id sunt.

Cessio.

XXXV. Dulcissimo atque in omnibus amantissimo filio meo illo ille. Ammonuit mihi amor et dulcitudo tua, et ex alia parte tu cotidie mihi non cessas deservire, et in bono impendas effectum. Propterea mihi praepatuit plenissima voluntas ut aliquid de heredibus propriis meis extra consortium germanus tuus tibi concedere deberem. Quod ita et feci. Propterea cedo tibi post meum quoque discessum de hac luce, à die praesente, cessumque in perpetuum esse volo, et de iure meo in iure et dominatione tua transcribo atque transfundo, hoc est, servo iuris mei nomine illo, vel aliam rem, terris, vel quacunque domum, ita ut ab hodiernum diem habeas, teneas, atque possideas, vel quicquid à die praesente facere volueris, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc cessionem ista venire conaverit, inferat tibi una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, et praesens cessio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

Evacuatoria.

XXXVI. Fratri illo ille. Omnibus non habetur incognitum quia ego ad petitionem tuam solidos tantos ad praestitum beneficium in manu tua tibi praestiti, et tu pro hoc talem epistulam cautionis in me adfirmasti ut usque annos tantos in unaquaque hebdomada dies tantos opera mea facere deberes, quod ita et fecisti, (ad placito ipso debito meo mihi reddere deberes, quod ita et fecisti) et ego ipsam cautionem minime invenire possum. Propterea talem epistolam evacuaturiam in te fieri et adfirmare rogavi, ut si ipsa cau-

tio ullo unquam tempore inventa aut reperta fuerit, nullum obtineat effectum, evacuaturia inanis permaneat, et nec ego ipse, nec ullus de heredibus meis, vel quislibet de parte mea ipso debito superius nominato neque in ipsa cautione, nec per nullis modis nullo unquam tempore tibi ex hoc nullas calumnias nec repetitiones agere nec repetere non debeamus. Quod si attentaverimus, ista tota servante, una cum socio fisco, auri unicias tantas esse multando, et praesens evacuaturia omni tempore firma permaneat.

Libellum dotis.

XXXVII. Dum omnipotens Deus concessit iugale consortium et tale permissum dedit ei in omnibus ut unusquisque cum vira sua nubat iuxta consuetudinem anteriorum Christianorum, et item legimus quod ipse Dominus noster cum discipulis suis ad nuptias invitatus fuisset, et cui Deus coniungit, homo non separet; quod bonum, felix, faustumque sit. Et reliqua. Donat itaque ille honestae puellae sponsae suae, nomine illa, quam, si Christo placuerit, in coniugium sociare uxorem cupio, donatumque in perpetuum esse volo, et de iure meo in iure et dominatione ipsius puellae transcribo atque transfundo, hoc est, res proprietatis meae in pago illo, in loco quod dicitur ille, tam mansis, domibus, aedificiis, totum et ad integrum re inexquisita, seu mancipias tantas his nominibus ille et ille, seu caballos tantos, boves tantos, vaccas cum vitulos tantos, oves capita tanta, sodis capita tanta, lectarios condignos ad lectos tantas, fabricaturias vero, auro, argento in solidos tantos, ... ostensolia vero tam aereis quam ferreis, seu et lineis, quicquid in domo rationabiliter conteuit. Omnia superius nominata, cum dies felicissimus nuptialis advenerit, dulcissima sponsa mea illa, à die praesente habeas, teneas, atque possideas, vel quicquid exinde à die praesente facere volueris, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, quia contra hunc libellum dotis venire conaverit, inferat tibi, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multando, et praesens libellus dotis firmus permaneat.

Indiculus regalis.

XXXVIII. Ille Rex Francorum vir inluster. Cum nos in Dei nomine palatio nostro ad universorum causas audiendas vel recta iudicia terminanda una cum Proceribus nostris resideremus, ibique veniens homo aliquis nomine ille suggessit eo quod apud nostro signaculo homine aliquo nomine illo mannito habuisset ut super noctes tantas ante nos debuisset

venire in rationes, pro eo quod dixit quod res suas post se malo ordine tenebat iniuste. Ad quod placitum veniens ipse ille per triduo seu amplius placitum suum custodivit; et nec ipse ille ad eum placitum venit, nec missum in vicem suam non direxit qui ulla sonia nuntiasset. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris vel Comite palatii nostri illo visi fuimus judicasse ut dum ipse ille per triduo seu amplius placitum suum legitime custodivit, et nec ipse ille ad eum placitum venit, nec missum in vice sua direxit qui ulla sonia nuntiasset, et placitum suum neglexit, et iectivus exinde remansit, propterea iubemus ut quicquid lex loci vestri de tale causa debuerit, vobis distringentibus ipse ille partibus ipsius lue hominis componat atque emendare studeat.

Aequalentia vel pactum.

XXXIX. Auxiliante Domino nostro Iesu Christo, placuit atque convenit inter illo et germano suo illo de alode qui fuit genetore ill. Ut inter se aequalentia dividere vel exaequare deberent. Quod ita et fecerunt. Accepit igitur ille de parte sua manso in pago illo, in loco qui dicitur illo, cum omni desuper posito, seu vineis, olicis, campis, totum et ad integrum re inexquisita. E contra ad vicem accepit ille de parte sua manso in pago illo, in loco qui dicitur illo, ubi accola commanet, id est, tam mansis, vineis, olicis, totum et ad integrum re inexquisita, etiam aurum, argentum, drapalia, aeramen, peculium, praesidium utriusque sexus, mobile et immobile, inter se aequalentia visi fuerunt dividissent, et pars contra pare suo invicem tradiderunt, et per eorum fistucam pars contra pare suo se exinde exitum fecerunt; ita ut ab hodierno die unusquisque quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus nostris, vel quislibet opposita persona, qui contra hanc epistolam loco pactionis venire conaverit, inferat pars pare suo cui litem intulerit ista tota servante una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, et praesens epistola pactionis omni tempore firma permaneat.

Donatio ad casam Dei.

XL. Domino vere sancto ac reverentissimo Monasterio illo quod est constructum in honore sanctae Mariae semper virginis genetricis Dei et Domini nostri Iesu Christi, vel caeterorum dominorum suorum, quorum Reliquiae ibi conditae sunt, et inluster Deo sacrata illa Abbatissa una cum norma plurimarum ancillarum Dei ad laudem Christi canendum custrix praeesse videtur, ego in Dei nomine femina

aliqua nomine illa dono ad praefato Monasterio à die praesente, donatumque in perpetuum esse volo, et de iure meo in iure et dominatione ipsius Monasterii vel suis Rectoribus trado atque transfundo ad possidendum, pro eo quod in ipso Monasterio sub religione et sancta conversatione habitare debeam, hòc est, res meas in pago illo, in loco nuncupante cuius vocabulum est illo et illo, in grafia illa, super fluvium illum, quantumcunque à die praesente in iamdicta loca visa sum tenere vel possidere, quod manente coniugio apud iugale meo illo visa sum conquisisse, vel in mea portione recepi, vel quantumcunque de filio meo nomen illo de luctuosa hereditate mihi obvenit, sicut dixi, quantumcunque in haec loca à die praesente mea est possessio vel dominatio, totum et ad integrum ad ipso Monasterio à die praesente de iure meo in iure ipsius Monasterii et suisque Rectoribus trado atque transfundo ad possidendum, hoc est, tam terris, mansis, una cum superpositis, domibus, aedificiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, cultis et incultis, adiacentiisque omnibus, aquis, aquarumve decursibus, una cum mancipia tanta his nominibus illa, sicut dixi, inexquisita portione mea ad integrum publice trado atque transfundo ad possidendum; ut quicquid ab hac die ipsa Abbatissa vel Rectores ipsius Monasteriae ad profectum ipsius exinde facere voluerint, liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, quod.

Precaria ad casam Dei.

XLI. Domini viri sancti atque ostensione crucis patibulum mirabilis remuneratione fulgente basilicae, quae in honore sancta Maria et sancti Petri et sancti Pauli princeps Apostolorum, Gaico Monasterio constructo in pago Wastinense, et inlustri Abbatissa illa inibi constris praeesse videtur, una cum norma plurima ancillarum Dei ibidem consistentium, ego illa femina. Dum non habetur incognitum, sed à pluris est manifestum, quod ego res proprietatis meae in loco qui dicitur illo per epistolam donationis ad ipso Monasterio vestro delegavi, propterea expetivi à vobis, et petitione mea non denegasti, ut ipsas res, quandiu advivo, sub uso beneficio vestro tenere et usare debeam, et aliubi ipsas res alienare pontificium non habeam, et post meum quoque discessum, cum re immeliorata ad ipso Monasterio absque ulla exspectata traditione vos vel Rectores ipsius Monasterii in eorum faciant revocare potestatem et dominationem, et vos reverentia discorditis ut inpostmodum mea possessio aliqua praeiudicio ex hoc generare non debeant. Propterea hanc precariam in vos vel in ipso Monasterio vestro emittendo decrevi, ut neque ego, neque ullus, de heredibus meis,

quamvis per longinqua spatia ipsas res ad usandum habeo, agere nec repetere non debeamus. Quod qui fecerit, inferat vobis vel partibus ipsius Monasterii suisque Rectoribus auri libra una, argento pondo duo, et praesens precaria firma permaneat, et ut alias precarias de quinquennium in quinquennium renovantur, ista vero non sit necesse renovandi, sed per semetipsam omnique tempore obtineat firmitatem, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

Praestaria.

XLII. Dulcissima femina illa, ego illa Abbatissa. Dum non est incognitum qualiter tu ante hos dies rem proprietatis tuae in pago illo, in loco qui dicitur ille, ad Monasterio sanctae Mariae adfirmasti, unde precaria nobis vel ab ipso Monasterio adpetisti, propterea has litteras in te adfirmavimus, ut dum advivis, usualiter ipsam rem tenere et dominare debeas, et aliubi ipsas alienare pontificium non habeas. Et si hoc conaveris facere, ipsam rem à die praesente perdas. Et ut has litteras vires firmiores obtineas, manu nostra subter adfirmavimus, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

Tradituria de terra.

XLIII. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis Advocatus sancto illo de Monasterio illo ad res illas, in pago illo, in loco cuius vocabulum est ille, quas ante hos dies femina aliqua nomine illa per suo instrumento ad ipso Monasterio visa fuit delegasse cum omni integritate, sicut in ipsa donatione constat; quod portio sua est ad integrum à die praesente Missus ipsius feminae ille ipsius Misso Monasterii nomine illo per ipso ostio de ipsa casa per.... herbam et cespitem, sicut lex est, ipsius Misso ad partem sancto illo vel ipso... visus est tradidisse, et per sua fistuca ipso Misso vel ipsa femina de ipsas res se exitas ex omnibus esse dixit. Id sunt.

Emunitas Sanctorum.

XLIV. Ille Rex Francorum vir inluster. Quotienscunque petitiones Sacerdotum aut ancillarum Dei ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, et nobis ad mercedem vel ad stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Ideoque Dominis viris sanctis ac venerabilibus apostolicis in Christo patribus omnibus Episcopis, vel omnibus Abbatibus, seu inlustribus atque magnificis viris Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, seu omnes Vassos nostros, vel omnes Missos nostros discurrentes. Cognoscatis quod inlustris Abbatissa illa de Monasterio illo,

in pago illo, in loco qui dicitur ille, in honore Sancti illius constructo, una cum Monichas vel Dei ancillas ad laudem Christi canendum sub religionis norma conversari videntur, clementia regni nostri suggestionem intulit eo quod gloriosus Domnus et Genitor noster ille quondam Rex per sua praeceptione sua manu roborata talem immunitatem ad ipsa casa Dei, Sancto illo, vel seu Monasterio illo, vel ipsa Abbatissa habuisset concessum atque indultum ut nullus Episcopus aut Archidiaconus loci illius nisi orationem aut praedicationem lucranda gratia, ut nullus Iudex publicus quislibet iudiciaria potestate accinctus in.... villis ipsius Monasterii nullum debuisset habere introitum, nec causas audiendas, nec freda exigenda, nec fideiussores tollendos, nec mansiones aut paratas requirendas, nec nullas retributiones exactandas, et quod fiscus noster exinde exigere poterit, nullatenus exactetur nec requiratur. Unde et confirmationes anteriorum Regum parentumque nostrorum nobis in praesente protulit relegendas, et petiit celsitudine nostra ut circa ipso Monasterio nostro hoc deberet auctoritas generaliter confirmare. Cui nos hunc beneficium gratante animo pro mercedis nostrae augmentum non solum confirmasse, sed etiam in novo sub immunitatis nomine concessisse. Denuo per hunc Praeceptum specialius decernimus ordinando, atque omnino iubemus, quod in perpetuum absque ullis obstaculis et refragationibus volumus esse mansurum cognoscite, praecipientes ut sicut constat in supradictis titulis scriptum esse ut illud Monasterium maneat absque ullum introitum Episcopi aut Archidiaconi, nisi orationem aut praedicationem lucrando, ut nullus Iudex publicus in curtes vel villas ipsius Monasteriae nullum debeat habere introitum, nec causas audiendas, nec freda exigenda, nec fideiussores tollendos, nec mansiones aut paratas requirendas, nec nullas retributiones exactandas, et quod fiscus noster exinde exigere poterit, nullatenus exactetur nec requiratur, nisi, ut diximus, pro mercedis nostrae augmentum, sicut ab antecessores Reges parentes nostros seu et Domno et glorioso genitore nostro illo quondam Rege moderno tempore fuit concessum atque indultum, ita per nostris oraculis plenius confirmamus, quod in perpetuum volumus esse mansurum. Et ut haec praeceptio firmior habeatur et per tempora melius conservetur, manu nostra signaculis subter ea decrevimus roborare, et de anolo nostro subter segelavimus.

Indiculum regale.

XLV. Karolus, gratia Dei Rex Francorum, tam praesentibus quam et futuris Domnis sanctis et Apostolicis, ac venerabilibus in Christo Patribus, Ducibus, Comitibus, Do-

mesticis, Vicariis, Centenariis, vel omnis Agentes nostros, et iuniores ac successoresque nostros, vel omnes amicos nostros, seu et omnes Missos nostros discurrentes. Cognoscat magnitudo seu almitas vestra quod nos partibus nostris bene habemus compertum quod dominus taliter illius fidele nostro illo illa merito suo compellente concessimus, ubicunque infra regno Deo propitio nostro homines sui ad negotium exigendum advenerint, nullus quislibet de iudiciaria potestate vestra nec Missus noster nulla telonea, nec nullas venditas, nec rodaticus, nec foraticus, nec pontaticus, et, sicut dixi, nullus quislibet teloneo nec venditas eius in nullo exactare non praesumatis; nisi, ut diximus, in quascunque portus civitatis seu mercada nullo contradicentes suos vin, vel suus commercius quislibet negotium absque ullo contradicente potestatem habeat vendendi, quia nos taliter ei habemus concessum. In reliquo vero de parte nostra vel vestra ex nostra indulgentia visi fuimus concessisse atque indulsis se, seu et in omnibus confirmasse. Et ut haec praeceptio nostra firmior appareatur et per tempora conservetur, manu nostra propria subter eam decrevimus adfirmare.

Relatum quod dicitur apennis.

XLVI. Mos nobilium Romanorum adsuevit, et ratio iure deposcit, ut si cuiuscunque domus igne crematur, is per seriem scripturarum chartulam relationis, quod dicitur apennis, recipiat. Quamobrem cum quadam die inluster ille Comes ad multorum causas audiendum vel recta iudicia terminandum una cum pluribus personis resideret; ibique veniens homo aliquis nomine ille suggerit intulit eo quod ante hos dies, casu faciente, casa sua cum omni mobili, vel intro domo compendia, seu et strumenta chartarum ibidem igne cremassent. Et quia ille iudex vel vicini pagenses ipsius ad praesens venientes ita dixerunt vel testimoniaverunt quod ad hoc videndum accesserant, sic vero et actum aderat, sic supradictus ille Comes vel reliquis francis personis iuxta praesorium retroque praecedentium chartola relationis, quae dicitur apennis, ei dare decreverunt, ut quicquid ex accessione parentum aut ex contractu habebat, tam per venditiones, cessiones, iudicia, obnoxiationes, cautiones, commutationes, seu quod per caeteris scripturis ad eum pervenit, dominum vel potestate inceps perveniatur in suo iure absque refragationis vel modolationis in suo permaneant, vicinarum manu propria subter roboravimus et post nostro roborare decrevimus.

Hereditoria.

XLVII. Dulcissima filia mea illa, ille. Dum non est incognitum, sed per populum devulgatum et patefactum,

quod ego in ancilla mea nomine illa tibi generavi, et postea ante Domno illo Rege iactante denario secundum Legem Salicam te ingenuam dimisi, et tu minime in hereditate mea succedere potebas, propterea ego hanc chartulam hereditoriam in te fieri et adfirmare rogavi ut si tibi Dominus iusserit quod mihi in hunc seculum suprestis apparueris, de omnes res meas, tam ex alode parentum meorum quam et ex meum contractum mei obvenit, in hereditate succedas, tam terris, mansis, domibus, aedificiis, mancipiis, litis, libertis, accolabus, merito accolanarum, vineis, olicis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, in quibuscunque pagis, aut territoriis, seu agris vel omnibus locis ubi habere videor, etiam peculium, praesidium utriusque generis et sexus, aurum, argentum, drapalia mobile et immobile, quicquid dici aut nominari potest, quantumcunque moriens de meum dereliquero, in omnes res meas in hereditate apud germanos tuos filios meos succedas, et aequalentia inter vos exinde dividere vel exaequare faciatis; et quod ad parte tua exinde recipis, quicquid exinde facere volueris, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliqui de heredibus meis, vel quilibet opposita persona, qui contra hanc chartolam hereditoriam istam, quam ego plenissima voluntate mea fieri et adfirmare rogavi, venire conaverit, tibi una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, et praesens hereditoria omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

Redemptionale.

XLVIII. Dilectissimo mihi bene merito illo, ille. Omnibus non habetur incognitum, sed patefactum, quod tu quotidie in bonis partibus fideliter mihi deservire non cessas, et pro respectu servitii tui, et pro fidelitate tua, quam circa partibus meis impendere non desistis, mihi praepatuit plenissima et integra voluntas, propter nomen Domini, ut de servitio meo temetipsum vel omne peculiare tuum redimere deberes. Quod ita et fecisti; et dedisti mihi pro hoc quod mihi bene complacuit, tam in argento quam in amicto, valentes solidos tantos. Propterea hanc chartulam redemptionalem in te fieri et adfirmare rogavi, ut taliter sias ingenuus tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus vel natus, cum omni peculiare tuo; et nec mihi, nec ulli heredum meorum nullum impendas servitium, nec hominium, nec libertaticum, nec nullum obsequium, nec patronaticum; sed eam pergas partem quam volueris, liberamque et firmissimam in omnibus habeas potestatem; et neque servitio, nec. onio nec libertatico,

nec patrocinium, nec nullum obsequium, nec ego ipse, nec ullus de heredibus meis, nec quislibet opposita persona, tibi exinde nullas calumnias, nec fatigationes, nec repetitiones agere, nec generare, nec repetere non debeamus. Quod qui tentaverit, et à me vel heredibus meis defensatum non fuerit, inferamus tibi una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, et praesens redemptionale omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

Heredetoria.

XLIX. Dulcissima atque in omnibus amantissima filia mea illa. Ego enim vir magnificus ille. Omnibus non habetur incognitum quod, sicut Lex Salica continet, de res meas, quod mihi ex alode parentum meorum obvenit, apud germanos tuos filios meos minime in hereditate succedere potebas. Propterea mihi praepatuit plenissima et integra voluntas ut hanc epistolam heredetoriam in te fieri et adfirmare rogavi, ut si mihi in hoc seculo subprestis apparueris, in omnes res meas, tam ex alodo parentum meorum quam ex meo contractu mihi obvenit, in pago illo, in loco qui dicitur ille, et in quibuscunque pagis aut territoriis, ubicunque habere videor, tam mansis, domibus, aedificiis, vineis, olicis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, quicquid dici aut nominari potest, quantumcunque de meo proprio moriens dereliquero, in omnes res meas in hereditate apud germanos tuos filios meos succedas, et aequalentia inter vos exinde dividere vel exaequare faciatis. Et quod ad partem tuam exinde recipis, quicquid exinde facere volueris, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo.

Cautio de vinea.

L. Domino fratri illo ille. Ad petitione mea mihi non denegasti, nisi ut in summa necessitate mea argento vel amicto valentes solidos tantos in manu mea ad praestitum beneficium mihi praestitisti. Propterea oppignoro tibi vineam proprietatis meae in pago ille, in loco qui dicitur illo aripennos tantos. Subiungit de ambobus lateribus et ambobus frontibus terra lui, infra ipsa terminatione et mensura ad integrum, et usque annos tantos fructum quem ibidem Deus dederit, ad parte tua elidiatum habere debeas et per temetipsum ipsa mea condirgere facias; et quomodo ipso fructus tantos annos transactos habueris, et debito tuo tibi reddidero, cautionem meam per manibus recipiam, stipulatione subnixa. Actum illo.

Securitas.

LI. Non minima, sed maxima vertitur discordia inter illo et illo. Venientes in loco illo ante bonis hominibus, repetebat ipse ille in causa sua, vel in coniuge sua illa, adversus ipsius lue, dum diceret eo quod ipsa genua sua impinxerit, et filia eorum nomine illa cessisset, et ipsam ibidem occisit; sed ipsa illa hanc causam minime potuit denegare. Exinde taliter ad ipsos bonis hominibus fuit iudicatum ut illam leudem, ut lex erat, ipsius luo solvere deberet. Quod ita in praesente fecit, et servo suo nomine illo vel alia rauba sua ipsa illa pro illa leude ipsius lue vel coniuge sua illa, in quod eis bene complacuit, dedit. Propterea iam dictus ille et coniux sua illa hanc securitatem in ipsa illa vel..... go suo fieri et adfirmare rogaverunt, ut nullo unquam tempore de iam dicta causa, nec de illa morte, nec de ipsa leude, nullas calumnias, nec repetitiones, nec fatigationes nec nos, nec ullus de heredibus nostris, nec quislibet opposita persona agere, nec generare, nec repetere non debeamus. Quod qui attentaverit et à nobis vel heredibus nostris defensatum non fuerit, inferamus tibi una cum socio fisco auri uncias tantas, argento pondo tanto esse multando, et praesens securitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

Donatio ad filios.

LII. Gesta lex et consuetudo exposcit ut quaecunque persona naturales filios habuerit, et alios plures non habuerit, si eos in sua voluerit instituere hereditate, qualiter in suum potius arbitrium ad faciendi de id pater hoc quod in eos voluerit, liberam habeat potestatem. Ideoque ego ille, dum non est incognitum quod femina aliqua nomen illa bene ingenua ad coniugium mihi sociavi uxore, sed qualis causas vel tempora me oppresserunt ut chartolam libelli dotis ad eam, sicut lex declarat, minime excessit facere, unde ipsi filii mei, secundum legem, naturales appellantur, et filios in ea generavi, quibus baptismo nomen imposuimus illos et illos, propterea volo ut praedicti filii mei in omni corpore facultatis meae in pago illo, in loca denominantes illos et illos, in legitimam successionem debeatis addere appatuere, hoc est, tam terris, mansis, una cum superpositis domibus, aedificiis, utriusque generis sexus peculiis, mancipiis ibidem commanentibus, tam ibidem quam et aliunde translatis, sicut dixi, quod nostra est possessio, et quod de successione parentum nobis obvenit, tam de alode, quam de comparato, vel de qualibet adtractu ad nos

noscitur pervenisse, et quicquid à die praesente nostra est possessio vel dominatio, cum omni iure et merito et omni re inexquisita quandoquidem moriens dereliquero, in vestra debeatis revocare potestate et dominatione, et faciatis exinde iure proprietario quod volueritis, et nullus vobis de omni hereditate mea repudiare non debeat, nec facere possit, stipulatione subnixa.

Mandatum.

LIII. Dulcissimo amico meo illo, ego ille. Rogo atque iniungo caritate tua ut hias ad vicem meam ad civitate illa, ad illo defensore et illo professore, vel curia publica ipsius civitatis, et hanc epistolam, qua ego filios meos illos in totius hereditatis meae legitima successione instituere et legitimos filios meos, sicut in ipsius epistolae textu continetur, conscribere volui, ea gestis municipalibus, ut mos et lex est, iuxta morem et consuetudinem alligare atque firmare facias, ad prosecutionem celebratam. Quod tibi rogo mihi rescribere pigrum non graveris, stipulatione.

Heredituria de hereditate.

LIV. In nomine Domini. Anno illo Domni nostri illius Regis, mense illo, gesta habita apud laudabile viro illo defensore et illo professore vel curia publica ipsius civitatis, ille ait. Quaeso vobis, optime defensor, ut mihi codices publicos patere iubeatis, quia habeo quaedam prosequere quae gestorum allegatione cupio roborari. Memorati defensor et ordo curiae dixerunt: Patent tibi codices publici, prosequere quae optas. Ille dixit: Amicus meus ille mihi iniunxit per suum mandatum solemniter roboratum ad laudabilitatem vestram accedere debere, et hanc epistolam, quam ipse, sicut textus declarat, in praedictos filios suos illos conscripsit, pro eo quod in bene ingenua femina illa ipsos generavit, et tamen chartolam libelli dotis ei secundum legem non adfirmavit, propterea iam dicti filii secundum legem naturales appellantur, ita antedictus pater eorum ei complacuit ut ipsos secundum legem Romanam in ipsa civitate ante curiam publicam debeat in legitima totius hereditatis suae instituere hereditate, ita et fecit, dum improlis, nec legitimos infantes non habuerit, ipsos in legitima hereditate pro legitimis filiis in omnes causas recepit; ut praedicta epistola iuxta morem et consuetudinem gestis municipalibus alligari atque firmari debeat. Suprascriptus defensor una cum suis curialibus vel subscriptionibus instituerunt vel inobedierunt

sub signaculis. Et haec gesta quomodo est conscripta, manu eorum roborata, ci visi fuimus tradidisse, stipulatione subnixa. Actum.

Epistola.

LV. Magnifico amico meo illo, ego ille. Cognoscas iuxta iniunctionem tuam, ut per tuum mandatum mihi rogasti, ad illa civitate ad illo defensore vel curia publica ipsius civitatis me accessisse, et hanc chartolam, qua infantes tuos, quod naturales sunt, in legitima hereditate secundum legem instituisti, sicut in ipsa chartola tam de rebus quam et de ipsa munera ad ipsius infantes continetur, gestis municipalibus iuxta morem et consuetudinem allegasse atque firmasse cognoscas, et de persecutione celebrata, quod mihi rogasti, rescribere vel prosequere mihi pigrum non fuit, stipulatione subnixa.

Gesta manumissionis.

LVI. Quod secundum legem Romanam actum est nullatenus revocetur. Itaque sub die illo, anno illo regni Domni nostri illius Regis, Indictione illa, vir venerabilis ille Diaconus testatur eis quia stabili sub scripturis manumittere in Ecclesia illa vindictaque liberare famulo illo suo nomen illo bene sibi merito secundum constitutionem bonae memoriae Constantini legis, qua fixum est ut omnes qui sub oculis Episcoporum, Presbyterorum, seu Diaconorum in Ecclesia manumittuntur, ad civitatem pertineat, et ab Ecclesia defensetur, et vult eum iuxta consuetudinem, cuius commemoratio subpravida est, ad civitatem pertinere Romanam, ea tamen conditione ut eat ubique, quam voluerit partem pergat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus, et nulli heredum ac proheredum meorum minime quicquam debeat servitutis, nec libertinitatis gratiam, nec patronatus obsequium, sed, sicut dixi, sub integra et legitima ingenuitate debeat permanere ingenuus atque securus, et semper ad civitatem debeat pertinere Romanam, testamentum etiam faciendi liberam in omnibus habeat potestatem. Si quis vero.

Traditoria.

LVII. Notitia traditionalis, qualiter vel quibus praesentibus venit homo aliquis nomine ille ad illo manso, quem ante hos dies per chartolam venditionis ad filium suum adfirmavit, per . . . . visus fuit tradidisse vel consignasse, et exitum inde fecisse. His praesentibus.

Obnoxiatio.

LVIII. Domino meo semper, ego enim ille. Dum non est incognitum qualiter instigante parte adversa mihi contigit quod ego caballo ad homine aliquo nomine illo in texaga subduxi, unde et de furto victus apparui, et vitae periculum exinde incurrere potueram, et ego non habeo unde ipsum facinus vel ipsum furtum emendare vel satisfacere debeam, propterea expetivi à vobis, et habuit pietas et dignatio vestra. Et reliqua.

FORMULAE SIRMONDICAE,

SIVE

FORMULAE VETERES

Secundum Legem Romanam, primo editae ex codice clarissimi viri Iacobi Sirmondi.

INCIPIUNT CAPITULA.

EXPLICIUNT CAPITULA.

Donatio Ecclesiae.

I. Mundi terminum adpropinquantem ruinis crebrescentibus iam certa signa manifestantur. Idcirco ego in Dei nomine ille considerans gravitudinem peccatorum meorum et reminiscens bonitatem Dei dicentem: Date eleemosynam et omnia munda fiunt vobis.

Item alio modo.

Si aliquid de rebus nostris locis Sanctorum vel in substantia pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in aeterna beatitudine retribuere confidimus. Ego quidem de tanta misericordia et pietate Domini confisus, per hanc epistolam donationis dono donatumque in perpetuum esse volo ad basilicam sancti Martini, ubi ipse pretiosus corpus requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti, et venerabilis vir ille Abbas praeesse videtur, villam iuris mei nuncupantem illam, sitam in pago illo, in condita illa, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cum exiis et ingressis, mobilibus et immobilibus, cum omnibus appendiciis suisque adiacentiis, sicut à me praesenti tempore videtur esse possessum, totum et ad integrum de iure meo in vestra vel sancti Martini iure proprietario trado atque transfundo; ea vero ratione ut quandiu advixero, sub usu beneficii vestri absque ullo praeiudicio vel diminutione aliqua praedictas res tenere et usurpare debeam, et post meum quoque discessum, quicquid in iam dicta villa vel in fini-

bus suis additum, adtractum, emelioratum, repertumque fuerit, et transitus meus ibidem dereliquerit, cum omni supraposito, rectores ipsius Ecclesiae agentesque illius absque ullius expectata traditione, vel Iudicum consignatione in nostra eleemosyna vel substantia Monachorum ibidem vitam degentium, Christo protegente, tanquam si ad praesens absque usu nostro eorum fuisset obsecuta possessio, in eorum faciant revocare potestatem vel dominationem; ita ut quicquid exinde pro opportunitate Monasterii facere decreverint, liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem. Et si fuerit ulla quislibet persona qui praeter istum, alterum strumentum exinde praesentaverit, aut anteriorem aut posteriorem, quod nos nec fecimus nec facere rogavimus, nullum sortiatur effectum, nisi vacuum et inane permaneat; auctorem vero criminis vel falsarium iudiciaria potestas condemnet. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc donationem aliquid refrangere vel calumniam generare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos quingentos componat, et haec donatio cum stipulatione subnixa inlibata permaneat. Actum in illo loco.

Mandatum.

II. Magnifico fratri illo, ego ille, filius illius. Rogo, supplico, atque tuae caritati iniungo ut ad vicem meam civitatem illam adeas, et donationem illam, quam ego partibus illius de locis nostris nuncupantibus illis, sitis in pago illo, per mea legitima strumenta confirmavi, gestis municipalibus cum curia publica et defensore facias alligare vel prosequere, et de ipsa prosecutione mihi reddas certiorem. Et quicquid exinde egeris gesserisve, ratum à me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum, ut pleniorem obtineat vigorem, manu propria subter firmavi et bonorum virorum subscriptione roborandum decrevi.

Gesta.

III. Anno illo, regnante Rege illo, sub die illo, cum conventum Turonus civitate adfuisset, adstante venerabili viro illo defensore, una cum honoratis principalibus suis, venerabilis vir ille dixit: Rogo te, venerabilis vir ille defensor, ut mihi codices publicos patere iubeatis, quia inluster vir ille per hoc mandatum ad me speravit ut donationem illam, quam de rebus suis propriis, de locis nuncupantibus illis, sitis in pago illo, partibus illius per legitima strumenta confirmavit, gestis municipalibus cum curia publica et defensore prosequere et alligare

deberem. Ecce ipsam donationem; iubete eam recitari. Venerabilis vir ille defensor et ordo curiae dixerunt: Codices publici te patefaciant, et ille amanuensis hanc donationem accipiat vel recitetur. Qui statim accipiens, per ordinem eam recitavit. Iam dictus prosecutor: Et quia petitiones meas laudabilitas vestra per ordinem implere dignata est, rogo ut publica monumenta suscipiat. Et patefactis codicibus, gesta cum à vobis fuerit subscripta, mihi nobilitas vestra, ut mos est, tradi praecipiat. Venerabilis vir ille defensor et ordo curiae dixerunt: Gesta cum à nobis fuerit subscripta, et à venerabili viro illo amanuense edita, tibi tradatur ex more, ut facilius quod superius insertum est diuturno tempore maneat inconvulsa.

Cessio.

IV. Latores legum sanxerunt ut quicquid unusquisque alteri cesserit, profiteatur se tantum rem cessisse, vel concedi, et sola voluntas illius aut scriptura aut testibus comprobata pro omni firmitate sufficiat. Igitur ego in Dei nomine ille fideli nostro illo cedo tibi à die praesente cessumque in perpetuum esse volo, hoc est, villa iuris nostri nuncupante illa sita in pago illo, in condita illa, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omnibus appendiciis suisque adiacentiis, cum omni supraposito vel quicquid in iam dicto loco à die praesente tenere et possidere videor; ita ut quicquid exinde facere volueris, iure proprietario liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem: quia malo hoc te habere quam me, plus te quam caeteris heredibus meis. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc cessionem aliquid refragare vel calumniam generare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit, una cum socio fisco, inferat solidos tantos, et haec cessio meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, diuturno tempore maneat inconvulsa. Actum.

Venditio.

V. Magnifico fratri illo, ego ille. Constat me tibi vendidisse, et ita vendidi, rem proprietatis meae, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus, et immobilibus, totum et ad integrum cum omnibus appendiciis vel adiacentiis suis vel omni supraposito, sicut à me

praesenti tempore videtur esse possessum, de iure meo in tua trado potestate vel dominatione, unde accepi à te pretium in quod mihi bene complacuit, illis praesentibus qui subter tenentur inserti, valentem solidos tantos. Ita ut ab hodierna die quicquid exinde facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, et haec venditio firma permaneat.

Obligatio.

VI. Domino venerabili illo, ego in Dei nomine ille. Dum et omnibus habetur percognitum qualiter vestro accepto pretio rem proprietatis meae sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate, vel quicquid à me praesenti tempore inibi fuit possessum, vobis per venditionis titulum distraxi. Sed postea mea fuit petitio, et vestra decrevit voluntas, ut mihi ipsam rem usufructuario ordine conservare iuberetis. Quod ita et fecistis. Et ego pro huius merito beneficii, obligo vobis rem proprietatis meae, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate sua, vel quicquid ibidem praesenti tempore à me videtur esse possessum. Ea vero ratione ut quandiu in caput advixero, utriusque partibus sub vestro praetexto tenere et usurpare debeam, et mihi exinde non liceat aliubi nec vendere nec donare nec in nullo modo distrahere, nec ipsos usus in alterius manus transferre. Sed post meum quoque discessum, absque ullius expectata traditione vel Iudicum consignatione absque diminutione rerum vel mancipiarum, cum omni supraposito, vel quicquid in ipsa loca aspicere vel pertinere videtur, vos heredesque vestri, vel cui à vobis permissum fuerit, in eorum faciant revocare potestatem vel dominationem. Et si fuerit aut ego ipse, aut ullus ex heredibus meis, vel quislibet persona qui contra has obligationes aliquam calumniam vel repetitionem aut contemptum generare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos ducentos componat, et hae obligationes uno tenore conscriptae firmae permaneant.

Precaturia.

VII. Domino venerabili illo Rectori Ecclesiae illius vel omni Congregationi ibidem consistenti, ego enim ille. Ad meam petitionem vestra decrevit voluntas ut mihi vil-

lam vestram, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni merito ad se pertinente vel aspiciente, usufructuario ordine mihi conservare iuberetis. Quod ita et fecistis. Ea vero ratione ut mihi exinde non liceat aliubi nec vendere, nec donare, nec in nullo modo distrahere; sed sub vestro praetexto, quatenus decretum vestrum manserit, hoc tenere et usurpare faciam. Unde censivi me annis singulis ad festivitatem ipsius Sancti partibus vestris reddere argentum tantum. Et post meum quoque discessum suprascriptam rem cum omni integritate et soliditate sua, quicquid ibidem aspicere vel pertinere v detur, cum omni supraposito, vel quicquid ibidem transitus meus dereliquerit, absque ullius expectata traditione vel Iudicum consignatione, aut heredum meorum repetitione, vos agentesque ipsius Ecclesiae in eorum faciant revocare potestatem vel dominationem. Et si fuerit aut ego ipse, aut nullus de heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc precatoriam aliquam calumniam vel repetitionem aut contemptum generare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos centum componat, et haec precatoria, quamvis per diversorum annorum curricula à me fuisset possessa, nullum praeiudicium vobis non praeparetur, sed ita firma permaneat quasi per quinquennium fuisset renovata, cum stipulatione subnixa, omni tempore inviolata permaneat.

Item venditio.

VIII. Magnifico fratri illo, ego ille. Constat me tibi vendidisse et ita vendidi infra terminum Sancti illius, in loco nuncupante illo, campum vel vineam iuris mei, habentem aripennos tantos. Est quidem de uno latere et fronte terra illius, de alio latere et fronte terra illius. Unde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit, valentem solidos tantos, ita ut ab hodierna die quicquid de supradicta re facere volueris, liberam habeas potestatem, salvo iure ipsius Sancti. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare praesumpserit, contra cui litem intulerit solidos quindecim componat, et haec venditio firma permaneat.

Venditio de servo.

IX. Magnifico fratri illo, ego ille. Constat me tibi vendidisse et ita vendidi servum iuris mei nomine illum, non fugitivum, sed sanum corpore, bonisque moribus constructum. Unde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit, valentem solidos tantos. Ita ut ab hodiernā die

quicquid de supradicto servo facere volueritis, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare praesumpserit, contra cui litem intulerit solidos sexaginta componat, et haec venditio firma permaneat.

Venditio de semetipso, qualiter homo liber venundetur.

X. Domino semper meo illo, ego ille. Placuit mihi ut statum ingenuitatis meae in vestrum deberem obnoxiare servitium. Quod ita et feci. Unde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit, solidos tantos, ita ut ab hodierna die quicquid de me servo tuo, sicut et de reliqua mancipia tua, facere volueris, à die praesente liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit ulla quislibet persona qui contra hanc venditionem, quam ego mea spontanea voluntate fieri et adfirmare rogavi, qui contra eam aliquid agere vel calumniam generare conaverit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit auri libram unam, argenti pondo quinque coactus exsolvat, et haec venditio firma permaneat.

Epistola collectionis.

XI. Nos quoque in Dei nomine matricularii Sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiae observanda convenissemus, ibique infantulum sanguinolentum, periculo mortis imminente, pannis involutum invenimus, et ipsum per triduum seu amplius apud plures homines inquisivimus quis suum esse diceret, et non invenimus, cui nomen ipsum imposuimus. Sed postea pietate interveniente, et Domini misericordia opitulante, ipsum infantulum homini aliquo nomine illo ad nutriendum dedimus; ut si, Deo praesule, convaluerit, ipsum in suis servitiis ac solatiis iuxta legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valentem sol. tantos. Ut praesens epistola firmior sit, manibus propriis eam subter firmavimus, et bonis hominibus roborandam decrevimus, secundum sententiam illam quae data est ex corpore Theodosiani libri quinti, dicens: *Si quis infantem à sanguine emerit, si nutritum dominus vel pater eum recipere voluerit, aut eiusdem meriti mancipium, aut pretium nutritor quantum valuerit consequatur.* Et ut praesens epistola firmior sit, manu nostra propria eam subter firmavimus, et bonis hominibus roborandam decrevimus. Actum.

Ingenuitas.

XII. Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, praemium in futuro apud Dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille pro remedio animae meae vel aeterna retributione servum iuris mei nomine illum ingenuum esse praecipio, et in sacrosancta Ecclesia beatissimi Sancti illius, sub praesentia Sacerdotum ibidem consistentium, ante cornu altaris ab omni vinculo servitutis eum absolvo, ita ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus, eat, pergat partem quam maluerit, et sicut alii cives Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum vel filiarum ex ipso orta fuerit, similiter vivat ingenua; et nulli heredum meorum nec cuicunque aliae personae quicquam debeat servitutis nec libertinitatis obsequium, nisi soli Deo cui omnia subiecta sunt, vel pro cuius amore ipsum devotus obtuli. Peculiare quod habet, aut in ante laborare potuerit, cessum in perpetuum habeat. Patrocinium et defensionem cuicunque se elegerit, in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc ingenuitatem venire aut eam refragare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos sexaginta componat, et praesens ingenuitas meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, omni tempore maneat inconvulsa.

Cautio.

XIII. Magnifico fratri illo, ego ille. Ad meam petitionem vestra decrevit voluntas ut mihi beneficium de rebus vestris illis inter annos tantos facere deberetis. Quod ita et fecistis. Et ego pro huius merito beneficii oppignoro tibi locellum rem proprietatis meae nuncupantem illum, situm in pago illo, cum omni sua integritate vel soliditate. Ea vero ratione ut quomodo iam dicti anni adimpleti fuerint, et tu fructus ipsius terrae per quinque annos tantos exinde collegeris, ego supradictum debitum tuum tibi desolvam, et rebus meis una cum cautione mea de manibus tuis recipiam. Et si neglegens aut tardus exinde apparuero suprascriptum debitum tuum in duplum partibus tuis sum redditurus.

Donatio in sponsa facta.

XIV. Lex et consuetudo exposcit ut quicquid inter sponsum et sponsam de futuris nuptiis fuerit definitum vel largitum, aut ex consensu parentum, aut ipsi, si sui iuris sunt, scripturarum solemnitate firmetur. Idcirco ego in Dei

nomine ille, dum multorum habetur percognitum quod ego te illa, una cum consensu parentum vel amicorum nostrorum, tua spontanea voluntate sponsavi, mihi placuit ut aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem. Quod ita et feci. Ergo dono tibi donatumque esse volo locellum rem proprietatis meae nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omni supraposito suisque adiacentiis, tam de alode quam et de comparato, seu de qualibet adtractu, totum et ad integrum, sicut à me praesenti tempore videtur esse possessum, et in fabricaturas aurum tantum, argentum tantum, vestimenta. Haec omnia superius iam dicta per hunc titulum libelli dotis diebus nuptiarum tibi sum impleturus vel traditurus, ita ut dum advixeris secundum legis ordinem teneas atque possideas, nostrisque qui ex nobis procreati fuerint filiis vel filiabus derelinquas. Si quis vero, si ego ipse, aut ulla quislibet persona fuerit qui contra hanc donationem aliquid agere vel calumniam generare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos centum componat, et haec donatio meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, firma permaneat.

Traditio ad sponsam.

XV. Dum multorum habetur percognitum qualiter ego ille puellam aliquam nomine illam una cum consensu parentum vel amicorum nostrorum legibus sponsavi, et aliquid de rebus meis ei donare ante dies nuptiarum disposui, ideo placuit mihi ut de ipsis rebus misso ipsius puellae nomine illo traditionem vel introductionem locorum secundum Legem Romanam facere deberem. Quod ita et feci. Ergo trado ei et tradidisse me constat locellum rem proprietatis meae nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, vel caetera quae sequuntur, aurum, argentum, vestimenta. Haec omnia superius iam dicta te ille ad vicem sponsae meae tibi trado, ita ut tempore nuptiarum in iam dictae sponsae meae eveniant potestatem, ita ut secundum legis ordinem teneat atque possideat. Et si contra hanc traditionem aliquid refragavero, partibus ipsius puellae solidos tantos componam, et haec traditio firma permaneat.

Charta in puellam facta ab eo qui illam invitam traxerit

XVI. Viventibus patribus inter filios familias sine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur, sed coniuncta non solvuntur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dul-

cissima coniux mea illa, dum et te sine voluntate parentum tuorum rapto scelere in meo sociavi coniugio, unde vitae periculum incurrere debui, sed intervenientibus Sacerdotibus vel bonis hominibus vitam obtinui. Ideo placuit mihi ut per hanc epistolam compositionalem, aut si convenit cessionem, aliquid de rebus meis tibi confirmare deberem, quod ita et feci, hoc est, locellum nuncupatum illum, situm in pago illo, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omni supraposito suisque adiacentiis, vel cum omni integritate, quicquid inibi praesenti tempore mea videtur esse possessio, de iure meo in tua trado potestate vel dominatione, ita ut quicquid exinde à die praesente facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ulla quislibet persona qui contra hanc epistolam refragationem aliquam aut calumniam generare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper partibus tuis vel contra cui litem intulerit solidos tantos componat, et haec epistola firma permaneat.

Donatio inter virum et uxorem: tamen gestis sit alligata.

XVII. Quicquid enim inter coniugatos de propria facultate ob amorem dilectionis invicem condonare placuerit, scripturarum necesse est titulis alligari, ne in posterum ab heredibus eorum possit convelli: quia secundum legem, si manente coniugio vir uxori vel uxor marito aliquid donaverit, si is cui donatum est prior mortuus fuerit, apud donatorem ea quae donata fuerant remanebunt. Igitur ego in Dei nomine ille dulcissima coniux mea illa, si prius mortuus fuero quam tu, dono tibi per hanc epistolam donationis donatumque in perpetuum esse volo tres partes de omni re facultatis meae, quantumcunque in pago illo in villas nuncupantes illas habere visus sum, hoc est, tam terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, aurum tantum, argentum tantum, aeramentum in solidos tantos. Haec omnia cum omnibus appendiciis suisque adiacentiis vel cum omni supraposito tibi dono atque transfundo, quartam vero legitimis heredibus meis reservo; quia malo hoc habere te quam me, plus te quam caeteris heredibus meis. Similiter ego in Dei nomine illa dulcissimo iugali illo, si prior mortua fuero quam tu, dono tibi per hanc epistolam donationis. *Sequitur supradictum textum.* Si quis vero, quod fieri non credimus, si fuerit ullus de heredibus nostris, vel quislibet persona qui contra has epistolas uno tenore conscriptas, quas inter nos fieri rogavi-

mus, aliquid agere vel refragare conaverit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos tantos coactus exsolvat, et hae epistolae contulitionis, cum stipulatione Aquiliana, nostris vel bonorum hominum manibus roboratae, firmae permaneant.

Item alio modo.

XVIII. Igitur ego in Dei nomine ille dulcissima coniux mea illa, dono tibi per hanc epistolam contulitionis donatumque esse volo locellum rem proprietatis meae nuncupante illo, situm in pago illo, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omnibus appendiciis suis, vel omni supraposito, quicquid inibi praesenti tempore mea videtur esse possessio. Ea vero ratione ut si tu mihi suprestis fueris, usufructuario ordine haec omnia absque repetitione heredum meorum hoc tenere et possidere debeas. Et post tuum quoque discessum, cum omni re emeliorata vel supraposito, ad legitimos filios nostros, qui ex nobis procreati fuerint, revertantur. Similiter ego in Dei nomine illa dulcissimo iugali meo illo. *Sequitur supradictum textum.* Et illud inter nos inserere placuit, ut si fuerit ullus de heredibus nostris, vel quislibet persona qui contra has duas contulitiones uno tenore conscriptas aliquid agere vel refragare praesumpserit illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, et hae contulitiones nostris vel bonorum hominum manibus roboratae, cum stipulatione subnixa, firmae permaneant.

Libellum repudii.

XIX. Certis rebus et probatis causis inter maritum et uxorem repudiandi locus patet. Idcirco dum inter illum et coniugem suam illam non caritas secundum Deum sed discordia regnat, et illorum nulla est voluntas pariter conversandi, placuit utrisque voluntatibus ut se à consortio coniugali separare deberent. Quod ita et fecerunt. Propterea has epistolas uno tenore conscriptas inter se fieri et adfirmare decreverunt, ut quicquid unusquisque ex ipsis de semetipso facere voluerit, absque repetitione socii sui liberam habeat potestatem, et nullam requisitionem neque ipsi in caput neque ulla quislibet persona exinde habere non pertimescat. Quod qui contra parem suum vel contra alium quemcunque hominem ullam repetitionem exinde facere conaverit, partibus illius contra cui litem intulerit solidos tantos componat, et sua repetitio nullum obtineat effectum; sed unusquisque ex ipsis per hunc libellum re-

pudii eorum manibus roboratum omnique tempore quieti valeant residere.

Mandatum qualiter maritus negotium uxoris prosequatur.

XX. Dum et humana prodit utilitas, et Lex Romana exposcit, ut quicunque uxoris suae negotium fuerit prosecutus, quamvis maritus sit, nihil aliud agat nisi quod ei agendum per mandatum illa commiserit, igitur ego in Dei nomine illa, filia illius, te dulcissime iugalis meus ille, dum me simplicitas dominatur quod minime res vel causas meas valeo exercere, te in omnibus rebus vel causis meis instituo dominum procuratoremve et actorem, ita ut quicquid exinde egeris gesserisve, ratum vel definitum à me in omnibus esse cognoscas: quia malo hoc habere te quam me, plus te quam caeteris heredibus meis. Et adhuc mihi inserere placuit, ut hoc mandatum ad civitatem illam cum curia publica, ut mos est, gestis municipalibus facias alligari. Et ut nostra voluntas aevis temporibus firmius perduret, manu propria subter firmavi, et bonorum virorum roborandum decrevi.

Charta qualiter pater filium vel nepotem de rebus suis meliorare potest.

XXI. Quicquid pater unumquemque ex filiis vel nepotibus meliore habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem sine consortis repetitione defendat, nec praesumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dulcissimo filio vel nepoti meo illo, cedo tibi cessumque in perpetuum esse volo, et de meo iure in tua trado dominatione, absque consortio fratrum tuorum vel filiis meis, in loco nuncupante illo, cum terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omni supraposito suisque adiacentiis, vel quicquid inibi praesenti tempore mea videtur esse possessio, totum et ad integrum, à die praesente tibi volo esse concessum atque indultum; ita ut quicquid exinde facere volueris, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod nec fieri non credimus.

Epistola qualiter nepotes in loco filiorum instituuntur ab avo.

XXII. Quicquid filiis vel nepotibus de facultate patris cognoscitur ordinasse, voluntatem eius in omnibus Lex Romana constringit adimplere. Ideoque ego in Dei nomine ille dulcissimis nepotibus meis illis. Dum peccatis meis facientibus filia mea genitrix vestra illa tempus naturae suae

complevit, et ego pensans consanguinitatis causa, dum et per legem cum filiis meis avunculis vestris in alode meo ad integrum minime succedere poteratis, ideo per hanc epistolam firmitatis volo ut in omni alode meo post meum discessum, si mihi suprestites fueritis, quicquid moriens dereliquero, sicut supradicta genetrix vestra, si mihi suprestis fuisset, ita et vos cum avunculis vestris succedere faciatis. Ea vero ratione ut quicquid tempore nuptiarum ei tradidi vel dedi, hoc in parte vestra recipiatis. Et si amplius insuper de rebus nostris obvenerit, tunc cum filiis meis matris vestrae portionem recipiatis; ita ut quicquid exinde facere volueritis liberam habeatis potestatem. Si quis vero fuerit. Et reliqua.

Epistola qualiter extraneo homine in locum filii adoptetur.

XXIII. Ego enim in Dei nomine ille. Dum peccatis meis facientibus orbatus sum à filiis, mihi placuit ut illum una cum consensu patris sui in civitate illa cum curia publica de potestate patris naturalis discedentem et in meam potestatem venientem in loco filiorum adoptassem; quod ita et feci. Ea vero et ratione ut quandiu advixero, fideliter mihi praestet solatium vel adiutorium, et omnes res meas diligenter excolat, et post obitum quoque meum, sicut à me genitus fuisset, ita in omni hereditate mea per hanc epistolam adoptionis sit successurus; vel quicquid de supradictis rebus meis, quantumcunque moriens dereliquero, facere voluerit, iure proprietario, absque repetitione heredum meorum, liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud mihi inserere placuit, ut si fuerit ullus ex heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc epistolam adoptionis aliquid contra te aut contra eum cui tu ipsas res dereliqueris calumniator aut repetitor accesserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, et haec adoptio gestis alligata firma permaneat.

Epistola qualiter pupilli recipiantur.

XXIV. Lex Romana constringit ut qui tutores noluerint esse parvulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, ex ipsa habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille Iudex provinciae illius, dum et omnibus habetur percognitum qualiter parentes istius praesentis orphanuli nomine illo ab hac luce discesserunt, et testamentarium tutorem ei non dimiserunt, et minime suas procurare potest necessitates, ideo una cum consensu primatibus civitatis convenit nobis ut istius patrui suo, una cum om-

25

nia bona sua, facto ac conscripto rerum inventario, ei sub officio tutoris commendare deberemus; quod ita et fecimus. Ea vero ratione ut per nullam occasionem supradicti pupilli hereditas, quicquid in pago illo in villas nuncupantes illas videtur habere, non minuatur; sed ipsas res vel mancipia atque omni sua substantia diligenter excolat, et ipsum pupillum exinde nutrire vel ministrare faciat. Et si, Deo propitio, in perfectam venerit aetatem, omnia ei secundum legis ordinem cum omni integritate servata reddantur. Unde convenit nobis ut duas epistolas uno tenore conscriptas exinde conscribere vel adfirmare deberemus; quod ita et fecimus. Unam quidem iam dictus patruus suus secum retineat, alteram vero aliquis homo nomine ille de manu nostra vel iam dicti pupilli suscipiat, ut futuris temporibus, Deo auxiliante, sub testificatione bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, per ipsam cum omni integritate omnia sua exigere debeat.

Pactum inter parentes.

XXV. Caritatis studio et dilectionis affectu inter propinquos decet ut quicquid de rebus eorum inter se diviserint, scripturarum serie alligetur, Romanaque Lege ordinante ut quicunque in aetate perfecta pactionem vel definitionem per scripturam fecerit, et hoc quod fecit implere neglexerit, aut contra eam ire praesumpserit, infamis vocetur, et ipsam causam agere non permittatur, atque poenam statutam cogatur exsolvere. Igitur placuit atque convenit inter illum et germanum suum illum ut hereditatem paternam atque maternam inter se dividere vel exaequare deberent; quod ita et fecerunt. Accepit itaque ille in portione sua villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, vel caetera quae sequuntur. Similiter e contra accepit ille in compensatione portionis suae villas nuncupantes illas sitas in pago illo, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, vel caetera quae sequuntur. Haec quidem omnia unanimiter consentientes, pars partem tradidisse vel consignasse cognoscite, ita ut quicquid post hunc diem unusquisque de hoc quod accepit facere voluerit, absque nostris repetitionibus liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et si aliquando aliquis ex nobis aut heredibus nostris contra has epistolas aliquid agere vel refragare praesumpserit, eius repetitio nullum obtineat effectum, et insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, et praesens pactio vel definitio cum stipulatione subnixa firma permaneat.

Commutatio.

XXVI. Inter quos caritas inlibata permanserit, a parte parti beneficia opportuna praestantur. Ideoque placuit atque convenit inter illustrem virum illum et illum ut loca aliqua inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur vir inluster ille partibus illius locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omnibus appendiciis suisque adiacentiis, vel omni supraposito, totum et ad integrum, de iure meo, sicut praesenti tempore à me videtur esse possessum in tua trado potestate vel dominatione. Similiter in compensatione huius meriti dedit iam dictus ille partibus illius alium locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, vel caetera quae sequuntur, ita ut ab hac die unusquisque de hoc quod accepit facere voluerit, iure proprietario liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud inter nos inserere placuit, ut si ullus ex nobis vel heredibus successoribusque nostris fuerit qui hoc immutare vel refragare tentaverit, rem quam accepit amittat, et insuper quis contra cui litem intulerit solidos tantos componat, et sua repetitio nullum obtineat effectum, sed hae commutationes uno tenore conscriptae omnique tempore maneant inconvulsae.

Confirmatio Regis, vel inspecta ista, cuiuscunque Principis, in eo qui ab hostibus est depraedatus vel ab igne concrematus.

XXVII. Merito largitatem Regis munere sublevantur qui ab hostibus vel incendio passi sunt damna vel violentiam. Igitur fidelis noster ille clementiae regni nostri suggessit eo quod ante hos annos exercitus noster aut illius Regis, vel per neglegentiam alicuius hominis in loco nuncupante illo, domus suae vel res quamplures una cum strumenta chartarum, tam quod regio munere perceperat, quam et de diversis partibus per venditiones, donationes, cessiones, commutationes adtraxerat, vel quicquid in pago illo, vel loca nuncupantia illa possederat, incendium fuisset crematum; unde relationem sub testificatione bonorum hominum cognovimus recensendam, omnes res suas vel strumenta chartarum perisse, vel sibi, sicut nobis suggessit, damna sustinuisse. Praecipientes ergo iubemus ut quicquid memoratus ille, sicut usque nunc tam de terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis, usque ad praesens cum aequitatis ordine quietus possedit,

et ita deinceps in iure et dominatione eius permaneat, et per hunc praeceptum plenius in Dei nomine circa eum suffultum atque confirmatum absque ullius inquietudine teneat et possideat, suisque posteris aut cuicunque voluerit ad possidendum derelinquat. Quam vero auctoritatem propria manu subter roborare decrevimus.

Item appennem.

XXVIII. Consuetudo huius loci vel etiam legis terrenae iustitiae constat esse prospectum ut quicunque ab incendiis vel hostibus seu à latronibus fuerit perpessus dispendium, oportet sibi hoc casu in foro publico vel civitate cum curia publica et defensore vel reliquis civibus publicare. Idcirco dum non habetur incognitum qualiter homo nomine ille per timorem illius qui Turonus civitatem anno praesente hostiliter venit, et multa mala ibidem perpetravit strumenta sua de loca denominatà vel de diversis facultatibus suis subtus terram in villa illa misit, et ibidem computruerunt et perierunt, propterea ei necesse fuit ut una cum notitia pagensium, qui hoc cognitum bene habebant, Turonus civitate appennem exinde deberent adfirmare; ut quantumcunque per ipsa strumenta tam in terris quam in mancipiis, seu et reliquis rebus, sicut usque nunc quieto ordine tenuit et possedit, ita et admodum liceat inantea ipsas res quiete tenere et possidere, et cui voluerit, Christo auxiliante, derelinquere. Unde convenit ut duas epistolas uno tenore conscriptas exinde fieri vel adfirmare deberent, ut una in foro publico in ipsa civitate sit adficta, aliam vero ipse secum pro cautela et tempora futura apud se retineat, ut si ei inantea necesse fuerit, in praesentia Regis aut Principis loci sit proferenda. Actum ibidem.

Editio legibus comprehensa.

XXIX. Lex Romana pro utilitate humani generis exposcit ut si quando cuiuscunque iniusta appellatio comprobatur, sumptus quos post appellationem adversarium suum accusator compulit sustinere, non in simplum ei sed in quadruplum ab accusatore cogatur restitui. Igitur ego in Dei nomine ille, dum non est incognitum qualiter apud te homo ille nomine illo in rationes publicas ante inlustre viro illo vel reliquis viris qui subter tenentur inserti, Turonus civitate adsteti de aliquibus locellis nuncupantibus illis, sitis in pago illo, quae mihi per legitima successione sunt debita, et tu praesenti tempore malo ordine eos possidere videris; unde apud me in responsum introire noluisti, nisi, sicut lex edocet, tibi inscriptionem de sumptibus et ex-

pensis confirmassem. Ideo placuit mihi ut hanc editionem in te adfirmare deberem, quod ita et feci, ut si apud me de ipsis rebus in rationes vel in iudicium introieris, et ipsa causa inter nos legibus definita fuerit, et mea iniusta fuerit accusatio comprobata, de eadem causatione omnique tempore quietus resideas, et sumptus vel expensas superius nominatas, quibus pro necessitatibus tuis me compellente visus es expendisse, secundum legis ordinem, transacto litis tempore, partibus tuis cogar restitui. Et pro rei totius firmitate hanc editionem manu propria subter firmavi et bonorum virorum roborandam decrevi. Finit.

Et si de homicidio accusatio processerit, secundum hanc sententiam inscriptio celebretur.

Quicunque alium de homicidii crimine periculosa vel capitali obiectione pulsaverit, non prius à Iudicibus audiatur quam se similem poenam quam reo intendit conscripserit subiturum. Et si servos alienos accusandos esse crediderit, se simili inscriptione constringat futurum, ut aut supplicia innocentium servorum, aut poena capitis sui, aut facultatum amissione compenset.

Relatio cum iudicio.

XXX. Auctoritate legis praeceptum est ut in toto litis termino requiratur per quem orta est contentio. Et si quis ad rapinam faciendam adgreditur, aut iter agentem insidiaverit, aut domum alterius nocturnus spoliaverit, mors animae ipsius ne requiratur. Igitur ego in Dei nomine ille Iudex veniens in loco nuncupante illo, sub die illo, una cum bonis hominibus, ad locum accessionis, ubi aliquis homo nomine ille quondam interfectus iacebat, requirens pro qua re ibidem interfectus fuisset, sed venientes homines ibidem commanentes, qui in initio litis ibidem fuerunt, vel qui ad ipsos uccos *k*) cucurrerunt quando iamdictus homo ibidem interfectus fuit, taliter testimonium praebuerunt, ut dum aliquis homo nomine ille solemniter sibi ambulabat, sic iam dictus ille quondam ipsum adsallivit vel insidiavit, et res suas ei contradixit, atque violenter super ipsum evaginato gladio venit; unde livores vel capulaturae atque colaphi manifesti apparent. Ideo etenim, dum sic veritas comprobatur, veniens iam dictus ille adprehensam manum vel arma praedicti Iudicis, sicut mos est, apud homines duodecim manu sua tertia decima dextratus vel coniuratus dixit quod dum ipse sollemniter sibi ambulabat,

---

k) al. ms. *huccos*.

iam dictus ille quondam eum malo ordine adsallivit, et evaginato gladio super eum venit, et super ipsum livores vel capulationes misit, et res suas illas ei diripere voluit, et postquam istos praesentes livores recepit, necessitate compulsus ipsum plagavit per quem mortuus iacet, et in sua orta contentione vel in sua motiva atque per suas culpas ibidem interfectus fuit. Et sic est veritas absque ulla fraude vel conludio, et in sua culpa secundum legem ipsum ferro battudo fecit. Proinde opportunum fuit ipsius illi ut hanc notitiam ad instar relationis exinde accipere deberet; quod ita et fecit. Sed postea vero taliter in iam dicto loco ipsius illi iudicatum fuit ut in noctes quadraginta apud homines triginta sex manu sua trigesima septima iam dicto illo quondam in Ecclesia illa, in loco nuncupante illo, coniurare debeat apud homines visores et cognitores eo quod ille quondam malo ordine super eum venisset, et res suas ei contendisset, vel primitus ipsum plagasset vel livorasset, et ipsum in via adsallisset vel insidiasset, et in sua movita vel in sua culpa ibidem interfectus fuisset. Et si hoc facere poterit, de ipsa morte quietus valeat residere.

Breve sacramenti.

XXXI. Breve sacramenti qualiter ingressus est ille in loco nuncupante illo, in Ecclesia illa, sub praesentia illius Iudicis vel bonorum virorum qui subter tenentur inserti, ad placitum suum custodiendum. Unde retroactis diebus quadraginta relationem de morte illius per iudicium bonorum virorum accepit, iuratus dixit. Per hunc locum sanctum et Dei reverentiam, dum ego solemniter mihi ambulabam, iam dictus ille quondam in loco nuncupante illo me malo ordine adsallivit vel livoravit, et colaphos super me posuit, et ad rapinam vel ad insidiam super me faciendam adstetit, et res meas mihi malo ordine diripere vel tollere tentavit. Et ego in sua orta contentione vel in sua motiva atque per sua culpa in ipso loco ipsum interfeci. Et per reverentiam istius sancti et Deo altissimo similiter testes sibi similes visores et cognitores, secundum quod ei iudicatum fuit, post ipsum iuraverunt ut quicquid iam dictus ille de hac causa iuravit, verum et idoneum sacramentum exinde dedit. Id sunt qui hoc sacramentum exceperunt, manibusque eorum subter firmaverunt.

Si quando masculus et femina pariter raptum consenserint, infra quinquennium litigetur.

XXXII. Notitia sub quorum praesentia ibi veniens ille ante illum vel eos qui subter tenentur inserti, ibique

accusabat aliquem hominem nomine illum eo quod aliquam feminam nomine illam iam anno expleto sine diffinitione parentum, vel sine eius clamore aut vociferatione, eam volentem rapuisset, atque in coniugio sibi malo ordine contra legem et iustitiam sociasset. Qui iam dictus ille et praefata illa hoc denegare non potuerunt; sed in omnibus taliter fuerunt professi, quod ambo pariter consentientes, sic ab eidem actum vel perpetratum fuerat. Tunc ipsi viri qui ibidem aderant, tale dederunt iudicium ut secundum Legem Romanam pro hac culpa ambo pariter vitae periculum incurrissent, vel sententiam mortis ob hoc scelus excepissent. Sed intervenientibus bonis hominibus taliter eis convenit ut iam dicti homines pro redemptione vitae eorum wadio suos iam dicto illo unusquisque pro solidos tantos dare deberent, quod ita et fecerunt, et hoc placitum institutum, quod evenit tunc temporis, hoc debeant desolvere. Unde et fideiussorem pro ipsis solidis aliquem hominem nomine illum obligaverunt. Propterea necesse fuit ipsis ut hanc notitiam exinde accipere deberent, quod ita et fecerunt, ut si necessitas evenerit, omnibus sit manifestum qualiter supradicti homines infra quinquennium ab hoc scelere convicti vel comprobati apparuerunt.

Iudicium evindicatum.

XXXIII. Ille Rex vir inluster illo Comite. Veniens ille in nostra vel Procerum nostrorum praesentia suggessit eo quod aliquis homo nomine ille pagensis vester eum in via malo ordine adsalisset, et res suas ei tulisset, vel graviter ipsum livorasset; et ob hoc vobis per nostram ordinationem iussimus ut, datis fideiussoribus, kalendas illas ex hoc in nostra praesentia debuissent adstare ratiocinantes. Sed memoratus quidem ille per triduum suum custodivit placitum, et iam dicto illo secundum legem adiectivit vel solsativit; qui nec sonia nuntiavit, nec suum placitum adimplevit. Propterea omnino tibi iubemus, dum tales vobis datos habuit fideiussores, et placitum suum nullatenus custodivit, ut quicquid lex loci vestri de tali causa edocet, vobis distringentibus memoratus ille partibus istius componere et satisfacere non recuset.

Epistola Abbatis vel Rectoris Ecclesiae.

XXXIV. In Dei nomine quamquam peccator Abba dilecto amico nostro illo. Dum et omnibus habetur percognitum qualiter tu rem proprietatis tuae illam accepta pecunia de thesauro ipsius Sancti per venditionis titulum distraxisti, unde et precariam nobis ex hoc emisisti, et censisti te dare in luminaribus ad festivitatem ipsius Sancti,

hoc est tantum, ideo una cum consensu fratrum nostrorum hanc epistolam tibi emittendam decrevimus, ut ipsum locum cum omni integritate una cum Dei gratia et nostra voluntate absque praeiudicio Sancti illius diebus vitae tuae usualiter tibi liceat tenere. Et post tuum quoque discessum ipse locus cum omni integritate vel re emeliorata vel supraposito partibus nostris vel ipsius basilicae revertatur. Quam epistolam manu propria subter firmavimus.

Donatio ad Ecclesiam post obitum.

XXXV. Lucrum maximum credimus animarum, si dum unusquisque corporibus motibus terram inhabitat, pro amore cogitet domus aeternae, vel amore temporalium rerum sperandarum sibi cumulet munimina divitiarum, aut certe si id quod remanendo perire poterat in seculo, in alimoniis pauperum vel loca distribuatur Sanctorum Dei. Quamobrem ego in Dei nomine ille pertractavi tam de Dei parte, quam et reverentia Sancti illius civitatis, ubi ipse pretiosus Domnus in corpore requiescit, seu animae remedium ad sacrosancta basilica Sancti Domni illius, eiusque congregatione, ubi ille Abba vel Rector praeesse videtur, dono donatumque in perpetuo esse, volo, hoc est, villam rem proprietatis meae nuncupantem illam, sitam in pago illo, super fluvium illum, in condita illa, cum omnibus adiacentiis vel appendiciis suis, quantumcunque ad ipsam villam aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcunque inibi praesenti tempore mea videtur esse possessio, totum et ad integrum per hanc donationem tibi trado atque transfundo, eo videlicet modo ut dum ego in capput advivo, ipsam villam cum omni integritate usualiter sub praetexto ipsius basilicae tenere et usurpare faciam. Post meum quoque discessum ipsa villa cum omni integritate vel supraposito, hoc est, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, praesidiis, vel omni supellectile, vel quod ibidem inantea addere, adtrahere, comparare, aut emeliorare potuero, et transitus meus ibidem dereliquerit, pars ipsius basilicae, eius Rectores, absque ullius expectata traditione vel Iudicum consignatione, in eorum vel ipsius basilicae faciant revocare potestate vel dominatione, et ad ipsam sanctam basilicam proficiat in augmentum: quia malo hoc post meum discessum ipsius basilicae habere quam caeteris heredibus meis. Si quis vero.

Cessio à die praesente.

XXXVI. Dum fragilitas seu casus humani generis pertimescit ultimum vitae terminum subitanea transpositione

venturum, oportet ut non inveniat unumquemque imparatum, nec sine aliquo boni operis fructu migranti de seculo; sed dum in suo iure et potestate quisque consistit, praeparet sibi viam salutis, per quam ad aeternam beatitudinem valeat pervenire. Idcirco ego in Dei nomine ille, pertractans tam de Dei parte quam et reverentia Sancti illius, seu animae meae remedium, cedo ad sacrosanctam Ecclesiam Sancti illius, quae est constructa infra urbem illam, in honore Sancti illius, ubi et Abba ille Rector praeesse videtur, non occulte, sed publice, non privatim, sed palam, cessumque in perpetuo iure legitimo esse volo, et de iure meo in iure et dominatione ipsius Ecclesiae trado atque transfundo, hoc est, locum rem proprietatis meae illum, situm in pago illo, in condita illa, cum omni integritate vel adiacentiis suis, hoc est, cum terris, mansis, casis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, mobilibus et immobilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, praesidiis, vel omni supellectile, quantumcunque ibidem praesenti tempore mea videtur esse possessio, totum et ad integrum rem quaesitam et inquisitam, per hanc cessionem à die praesente ad ipsam sanctam casam delego et confirmo, ita ut ab hodierna die quicquid exinde pars ipsius Ecclesiae eiusque Rectores de ipsa re facere voluerint, liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi, quia ipsam sanctam Ecclesiam plus id habere volo quam me vel caeteris heredibus meis. In cessionibus vero licet poena non inseratur, mihi tamen pro rei totius firmitate placuit inserundum ut si ego aut ullus de heredibus meis. Et reliqua.

Venditio ad Ecclesiam.

XXXVIII. Domino venerabili et in Christo patri illo Abbati de basilica Sancti illius, civitate illa, ubi ipse pretiosus Domnus in corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti, ego enim in Dei nomine ille. Constat me vobis vel partibus ipsius basilicae vendidisse, et ita vendidi, hoc est, locum rem proprietatis meae, situm in pago illo, super fluvium illum, in condita illa, in villa illa, cum omni integritate vel adiacentiis, quicquid ad ipsum locum aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcunque praesenti tempore mea videtur esse possessio, hoc est, tam terris, mansis, casis, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, libertinis, ministerialibus, mobilibus et immobilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, vel omni supellectili, totum et ad integrum, rem quaesitam et inquisitam, quicquid dici aut nominari potest, vel quidquid ibidem praesenti tempore

mea videtur esse possessio, per hanc venditionem à die praesente trado atque transfundo. Unde accepi à vobis pretium pro iam dicto loco, de thesauro ipsius Sancti, in quo mihi complacuit, vel aptificatum fuit, hoc est tantum. Quod pretium in manus meas accepi; et ipsum locum cum omni integritate, sicut dixi, per hanc venditionem vobis vel ad ipsam sanctam casam tradidi perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hodierna die quicquid exinde vos aut successores vestri vel pars ipsius basilicae facere volueritis, liberam et firmissimam in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis vero.

Epistola Abbatis vel Rectoris ipsius Ecclesiae.

XXXVIII. In Dei nomine ille Abba in Christo nobis dilecto illo. Ad tuam petitionem nostra decrevit voluntas ut tibi res nostras vel Sancti illius in pago illo beneficiare usufructuario ordine deberemus. Quod ita et fecimus. Et tu pro huius merito beneficii obligasti nobis res tuas tam de alode quam et de comparatu, seu de qualibet adtracto, denominatas, in pago illo, in condita illa, in loca nuncupantia illa et illa, quas praesenti tempore tenere et possidere videris, hoc est, cum terris, vel omnia et in omnibus. Ea vero ratione ut tibi ex ipsis rebus, quas nobis obligasti, et illis quas tibi usufructuario ordine beneficiavimus, non liceat aliubi nec vendere nea donare nec alienare nec in nullo modo distrahere nec in naufragium ponere, sed sub nostro vel Sancti illius praetexto tibi liceat tenere et possidere. Et post tuum quoque discessum, absque diminutione rerum vel mancipiorum, cum omni re emeliorata vel supraposito, quicquid in iam dictas res inventum repertumque fuerit, in nostram vel ipsius Sancti absque ullius expectata traditione vel Iudicum consignatione faciamus revocare potestate vel dominatione. Unde censisti te à nobis annis singulis ad festivitatem Sancti illius in luminaribus ipsius Sancti, vel pro mercedis tuae augmentum, argentum solidos tantos. Et si de ipso censo neglegens apparueris, fidem exinde facias, et ipsas res perdere non debeas. Quam epistolam manu propria subter firmavimus.

Securitas de homicidio.

XXXIX. Fratri illo, ego enim ille. Dum et omnibus habetur percognitum qualiter tu ante hos dies, instigante adversario, germano meo vel quolibet parente interfecisti, unde et postea ex hoc comprobatus apparuisti, et ante me apud illum Iudicem exinde in rationes fuisti, et pro integra compositione pro iam dicto parente meo, pro ipsa

morte, sicut mihi bene complacuit, argentum solidos tantos dedisti, ideo hanc epistolam securitatis tibi ex hoc emittendam decrevi, ut neque à me, neque ab heredibus meis, neque à quolibet opposita vel emissa persona nullam calumniam neque repetitionem de iam dicto homicidio habere non pertimescas, neque tu, neque ullus de parte tua qui tecum commorantur, sed ducti atque securi in omnibus exinde valeatis residere. Si quis vero, si fuerit aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, seu quislibet persona qui contra hanc securitatem venire aut agere vel refragare tentaverit, et à me vel ab heredibus meis defensatum non fuerit, sociante fisco cui litem intulerit solidos tantos componat, et sua repetitio nullum obtineat effectum, sed sit inter nos vel heredibus nostris ex hac re omnique tempore calcanda causatio, et haec securitas meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione inserta, diuturno tempore maneat inconvulsa.

Iudicium iuxta quod causa continet.

XL. Veniens ille die illo, quod fecit mensis ille dies tantos in loco nuncupante illo, ante venerabilem virum illum suisque auditoribus vel reliquis viris qui ibidem aderant vel subter firmaverunt; ibique interpellabat aliquem hominem nomine illum, dum diceret eo quod hereditatem suam in loco nuncupante illo, quae ei erat debita, post se retineret, vel ei malo ordine contradiceret iniuste. Interrogatus ille ante ipsos viros taliter dedit in responsis, quod ipsam hereditatem, quam ipse contra eum repetebat, genitor suus vel quilibet parens ipsam ei moriens dereliquerat, et de annis triginta ipsum et parentes suos, qui ipsam ei dereliquerant, ipsam tenuissent, et secundum Legem ei sit debita. Dum sic intenderent, sic ipsi viri memorato homini decreverunt iudicium, ut in noctes tantas, quod evenit die illo, apud homines tantos sua manu tanta in basilica Sancti illius, in loco nuncupante illo taliter debeat coniurare, quod ipsam hereditatem, quam ipse homo contra ipsum repetebat, per annos triginta inter ipsum et memoratos parentes suos, qui ipsam hereditatem morientes ei dereliquerant, semper ipsam tenuissent, et per ipsos annos triginta secundum Legem plus sit ipsa hereditas ei habendi debita quam ipso homini reddendi. Si hoc ad eum placitum coniurare potuerit, ipsam hereditatem absque repetitione ipsius hominis omni tempore habeat elitigatam atque evindicatam. Sin autem non potuerit, hoc legibus emendare studeat. His praesentibus actum fuit.

Breve sacramentum secundum ipsum iudicium.

XLI. Breve sacramentorum qualiter ingressus est ille die illo in loco nuncupante illo, in basilica Sancti illius, iuxta quod iudicium suum loquitur, apud homines tantos sua manu tanta, positis manibus super sancto altare iuratus dixit: Per hunc locum sanctum et reverentiam istius Sancti, quia unde me ille interpellavit, quasi hereditatem suam, quae ei esset debita, in loco nuncupante illo, post me retinerem, vel ei malo ordine contradicerem iniuste, ipsam hereditatem parentes mei mihi morientes dereliquerunt, et inter me vel ipsos parentes meos de annis triginta semper exinde vestiti fuimus, et secundum Legem plus est mihi debita habendi quam ipsius homini reddendi, per Deum et reverentiam istius Sancti iuro. Similiter venientes testes sui per singula iurati dixerunt, quicquid iste de hac causa iuravit, verum et idoneum sacramentum exinde iuravit. Hii sunt qui subter firmaverunt.

Notitia de alode evindicato.

XLII. Notitia qualiter vel in quorum praesentia veniens ille die illo, in loco nuncupante illo, ante illum Iudicem vel reliquos viros qui ibidem aderant vel subter firmaverunt; ibique interpellabat aliquem hominem nomine illum, eo quod alode qui fuerat genitori suo nomine illo, in loco nuncupante illo, post se malo ordine retineret, vel ei contradiceret iniuste. Interrogatus ipse homo ab ipsis viris si sic erat veritas an non; sed ipse iudicium vel breve sacramentorum ibidem ante ipsis viris protulit ad relegendum, qualiter cum ipso homine ante hos dies exinde ante illum Iudicem in rationes fuerat, et qualiter ipso alode contra ipsum hominem vel contra germanos suos elitigatum atque evindicatum legibus habebat. Relecto ipso iudicio vel ipso breve sacramentorum, sic ipsi viri ipsum hominem interrogaverunt si aliquid contra ipsum iudicium vel contra ipsum brevem opponere volebat. Sed ipse taliter dixit, quod nihil habebat quod contra ipsum opponere deberet, et se in omnibus recognovit quod contra legem ipsum hominem calumniabat, et se exinde omni tempore taciturum esse spopondit. Propterea opportunum fuit ipsius ut hanc notitiam ex hoc accipere deberet. Quod ita et fecit. His praesentibus actum fuit.

Venditio de area vel de casa infra civitatem.

XLIII. Magnifico fratri illo, ego enim ille. Constat me tibi vendidisse, et ita vendidi, hoc est, casa mea cum ipsa area ubi posita est, infra civitatem vel burgum illum,

in ratione illius, in loco illo, quem ego data mea pecunia de aliquo homine nomine illo comparavi. Habet ipsa casa in matriamen *l*) tantum, membra in gyro tanta, ẽdẽ lateribus vel frontibus casa vel terra illorum et illorum. Unde accepi à te pretium in quod mihi bene complacuit, hoc est, tantum: quod pretium in manu mea accepi, et ipsam casam vel aream per hanc venditionem tibi tradidi à die praesente perpetualiter ad possidendum; ita ut ab hodierna die quicquid exinde facere volueris, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi, salvo iure ipsius terrae.

Qui se in alterius potestate commendat.

XLIV. Domino magnifico illo, ego enim ille. Dum et omnibus habetur percognitum qualiter ego minime habeo unde me pascere vel vestire debeam, ideo petii pietati vestrae, et mihi decrevit voluntas, ut me in vestrum mundoburdum tradere vel commendare deberem. Quod ita et feci. Eo videlicet modo ut me tam de victu quam et de vestimento, iuxta quod vobis servire et promereri potuero, adiuvare vel consolare debeas, et dum ego in caput advixero, ingenuili ordine tibi servitium vel obsequium impendere debeam, et me de vestra potestate vel mundoburdo tempore vitae meae potestatem non habeam subtrahendi, nisi sub vestra potestate vel defensione diebus vitae meae debeam permanere. Unde convenit ut si unus ex nobis de his convenientiis se emutare voluerit, solidos tantos pari suo componat, et ipsa convenientia firma permaneat. Unde convenit ut duas epistolas uno tenore conscriptas ex hoc inter se facere vel adfirmare deberent. Quod ita et fecerunt.

Evacuaturia.

XLV. Domino magnifico fratri illo, ego enim ille. Dum et omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos solidos nostros numero tantos ad beneficium accepisti, et cautionem nobis emisisti ut ipsos solidos tantos tunc nobis reddere deberes. Quod ita et fecisti. Sed dum illam cautionem, quod nobis emiseras, ad praesens non habeo, ideo hanc epistolam evacuaturiam fecimus, ut de ipsis solidis tantis omni tempore ductus et securus resedeas. Et si ipsa cautio apparuerit, vel à nobis vel ab heredibus nostris ullo quoque tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum, sed vacua et inanis permaneat.

---

l) al. ms. *matriam.*

De causis commendatis.

XLVI. Magnifico fratri illo, ego enim ille. Rogo, supplico, atque publiciter tuae caritati iniungo ut omnes causas meas tam in pago quam et in palatio, aut ante Iudiçes, vel ubicunque mihi necessitas evenerit, ipsas causas meas ad meam vicem prosequere et admallare facias, et de ipsa prosecutione mihi reddas certiorem. Et quicquid exinde egeris gesserisve, ratum et bene acceptum à me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum ut pleniorem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavi, et bonis viris adfirmare rogavi

FORMULAE
BIGNONIANAE,
SIVE
FORMULAE QUAEDAM
VARIAE ET INCERTI AUCTORIS,

Ex veteri codice Petri Danielis primum editae à clarissimo viro Hieronymo Bignonio.

INCIPIUNT CHARTAE REGALES SIVE PARENSALES. m)

CAPITULA.

---

m) Certe legend. *Pagensales.*

Ingenuitas.

I. Oportet enim unumquemque hominem, dum in hac vita vivit pro animae suae remedio cogitare. Idcirco ego in Deo nomine ille, recogitans pro Dei intuitu vel pro animae meae redemptione, ut ab impiorum consortio erui mereamur, dimitto ergo à die praesente vernaculum iuris mei nomine illum ingenuum, in ea vero ratione ut ingenuus permaneat tanquam si de bene ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus. Peculiare vero si aliquid habet, aut inantea laborare potuerit, in omnibus habeat concessum atque indultum; et mundeburdem vel defensionem ad basilicam Sancti illius se habere cognoscat, non ad affligendum, sed ad se defensandum, nisi, ut diximus, bene ingenuus de hoc die valeat residere. Si quis vero, quod fieri non credo, si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus, aut ulla emissa persona, quae contra ingenuitatem istam venire aut eam infrangere tentaverit, fisco discutiente solidos triginta multae componat, et quod repetit per nullum ingenium evindicare valeat; praesens ingenuitas et merces nostra firma et stabilis permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum in loco illo.

Venditio de servo.

II. Domino magnifico fratri illi emptori, ego in Dei nomine ille venditor. Constat me, non imaginario iure, nec nullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meae arbitrio tibi vendere, quod ita et vendidi, à die praesente, vernaculum iuris mei nomine illum, non furem, non fugitivum, nec cadivum, nec ullum vitium in se habentem, sed in omni corpore scimus eum sanum usque ad annum et diem. Et accepi à te in pretio pro hoc, iuxta quod mihi bene complacuit vel convenit, solidos tantos, ita ut ab hac die memoratum vernaculum superius denominatum, quem dato pretio de me legibus comparasti, habeas, teneas, atque possideas, et quicquid exinde facere volueris, libere et firmissime in tua permaneat potestate ad facien-

dum. Si quis vero, quod fieri non credo, si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, qui contra venditionem istam venire aut eam infringere tentaverit, fisco discutiente solidos triginta multae componat, et quod repetit nihil evindicet, sed praesens etc.

Venditio de terra.

III. Domino magnifico fratri illi emptori, ego in Dei nomine ille venditor. Constat me, non imaginario iure, nec ullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meae arbitrio tibi vendere, quod ita et vendidi tibi à die praesenti bunuaria tanta de terra arabili, in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quem de parte parentum meorum tam et de alode quam et de comparato vel de quolibet adtracto ad me legibus obvenit, hoc est, de uno latere terrae illius subiungit, de alio latere illi, et de uno fronte terrae illius, de alio vero fronte per viam publicam. Et accepi à te in pretio taxato pro hoc, iuxta quod mihi bene complacuit vel conventum fuit, solidos tantos, ita ut ab hac die memoratam terram superius denominatam, quam de me legibus comparasti, ipsam hanc habeas, teneas, possideas, vel quicquid exinde facere volueris, libera in omnibus, Christo propitio, in tua permaneat potestate faciendum. Et caetera.

Venditio de servo ad Ecclesiam.

IV. Breve in vicem venditionis qualiter vendidit homo aliquis nomine ille ad Ecclesiam aliquam nomine illam vernaculum suum nomine illum, à die praesente, non furem, non fugitivum, non cadivum, nec ullum vitium in se habentem, sed in omni corpore scimus eum sanum usque ad annum et diem. Et sicut superius factum est.

Donatio ad sponsam.

V. Dum Dominus ab initio concessit in veteri testamento et praecepit ut relinquat homo patrem et matrem et adhaereat suae uxori, ut sint duo in carne una, et quod Dominus coniunxit, homo non separet. Ego enim in Dei nomine ille, dulcissimae coniugi meae illi. Dum et ego te per solidum et denarium secundum Legem Salicam visus fui sponsare, ideo in ipsa amoris dulcedine dabo ergo tibi à die praesente, quod in perpetuum volo esse mansurum, rem pro portione mea in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quae de parte parentum meorum ad me legibus obvenit, hoc est, in ipsa portione, mansis ad commanendum, cum casticiis, suprapositis, terris arabilibus, et mancipiis, vel quicquid in ipsa portione est aspectum, tibi dico esse donatum atque firmatum; ut quando die felicissi-

mo nuptiarum insimul nos Deus coniunxerit, ista omnia superius conscripta in tua permaneant dominatione ad possidendum. Si quis vero etc.

Notitia de mancipio.

VI. Cum resedisset ille Vigarius inlustris viri illius Comitis in illo mallo publico, una cum ipsis Scabinis qui in ipso mallo resedebant ad causas audiendas vel recta iudicia terminanda; ibique veniens Monachus Sancti illius, vel ille Abbas nomine illo, de illo Monasterio, una cum Advocato Sancti illius nomine illo, feminam aliquam nomine illam interpellabat, repetebat ei dum diceret eo quod colona esset Sancti illius, de curte sua quae dicitur illa, de parte aviae suae nomine illius quondam, et ipsa illa et de ipso servitio Sancti illius negligens aderat, sed ipsa femina de praesenti adstare videbatur, et nullatenus habuit quod dicere, nec opponere, nec tradere rationes per quas de ipso servitio Sancti illius se abstrahere potuisset, sic ei in praesenti fuit iudicatum, ut ipsum servitium Sancti illius, unde negligens aderat, ipsi Advocato Sancti illius reuvadiare deberet. Quod ita et fecit, et se ad ipsum servitium Sancti illius ibi se in praesenti recredidit. Exinde opportunum fuit ipsos Monachos Sancti illius, vel ipsum Advocatum Sancti nomine illum, talem notitiam ante ipsas personas quae in ipso mallo residebant manibusque eorum roboratas accipere, quod ita et fecerunt, ut omni tempore ipse advocatus, vel casa sancta illa vel ille Abbas, vel successores sui, ipsam feminam superius nominatam vel agnationem suam ad opus Sancti illius habeant evindicatam atque elitigatam. Praesentibus his quorum praesentia actum fuit. Facta notitia in loco illo publiciter.

Notitia de homicidio.

VII. Dum et per plures homines ponitur notitia qualiter veniens homo aliquis nomine ille in contubernio, hominem aliquem nomine illum ipsum ibidem adsallisset, et ipsum ibidem interfecisset vel occidisset; sed venientes parentes et amici ipsius hominis interfecti ante inlustrem virum illum Comitem, interpellabant ipsum hominem qui eorum parentem in contubernio adsallisset vel interfecisset; sed ipse ille in praesenti adstare videbatur, et hanc causam nullatenus potuit denegare, sed taliter fuit professus quod instigante inimico ipsum hominem interfecisset vel occidisset. Tunc taliter ei iudicaverunt, ut ipsam leudem vel ipsum homicidium ad ipsos parentes legibus transsolvere deberet. Quod ita et fecit. Sed postea in ipso placito ei fuit iudicatum ut ipsi parentes talem epistolam se-

curitatis manu eorum vel bonorum hominum firmatam ei fieri vel conscribere deberent, quod ita et fecerunt, ut post hunc diem nec ipsi illi, nec ullus in causa ipsorum, nec ulla opposita persona de praefata morte illius quondam, nec de ipso homicidio, nec de ipsa leude nullam reclamationem nec nullum impedimentum pontificium non habeant ad faciendum. Qui hoc facere voluerit, ipsos solidos per manus reddat, et ob hoc solidos tantos una cum fisco discutientibus multae componat, et qui repetit nihil evindicet.

Securitas de homicidio.

VIII. Cum resedisset inluster vir ille Comes in illo mallo publico ad universorum causas audiendas vel recta iudicia terminanda, ibique veniens homo aliquis nomine ille repetebat ei, dum diceret eo quod ipse ille hominem suum nomine illum quondam bene ingenuum in via maio ordine ipsum adsalliset, et ipsum ibidem interfecisset vel occidisset, et rauba sua, caballos, aurum et argentum, et drapalia exinde tulisset vel deportasset, vel leudem contra Legem ibi burisset; sed ipse de praesenti adstare videbatur, et hanc causam nullatenus potuit denegare; sed taliter fuit professus, quod faciente inimico ipsum hominem occidisset vel interfecisset; sed taliter in ipso mallo ei iudicaverunt, ut ipsum hominem vel ipsam leudem legibus exinde transsolvere deberet. Quod ita et fecit. Sed postea apud ipsum Grafionem vel apud ipsos bonos homines qui in ipso mallo resedebant epistolam securitatis manu eorum firmatam accipere deberet, quod ita et fecit, ut post hanc diem nec ipsi illi nec ullus de heredibus suis, nec ullus in causa ipsorum et hominis interfecti quondam, nec ulla opposita persona de praesenti die de ipsa morte illius, nec de ipso homicidio, nec de ipsa leude contra ipsum illum nullam reclamationem nec nullum impedimentum pontificium non habeat ad faciendum; et qui hoc facere praesumpserit, duplum tantum quantum ipsa leodis continet, et partibus cui haec facta est, una cum socio fisco coactus multae componat, et quod repetit vindicare non valeat.

Donatio quam pater facit filio suo.

IX. Dulcissimo atque amantissimo filio meo illi, ego in Dei nomine ille genitor tuus. Dum et ego te dulciter enutrivi, et tu mihi fideliter deservisti, vel tuum servitium vel benevolentiam circa partem nostram habemus compertam, ideo in ipso amore dulcedinis vel tuo servitio componente, dabo ergo tibi à die praesente quod in perpetuum volo esse mansurum, hoc est, mansum ad commanendum cum casticia, superposita, terris arabilibus, et man-

cipiis his nominibus illis et illis, ut per hanc epistolam donationis vel deliberationis nostrae manu mea vel bonorum hominum firmatam, ut quandiu advivis tam tu ipse quam hereditas tua, contra tuos germanos et germanas quieto ordine elitigato valeas possidere vel dominare. Propterea hanc epistolam traditionis vel deliberationis nostrae manu mea firmatam exinde tibi fieri vel conscribere rogavi, ut de praesenti die de ipso manso, vel quicquid ad ipsum mansum aspicit, et ipsa mancipia superius denominata hoc habeas, teneas, atque possideas.

Conculcaturia quam Abbas facit ad hominem suum.

X. Ego in Dei nomine, ac si peccator, venerabilis vir ille Abbas de monasterio sancto illo, quod est in pago illo constructum. Dum et omnibus non est incognitum qualiter filius servi nostri nomine ille quandam feminam nostram nomine illam, bene ingenuam, filiam illius quondam, contra voluntatem parentum ipsius feminae sociavit sibi ad coniugium, sed postea ipsis parentibus complacuit et nobis ut talem epistolam conculcaturiam manu nostra vel à fratribus nostris firmatam ipsi feminae fieri vel firmare rogaremus, ut de ipso servitio, si agnatio inter ipsos apparuerit, in servitio publico nunquam sint coinquinati, sed sub integra ingenuitate dies eorum debeant perseverare, ideo precor atque supplico ad successores nostros vel ad Deum timentes homines ut benefacta nostra iubeant conservari qualiter ipsi vellent ut in postmodum eorum facta debeant esse stabilia; et per malorum hominum infestationem multam in ipsa epistola conculcaturia fieri vel conscribere rogavimus, ut si fuerit, quod Deus non permittat, extranea pars quae haec facta nostra infrangere voluerit, in primis iram Dei et Sancti illius incurrat, et ob hoc solidos centum partibus ipsius cui haec facta est multae componat, et quod repetit vindicare non valeat.

Donatio quam homo facit ad filium suum.

XI. Ego in Dei nomine ille. Constat me in amore Domini nostri Iesu Christi, ut veniam delictis meis consequi mereamur, donasse et dono donatumque esse volo ad dulcissimum filium meum nomine illum peciam de terra arabili in loco qui dicitur ille, qui est in pago illo, per loca designata vel circuita, in ea ratione ut post hunc diem iam dictus filiolus meus, cui epistola donationis ista legibus facta fuit, ipsam terram habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam in omnibus, Christo propitio, habeat potestatem. Et si quis, etc.

Notitia de cruce evindicata.

XII. Dum et omnibus non est incognitum qualiter veniens homo aliquis nomine ille ante Vigarium inlustris viri illius Comitis nomine illo, adversus hominem aliquem nomine illum, repetebat ei dum diceret eo quod terram suam de suo manso vel de sua potestate malō ordine proprisisset. Sed ipse ille de praesenti adstare videbatur, et hanc causam fortiter denegavit quod suam terram de suo manso malo ordine nunquam proprississet, nec post se nunquam retinuerit. Sed taliter ei fuit iudicatum ipso placito ante ipsum Vigarium, vel ante ipsos pagenses, ut ad crucem ad iudicium Dei pro ipsa terra in noctes quadraginta duas in ipso placito pro hoc deberent adstare. Quod ita et fecerunt. Sed venientes ad ipsum placitum, sicut eis fuit iudicatum, ante ipsum Vigarium, vel ante ipsos pagenses, ad ipsum iudicium vel ad ipsam crucem visi fuerunt stetisse; sed ipse illum hominem, qui ipsam terram proprisit, ad ipsum iudicium vel ad ipsam crucem eum convicit; sed ipse in ipso placito ad ipsam crucem visus cadisse; sed dum haec causa sic fuit inventa, quod ipse ille qui ad ipsum iudicium vel ad ipsam crucem cadisset, solidos tantos ei transsolvere deberet, quod ita et fecit, et de ipsa terra ipsum illum legibus revestire deberet, quod ita et fecit. Tunc taliter ei iudicaverunt, ut ipse ille de praesenti die ipsam terram tam contra ipsum illum vel heredes suos quam contra quemlibet hominem omnique tempore habeat evindicatam atque elitigatam, ut tam ipse ille quam et posteritas sua post hanc diem praedictam terram quieto ordine valeat possidere vel dominare, et ducti et securi exinde valeant residere. Factum iudicium in loco illo publiciter.

Cautio de clavibus.

XIII. Dum et per plures homines est patefactum qualiter in Dei nomine ille veniens in placito ante illos vel quamplures bonos homines adversus hominem nomine illum repetebat ei dum diceret eo quod cellaria vel camara et granica, quicquid in eis habuit repositum, hoc est, aurum, argentum, drapalia, arma, vinum, annonam, vel vitalia sua per suas claves commendasset ad custodiendum vel ad salvandum, et ipsam rem in naufragium vel in damnum posuit. Sed ipse ille de praesenti adstabat, et hanc causam nullatenus potuit denegare; sed taliter ei fuit professus, quod ipsam rem superius denominatam per suum neglectum et per suum facinus fuit perdita vel naufragata. Tunc taliter ei iudicaverunt, ut ipsam rem ei transsolvere vel emendare deberet. Sed ipse ille nullatenus habuit unde ipsam rem transsolvere vel emendare deberet. Sed taliter

ei fuit iudicatum, ut talem cautionem de capite suo, manu sua vel bonorum hominum firmata, ei fieri vel conscribere rogat, quod ita et fecit, ut dum ipsam rem non habui, nec pretium unde transsolvere vel emendare debuissem, ut quandiu advivam in servitio publico, quod mihi iniungitis, vobis deservire debeam; et si negligens aut tardus de ipso servitio apparuero, qualemcunque disciplinam ad alios servos tuos impendis, talem super me potestatem habeas ad faciendum. Et si fuerit aut ego ipse, aut ullus de meis heredibus, qui contra hanc cautionem venire aut reclamare, etc.

Concamiatura inter duos Abbates.

XIV. Placuit, auxiliante Domino, atque convenit inter venerabilem virum illum Abbatem de Monasterio illo, vel Congregationem Monasterii sui, necnon et magnificum virum illum, de commutatione locorum, quam inter se facere deberent. Quod ita et fecerunt. Per quam accepit venerabilis vir ille Abba ad opus Monasterii sui in loco nuncupante illo qui est in pago illo, hoc est, in ipso loco illo mansos ad commanendum, casticiis superpositis, terris arabilibus, vel quicquid in ipso loco ad praesens cernitur esse possessio, totum et ad integrum re inexquisita in commutatione vel in concamio. Simili modo vir magnificus ille accepit ad opus suum aliam rem in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, hoc est quod superius diximus, totum et ad integrum re inexquisita in commutatione vel in concamio. Unde duas epistolas pariculas uno tenore conscriptas manu eorum vel bonorum hominum firmatas inter se fieri et firmare rogaverunt, ut unusquisque post hunc diem quod à pari suo in commutatione vel in concamio accepit teneat atque possideat, vel quicquid [...etc.].

Charta tracturia.

XV. Domnis sanctis et apostolicis ac venerabilibus in Christo Patribus, Regibus, Comitibus, Episcopis, Abbatibus, Sacerdotibus, Clericis, vel omni populo Christiano qui in Romanorum vel Longobardorum provinciis Deo serviunt, tam in Monasteriis quam et in civitate, seu per pagos, vel per vicos, ego in Dei nomine ille Maior domus. Cognoscat Magnitudo seu et Sanctitas vestra quod iste frater noster nomen ille serviens vester petiit nobis ut ad basilicam sancti Petri patris vestri pro culpis vel pro nostra stabilitate valeat ambulare ad orationem. Proptera has litteras cum salutatione per ipsum ad vos direximus, ut in amore Dei et sancti Petri ipsum ad hospitium recipiatis ad benefaciendum vel ad suam consolationem, tam ad eam ambulando quam et in redeundo, ut per vos salvus eat et sal-

vus revertatur. Interim, sicut vestra est consuetudo bona, vel consolationem vel adiutorium ei impendere iubeatis, laetumque diem iubeatis habere. Cuius potestas regnat in aeternum, ipse vos custodiat in regno suo perpetuo. Salutamus vos omnes salutatione plenissima.

Donatio quam homo donat ad suam parentem.

XVI. Dilectissimae atque amabili mihi in Domino consobrinae meae nomine illo, ego in Dei nomine ille. Dum et pluribus est percognitum eo quod tu partibus meis amabilia servitia impendere non desinis, pro tua bonitate, et pro eo quod dictum est *Faciamus bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* vel ad propinquos nostros, igitur dono tibi à die praesente per hanc epistolam donationis, quae in perpetuum sit mansura, et de iure meo in tua dominatione trado atque firmabo, id est, mansum ad commanendum in pago illo, in loco qui dicitur ille, et est ipse mansus per loca designata de latere uno et de fronte terrae illius, et de alio latere et fronte terrae illius tanto, ita ut ab hac die memorata consobrina mea illa quicquid de ipso manso facere voluerit, ut absque uniuscuiusque repetitione liberam in omnibus habeat potestatem ad faciendum.

Donatio ad casam Dei.

XVII. Prudens consilium baiulat qui pro animae suae remedio cogitat illi Dominum retribuere, et exinde habere cogitat, et de Dei misericordia non dubitat. Idcirco nos in Dei nomine ille, et coniux mea illa. Admonet nos divina pietas et Christi misericordia ut aliquid de rebus nostris pro redimenda ultione nostrorum peccaminum Domino offerre deberemus, ut in die iudicii misericors Dominus vel in aliquantulum de scelere nostro nobis relaxare dignaretur, donamus compuncto corde et devoto animo ad basilicam illam, quae est in honore Sancti illius constructa in loco illo, hoc est, rem nostram in loco nuncupante illo, hoc est, in ipsa re mansis ad commanendum, casticiis, superpositis, terris arabilibus, ut post hunc diem ipsi custodes qui ad ipsum sanctum locum deserviunt, ipsam rem superius denominatam habeant, teneant, atque possideant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam et firmissimam habeant potestatem ad faciendum. Et si quis.

Pactum divisionis inter fratres.

XVIII. Pactum divisionis inter fratres, id sunt ille et ille, heredes illius et illius quondam, qualiter se de alode eorum dividere vel exaequare deberent. Quod ita et fecerunt. Per quem accepit vir magnificus ille mansum illum in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, hoc est,

ipse mansus circumcinctus, cum arboribus et casticiis, superpositis, terris arabilibus, et caetera. Simili modo vir magnificus ille accepit ad opus suum alium mansum in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, in centena illa, hoc est, quod superius diximus, mansum circumcinctum, cum arboribus et casticia, superposita, terris arabilibus, et caetera, vel quicquid pars contra parem suum per aequalentiam inter se diviserunt, absque ulla repetitione vel reclamatione hoc habeant, teneant, possideant, vel quicquid exinde facere voluerint, libera in omnibus, Christo propitio, in sua permaneat potestate ad faciendum. Si quis vero.

Venditio ad monasterium.

XIX. Venerabili in Christo patri illi Abbati de Monasterio qui vocatur Sancti illius, quod est in pago illo super fluvium illum constructum, emptori, ego in Dei nomine ille venditor. Constat me non imaginario iure, nec nullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meae arbitrio, vobis vel ad Monasterium vestrum vendere, quod ita et vendidi vobis à die praesente, rem pro proportione mea in loco nuncupante illo, quod est infra pagum illum, quod de parte parentum meorum ad me Legibus obvenit, hoc est, tam mansis, casis, casticiis, mancipiis, ingenuis his nominibus, vel quicquid ibidem praesens est mea dominatio totum et ad integrum de iure meo in dominatione vestra per hanc venditionem tradidi vobis ad possidendum; et accepi à vobis in pretio taxato, iuxta quod nobis aptificatum vel conventum fuit, solidos probos atque pensantes numero tantos; ita ut ab die memorata omnia superius nominata, quae de me legibus comparastis, hoc habeatis, teneatis, possideatis tam vos quam et successores vestri, liberumque et firmissimum in vestra permaneat potestate ad faciendum. Si quis vero.

Precaria.

XX. In Christo venerabili patri et Domno illi Abbati de Monasterio Sancti illius, quod est in pago illo super fluvium illum constructum, ego in Dei nomine ille. Precator accessi ad vos ut rem pro portione vestra, in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quam ego ille ante hos dies per venditionis titulum dato pretio Sancto illi seu vestro Monasterio adfirmavi, hôc est, in ipsa portione mansum ad commanendum, casticiis, superpositis, terris arabilibus, mancipiis, ingenuis his nominibus, vineis, pratis, silvis, pascuis, vel quicquid ibidem aspicit vobis delegavimus. Sed postea taliter vobis supplicavimus, ut ipsam portionem ad usum beneficium ad excolendum quan-

diu advivo mihi praestare vel relaxare deberetis. Quod ita et fecistis. Propterea hanc precariam manu mea vel bonorum hominum firmatam vobis exinde emisimus, ut annis singulis censum denariorum tot ad luminaria Sancti illius et decimam de omnibus fructibus, quicquid supra ipsam conlaborare potuerimus, die illo, quod eveniet festo ipsius Sancti illius, pro hoc vobis dare et adimplere faciam. Et si negligens aut tardus de ipso censu ad illud placitum apparuero, fidem exinde vobis legibus faciam, et ipsam rem dum advivo per vestrum beneficium tenere et usufructuare faciam; in ea vero ratione ut aliubi ipsas res nec vendere, nec donare, nec alienare, nec ad alias casas Dei delegare, nec in naufragium ponere, nec ad proprium facere, nec heredibus meis in alode derelinquere pontificium non habeam ad faciendum, nisi post meum discessum, una cum re immeliorata vel superposita, quicquid ibidem inventum fuerit, absque ullius Iudicis contradictione pars Monasterii vestri ad vestrum faciat revocare dominium. Si quis vero.

Commendatitia de re vendita.

XXI. In Christo filio Ecclesiae illi, in Dei nomine ille Abbas de Monasterio illo Sancti illius, quod est in pago illo, una cum consensu fratrum nostrorum. Dum et tua fuit petitio et nostra decrevit voluntas ut duas partes darem pro portione nostra in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quem tu ipse ante hos dies per venditionis titulum dato pretio de thesauro Sancti illius nobis vendidisti; sed postea taliter nobis supplicasti ut ipsius portionis duas partes in praedicto loco illo ad usum beneficium ad excolendum, quandiu advivis, tibi praestare deberemus. Quod ita et fecimus. Propterea hanc commendatitiam manu nostra firmatam tibi pro hoc dedimus, ut annis singulis censum tantum et illam decimam de omni fructu, quicquid supra ipsam terram conlaborare potueris, die illo, quod eveniet festo Sancti illius, pro hoc dare debeas. Et si negligens aut tardus ad id placitum de ipso censu fueris, fidem exinde pro hoc nobis facias, et ipsam rem ad viventum tuum per nostrum beneficium teneas, in ea tamen ratione ut ipsam rem aliubi nec vendere, nec donare, nec alienare, nec ad alias casas Dei delegare, nec ad proprium sacire, nec heredibus tuis in alode derelinquere, nec in naufragium ponere, potestatem non habeas ad faciendum, nisi post tuum discessum, una cum ipsa re immeliorata vel superposita, quicquid ibidem inventum fuerit, sine ullius Iudicis consignatione pars Monasterii nostri elitigato ordine praesentaliter ipsam rem immelioratam in nostrum faciat revocare dominium, et haec commendatitia firma sit.

Facta commendatitia in ipso Monasterio Sancti illius publiciter in anno duodecimo regni.

Indiculus precatorius ad Episcopum.

XXII. Domino sancto et apostolica sede colendo in Christo venerabili Domno et patri illi Pontifici urbis illius, civitatis illius, ego in Dei nomine illi, bene cupiens vester, in Domino vobis dirigimus salutem et precamur Sanctitatem vestram ut pro nobis orare dignemini. Denique cognoscatis quod iste homo vester, nomine illo, ad nos confugium fecit, et dixit quod contra vos culpas habeat commissas. Propterea has litteras cum salutatione ad vos direximus, et precamur vobis ut vitam et immancationem et disciplinam corporalem ei concedere iubeatis. Aliam poenitentiam, qualem ei volueritis iudicare, in vestra est potestate. Qualiter ipse homo secum gaudeat quod nostram suggestionem ad vos deportasset; et unde nobis reconiungitis vobis remerire cupimus. Quid plura?

Indiculus quem Praepositus transmittit ad Abbatem.

XXIII. Diligendo ad nos Domno et in Christo patri nostro venerabili illi Abbati, ego ille serviens atque Praepositus vester. In primus illud precamur Sanctitatem vestram, ut in vestra sancta oratione pro me esse non dedignemini. Denique, Domne, cognoscatis de isto servitio ubi nos transmisistis, per verbum illustris viri illius Comitis, sui iuniores non exinde fecerunt quomodo eis fuit demandatum. Propterea has litteras ad vos direximus, ut de ipso certiores sitis, et inantea quomodo vobis est utile sic compensetis ut nostram rem non perdamus. Quid plura? Salutamus vos usque ad gaudium.

Indiculus quem Abbas transmittit ad hominem pagensem.

XXIV. Dulcissimo nostro et ut credimus amico Sancti illius in Dei nomine illi, ille, etsi peccator, Abba, nos et nostri, servientes vestri, in Domino vobis dirigimus salutes, et illud precamur Deum ut merearis agere in ista vita quod Deo sit beneplacitum. Precamur vos de illis vestris homunciunculis qui in vestro Ministèrio commanent, vel de nostris causis invicem nostrum bonum certamen exinde mittatis, sicut nos de vestra caritate bene confidimus, ut sic exinde perportare faciatis usque nos insimul coniungimus. Quid plura?

Indiculus quem Episcopus transmittit ad Abbatem.

XXV. Sanctorum meritis beatificato Domno atque patri, Deique cultore, et ut confidimus vero amico nostro

illi gratia Dei Abbati, nos enim in Dei nomine ille, quamvis peccator, donum Dei Episcopus. Deus scit, vester in omnibus proprius amicus, imprimitus salutationem. *Desunt reliqua.*

Cautio de infracturis.

XXVI. Contigit quod cellarium vel spicarium vestrum infregi, et exinde annonam vel aliam raupam in solidos tantos furavi. Dum et vos et advocatus vester exinde ante illum Comitem interpellare fecistis, et ego hanc causam nullatenus potui denegare, sic ab ipsis Racimburgiis fuit iudicatum, ut per wadium meum eam contra vos componere atque satisfacere debeam, hoc est, solidos tantos vel *. Sed dum ipsos solidos minime habui unde transsolvere debeam, sic mihi aptificavit, ut brachium in collum posui, et per comam capitis mei coram praesentibus hominibus tradere feci, in ea ratione ut interim quod ipsos solidos vestros reddere potuero, et servitium vestrum et operam qualemcunque vel vos vel iuniores vestri iniunxeritis, facere et adimplere debeam; et si exinde negligens vel iactivus apparuero, spondeo me contra vos ut talem disciplinam supra dorsum meum facere iubeatis quam super reliquos servos vestros.

FORMULAE LINDENBROGII SIVE COLLECTIO FORMULARUM

A Friderico Lindenbrogio in publicum emissa.

Incipiunt exemplaria de diversis conditionibus, qualiter regales vel cartae pagenses aut senicae, quas haec formula continet, scribantur.

De Episcopatu.

I. Ille Rex viro apostolico illi Episcopo. Quamlibet nos, etc. *ut supra pag.* 292.

Indiculus Regis ad Episcopum ut alium benedicat.

II. Domino sancto sede apostolicae dignitatis colendo in Christo patri illi Episcopo ille Rex. Credimus iam, etc. *ut supra pag.* 293.

Concessio civium pro Episcopatu.

III. Suggestio piissimo ac praecellentissimo Domino ill. Regi, etc. *ut supra pag.* 293.

Carta de Episcopatu.

IV. Dum iuxta Apostoli dictum omnis potestas sublimatur à Domino, et quatenus post Deum in regia manet po-

testate qualiter cuncta terrena debeant gubernari. Unde oportet nos salubri consilio retractare ut illi in locis Sanctorum instituantur custodes qui digne ad ipsum officium gubernandum apparere noscuntur. Igitur dum et vestra et cleri vel pagensium civitatis illius adfuit petitio ut relicta urbe illa, quam prius regere et gubernare videbamini, in suprascripta urbe illa cathedram pontificalem suscipere deberetis, et dum vos apud animos nostros et actio commendat probata, et nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas vel mansuetudo et prudentiae honestas exornat, cum consilio et voluntate Pontificum Procerumque nostrorum, iuxta voluntatem et consensum cleri et plebium ipsius civitatis, in supradicta urbe illa pontificalem in Dei nomine vobis commisimus dignitatem. Propterea per praesentem praeceptum decernimus ac iubemus ut supradicta urbs vel res Ecclesiae ipsius et clerus sub vestro arbitrio et gubernatione consistant, et erga regimen nostrum semper fidem inlibatam custodire debeatis, et iuxta canonicam institutionem plebem vobis commissam assiduis praedicationum sermonibus expolire, et non minus pietate quam severitate constringere studeatis, et curam pauperum vel necessitatem patientium cum ingenti cura et dilectione procuretis, ut adquisita multiplicataque gregis vestri salute, ad ovile dominicum nullis maculis sordidatum valeatis praesentare; quatenus dum Ecclesiam vobis dispensatione divina commissam strenue regere atque gubernare videamini, vobis apud aeternum retributorem mercedum suffragia largiantur, et vos immensum Christum pro nostrorum mole peccaminum assidue exorare debeatis.

Carta de magna re, qui vult xenodochium aut monasterium construere.

V. Domino vere sancto, etc. *ut supra pag.* 311.

Emunitas Regia.

VI. Maximum regni nostri augere credimus munimentum si beneficia oportuna locis Ecclesiarum benevola deliberatione concedimus, ac Domino protegente, stabiliter perdurare conscribimus. Noverit igitur sollertia vestra nos ad petitionem apostolici viri Domni ill. illius urbis Episcopi tale pro aeterna retributione beneficium indulsisse ut in villis Ecclesiae Domni ill. quas moderno tempore aut nostro aut cuiuslibet munere habere videtur, vel qua deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit divina pietas ampliare, nullus Iudex publicus ad causas audiendas aut fredam undique exigendam ullo unquam tempore praesumat ingredi; sed hoc ipse Pontifex vel successores eius propter

nomen Domini sub integra emunitate omnino valeant dominari. Statuentes ergo iubemus ut neque vos, neque iuniores vestri aut successores, nec ulla publica iudiciaria potestas quoquo tempore in villas ubicunque in regno nostro ipsi Ecclesiae aut regia aut privatorum largitate conlatas, aut quae inantea fuerint conlaturae, ad audiendum altercationes ingredi, aut fredam de qualibet causa exigere, vel mansiones aut paratas vel fideiussores tollere praesumatis; sed quicquid exinde exigere, aut de servientibus caeterisque nationibus quae sunt infra agros vel fines seu supra terras praedictae Ecclesiae commanentes, fiscus aut de freda aut undecunque potuerat sperare, ex nostra hac indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius Ecclesiae per manus agentium eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini et animae nostrae remedium seu pro nostra subsequente progenie plena devotione indulsimus nec regalis sublimitas, nec cuiuslibet iudicium seu cupiditas refragare tentet. Et ut praesens auctoritas tam praesenti quam futuris temporibus inviolata, Deo adiutore, permaneat, manus nostrae subscriptionibus infra roborare decrevimus.

Confirmatio de emunitate.

VIII. Ille Rex Francorum vir inlustris. Quotiescunque petitionem Sacerdotum vel ancillarum Dei ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, et nobis ad mercedem vel ad stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Ideoque Dominis viris sanctis ac venerabilibus apostolicis in Christo patribus omnibus Episcopis, vel omnibus Abbatibus, seu inlustribus atque magnificis viris Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, vel omnibus Vassis nostris, vel omnibus Missis nostris discurrentibus. Cognoscatis quod inlustris Abbas ille de monasterio illo in pago illo, in loco qui dicitur ill. in honorem Sancti ill. constructo, una cum Monachis vel Dei ancillis ad laudem Christi canendum sub religionis norma conversantibus, clementiae regni nostri suggestionem intulit eo quod gloriosus Dominus et genitor noster ill. quondam Rex per suam praeceptionem sua manu roboratam talem emunitatem ad ipsam casam Dei Sancti ill. vel Monasterii ill. vel ipsi Abbati habuisset concessam atque indultam, ut nullus Iudex publicus vel quislibet iudiciaria potestate accinctus in cortes vel villas ipsius Monasterii nullum debuisset habere introitum, nec ad causas audiendas, nec ad fredam exigendam, nec fideiussores tollendos, nec mansiones aut paradas requirendas, nec ullas retributiones exactandas; quod fiscus noster exinde habere poterit, nullatenus exactetur, nec

requiratur. Unde et confirmationes anteriorum Regum parentum nostrorum nobis in praesente protulit relegendas; petiitque Celsitudinem nostram ut circa ipsum Monasterium nostra haec deberet auctoritas generaliter confirmare. Quod nos beneficium gratanti animo pro mercedis nostrae augmento non solum confirmantes, sed etiam novum sub emunitatis nomine concedentes, per hoc praeceptum specialius decernimus atque omnino iubemus, quod in perpetuum absque ullis obstaculis et refragationibus volumus esse mansurum, ut absque introitu Episcopi aut Archidiaconi ad orationem aut praedicationem lucrandam nullus Iudex publicus in curtes vel villas ipsius Monasterii ullum debeat habere ingressum, nec ad causas audiendas, nec fredam exigendam, nec fideiussores tollendos, nec mansiones aut paradas requirendas, nec ullas retributiones exactandas; quod fiscus noster exinde habere poterit, nullatenus exactetur nec requiratur. Nisi ut diximus, pro mercedis nostrae augmento, sicut ab antecessoribus Regibus parentibus nostris, seu et Domno glorioso genitore nostro ill. quondam Rege, moderno tempore fuit concessum atque indultum, ita nostris oraculis plenius confirmamus, quod in perpetuum volumus esse mansurum. Et ut haec praeceptio firmior habeatur, et per tempora melius conservetur, manus nostrae signaculis subter eam decrevimus roborare, et annulo nostro subter sigillavimus.

Confirmatio de omni corpore facultatis Monasterii.

VIII. Ille Rex illi Patritio atque omnibus Agentibus. Rectum esse censemus, etc. *ut supra pag.* 306.

Ut causas auctorum adsumendi aliquis licentiam habeat.

IX. Malorum necesse est tergiversationem regali coërcere censura. Igitur apostolicus vir ille, illius urbis Episcopus, etc. *ut supra pag.* 307.

Indiculus Regis de privilegio.

X. Ille Rex Francorum vir inluster illi Comiti, etc. *ut supra pag.* 358.

Alius Indiculus regalis.

XI. Karolus gratia Dei Rex Francorum, etc. *ut supra pag.* 365.

Item alius.

XII. Ille Rex Francorum viris inlustribus Patriciis, Comitibus, Telonariis, vel omnibus curam publicam agentibus. Si opportuna beneficia ad loca sanctarum Ecclesiarum vel Sacerdotibus praestare non desinemus, hoc nobis

procul dubio in aeterna beatitudine retribuere confidimus. Igitur cognoscat magnitudo seu almitas vestra quod nos ad petitionem apostolici Viri, illius urbis Antistitis, talem propter nomen Domini, eius meritis compellentibus, beneficium praestitisse cognoscite ut ubicunque infra regnum nostrum Missi sui mercare videntur, vel pro reliqua necessitate discurrunt, nullum teloneum nec quamlibet redhibitionem exinde ad partem fisci nostri nec ipse nec Missi sui solvere non debeant. Propterea per praesentem Praeceptum decernimus quod perpetualiter mansurum esse volumus, ut nullum teloneum in nullis civitatibus aut pagis vel ubicunque in regno nostro teloneus exigitur, nec de navali nec de carrali evectione, nec de rotatico, nec de pontatico, nec pulveratico, nec saltuatico, nec cespitatico, nec de saumariis, nec de eo quod homines eorum ad dorsum portant, nec nulla redhibitione, quam fiscus noster exinde sperare poterat, nec vos nec iuniores aut successores vestri non requiratis nec exigatis; sed omnia et in omnibus hoc propter nomen Domini ipse Pontifex vel successores sui aut memorata Ecclesia Sancti illius habeant indultum, vel in luminaribus ipsius loci proficiat. Quae vero auctoritas ut perpetuis temporibus valeat, propria eam manu infra decrevimus roborare.

Epistola donationis.

XIII. Mundi terminum ruinis crebrescentibus adpropinquare indicia certa manifestant, etc. *ut supra pag.* 315.

Alia donatio.

XIV. Ego ille de misericordia Dei et pietate confisus, per hanc epistolam donationis datum donatumque in perpetuum esse volo ad basilicam Sancti illius, ubi ipsius pretiosum corpus requiescit, et venerabilis vir ille Abba praeesse videtur, etc. *ut supra pag.* 374.

Donatio de parva re ad Ecclesiam.

XV. Si aliquid de rebus nostris locis Sanctorum, etc. *ut supra pag.* 318.

Cessio a die praesente ad Ecclesiam.

XVI. Dum fragilitas humani generis pertimescit ultimum vitae tempus, etc. *ut supra pag.* 316.

Item alia cessio.

XVII. Ego ille cogitans Dei amorem vel aeternorum bonorum retributionem, ideo cedo à die praesente ad supradictam basilicam et Monachos ibidem consistentes ces-

sumque in perpetuum esse volo portiones meas in loco nuncupato ill. sitas in pago ill. quae mihi tam de alode quam de comparato vel de quolibet adtracto advenit, vel legibus advenire potest, in supra memorato loco, tam terris, domibus, aedificiis, mancipiis, libertis, accolabus, merito accolonorum, vineis, silvis, pratis, pascuis, campis, cultis, incultis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omnibus adiacentiis et appendiciis vel colonicis ad me pertinentibus, vel omni integritate, vel superposito, quicquid dici aut nominari potest in supra memorato pago vel loco supra nominato vel utique de supradictis portionibus tenere visus sum, totum et ad integrum à die praesente ad iam memoratum Monasterium vel ad ipsos Monachos ibi consistentes perpetualiter trado atque transfundo de meo iure in eorum dominationem ad possidendum, ut quicquid à die praesente exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, in futurum, sive ego ipse, aut ullus de heredibus vel proheredibus meis, aut ulla emissa vel opposita persona, vel quislibet, qui contra hanc cessionem meam, quam ego bona voluntate fieri et adfirmare rogavi, venire, agere, aut resultare, vel quibuscunque modis repetere aut infrangere conatus fuerit, nec hoc valeat vindicare quod repetit, et insuper partibus supra memorati Monasterii vel Monachis ibi consistentibus duplum tantum quantum ipsae res eo tempore melioratae valuerint componat, et insuper socio fisco multa auri libram unam coactus exsolvat, et haec cessio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum loco illo.

Donatio ad casam Dei.

XVIII. Ille bene possidet res in seculo qui sibi de terrenis seu de caducis rebus comparat praemia sempiterna. Quapropter ego in Dei nomine ille, necnon et coniux mea, ambo pariter cogitantes de Dei timore vel aeterna retributione, propterea donamus, tradimus aliquas res nostras ad Monasterium quod dicitur ill. quod dedicatum esse dinoscitur in honorem Sancti illius, ubi venerabilis vir ille Rector praeesse videtur. Donamus igitur et donatum in perpetuo esse volumus hoc est, in pago ill. nuncupato ill. fluvio ill. mansos tantos, cum hominibus ibidem commanentibus vel aspicientibus ill. vel ill. cum domibus, aedificiis, curtiferis, cum wadris, campis, terris, tam cultis quam et incultis, silvis, pratis, pascuis, et farinariis, cum inviis, perviis, aquis, aquarumque discursibus, mobilibus et immobilibus, praesidiis, peculiis, pecoribus, omne et ex omnibus, quicquid in ipso loco nostra videtur esse possessio

vel dominatio, rem exquisitam, totam et ad integrum, tam de alode quam et de comparato seu de quolibet adtractu, quicquid ad nos ibidem noscitur pervenisse, de nostro iure in ius et dominationem iam dicti Monasterii per hanc chartulam donationis sive per festucam atque per andelangum à die praesente donamus, tradimus, atque perpetualiter in omnibus transfirmamus. In ea vero ratione ut pars praedicti Monasterii ab hac die hoc habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam ac firmissimam, Christo propitio, in omnibus habeat potestatem. Et si quis deinceps, quod futurum esse non credimus, si nosmetipsi, quod absit, aut ullus quislibet de heredibus nostris, seu ulla quaelibet extranea persona contra hanc donationem venire aut eam calumniari praesumpserit, si se exinde non correxerit, à liminibus sanctae Ecclesiae excommunicatus et sequestratus appareat, et insuper ante tribunal Christi hac de causa se iudicatum iri cognoscat. Cui vero calumniam intulerit, auri uncias tant. argenti libras tant. coactus exsolvat, et quod repetit nullo modo evindicare praevaleat; sed praesens donatio haec nostris et nobis rogantibus bonorum hominum manibus roborata, quorum nomina vel signacula subter tenentur inserta, stipulatione nostra posita, diuturno tempore maneat inconvulsa. Actum. Et reliqua.

Precaria ad casam Dei.

XIX. Domino venerabili et in Christo patri ill. Episcopo de Monasterio illo, quod est constructum infra muros illius civitatis iuxta fluvium ill. etc. Igitur ego in Dei nomine ille. Dum non est incognitum qualiter omnem rem portionis meae in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill. et in illo loco qui dicitur ill. id est mansos tantos, cum domibus, aedificiis, curtiferis, cum wadris, silvis, terris arabilibus, campis, pratis, pascuis, cum inviis, perviis, et mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus, quantacunque in ipsis locis mea fuit possessio vel dominatio, vobis ad ipsum Monasterium superius nominatum ad opus Sancti ill. tradidi atque transfirmavi. Sed postea mea fuit petitio, et vestra non denegavit voluntas, ut ipsam rem, dum advixero, per vestrum beneficium usufructuario mihi praestitissetis ad habere. Quod ita et fecistis. Simili etiam modo expetivi à vobis aliquam rem vestram in pago illo, in loco nuncupato ill. super fluvio illo illam videlicet rem quam quondam ille homo per vestrum beneficium tenere visus est, ut eam mihi in usum concedere dignaremini. Et pro ipso usu censivi vobis annis singulis denarios seu solidos tantos, ut ipsos ad festi-

vitatem Sancti illius, die mensis illius, exolvere facerem. Et si de ipso censu tardus aut negligens apparuerim, fidem exinde faciam, et contra ipsam casam Dei componere debeam. Et sic nobis complacuit atque convenit ut ipsas res nec vendere, nec donare, nec concambiare, nec in ullum quodlibet naufragium imponere licentiam non habeam, nisi tantum, dum advixero, usitare et meliorare faciam. Et post meum ex hac luce discessum, filius meus nomine ill. in ipsa precaria vel in ipso censu adstare debeat. At post eius discessum ipsas res cum omni supraposito, quicquid ibidem adtractum emelioratumque repertum fuerit, vel transitus eius ibidem dereliquerit, absque ullius contradictione vel iudiciaria consignatione revocare faciatis in vestrum dominium. Et ut haec precaria firmior habeatur, de quinquennio in quinquennium sit renovata, quatenus sic semper permanere valeat in effectum, stipulatione interposita. Actum. Et reliqua.

Praestaria ad casam Dei.

XX. Ego in Dei nomine ille, Abba de Monasterio illo quod est constructum in honore Sancti illius, dilecto amico nostro nomine ill. et uxori suae nomine ill. Dum non est incognitum qualiter aliquas res vestras in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvio illo, hoc est, mansos tantos, cum domibus, aedificiis, curtiferis, cum wadris, campis, terris, pratis, pascuis, cum inviis, perviis, et mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus his nominibus ill. et ill. vel quantacunque in ipso loco vestra fuit possessio vel dominatio, nobis ad iam dictum Monasterium ad opus Sancti ill. tradidistis atque confirmastis. Sed postea vestra fuit petitio, et nostra non denegavit voluntas, ut ipsas res, dum advixeritis, usufructuario iure praestitissemus ad habere. Quod ita et fecimus. Et pro ipso usu censistis nobis singulis annis denarios tantos, ut ipsos ad festivitatem Sancti ill. die mensis ill. exolvere faciatis. Et si de ipso censu tardi aut negligentes apparueritis, fidem exinde faciatis, et contra ipsam casam Dei componere debeatis. Et sic nobis complacuit atque convenit, ut ipsas res nec vendere, nac donare, nec alienare, nec concambiare, nec in ullum quodlibet naufragium ponere licentiam non habeatis; nisi tantum, dum advixeritis, usitare et meliorare faciatis; et post vestrum amborum discessum ipsas res emelioratas absque ullius contradictione vel iudiciaria assignatione revocare faciamus in nostrum dominium. Et haec praestaria de quinquennio in quinquennium sit renovata, quatenus permanere valeat in effectum,

stipulatione composita, diuturno tempore inconvulsa. Actum. Et reliqua.

Donatio ad casam Dei.

XXI. Domino vere sancto ac reverendissimo Monasterii illius, etc. *ut supra pag.* 362.

Precaria ad casam Dei.

XXII. Dominis vere sanctis Monasterii in honorem sanctae Mariae et sancti Petri et sancti Pauli, Principum Apostolorum, constructi in pago Wastinensi, ubi illustris Abbatissa ill. custrix praeesse videtur, una cum norma plurima ancillarum ibidem consistentium, ego illa femina. Dum non habetur incognitum, sed plurimis est manifestum, quod ego res proprietatis meae in loco qui dicitur ill. per epistolam donationis ad ipsum Monasterium vestrum delegavi. Propterea expetii à vobis, et vos petitionem meam non denegastis, ut ipsas res, quandiu advivo, sub usu beneficii vestri tenere et usuare debeam, et aliubi ipsas res alienare pontificium non habeam, et post meum quoque discessum cum omni re emeliorata ad ipsum Monasterium absque ulla expectata traditione vos vel Rectores ipsius Monasterii in eorum faciant revocare potestatem et dominationem. Et ut in postmodum aliquod praeiudicium ex hoc generare non debeam, propterea hanc precariam vobis vel ipsi Monasterio vestro emittendam decrevi, ut neque ego neque ullus de heredibus meis, quamvis per longinqua spatia, ipsas res repetere non debeamus. Quod qui fecerit, inferat vobis vel partibus ipsius Monasterii suisque Rectoribus auri libram unam argenti pondo duo, et praesens precaria firma permaneat. Et ut aliae praecariae de quinquennio in quinquennium renovantur, istam vero non sit necesse renovare, sed per semetipsam omni tempore obtineat firmitatem, cum stipulatione subnexa. Actum. Et reliqua.

Praestaria.

XXIII. Dulcissimae feminae ill. ego illa Abbatissa. Dum non est incognitum qualiter tu ante hos dies rem proprietatis tuae in pago ill. in loco qui dicitur ill. ad Monasterium sanctae Mariae adfirmasti, unde precariam à nobis vel ab ipso Monasterio petiisti, propterea has litteras in te adfirmavimus, ut dum advivis usualiter ipsam rem tenere et dominare debeas, et aliubi ipsam alienare pontificium non habeas, et si hoc conatus eris facere, ipsam rem à die praesente perdas. Et ut has litteras firmiores obtineas, manu nostra subter adfirmavimus, cum stipulatione subnexa. Actum. Et reliqua.

Traditoria de terra.

XXIV. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis Advocatus Sancti illius, etc. *ut supra. pag.* 364.

Precaria de ipsa villa dum vivit.

XXV. Domino venerabili in Christo Patri Domno ill. Abbati de Monasterio ill. vel omni congregationi Monachorum in Monasterio illo, quod est in pago illo, in honorem Sanctorum illorum constructo, ibidem Deo deservienti, ego enim ille. Dum non habetur incognitum, sed inter plures cognoscitur, quod ego res meas iuris ac proprietatis meae, quae sunt in pago illo et illis conditis vel finibus illis, villas et loca nuncupata ill. et ill.. cum omni merito vel termino suo, cum omni integritate vel appendiciis, vel adiacentiis, vel suprapositis, seu servos et ancillas, accolas, libertos, libertas, cum omni peculiari et merito eorum, ad iam dictum Monasterium à die praesenti per meam epistolam confirmavi, et vos omnia supra memorata vel quantum ipsa epistola commemorat, per meam traditionem ad partem iam dicti Monasterii in vestro iure vel potestate recepistis; sed dum postea mea fuit petitio vel supplicatio, et vestra praestitit bona voluntas, ut ipsas res quandiu advixero, per vestrum praestitum beneficium tantummodo usufructuario ordine habeam vel possideam, eo videlicet modo ut quicquam exinde minuendi aut distrahendi aut alienandi non habeam potestatem. Quod si fuerit, quod absit, aut ego ipse, aut aliquis de heredibus meis vel quislibet qui in aliqua contrarietate aut diminutione seu calumnia orta fuerit, aut surrexerit, aut adesse conatus fuerit, in primis ipsas res amittat, et Abbas Monasterii vestri eas ad integrum recipiat, insuper et alias tantas res partibus ipsius Monasterii componere et adimplere faciat. Et quia censistis me annis singulis pro ipsis rebus in festo Sancti ill. argentum vel quidlibet solvere faciam, si de ipso censu ad eum placitum negligens fuero, spondeo ut ipsum in duplum solvam. At dum haec omnia supra memorata inlibata servavero, nec vos nec iuniores aut successores vestri de ipsis rebus ullam diminutionem vel contrarietatem, si spatium vitae Dominus mihi prolongare dignatus fuerit, facere praesumatis. Post meum quoque discessum omnes ipsas res, cum omni addita melioratione vel omnibus suprapositis, cum omnibus rebus atque corporibus, opibus atque praesidiis, absque ullius iudicis aut heredum meorum expectata consignatione aut traditione vos aut agentes vestri iam dicti monasterii vestri in eorum faciant revocare vel recipere dominationem vel potestatem, sicut eorum continet epistola, perpetualiter faciendo quod egerint.

Sequitur praestaria.

XXVI. In Dei nomine ille Abba et omnis Congregatio fratrum nostrorum aut Monachorum in Monasterio ill. Domino deservientium, in Christo filio illo. Dum tua fuit petitio vel supplicatio, et nostra decrevit voluntas, ut praestitum beneficium de rebus nostris tibi facere deberemus, quod ita et fecimus, quae sunt in pago ill. in condita illa, in loco qui vocatur sic, quem tu aut ill. per epistolam donationis à die praesente ad iam dictum Monasterium nostrum ill. confirmavit, id est, mansum cum casa, vel alias terras, vel quantum ipsa epistola continere videtur, ut quandiu advixeris, aut ad v. aut x. aut xv. annos ipsas res usualiter habere et possidere vel excolere debeas, at nihil exinde minuendi, aut alienandi, vel detrahendi, aut in peius vertendi non habeas potestatem, neque transferendi quicquam, quod si feceris, aut in alio contrario aut iniquo ingenio vel contrarietate aut tu ipse, aut aliquislibet homo de ipsis rebus adesse aut adstare conatus fuerit in primis ipsas res amittas vel perdas, et alias tantas vel tales partibus iam dicti Monasterii componere et solvere facias. Et censuimus de annis singulis pro ipsis rebus in festo Sancti ill. ceram aut argentum tant. partibus ipsius Monasterii solvere facias. Et si de ipso censu negligens fueris, ipsum duplum reddas; et haec praestaria nostra usque ad eum placitum firma permaneat, stipulatione subnixa. Acta ibi. Et reliqua.

Alia precaria.

XXVII. Domino sancto et apostolica sede colendo Domno et in Christo patri ill. ego ill. et coniux mea illa. Pluribus non est incognitum qualiter propter nomen Domini ad Ecclesiam illam in honorem Sancti illius villam nostram nuncupatam ill. sitam in pago ill. per epistolam cessionis visi fuimus concessisse, etiam vos ad partes suprascriptae Ecclesiae recepisse. Sed dum postea nostra fuit petitio, et vestra benevolentia et pietas, ipsam villam, dum advivimus, aut qui parte sua ex nobis superstes fuerit, dum advivit, nobis ad beneficium usufructuario ordine excolendam tenere permisistis, ea scilicet ratione ut nihil exinde penitus de qualibet re alienandi aut minuendi pontificium non habeamus, sed absque ullo praeiudicio suprascriptae Ecclesiae vel vestro eam tantummodo excolere debeamus, ideo hanc precariam vobis emittimus, ut nullo unquam tempore nostra possessio, etiamsi spatium vitae nobis Dominus prolongaverit, nullum praeiudicium aut diminutionem aliquam de ipsa villa vobis generare non debeat; nisi usu tantum, dum advivimus, habere debeamus.

Et post nostrum amborum discessum, cum omni re meliorata, quicquid ibidem undique adtrahere aut meliorare poterimus, per hanc precatoriam, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, absque ullius Iudicis aut heredum nostrorum expectata traditione vos et successores vestri aut agentes Ecclesiae in vestram eam faciatis dominationem revocare perpetualiter possidendam vel quicquid exinde facere elegeritis, sicut nostra continet epistola, ad profectum praefatae Ecclesiae Domni illius liberum habeatis arbitrium. Facta precaria ibi. Et reliqua.

Venditio ad Monasterium.

XXVIII. Venerabili in Christo patri illi Abbati de Monasterio Sancti etc. *ut supra pag.* 408.

Precaria de venditione.

XXIX. In Christo venerabili patri et Domno illi. Abbati etc. *ut supra pag.* 408.

Commendatitia de re vendita.

XXX. In Christo venerabilis Abbas ille de Monasterio illo, quod est in pago illo etc. *ut supra pag.* 409.

Praeceptum de clericatu.

XXXI. Si eis qui se ad onus clericatus transferre deliberant, licentiam non negamus etc. *ut supra pag.* 299.

Carta de ducatu et patritiatu vel comitatu.

XXXII. Perspicue regalis in hoc perfecta conlaudatur clementia etc. *ut supra pag.* 294.

Tractoria in itinere pergendo.

XXXIII. Dominis Sanctis et Apostôlicis sedibus collocatis Episcopis, Abbatibus, etc. *ut supra pag.* 348.

Alia tractoria.

XXXIV. Dominis Sanctis et Apostolicis ac venerabilibus in Christo patribus Regibus etc. *ut supra pag.* 406.

Epistola tractoria legatariorum vel minima facienda istius instar.

XXXV. Ille Rex omnibus Agentibus. Dum et nos in Dei nomine Apostolico etc. *ut supra pag.* 295.

Carta de causa suspensa.

XXXVI. Cognoscat magnitudo seu utilitas vestra dum et nos ad praesens Apostolico viro ill. etc. *ut supra pag.* 301.

Carta de Mundeburde Regis et Principis.

XXXVII. Rectum est ut regalis potestas illis tuitionem impertiat etc. *ut supra pag.* 301.

Alio modo.

XXXVIII. Ille Rex vir inluster Domnis Sanctis ac venerabilibus in Christo patribus omnibus Episcopis, vel omnibus Abbatibus, seu et inlustribus viris Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, vel omnibus Agentibus, seu omnibus Missis nostris discurrentibus, vel omnibus paribus et amicis nostris, tam praesentibus quam futuris, bene cupiens vester. Comperiat magnitudo seu industria vestra quod veniens venerabilis vir ille, Abba de Monasterio Sancti illius, tam se quam et ipsum Monasterium cum omnibus rebus suis ad nos se plenius commendavit; et nos postea gratante animo ipsum venerabilem virum illum Abbatem cum ipso Monasterio vel hominibus suis et omnes causas suas amabiliter sub nostro recipimus mundeburde vel defensione. Ideoque salutantes magnitudinem seu industriam vestram, vobis omnino per has litteras rogamus atque praecipimus ut nullus ex vobis iam dictum venerabilem Abbatem, vel ipsum Monasterium, nec homines, nec res suas, quas ad praesens habere videtur, vel inantea, Christo propitio, per bonis hominibus ibidem conlatum fuerit, nullus inquietare nec condemnare vel aliquid de rebus suis minuare omnino praesumat; sed cum Dei gratia et nostro mundeburdo vel defensione tam eum quam suos homines residere cum quiete sinatis. Et si aliquae causae adversus ipsum Abbatem vel Monasterium ipsius seu homines eius fuerint, quae in pago absque suo iniquo dispendio recte definitae non fuerint, eas usque ante nos omnimodis fiant suspensas vel reservatas, et postea ante nos per Legem et Iustitiam finitivam accipiant sententiam. Et ut certius credatis, manu propria subter firmavimus et de anulo nostro sigillavimus. Signum Domno illo Rege. Ille recognovi et subscripsi. Datum die illo, anno illo, loco illo.

Ut leudesamia promittantur Regi.

XXXIX. Ille Rex Comiti illi. Dum et nos una cum consensu Procerum nostrorum etc. *ut supra pag.* 309.

Sacramentum fidelitatis.

XL. Repromitto ego quod ab isto die inantea fidelis ero Domno Karolo etc. *ut supra tom.* II. *pag.* 170.

Commutatio cum Rege.

XLI. Ille Rex illi Regi. Nemo sibi quicquam cernitur minuere quicquid e contra recipit etc. *ut supra pag.* 303.

Confirmatio Regis de omni corpore facultatis.

XLII. Merito regalis clementia in illis collata munera vel proprietates parentum nostrorum confirmare deliberat quos cognoscit etc. *ut supra pag.* 304.

Praeceptum de lesouverpo per manum Regis.

XLIII. Quicquid in praesentia nostra agitur, vel per manum nostram videtur esse transvulsum etc. *ut supra pag.* 296.

Prologi de cessionibus regalibus.

XLIV. Merito largitatis nostrae munere sublevantur etc. *ut supra pag.* 297.

Item. Perspicue compendiis regalibus illud adscribitur etc. *ut supra pag.* 297.

Cessio ad laiços.

XLV. Nihil, ut ait Apostolus, in hunc mundum intulimus, nec quicquam ex eo auferre nobiscum poterimus etc. *ut supra. pag.* 297.

Confirmatio ad seculares viros.

XLVI. Regiam consuetudinem exercemus et fidelium nostrorum animos adhortamur etc. *ut supra pag.* 298.

De Regis amstrutione.

XLVII. Rectum est ut qui nobis fidem pollicentur inlaesam, nostro tueantur auxilio. Et quia ill. noster fidelis etc. *ut supra pag.* 299.

Praeceptum donationis inter virum et uxorem.

XLVIII. Dum Dominus omnipotens, Creator coeli et terrae, permisit, iuxta quod legitur etc. *ut supra pag.* 295.

Carta donationis inter virum et uxorem, quae gestis municipalibus sit allegata.

XLIX. Quicquid inter coniugatos de propria facultate ob amorem dilectionis etc. *ut supra pag.* 319.

Alia donatio.

L. Quandoquidem Deus voluerit inter virum et uxorem, ad pacis vinculum atque concordiam nectendam, ut res eorum inter se condonare deberent, sicuti et fecerunt. Ideoque complacuit atque convenit inter venerabilem virum illum et uxorem illius nomine illam, eo quod inter eos agnatio minime esse cerneretur, ut alter alteri de rebus eorum inter se condonare deberent. Quod ita et fecerunt. Dedit itaque venerabilis vir ille uxori suae nomine illa de rebus suis in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio

ill. hoc est mansos tantos, cum domibus, aedificiis, curtiferis, cum wadris, terris, silvis, pratis, pascuis, campis, mobilibus et immobilibus, mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus his nominibus ill. et ill. cum omni integritate vel soliditate, quicquid ibidem iure hereditario ád se pertinere videtur. Similiter visa est reddere uxor ill. nomine ill. praefato iugali suo nomine ill., de rebus suis in pago illo in loco nuncupato ill. super fluvio ill. mansos tantos cum domibus, aedificiis, curtiferis, cum wadris, terris, tam cultis quam incultis, silvis, campis, pratis, pascuis, cum inviis et perviis eorum, integra omnia et ex omnibus, quicquid ibidem sua fuit possessio vel dominatio. Similiter etiam omne praesidium vel elaborata eorum inter se pars parti visus est donare. In tali vero tenore, ut quisquis de eis pari suo in hoc seculo superstes fuerit, omnes res quas dedit et quas accepit, in suo iure et dominatione recipere debeat, habeatque tenendi, dandi, vendendi, commutandi, heredibusque suis ad possidendum relinquendi liberam in omnibus potestatem. Propterea has duas epistolas adfatimas uno tenore conscriptas inter se fieri vel firmare rogaverunt, ut nullus quilibet de heredibus ac proheredibus eorum hanc congruitatem inter eos factam ullo unquam tempore possit irrumpere, nisi absque ullius contradictione omni tempore firma et stabilis permaneat. Quod si aliquis de heredibus ac proheredibus eorum hanc cessionem calumniari praesumpserit, dupliciter, quantum eo tempore ipsae portiunculae valuerint et insuper ad partem fisci, auri uncias tantas, argenti libras tantas coactus exsolvat, et quod repetit nullum obtineat effectum, sed, sicut diximus, hae epistolae tam à nobis quam ab aliis bonorum hominum manibus roboratae, omni tempore firmae et stabiles permaneant, stipulatione interposita. Actum. Et reliqua.

Obnoxiatio à patre in filios facta.

LI. Dulcissimis filiis meis illis. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos etc. *ut supra pag.* 320.

Donatio quam pater donat filio suo.

LII. Dulcissimo atque amantissimo filio meo illi, ego ille genitor tuus. Dum et ego etc. *ut supra pag.* 403.

Alia donatio de eadem re.

LIII. Ego in Dei nomine ille. Amore Domini nostri Iesu Christi, ut veniam delictis meis etc. *ut supra. pag.* 404.

Charta cum in locum filiorum nepotes instituuntur ab avo.

LIV. Dulcissimis nepotibus meis illis, ego ille. Quicquid filiis vel nepotibus etc. *ut supra pag.* 384.

Alia de eadem re.

LV. Ego in Dei nomine ille et coniux mea illa dilectissimis nepotibus nostris necnon et neptibus nostris illis. Constat vero, prout fragilitas humana exposcit, quae primi parentis culpa existente mortis debitum quotidie nolens volensque persolvit, quod genitor vester nomine ille filius noster de hac luce ante nos visus est decessisse, et nos Dei omnipotentis providentia ei reservati superstites fuerimus. Hac igitur de causa complacuit nobis atque convenit ut pro ipso proprietatis iure, in quo genitor vester legitime succedere debuit si nobis in hoc seculo superstes fuisset, ita vos post nostrum quoque discessum aequalem partem cum avunculis vel amitis vestris filiis vel filiabus nostris ad integrum accipere debeatis. Propterea per hanc chartulam traditionis, sive per festucam atque per andelangum donamus, tradimus vobis, sicut diximus, de omni re proprietatis nostrae, quicquid ad praesens possidere visi sumus, id est, tam in terris quam in silvis, campis, pratis, pascuis, vineis, mancipiis, peculiis, pecoribus omnia et ex omnibus, ut ipsam hereditatem, sicut diximus, aequaliter contra heredes nostros filios vel filias nostras, ipsam videlicet portionem quam pater vester ille hereditare voluerit accipere debeatis, ut ab hac die habeatis, teneatis, atque possideatis, et inter vos legitime dividere faciatis, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam in omnibus habeatis potestatem. Et si quispiam contra hanc chartulam cessionis aliquam calumniam stabilire praesumpserit, vel vobis ipsam portionem per fraudem abstrahere voluerit, componat vobis dupliciter, id est, quantum eo tempore ipsa portio valuerit, et insuper inferat ad partem fisci auro uncias tant. argento libras tantas. Et hoc actu exsolvat, et insuper quod repetit nullatenus evindicet, sed praesens epistola haec omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum. Et reliqua.

Carta cum quis nepoti aliquid meliorare voluerit.

LVI. Dulcissimo nepoti meo illi. Quicquid pater unumquemque de filiis vel nepotibus plus habere voluerit, hoc sibi secundum Legis ordinem sine consortis repetitione defendat, nec praesumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dum et me iam senectus adgravat, et necessitates ut oportet procurare non valeam etc. *ut supra pag.* 322.

Alia de eadem re.

LVII. Dulcissimis nepotibus meis illis, necnon et neptibus meis illis, ego in Dei nomine ille. Licet pro servi-

tio vel benevolentia quam circa me die noctuque exhibuistis, de rebus proprietatis meae vobis aliquid condonare deberem, sicuti et feci. Ideoque per hanc epistolam cessionis, sive per festucam atque per andelangum dono trado vobis aliquam rem meam in pago illo, in loco qui dicitur ille, id est, mansos tantos, cum aedificiis suprapositis, una cum terris, silvis, campis, pratis, pascuis, communiis, necnon et mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus, omnia et ex omnibus, quicquid in ipso loco mea videtur esse possessio vel dominatio. In tali vero ratione ut haec omnia superius nominata à die praesente habeatis, teneatis, atque possideatis, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam in omnibus habeatis potestatem. Et si quis deinceps, quod fieri non posse credo, si ego ipse, quod absit, aut ullus de heredibus ac proheredibus meis hanc cessionem refragare tentaverit, si se exinde non correxerit, à Collegio sanctae Dei Ecclesiae alienus existat, et insuper inferat vobis dupliciter, id est, quantum eo tempore ipsae res valuerint, et quod repetere videtur, nullum obtineat effectum, sed praesens haec epistola tam à me quam ab heredibus meis defensata omni tempore firma et stabilis permaneat. Actum. Et reliqua.

Traditio respectualis, sive epistola qualiter extraneus in locum filiorum adoptetur.

LVIII. Domino fratri illi, ego in Dei nomine ille. Dum igitur et peccatis meis facientibus procreationem filiorum minime habere videor, et me paupertas vel infirmitas corporis assidue opprimere videtur, ideo complacuit mihi atque convenit ut in locum filiorum vel filiarum te adoptare deberem, quod ita et per hanc epistolam visus sum fecisse. Dono igitur tibi omnes res proprietatis meae, quascumque de parte paterna seu de materna adquisisse videor, id est, in pago illo, in loco nuncupato illo, hoc est, mansos tantos cum aedificiis suprapositis, curtiferis, cum wadris, silvis, terris arabilibus, campis, pratis, pascuis, adiacentiis, seu et mancipiis ibidem commanentibus, cum omni suppellectili domus meae, quicquid ibidem praesenti tempore possidere videor, in tuam transfirmo dominationem. Similiter et in alio loco qui dicitur ill. in ipso iam dicto pago, id est, mansos tantos, cum aedificiis suprapositis, curtiferis, silvis, campis, pratis, pascuis, communiis, et mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus, id est, quantumcunque in ipso loco mea videtur esse possessio vel dominatio, totum et ad integrum per hanc chartulam cessionis, sive per Festucam atque per andelangum de meo iure in ius et dominationem tuam perpetualiter transfirmo. In

ea vero ratione ut quandiu advixero, victum mihi, potum, et vestimenta, et calciamenta in omnibus sufficienter procurare debeas, ut exinde mihi omnibus diebus vitae meae nihil deficiat; quod si hoc non feceris, ipsas res, quas tibi delegavi, ad integrum perdas. Propterea hanc epistolam tibi fieri vel firmari rogavi, ut nullo unquam tempore aliquis de heredibus meis seu proheredibus hanc convenientiam inter nos factam immutare vel refragare non possit, sicut superius continetur. Ea scilicet ratione ut quandiu advixero, meam necessitatem in omnibus procurare debeas in cibo et potu, in vestimentis seu calciamentis; et post meum discessum ipsae res, quas tibi tradidi, in tua dominatione permaneant, vel quicquid ibi deinceps facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si ullus quislibet, quod fiendum esse non credo, si aliquis de propinquis meis, vel quaelibet alia persona hoc emutare vel temerare praesumpserit, inferat tibi tantum quantum ipsae res valuerint, et insuper ad partem fisci auro uncias tant. argento libras tantas coactus exsolvat, et quod repetit nihil evindicet, sed praesens haec epistola adoptionis omni tempore firma et stabilis permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum. Et reliqua.

Alia de eadem re.

LIX. Ego in Dei nomine ille. Dum peccatis meis facientibus orbatus sum filiis meis, placuit ut te illum, una cum consensu patris tui, in civitate illa cum curia publica et defensore de potestate patris naturalis descendentem et in meam potestatem venientem in locum filiorum adoptarem, quod ita et feci. Ea vero ratione ut quandiu advixero, victum et vestitum, tam in dorso quam in lecto, seu calciamento, mihi in omnibus sufficienter impertias et procures, et omnes res meas, quascunque habere videor, tam in manso, vinea, prato, peculio, seu reliqua suppellectili domus, salvo iure meo, diligenter excolas. Post obitum quoque meum, sicut à me generatus fuisses, ita in omni hereditate mea per hanc epistolam adoptionis statim sis successurus, vel quicquid de supradictis rebus meis, quantascunque moriens dereliquero, facere volueris, iure proprietario absque repetitione heredum meorum liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem. Quod si aliquis hoc temere emutare voluerit, inferat tibi tant. et quod repetit vindicare non valeat, sed praesens epistola omni tempore firma permaneat. Et reliqua.

Donatio ad filios naturales.

LX. Gesta lex et consuetudo exposcit ut quaecunque persona naturales filios habuerit, et alios plures non habuerit, si eos voluerit in sua instituere hereditate, faciendi id liberam habeat potestatem. Ideoque ego ille etc. *ut supra pag.* 369.

Si aliquis servo suo gasindiove aliquid concedere voluerit.

LXI. Iustissimis nostris sublevantur muneribus qui nobis fideliter et instanti famulantur officio. Ego etc. *ut supra pag.* 334.

Charta hereditaria.

LXII. Dulcissima filia mea illa. Dum non est incognitum, sed per populum divulgatum et patefactum, quod ego ex ancilla mea nomine etc. *ut supra pag.* 366.

Mandatum.

LXIII. Dulcissimo amico meo illi ego ille. Rogo atque iniungo caritati tuae ut eas ad vicem meam ad civitatem illam etc. *ut supra pag.* 370.

Hereditaria.

LXIV. In nomine Domini. Anno illo Domini nostri illius Regis, mense illo, gesta habita apud laudabilem virum illum defensorem etc. *ut supra pag.* 370.

Rescriptum.

LXV. Magnifico amico meo illi ego ille. Cognita iusta iniunctione tua, ut per tuum mandatum me rogasti etc. *ut supra pag.* 371.

Charta ut filiae cum fratribus in paterna succedant alode.

LXVI. Dulcissima filia mea illa, ego ille. Diuturna sed impia inter nos consuetudo tenetur ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant, etc. *ut supra pag.* 323.

Pactum inter parentes de eorum hereditate.

LXVII. Quicquid inter propinquos de alode parentum, non iudiciaria potestate coacta etc. *ut supra pag.* 323.

Item alio modo.

LXVIII. Caritatis studio et dilectionis affectu inter propinquos decet ut quicquid de rebus eorum inter se diviserint etc. *ut supra pag.* 386.

Item alia aequalentia, vel pactum.

LXIX. Auxiliante Domino nostro Iesu Christo, placuit atque convenit inter illum et germanum suum illum etc. *ut supra pag.* 362.

Aliud pactum divisionis inter fratres.

LXX. Pactum divisionis inter fratres, id sunt ille et ille, heredes illius et illius quondam, qualiter inter se alodem etc. *ut supra pag.* 407.

Qualiter in uno volumine viri et uxoris testamentum condatur.

LXXI. Regnante in perpetuo Domino nostro Iesu Christo, loco illo, anno illo, regnante illo Rege, sub die illa, ego ille et coniux mea illa etc. *ut supra pag.* 325.

Alio modo qualiter testamentum quis faciat.

LXXII. Regnante in perpetuo Domino nostro Iesu Christo, anno illo illius Regis, sub die illius mensis, feria illa, indictione illa, ego ille filius illius sana mente integroque consilio, metuens casus humanae fragilitatis, testamentum meum condidi, quod illi scribendum commisi, ut quando dies legitimus post transitum meum advenerit, recognitis sigillis, inciso lino, ut Legis decrevit auctoritas, per inlustrem virum illum, quem in hac pagina testamenti mei legatarium institui, gestis reipublicae municipalibus titulis eius persecutione ab ipsis muniatur, et in archiis basilicae Sancti illius conservetur. Et quicquid unumquemque de rebus meis propriis habere decrevi singulariter in hoc testamentum meum inserere curavi. In reliquo vero qualescunque aut quaecunque epistolae aut testamenta aut conscriptiones de nomine meo manu mea firmatae ostensae fuerint, et ante hoc testamentum praenotatae, quas hic non commemoravero, excepto de ingenuitatibus quas pro animae meae remedio feci aut adhuc facere volo, vacuae permaneant. Et quod unicuique per hoc testamentum dedero darique iussero, id ut fiat, detur, praestetur, impleatur, te omnipotens Deus testem committo. Quapropter non habetur incognitum qualia dispensante Deo ad loca Sanctorum illorum de rebus meis propriis delegavi in perpetuum ad possidendum: dedi quoque ad basilicam illam portiones meas ill. et quod in locis denominatis habere video, id totum et ad integrum ad basilicam superius nominatam proficiat in augmentum. Illas vero cessiones quas ad libertos meos illos ad ingenuitates eorum confirmandas fecimus, id sunt ill. et ill. quando illos pro animae nostrae remedio ingenuos dimisimus, dum advivunt, habeant et post eorum decessum

cum omni suprāposito ad iam dictam Ecclesiam Sancti illius ubi eis patrocinium et defensionem constitui, revertantur. Volumus enim ut ingenuos quos modo aut inantea fecimus, quanticunque in ipsis locis manent quae ad sanctam Ecclesiam delegavimus, inspecta eorum libertate, super ipsas terras pro ingenuis commaneant, et alibi commanendi nullam habeant potestatem, sed ad ipsa loca sancta debeant spectare, et nullus de ipsis lidemonia ad meos heredes ullatenus reddat, et hoc quod aliquibus ex eis per cartas dedimus, nullatenus alibi nec vendere nec alienare habeant licentiam. Similiter donavimus donatumque in perpetuum esse volumus ad Monasterium illud, ubi venerabilis Abba ille praeesse videtur, villas illas in pago ill. cum omnibus adiacentiis vel appendiciis earum, quantumcunque ibidem tenere vel possidere videmur, et quolibet adtractu ad nos pervenit, aut Legibus pervenire debet, totum et ad integrum cum omni superposito à die praesenti in honorem Sancti illius, ubi Abba ille, tradimus ad possidendum, cum domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, libertis, tam ibidem oriundis quam aliunde translatis vel ibidem commanentibus, vineis, silvis, campis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cum exitu et regressu, omni genere pecudum, tam maiore quam minore, mobilibus et immobilibus, omni re inexquisita, tam auro quam argento, vel reliquis fabricaturis, tam ministeriis Ecclesiae, vel strumentis chartarum, libris vel vestimentis Ecclesiae, vel omni praesidio quod vivens legibus possidere videor et mihi debetur, et quicquid dici vel nominari potest, totum et ad integrum ad iamdictum Monasterium Sancti illius proficiat in augmentum, inspecto illo strumento quod antea ad iam dictum Monasterium fecimus. Praeter ista omnia reservavimus in Falcidia heredibus nostris villas illas in pago illo, in ea ratione ut facta mea in omnibus studeant conservare atque defendere. Quod si hoc facere neglexerint, quicquid eis deputavimus perdant, et de omni corpore facultatis meae penitus reddantur extranei. Et si aliquid comparavero, aut ex parentibus meis mihi obvenerit, vel adtraxero, vel quolibet ingenio ad me pervenerit, quod in isto testamento supra non commemoravimus, post meum discessum casa Sancti illius per Rectores suos recipiat perpetualiter ad possidendum. Per praesens testamentum basilicam Sancti illius heredem meum instituo, et quicquid unicuique deputavi, fidei tuae committo. Quia hoc quod tibi deputavi, malo te habere quam me, te magis quam cæteros heredes ac proheredes meos. Si quis vero, quod futurum esse non credo, sive aliquis heredum ac proheredum meorum, vel quislibet opposita

persona praesens testamentum meum infringere conatus fuerit vel tentare praesumpserit, inprimis, usque dum ad veram emendationem proinde corrigatur, Deum et Sanctos suos habeat contrarios, et à liminibus Ecclesiae efficiatur extraneus, et insuper ei quem pulsaverit, una cum socio fisco, auri libras tant. coactus exsolvat, et nihilominus praesens pagina firma permaneat, quam manu mea propria subter firmavi, et bonorum hominum signis vel allegationibus roborandam decrevi, stipulatione subnexa. Actum. Et reliqua.

Gesta iuxta consuetudinem Romanorum, qualiter testamenta allegentur.

LXXIII. Anno illo regnante Rege illo, sub die illo, in civitate illa, adstante viro illo laudabili defensore et omnia Curia publica, vir magnificus ille prosecutor etc. *ut supra pag.* 335.

Textus mandati.

Domino magnifico fratri illi, ille. Peto et supplico atque tuae caritati iniungo, ut in vicem meam civitatem illam adeas, et donationem illam quam ego partibus illius de locis nostris nuncupatis illis sitis in pago illo per meum legitimum instrumentum confirmavi, prosequi et gestis municipalibus coram Curia publica et defensore facias allegari. Propterea tibi hoc mandatum conscripsimus etc. *ut supra pag.* 222.

Post recitationem mandati, vir honestus ille defensor dixit. Mandatum quidem recitatum est, sed suprascriptum testamentum, quod prae manibus habere dicis, amanuensis accipiat, et nobis praesentibus recitetur, et ut postulas gestis publicis firmetur. Qui statim accipiens, per ordinem illud recitavit. Post recitationem vero ille persecutor dixit. Quia petitiones meas laudabilitas vestra per ordinem implere dignata est, rogo ut publica monumenta suscipiat. Vir laudabilis ille defensor et curiales dixerunt. Testamentum quod recitatum est gestis publicis inseratur et quod ille persecutor velit et petit, gesta ei publice dentur. Ille persecutor dixit. Sufficit mihi bone defensor, si testamenti, quod recitatum est, mihi gesta, ut mos est, tradere iubeatis. Defensor et ordo Curiae dixerunt. Quia testamentum et mandatum inde conscriptum per ordinem conditum et bonorum hominum manibus roboratum atque signatum manifeste cognovimus, aequum est ut gesta ex hoc conscripta et à nobis subscripta tibi ex more tradantur, et in archiis publicis serventur, ut facilius, quod superius insertum est, diuturno tempore maneat inconvulsum. Edatur ordine et mandatum et totus testamenti textus, et postea defensor et Curiales civium et reliqui subscribant atque signent.

Epistola qualiter pupilli recipiantur.

LXXIV. Lex Romana constringit, ut qui tutores noluerint esse parvulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, in ea ipsi habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille, Iudex provinciae illius etc. *ut supra pag.* 385.

Libellus dotis.

LXXV. Dulcissima atque amantissima sponsa mea nomine illa, ego in Dei nomine ille. Igitur dum taliter parentibus nostris utriusque partis complacuit atque convenit ut ego te solido et denario secundum Legem Salicam sponsare deberem, quod ita et feci, similiter complacuit nobis atque convenit ut de rebus proprietatis meae tibi aliquid in dotis titulum condonare deberem. Quod ita et feci. Idcirco per hanc chartulam libelli dotis sive per festucam atque per andelangum dono tibi et donatum in perpetuo esse volo, id est, in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvio illo, hoc est, mansos tantos, cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus his nominibus illis vel illis, cum terris tam cultis quam et incultis, silvis, pratis, campis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, praesidiis, peculiis, pecoribus, vineis, farinariis, vel quicquid in ipso loco mea videtur esse possessio vel dominatio, rem inexquisitam totum et ad integrum, sicut superius dixi, dono, trado, atque transfirmo. Insuper etiam dono tibi in pecoribus, id est, inter boves et vaccas, inter porcos et verveces, capita tanta, in fabricaturis, id est, in auro vel argento solidos tantos. In ea vero ratione ut haec omnia superius nominata, quandoquidem dies nuptiarum evenerit, et nos Deus coniunxerit, tu dulcissima sponsa mea nomine illa ab ipso die hoc habeas, teneas, atque possideas, vel quicquid exinde facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si quis deinceps contra hanc chartulam libelli dotis, quod fiendum esse non credo, venire aut eam temerare praesumpserit, si se exinde non correxerit, illum qui ab initio masculum et feminam condidit contra se ultorem sentiat, et insuper auro uncias tantas, argento libras tantas coactus exsolvat, et quod repetit nullatenus evindicare praevaleat, sed praesens haec epistola tam à me quam ab heredibus meis defensata omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione interposita.

Alius libellus dotis.

LXXVI. Quod bonum, faustum, felix, prosperumque eveniat desponsandis maritandisque ordinibus ac procreationi liberorum etc. *ut supra pag.* 324.

Alio modo.

LXXVII. Quod bonum, felix, faustumque. Et reliqua. Dono itaque ego ille honestae puellae sponsae meae nomine ill. quam, si Christo placuerit, in coniugium desidero sociare uxorem, donatumque etc. *ut supra pag.* 361.

Alio modo.

LXXVIII. Lex et consuetudo exposcit ut quicquid inter sponsum et sponsam de futuris nuptiis fuerit definitum vel largitum, aut ex consensu parentum vel ipsorum, si sui iuris sunt, scripturarum solemnitate firmetur. Idcirco ego ille, dum multis habetur percognitum quod te illa una cum consensu parentum vel amicorum nostrorum tua spontanea voluntate sponsavi, mihi complacuit, ut aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante diem nuptiarum tibi confirmare deberem. Quod ita et feci. Ergo dono tibi donatumque esse volo locellum proprietatis meae nuncupatum illum situm in pago illo, cum terris. Et reliqua. Totum et ad integrum, sicut à me praesente tempore videtur esse possessus, et in fabricaturis aurum tantum, argentum tantum, vestimenta. Et reliqua. Haec omnia, sicut iam superius dictum est, per hunc titulum libelli dotis, cum dies nuptiarum advenerit, tibi sum impleturus vel traditurus; ita ut dum advixeris, secundum Legis ordinem teneas atque possideas, nostrisque qui ex nobis procreati fuerint filiis derelinquas. Si quis vero aut ego ipse, aut ullus quislibet persona fuerit qui contra hanc donationem aliquid agere vel calumniam generare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper cui litem intulerit solidos centum componat, et haec donatio meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnexa, firma permaneat.

Constitutio dotis.

LXXIX. Cum constet foecunditatem humanae prolis à protoplasto Domino praecipiente crevisse, *Crescite*, inquiente *et multiplicamini*, atque ob adiutorium mulier de latere sumpta sit viri, dicente Domino, *faciamus ei adiutorium simile sibi*, et, *idcirco relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*, et ut certius humana fragilitas possit dignoscere bonum atque à Deo constitutum esse coniugium, ipse auctor redemptionis Christus Dei filius invitatus ad nuptias venit, ibique aquas in vinum mirabile convertit, ideoque ego in Dei nomine Gaufridus, praecedentium patrum vestigia sequens, una cum consensu Virorum illustrium propinquorum meorum, visum est mihi Legibus copulare legitimum coniu-

gium ad procreationem filiorum, atque in dotis titulum dare sponsae meae nomine Hisdemei, filiae quondam Wtardi atque Osbrenae, decrevi in praesentia Virorum nobilium agere, studuique ut eius temporibus inconvulsum permanere queat. Quod ita et feci. Ergo dono tibi donatumque secundum Legem Salicam in tua dote à die praesenti iure legitimo in perpetuum esse volo, et de meo in tuum ius et dominationem trado atque transcribo, hoc est mansum iuris mei indominicatum, cum aliis quatuor mansis servilibus seu adspicientibus simul curtiferis, vineis arpennorum quatuor, silvis, viridigariis, pratis, campis cultis vel incultis, pascuis, perviis, exitibus et regressibus, et reliquis adiacentiis, mobilibus et immobilibus, cum mancipiis utriusque sexus, quorum haec sunt nomina. Giofredus et uxor sua donavit eam infantibus Geroldo et Abdone, necnon et Poppa. Magewardus et uxor eius Adalburgis cum filio suo nomine Burando, Isembertus, Aimbertus, Petitus, Ultegerius, Alboinus, Olfardus, Lanceri et uxor sua Sicberta, Airmannus, et coniux eius Adalburgis, et filia eorum Ingeltrudis, Cathindes, Megewardus, Pucellita, et Albutius. Qui praescriptus mansus cum omnibus appendiciis est in pago Carnotense, in vicaria Ganegiacense, in loco qui dicitur Sicheri villa. Haec omnia superius comprehensa die praesenti tibi sum daturus, vel traditurus totum et inexquisitum, ut quicquid exinde facere volueris, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Dono etiam tibi in praefixo pago vel in eadem vicaria, in loco qui dicitur *Bonervilla*, omnem medietatem, tam ex mancipiis quam ex alode, quam ibi videor habere, hoc est, mansum unum cui adspiciunt mansi serviles quatuor cum mancipiis quorum haec sunt nomina, Galastus, Ergarius, Pascarius, Marlinus, Polita, et Amelberga, vineis arpennorum quatuor, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, terris cultis et incultis, exitibus et regressibus, vel quicquid ibi adspicit, omnem medietatem tam in terris quam in mancipiis, id est, mansum unum cum mansis quatuor ibi adspicientibus, cum pratis arpennorum duorum, et medietatem Ecclesiae Dei.

Traditio ad sponsam.

LXXX. Dum multis habetur percognitum qualiter ego ille puellam aliquam nomine illam una cum consensu parentum vel amicorum nostrorum Legibus sponsavi, et aliquid de rebus meis ei donare ante diem nuptiarum disposui, ideo placuit mihi ut de ipsis rebus misso ipsius puellae nomine illi traditionem vel introductionem locorum secundum Legem Romanam facere deberem. Quod

ita et feci. Ergo trado ei et tradidisse me constat locellum proprietatis meae nuncupatum illum, situm in pago illo, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, et caetera quae sequuntur, aurum, argentum, vestimenta. Haec omnia superius iam dicta tibi ill. ad vicem sponsae meae trado, ita ut tempore nuptiarum in iam dictae sponsae meae veniant potestatem, ita ut secundum Legis ordinem teneat atque possideat. Et si contra hanc traditionem aliquis refragare voluerit, partibus ipsius puellae sol. tant. componat, et haec traditio firma permaneat.

Si quando masculus et femina in raptum consenserint, et infra quinquennium litigetur.

LXXXI. Notitia sub quorum praesentia ibi veniens ille ante illum vel eos qui subter tenentur inserti, accusabat aliquem hominem nomine illum eo quod etc. *ut supra pag.* 390.

Charta compositionis, si aliquis puellam invitam traxerit.

LXXXII. Dulcissimae atque amantissimae coniugi meae nom. ill. ego ill. maritus tuus. Licet ergo ut ego rapto scelere absque voluntate parentum tuorum te mihi in coniugium visus sum sociasse, unde vitae periculum incurrere potui, nisi intervenissent Sacerdotes vel reliquae plures illustres personae, qui nos ad pacis concordiam vel unanimitatem visi sunt revocasse. Qua de re convenit nobis ut de rebus proprietatis meae tibi aliquid donationis causa condonare deberem. Quod ita et feci. Ideoque per hanc epistolam compositionis, sive per festucam et andelangum, dono tibi et donatum in perpetuo esse volo, id est, aliquam portiunculam meam in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvio illo, hoc est, mansos tantos cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus utriusque sexus, cum terris arabilibus, silvis, campis,pratis, cum inviis, perviis, omnia et ex omnibus, quicquid in ipso loco possidere praesenti tempore visus sum, totum et ad integrum tibi per hanc chartulam compositionis dono, trado, atque transfirmo. Similiter dono tibi in auro vel argento solidos francos tantos. In tali vero tenore ut haec omnia superius nominata à die praesente habeas, teneas, atque possideas, posterisque nostris ad possidendum relinquas, vel quicquid exinde facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si aliquis contra hanc epistolam compositionis venire aut eam irritam facere voluerit, inferat tibi tantum et aliud tantum quantum eo tempore ipsa portiuncula valuerit. Et insuper publico fisco auri uncias tantas, argenti libras tantas coactus exsolvat, et quod repetit nullatenus evindi-

cet; sed praesens haec epistola compositionis omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum. Et reliqua.

Alia charta compositionis.

LXXXIII. Viventibus patribus inter filios familias sine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur. Idcirco in Dei nomine ille, etc. *ut supra pag.* 324 *et* 381.

Libellus repudii.

LXXXIV. Certis rebus et probatis causis inter maritum et uxorem repudiandi locus patet. Idcirco dum inter illum et coniugem suam illam non caritas, etc. *ut supra pag.* 332. *et* 383.

Charta agnationis, si servus ingenuam trahat.

LXXXV. Ille illi feminae. Illud non habetur incognitum qualiter servus meus nomine ille te absque parentum vel tua voluntate, etc. *ut supra pag.* 331.

Et si voluntaria servum accepit, dicis.

Omnibus non habetur incognitum qualiter servum meum nomine illum voluntaria secuta es, etc. *ut supra pag.* 332.

Alia Charta agnationis.

LXXXVI. Omnibus non habetur incognitum qualiter te per voluntatem tuam servus iuris mei nomine ille ad coniugium sociavit uxorem, etc. *ut supra pag.* 333.

Conculcatoria quam Abba facit ad hominem suum.

LXXXVII. Ego in Dei nomine, etsi peccator, venerabilis vir ille Abba de Monasterio Sancti illius, quod est in pago illo constructum, Dum et omnibus non est incognitum, etc. *ut supra pag.* 404.

Charta triscabina.

LXXXVIII. Ego in Dei nomine ille cogitans de Dei timore vel aeterna bona retributione, propterea dilecta extranea puella nomine illa, licet te servus meus nomine ille absque voluntate parentum tuorum te ad coniugium visus fuit sociasse, unde vitae periculum incurrere debuit, si non quamplures extraneae personae vel etiam illustres viri hac de causa saepius intervenissent, maxime vero quia tu infra noctes quadraginta secundum Legem Salicam visa es reclamasse, nunc igitur complacuit nobis atque convenit ut talem chartulam triscabinam seu ingenuitatis ipsi servo nostro nomine illo fieri vel firmare rogaremus, ut nulla unquam tempore in aliquod servitium inclinari non debeas. Sed et si aliqua

agnatio de ipso servo nostro ex te apparuerit, in nullum servitium nec nobis nec heredibus ac proheredibus nostris nullatenus debeat adserviri; sed, sicut diximus, tantum quantum et agnatio tua, qui de ipso servo nostro procreati fuerint, omni tempore ingenui sint, et ingenui permaneant, tanquam si ab ingenuis parentibus fuissent procreati vel nati. Peculiare vero suum sive conlaboratum, quod praesenti tempore habere videntur, vel deinceps habere potuerint, sibi habeant concessum atque indultum. Mundeburdum vel defensionem ubicunque eligere voluerint, licentiam habeant eligendi. Sicut cives Romani, portas apertas habeant, pergantque partem quam voluerint ambulare Et nulli heredum ac proheredum nostrorum tu et agnatio tua, sicut diximus, ullum deinceps reddere debeatis libertinitatis obsequium; sed magis haec epistola triscabina tam à me quam ab heredibus meis defensata omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum.

Ut pro nativitate Regis ingenui relaxentur.

LXXXIX. Ille Rex viro inlustri illi Comiti. Dum et nobis divina pietas iuxta votum Fidelium et Procerum nostrorum, de nativitate filii nostri, etc. *ut supra pag.* 309.

Epistola ingenuitatis.

XC. Ego in Dei nomine ille Domesticus, ac si indignus, gloriosi Domni illius Regis super villas ipsius illas ex familia dominica illa. Dum generaliter ad omnes Domesticos Regis ordinatio processit pro nativitate domnicilli nostri, etc. *ut supra pag.* 341.

Ingenuitates diverso modo factae.

Ingenuitas à die praesente.

XCI. Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, praemium in futuro Dominum sibi tribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille pro remedio animae meae vel aeterna retributione, etc. *ut supra pag.* 380.

Item alio modo.

XCII. Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, mercedem in futuro Dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille et coniux mea illa, etc. *ut supra pag.* 333.

Item alio modo post discessum.

XCIII. Dilecto suo illi aut illi. Pro respectu fidei ac servitii tui, quo mihi famularis, pro remissione peccatorum meorum, etc. *ut supra pag.* 333.

Item alio modo ingenuitas.

XCIV. Si aliquos ex servientibus nostris à iugo servitutis absolvimus, mercedem in futurum nobis ex hoc retribui confidimus. Igitur ego ille propter nomen Domini et retributionem aeternam, etc. *ut supra pag.* 334.

Alio modo.

XCV. Dum omnipotens Deus nobis concedit in hoc seculo sanum corpus habere, pro salute animae nostrae frequentius cogitare debemus, ut aliquantulum de peccatis nostris minuere mereamur. Itaque ego ille in Dei nomine, etc. *ut supra pag.* 351.

Alio modo.

XCVI. Qui debitum sibi nexumque servum relaxat, praemium ex hoc Dominum in aeterna beatitudine retribuere confidat. Quapropter in Dei nomine ille cogitans Dei amorem vel aeternam bonam retributionem, vernaculum iuris mei nomine illum ab omni vinculo servitutis ad praesens absolvo, ita ut ingenuus sit et ingenuus permaneat tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Peculiare vero suum quod habere videtur, vel deinceps elaborare potuerit, sibi habeat concessum atque indultum. Mundeburdem vel defensionem ubicunque sibi eligere potuerit, licentiam habeat eligendi. Civis Romanus portis apertis eam pergat partem quam voluerit ambulare. Et nulli heredum ac proheredum meorum ullo unquam tempore reddat libertinitatis obsequium; sed ipse et agnatio sua inposterum semper valeant permanere bene ingenui atque securi. Et si quispiam deinceps. Et reliqua.

Alia ingenuitas.

XCVII. Quoniam sanctissimi Hludouvici Imperatoris pietas, quam habet in animo, ea quaerere et indagare non cessat quae Dei potissimum congruant voluntati, etc. *ut supra pag.* 347.

Alia ingenuitas.

XCVIII. Secundum Legem Romanam, nullatenus revocetur, * sub die illo, regnante Domno nostro illo Rege, Indictione illa, vir venerabilis ille Diaconus testatus est, etc. *ut supra pag.* 371.

Redemptionale.

XCIX. Dilectissimo mihi bene merito illi. Omnibus non habetur incognitum, sed patefactum, quod tu quotidie in bonis partibus fideliter mihi deservire non cessas, etc. *ut supra pag.* 367.

Epistola Regi mittenda pro libertate servi sui impetranda.

C. Domino invictissimo atque glorioso Regi illi: sancta Lingonensis Ecclesia praesentem perpetuamque incessanter felicitatem devotissimis exorat precibus. Ad notitiam celsitudinis vestrae perferre nos ecclesiastica provocat necessitas de promotione servi vestri nomine illius ex loco iuris vestri nuncupato illo, de Ministerio illo vel de beneficio illo, cuius gratia eruditus, et inter nostrae parvitatis studia, scientia, vita, ac moribus pro modulo qualitatis quantitatisve instructus, iam munus clementiae vestrae dandum nobisque significandum eius de libertate expectantes, ad gradus ecclesiasticos eum promovere vestrae largitatis munificentia parati sumus mox ut statutum de eo vestram canonicamve dignitatis senserimus licentiam. Deus coeli et terrae universaeque conditionis ad tutelam vos semper protegat Christianam, ita ut hoc aevo vestro super exaltatam in omnibus sanctae matris Ecclesiae sentiat causam.

Libertas civium Romanorum.

CI. Auctoritas ecclesiastica patenter admonet, insuper et maiestas regia canonicae religioni assensum praebet, ut quemcunque sacros ad ordines ex familia propria promovere Ecclesia quaeque delegerit, in praesentia Sacerdotum, Canonicorum simul et nobilium Laicorum, eius qui subiectus est manumissio sub libertatis testamento solenniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine ille Episcopus quendam Ecclesiae nostrae famulum nomine illum sacris ordinibus dignum, ad altaris cornu, nobilium virorum in praesentia, civem Romanum per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die et tempore bene ingenuus atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus, eam denique pergat partem quamcunque volens canonice elegerit, habensque portas apertas, ita ut deinceps nec nobis neque successoribus nostris ullum debeat noxiae conditionis servitium neque aliquod libertinitatis obsequium; sed omnibus diebus vitae suae sub certa plenissimaque ingenuitate, sicut alii cives Romani, per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulum bene semper ingenuus atque securus existat. Suum vero peculiare quod habet, aut quod abhinc assequi potuerit, faciat inde secundum canonicam auctoritatem libere quicquid voluerit. Et ut hoc testamentum atque ingenuitatis auctoritas inviolabilem intervulsamque obtineat firmitatem, manu propria firmavi. Sacerdotes quoque et Canonicos necnon et laicos nobiles praesentes similiter subter firmare rogavi.

Denariale Praeceptum.

CII. Ille Rex Francorum vir inluster. Quia fidelis noster nomine ille veniens ante nos vel Procerum nostrorum praesentiam iactante denario secundum Legem Salicam servum suum nomine illum dimisit ingenuum etc. *ut supra pag.* 300.

Ingenuitas quam potest servus ad alium servum facere.

CIII. Dominus inquit in Evangelio: *Dimittite, et dimittetur vobis.* Ideoque in Dei nomine ille, quamvis omnium servorum Dei famulus, tamen una cum permissione domini mei illius Episcopi vel illius Abbatis vernaculum meum nomine illum, quem ego dato pretio ab homine illo visus sum comparasse, per hanc chartulam ingenuitatis ingenuum esse censeo et liberum esse concedo, ita ut à die praesente ingenuus sit et ingenuus permaneat tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Peculiare vero suum sive conlaboratum quod habet, seu deinceps elaborare potuerit, sibi habeat concessum atque indultum. Mundeburdem vero vel defensionem ubicunque infra potestatem Sancti illius eligere voluerit, licentiam habeat eligendi, et nulli heredum ac proheredum meorum reddat libertinitatis obsequium; sed, sicut dixi, semper valeat permanere bene ingenuus atque securus. Et si postmodum quispiam contra hanc ingenuitatem venire aut eam calumniari praesumpserit, cui litem intulerit, auro uncias tantas, argento libras tant. coactus exsolvat, et quod repetit nullum obtineat effectum, sed praesens ingenuitas omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum. Et caetera.

Relatio pagensium ad Regem directa.

CIV. Suggerendum piissimo atque praecellentissimo Domno illo Rege et Maiore domus illius à servis vestris pagensibus illis quorum vel subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta. Principalitatis vestrae circumspecta clementia etc. *ut supra pag.* 306.

Praeceptum quorum ab hostibus vel alio modo fuerint instrumenta incensa.

CV. A regali necesse est releventur clementia qui damnietatem ab hostibus vel violentiam sunt passi. Igitur fidelis Deo propitio noster ille clementiae etc. *ut supra p.* 305.

Relatum quod dicitur apennis.

CVI. Mos nobilium Romanorum adsuevit, et ratio iure deposcit, ut si cuiuscunque domus igne crემetur, per se-

riem scripturarum chartulam relationis, quae dicitur apennis, recipiat. Quamobrem cum quadam die inlustris Comes ille etc. *ut supra pag.* 366.

Confirmatio civium in eo qui ab hostibus est depraedatus vel ab igne concrematus.

CVII. Consuetudine huius loci vel etiam Legis terrenae iustitia constat esse prospectum ut quicunque ab incendiis vel hostibus seu à latronibus perpessus est dispendium etc. *ut supra pag.* 388.

Alio modo.

CVIII. Suggerendum Domino piissimo et praecellentissimo illi glorioso Regi, nos servientes vestri pagenses illius, quod veraciter cognovimus, vobis innotescere praesumpsimus. Homo aliquis nom. ill, nobis dixit eo quod casa sua vel instrumenta sua chartarum, tam venditionis, cautionis, obnoxiationis, iudicii, cessionis, vel donationis, seu et reliqua strumenta chartarum ab igne ibidem cremassent, quod et Iudex vel vicini pagenses ipsius taliter nobis dixerunt vel testimoniaverunt quod ad hoc videndum accesserant, et sic vero actum erat. Proinde quod exinde cognovimus, vobis innotuimus. Domine, nostrum est ad suggerendum, vestrum est ad ordinandum quid ipse exinde agere debeat.

Prologus de iudicio Regis ubi duo causantur.

CIX. Cui Dominus regendi curam committit, cunctorum iurgia diligenti examinatione rimari oportet, ut iuxta propositiones vel responsiones aliqua inter alterutrum salubris donetur sententia etc. *ut supra pag.* 302.

Commonitorium ad Episcopum.

CX. Domino sancto et apostolica sede colendo Domno et in Christo patri illi Episcopo ille Rex. Deo propitio, fidelis noster ille etc. *ut supra pag.* 307.

Indiculus ad laicum.

CXI. Ille Rex vir inluster illi. Fidelis noster ille ad praesentiam nostram veniens nobis suggessit quasi vos eum, nulla manente causa in via adsallissetis, etc. *ut supra p.* 303.

Indiculus ad Episcopum pro alio distringendo.

CXII. Domino sancto et apostolico Domno et patri illi Episcopo ille Rex. Veniens ille ad praesentiam nostram suggessit quasi Abba vester aut Clericus, etc. *ut supra pag.* 302.

Indiculus ad Comitem pro alio homine distringendo.

CXIII. Ille Rex vir inluster illi Comiti. Fidelis Deo propitio noster ille ad praesentiam nostram veniens clementiae regni nostri suggessit quod pagensis etc. *ut supra p.* 303.

De divisione ubi Missus est Regis.

CXIV. Dum et divisio et exaequatio inter illum et illum seu consortes eorum de alode illo aut de agro illo celebrari debet etc. *ut supra pag.* 300.

De causis alterius recipiendi.

CXV. Fidelis Domino propitio noster ille ad nostram veniens praesentiam suggessit nobis eo quod propter simplicitatem suam causas suas minime possit prosequere vel admallare etc. *ut supra pag.* 300.

Formula citationis.

CXVI. Quoniam imperialibus sanctionibus cautum est ut absentes, contra quos actiones exercere cupiunt, in iudicio copiam sui facere edictis citentur, idcirco ego Iudex has admonitorias tibi delego, quatenus in iudicio praesentiam tui facias, intentionemque actoris suscipias, eique oppositiones legum atque exceptiones obiicias.

Editio legibus comprehensa.

CXVII. Lex Romana pro utilitate humani generis exposcit ut si quando cuiuscunque iniusta appellatio comprobatur, sumptus quos post appellationem adversarium suum accusator compulit sustinere etc. *ut supra pag.* 388.

Si de homicidio accusatio processerit, secundum hanc sententiam inscriptio celebretur.

CXVIII. Quicunque alium de homicidii crimine periculosa vel capitali obiectione pulsaverit, etc. *ut supra pag.* 389.

Relatio cum iudicio.

CXIX. Auctoritate Legis praeceptum est ut in toto litis termino requiratur per quem orta est contentio, et si alium ad rapinam faciendam adgreditur, etc. *ut supra pag.* 389.

Breve Sacramenti.

CXX. Sacramentum qualiter ingressus est ille in Ecclesiam Sancti illius in loco nuncupato illo sub praesentia illius Iudicis vel honorum virorum qui subter tenentur inserti etc. *ut supra pag.* 390.

Securitas pro homicidio facto, si se pacificaverit.

CXXI. Domino fratri illi. Dum instigante adversario quod non debueras, germanum nostrum illum visus es interfecisse etc. *ut supra pag.* 327.

Alia securitas.

CXXII. Non minima sed maxima vertente discordia inter illum et illum, et ille veniens ante ill. et ill. repetivit ipse ill. adversus ipsum ill. eo quod genitorem suum etc. *ut supra pag.* 355.

Alia securitas.

CXXIII. Non minima sed maxima vertente discordia inter ill. et ill. veniens in locum ill. ante bonos homines repetebat ipse ill. causam suam vel coniugis etc. *ut supra pag.* 369.

Alia securitas.

CXXIV. Dum et plerisque vel omnibus non habetur incognitum qualiter homo aliquis nomine ille hominem illius Episcopi sive Abbatis nomine illum instigante diabolo, peccatis facientibus, malo ordine interfecit, unde vitae periculum incurrere debuit. Sed postquam venit isdem homicida coram ipso Pontifice, vel coram illo Comite, seu quampluribus magnificis viris quorum nomina subter tenentur inserta, percunctati sunt ab eo utrum ille hoc quandoque perpetratum haberet, an non. Isdem vero homo, qui ex hoc inquirebatur, praesens aderat, et hanc causam nullatenus denegabat; sed magis exinde confessus fuit, scilicet quod hominem ipsius Episcopi vel illius Abbatis, unde inquirebatur, interfecisset. Hac igitur de causa iudicatum est ei ab ipso Comite vel ab ipsis Scabinis et pagensibus loci illius ut illam leudem, quod sunt solidi tanti, pro suo wadio ponere deberet. Quod ita et fecit. Postea vero necesse fuit ut ipsi homini, qui ipsam leudem ponere visus est, talem epistolam securitatis per manus eorum firmatam ab ipso Pontifice, vel ab ipso Comite, seu ab aliis illius loci pagensibus accipere deberet, ut in postmodum de illo homicidio, quod tunc componere visus est, securus valeat residere. Et si postea aliquis exstiterit, quaecunquelibet persona, qui ipsum hominem de hoc remallare voluerit, ipsi fratres vel successores ipsius, seu agentes eius, qui hanc compositionem accipere visi sunt, ipsum hominem contra quemlibet defensare debeant; et si hoc facere non potuerint, restituere debeant tantum quantum dedit. Complacuit itaque tam ipsi Pontifici, quam ipsi Comiti, seu aliis quampluribus magnificis viris ut talem

securitatem ipsi homini facerent, sicuti et fecerunt. Et si aliquis postmódum eum de compositione remallare voluerit, ut ipse Episcopus vel successores eius seu agentes ipsum hominem de hac causa omnino defensare debeant, aut restituere ei debeant tantum quantum dedit. Actum. Et caetera.

Alia securitas.

CXXV. Cum resedisset inluster vir ille Comes in illo mallo publico ad universorum causas audiendas vel recta iudicia terminanda, ibique veniens etc. *ut supra pag.* 403.

Securitas in eum qui per iussum Regis aliquem persequitur.

CXXVI. Qui regiae obtemperat iussioni, experiri malum in posterum à quolibet non debet. Igitur cum et ille cum reliquis paribus suis, qui eum secuti fuerunt, faciente rebello illum interfecit etc. *ut supra pag.* 304.

Venditio de re.

CXXVII. Magnifico in Christo fratri illi emptori, ego venditor ille. Constat me tibi non imaginario iure, sed propria vel spontanea voluntate vendidisse, et ita vendidi, tradidisse, et ita tradidi, hoc est, aliquam rem meam in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvio illo, id est, mansum unum qui mihi ex parte genitoris seu genitricis hereditario iure successit, cum omni aedificio supraposito, necnon de terra arabili ad ipsum mansum adspiciente vel pertinente bunuaria tanta, similiter et de prato bunuaria tanta, vel quicquid ad ipsum mansum pertinere dinoscitur, totum et ad integrum tibi per hanc chartulam venditionis sive per festucam atque per andelangum dono, trado, atque perpetualiter in omnibus transfirmo. Unde accipere à te visus sum pretium, id est, solidos valentes tantos, in quo mihi complacuit atque convenit. Et pro ipso pretio, sicut superius dixi, ipsum mansum tibi coram pluribus testibus tradidi atque delegavi; in ea vero ratione ut à die praesente hoc habeas, teneas, atque possideas, vel quicquid exinde facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si quispiam deinceps, quod futurum esse non credo, sive ego ipse, quod absit, aut ullus de heredibus, seu quaelibet persona, contra hanc chartulam venditionis venire aut eam calumniari praesumpserit, cui litem intulerit, auro uncias tantas, argento libr. tantas coactus exsolvat, et insuper quod repetit nullum obtineat effectum, sed praesens venditio ista tam à me quam ab heredibus meis defensata omni tempore firma et stabilis permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum

Venditio de villa.

* CXXVIII. Domino fratri illi, ego ille. Licet empti venditique contractus sola pretii adnumeratione et rei ipsius traditione consistat etc. *ut supra pag.* 328.

Venditio de area infra civitatem.

CXXIX. Domino sancto et apostolico Domino et patri illi Episcopo. Constat me nullius coactum imperio, neque imaginario iure etc. *ut supra pag.* 328.

Venditio de terra.

CXXX. Domino magnifico fratri illi emptori, ego in Dei nomine ille venditor. Constat me non imaginario iure, nec ullius coactum imperio, sed propriae voluntatis meae arbitrio tibi vendere etc. *ut supra pag.* 401.

Venditio infra emmunitatem Ecclesiae vel fisci.

CXXXI. Magnifico fratri illi, ego ille. Constat me tibi vendidisse, et ita vendidi, infra terminum terrae Sancti illius in loco nuncupato illo, campum vel vineam iuris mei habentem aripennes tantos, estque de uno latere et fronte terra illius, de alio vero latere et fronte terra illius. Unde accepi à te pretium quod mihi bene complacuit, valentes solidos tantos; ita ut ab hodierno die quicquid de supradicta re facere volueris, liberam habeas potestatem, salvo iure ipsius Sancti. Et si fuerit aut ego ipse. Et reliqua.

Venditio de servo.

CXXXII. Domino magnifico fratri illi emptori, ego in Dei nomine ille venditor. Constat me non imaginario iure, nec ullo cogentis imperio etc. *ut supra pag.* 401.

Alia venditio de servo aut ancilla.

CXXXIII. Domno fratri illi, ego ille. Constat me vobis vendidisse, et ita vendidi, servum iuris mei aut ancillam nom. ill non furem, non fugitivum, neque cadivum etc. *ut supra pag.* 329.

Qualiter homo ingenuus semetipsum venumdet.

CXXXIV. Domino semper meo illi, ego ille. Placuit mihi ut statum ingenuitatis meae in vestrum obnoxiarem servitium. Quod ita et feci, etc. *ut supra pag.* 379.

Qui in servitium alterius se obnoxiat.

CXXXV. Domino mihi proprio illi, ille. Dum instigante adversario, fragilitate mea praevalente, in casus graves cecidi, unde mortis periculum incurrere poteram. Sed dum vestra pietate me etc. *ut supra pag.* 331.

Alia obnoxiatio.

CXXXVI. Domino fratri ill. et ill. Omnibus non habetur incognitum qualiter me gravis necessitas et anatas pessima oppresserunt, ut minime habeam unde vivere vel me vestire possim. Propterea ad petitionem meam mihi non denegastis, nisi ut in summa necessitate mea argentum vel amictum valentem solidos tantos in manu mea mihi dedisti, et ego minime habeo unde ipsos solidos tuos tibi reddere queam. Propterea obnoxiationem de capite ingenuitatis meae in te fieri et adfirmare rogavi, ut quicquid de mancipio tuo originali facis, tam vendendo, commutando, disciplinam imponendo, ita et de me ab hodierno die liberam et firmissimam in omnibus potestatem faciendi habeas. Si quis vero, quod nec fieri credo. Et reliqua.

Alia obnoxiatio.

CXXXVII. Domino meo semper, ego ille. Non est incognitum qualiter instigante parte adversa mihi contigit quod ego caballum ab homine aliquo etc. *ut supra pag.* 372.

Epistola collectionis.

CXXXVIII. Nos quoque in Dei nomine matricularii Sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiae observanda convenissemus, ibi infantulum sanguinolentum etc. *ut supra pag.* 379.

Concambium de villa.

CXXXIX. Inter quos caritas inlibata permanserit, pars parti beneficia opportuna praestat. Ideo placuit atque convenit inter venerabilem Virum illum ex permisso apostolico Viro illo etc. *ut supra pag.* 320.

Commutatio de terra.

CXL. Inter quos caritas inlibata permanserit, pars pari suo opportuna et congrua beneficia non denegabit. Ideoque, auxiliante Domino nostro, placuit atque convenit inter illum et illum etc. *ut supra pag.* 333.

Concambiatura inter duos Abbates.

CXLI. Placuit, auxiliante Domino, atque convenit inter venerabilem Virum illum Abbatem de Monasterio illo vel congregationem Monasterii sui, necnon etc. *ut supra p.* 406.

Cautiones diverso modo factae.

CXLII. Domino mihi propitio illi. Dum ad meam petitionem, necessitatem meam supplendo, vestra bonitas habuit ut solidos tantos de rebus vestris mihi praestaretis, ideo per hoc vinculum cautionis spondeo etc. *ut supra pag.* 330.

Item alia.

CXLIII. Domino suo illi. Constat me à vobis accepisse, et accepi, debere et debeo, hoc est, solidos tantos. Pro quibus solidis spondeo me, quandiu post me ipsos retinuero, annis singulis per singulos solidos singulos triantes, etc. *ut supra pag.* 331.

Item alia.

CXLIV. Domino fratri illi, ego ille. Quatenus necessitatem meam supplendo solidos vestros numero tantos mihi ad beneficium praestitistis, ideo quod etc. *ut supra p.* 331.

Item alia

CXLV. Domino fratri illi. Ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi ut in summa necessitate mea argentum vel amictum valentem solidos tantos in manu mea ad praestitum beneficium mihi praestitisti etc. *ut supra p.* 352.

Alia.

CXLVI. Magnifico fratri illi, ego ille. Ad meam petitionem vestra decrevit voluntas ut mihi beneficium de rebus vestris illis in annos tantos facere iuberetis etc. *ut supra pag.* 380.

Cautio de vinea.

CXLVII. Domino fratri illi, ego ille. Ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi ut in summa necessitate mea argentum et amictum valentem solidos tantos in manu mea ad praestitum beneficium mihi dedisti. Propterea oppignoro etc. *ut supra pag.* 368.

Evacuatoria.

CXLVIII. Domino fratri illi. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos solidos nostros numero tantos ad beneficium accepisti. etc. *ut supra pag.* 397.

Alia evacuatoria.

CXLIX. Fratri illi. Omnibus non habetur incognitum quod ego ad petitionem tuam solidos tantos ad praestitum beneficium in manu tua tibi praestiti etc. *ut supra p.* 360.

Si aliquis rem alterius, quam excolit, ad proprietatem sacire vult, sed non potest, et postea eam precariaverit.

CL. Domino inlustri illi et mihi propitio Domino illi. Dum per malorum hominum consilium, quod non debueram, de terra vestra in loco nuncupato illo, quam excolere videor, avellere amavi et ipsam terram ad proprietatem sacire, et non potui, quod nec ratio praestitit, et vos vel agentes vestri eam ad partem vestram revocastis, vel nos exinde eiecistis, sed postea ad petitionem bonorum ho-

minum nobis eam ad excolendum reddidistis, propterea hanc precariam dominationi vestrae emittimus, ut quandiu vobis placuerit ut eam teneam, absque ullo vestro praeiudicio, quicquid reliqui accolani vestri faciunt, nos reddere spondemus. Quod si non fecerimus, et in hoc negligentes, tardi, aut contumaces fuerimus, publice per hanc precariam, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, condemnati, ut Lex praestitit tardis et negligentibus, de ipsa terra nos pontificium habeatis eiiciendi. Facta precaria ibi sub die illo, anno illo, illo Rege.

Cessio.

CLI. Latorum Legum auctoritas et Principum decreta sanxerunt ut unusquisque, dum manet in corpore, de propria quam possidet facultate si quid alteri concesserit, voluntatem suam gestibus aut testibus aut scriptura profiteatur, ut perennibus temporibus inviolata permaneat. Igitur ego in Dei nomine ille tibi fideli nostro cedo à die praesente etc. *ut supra pag.* 376.

Traditio cuicunque tradere voluerit.

CLII. Latores Legum sanxerunt ut qui de iure proprio alicui aliquid tradere voluerit, hoc coram pluribus testibus per scripturarum firmiter seriem faciat obligari, ut in aevum inconvulsum valeat permanere. Idcirco ego in Dei nomine ille venerabili viro illi. Dono siquidem tibi per hanc chartulam traditionis, sive per festucam atque per andelangum, aliquam rem meam in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvium illum, id est, mansos tantos, cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus, cum terris arabilibus, silvis, campis, pratis, pascuis, vel quicquid in ipso loco nostra videtur esse possessio vel dominatio, in ea vero ratione ut ab hac die hoc habeas, teneas, atque possideas, vel quicquid exinde facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si quis deinceps quod futurum esse non credo, si ego ipse, quod absit, aut ullus quislibet de heredibus meis, seu quaelibet extranea persona, contra hanc traditionem à me sponte factam aliquam calumniam generare praesumpserit, exsolvere faciat dupliciter quantum eo tempore ipsa res valere dignoscitur, et quod repetit nullo modo evindicare praevaleat, sed magis praesens haec chartula, tam à me quam ab aliis bonis hominibus roborata, omni tempore firma permaneat, cum stipulatione interposita. Actum.

Traditoria de terra.

CLIII. Veniens homo aliquis nomine illè in pago illo, in loco qui dicitur ille, ante bonos homines qui

subter firmaverunt, terram illam, id est etc. *ut supra pag.* 354.

Alia traditoria de venditione.

CLIV. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine ille Missus illustris viri illius super fluvio illo, in loco qui dicitur ille, illum mansum etc. *ut supra pag.* 354.

Alia traditio.

CLV. Notitia loco traditionis, qualiter vel quibus praesentibus ante eos qui subter firmaverunt, ibique veniens homo aliquis nomine ille illas res vel villas illas, quas ipse ante hos dies per suam epistolam donationis ad Monasterium illud in honorem Sanctorum illorum constructum, ubi Dominus ille Abba praeesse videtur, à die praesente ad integrum concessit et confirmavit (iam nomina ill.) per portas et per ostia, et dictam donationem ad Missum de supradicto Monasterio vel dicti Abbatis nomine illum visus fuit per omnia et in omnibus, quantum illa epistola commemorat et insertum est, consignavit, tradidit, et vestivit, et per durpilum et festucam sibi foras exitum alienum vel spoliatum in omnibus esse dixit, et omnia wirpivit, his praesentibus. Actum fuit ibi. Et reliqua.

Alia traditoria.

CLVI. Notitia traditionalis, vel quibus praesentibus venit homo aliquis nomine ille ad illum mansum, quem ante hos dies per chartulam venditionis ad filium suum adfirmavit per ostium et anatalia, per herbam et vitem ei visus tradidisse vel consignasse, et exitum inde se fecit, his praesentibus. Et reliqua.

Carta audientialis.

CLVII. Cum in nostra vel Procerum nostrorum praesentia homo nomine ille hominem aliquem nomine illum interpellasset, dum diceret quod servo suo nomine illo una cum rauba sua etc. *ut supra pag.* 308.

Iudicium evidentale, sive charta iectiva.

CLVIII. Veniens ille in nostram vel Procerum nostrorum praesentiam, suggessit quod homo nomine ille pagensis vester eum in villa, nulla manente causa, adsalliset etc. *ut supra pag.* 308.

Indiculus regalis de iactivis.

CLIX. Ille Rex Francorum vir inlustris. Cum nos in Dei nomine in palatio nostro ad universorum causas audiendum vel recta iudicia terminandum etc. *ut supra p.* 361.

Notitia de homine mortudo.

CLX. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis nom. ill. in pago illo, in loco qui dicitur ille in mallo publico, ante ipsum Comitem etc. *ut supra pag.* 358.

Notitia de servo.

CLXI. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, seu in mercado etc. *ut supra pag.* 355.

Notitia de servo quem colonus comparat.

CLXII. Notitia qualiter vel quibus praesentibus veniens magnificus vir ille die illo in illa civitate in mallo publico ante illustrem virum illum Comitem etc. *ut supra pag.* 346.

Notitia de colonitio.

CLXIII. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo in mallo publico ante virum ill. Comitem vel reliquos etc. *ut supra pag.* 359.

Notitia de colono evindicato.

CLXIV. Veniens homo aliquis nom. ill. Advocatus ill. de Monasterio Sancti illius vel illius Abbatis de ipso Monasterio die illo in mallo publico ante illustrem illum virum illum Comitem etc. *ut supra pag.* 345.

Alia notitia de colono evindicato.

CLXV. Notitia qualiter vel quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine ille Advocatus Sancti illius de Monasterio illo et illius Abbatis in civitate illa in mallo publico ante illustrem virum illum Comitem etc. *ut supra pag.* 343.

Sacramentale.

CLXVI. Veniens Advocatus Sancti illius de Monasterio illo, seu et illius Abbatis de praedicto Monasterio illo, in mallo publico ante inlustrem virum illum Comitem etc. *ut supra pag.* 343.

Iudicium evindicationis de colono.

CLXVII. Cum resedissent venerabilis ille Abba et inluster vir ille in villa illa in pago illo, ubi ille Comes esse videtur, per iussionem Domni et gloriosi illius Regis etc. *ut supra pag.* 344.

Aliud iudicium evindicati.

CLXVIII. Ille Rex vir inlustris. Veniens ante nos homo nomine ille tibi in palatio nostro placitum suum Legibus custodivit, quod habebat apud hominem aliquem nomen illum, quem per suam festucam ante nos visus fuit adrhamisse. Sed nuncupatus ille ad placitum suum non venit, nec ipsum sacramentum iuravit, neque iuratores sui nec ullus fuit testator qui sunia nuntiasset. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris, id est, illis et reliquis quam pluribus, visi fuimus iudicasse ut dum ipse ille tale sacramentum habuit adfirmatum, et ipsum nullatenus iuravit, nec ipse nec iuratores sui, sed exinde se iectivum in omni dimisit, propterea iubemus ut dum hanc causam sic actam vel perpetratam esse cognovimus, ut ipse ille ipsas res in loco illo contra superius nuncupatum illum omni tempore habeat evindicatas atque eiudicatas, et sit inter ipsas postmodum ex hoc omnique tempore sublata causatio. Datum quod fecit mensis ill. dies tantus.

Iudicium seu notitia.

CLXIX. Dum resideret Comes ille in mallo suo publico ad universorum causas audiendas vel recta iudicia definienda, ibique veniens Advocatus illius Episcopi aliquem hominem nomine illum interpellabat, dum diceret eo quod de capite suo Legibus esset servus ipsius Ecclesiae vel ipsius Episcopi, et propter hoc de ipso servitio negligens atque iectivus adesse videretur quod genitor suus vel genitrix sua aut avus suus aut avia sua fecerunt. Sed ipse vir praefatus in praesente abstabat, et hanc causam in omnibus denegabat, quod nec ipsi Episcopi nec ipsi Ecclesiae Dei secundum Legem nullum servitium agere deberet, eo quod de parte paterna aut de materna secundum Legem ingenuus esse videretur. Sed ipsi Scabini, qui tum ibidem aderant, ei visi fuerunt iudicasse ut supra noctes quadraginta cum duodecim Francis, sex de parte paterna, et sex de materna, in Ecclesia illa iurare debuisset quod de parte paterna aut de materna secundum Legem Salicam ingenuus esse videretur. Ipsis vero noctibus expletis, venientes utique ad Ecclesiam illam, visus est ipse homo esse iectivus, eo quod non potuit ipsum sacramentum explere sicut ei fuit iudicatum.

Notitia de terra evindicata.

CLXX. Notitia qualiter vel quibus praesentibus veniens venerabilis vir ille Abba de Monasterio illo, die illo, in loco illo ante illustres viros magnificos, etc. *ut supra pag.* 546.

Indiculus si quis in praesentia Regis auctor fuerit.

CLXXI. Ille Rex illi Comiti. Veniens ille aut Missus ipsiuš in persona sua ibi in palatio nostro, clementiae regni nostri suggessit quod homo aliquis nomine ille villam suam illam in pago illo, quicquid ibidem visus fuit tenuisse, per venditionis titulum accepta pecunia sua eidem visus est distraxisse, et ea ad praesens possidere videtur. Sed dum et ipse ille ad praesens adstabat, interrogatum est ei à nobis vel à Proceribus nostris si ipsam venditionem, quam ipse ille de suprascripta re in praesente proferebat, de nomine eius fecisset, aut memoratam rem vendidisset, aut auctor eidem esse voluisset. Sed taliter in nostra praesentia memoratus ille professus est, quod et ipsam venditionem fecerat, et pretium de suprascripta re, quod ipsa venditio continebat, acceperat, et auctor eidem ex hoc et ad praesens et inantea, si ei necessitas contigisset, et erat et esse volebat. Ideo dum taliter coram nobis professus est, per praesens iubemus ac decernimus Praeceptum ut memoratus ille ipsam villam in iam dicto loco in integritate, et quicquid per ipsam venditionem accepisset, absque contrarietate vel repetitione illius aut heredum suorum quieto ordine debeat possidere, vel quicquid exinde facere ipse aut heredes sui decreverint, libero potiatur arbitrio.

Notitia de cruce evindicata.

CLXXII. Dum et omnibus non est incognitum qualiter veniens homo aliquis nomine ille ante Vicarium inlustris viri illius Comitis, etc. *ut supra pag.* 405.

Notitia sacramentalis.

CLXXIII. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo in basilica Sancti illius, ubi plurima sacramenta percurrere videntur, ante virum magnificum illum, etc. *ut supra pag.* 359.

Notitia de herbis maleficis.

CLXXIV. Notitia qualiter et quibus praesentibus veniens femina aliqua nomine illa in pago illo in mallo publico, in basilica Sancti illius, ante illos et illos et alios quamplures bonos homines, etc. *ut supra pag.* 359.

Cautio de Clavibus.

CLXXV. Dum et pluribus hominibus est patefactum qualiter in Dei nomine ille veniens in placitum ante quamplures bonos homines adversus hominem nomine illum repetebat et dum diceret, etc. *ut supra. pag.* 405.

Indiculus regalis.

CLXXVI. Ille Rex Francorum vir inlustr. magnifico Comiti ill. Cognoscas quia iste praesens, missa petitione, nobis suggessit quod homo aliquis nomine ille res suas in vestro ministerio, etc. *ut supra pag.* 358.

Item alius Indiculus.

CLXXVII. Dominis sanctis in Christo Patribus omnibus Episcopis, seu et venerabilibus omnibus Abbatibus, atque inlustribus viris, seu et viris magnificis Domesticis, Vicariis, Centenariis, etiam paribus et amicis nostris, seu et Missis nostris discurrentibus, ille Rex Francorum vir inluster. Cognoscatis quod iste praesens ille ad nos venit, et nostram commendationem expetivit habere, et nos ipsum gratanti animo recepimus vel retinemus. Propterea omnino vel rogamus atque iubemus ut neque vos, neque iuniores, neque successores vestri ipsum vel homines suos, qui ad ipsum legitime spectare videntur, inquietare, nec condemnare, nec de rebus suis in ullo abstrahere, nec dismannire praesumatis, nec facere praecipiatis. Et si talis causa adversus eum surrexerit aut orta fuerit (* et ibidem adimpletis vos absque eorum in quo dispendio minime definita fuerit, quod ante nos separare vel reservatas *) et talis causa ante nos finitivam accipiat sententiam. Et ut certius credatis, manu nostra subter firmavimus, et de anulo nostro, sigillavimus.

Mandatum.

CLXXVIII. Domino fratri illi. Precor et supplico dominationi vestrae, dum et causam pro alode (aut qualemcunque) cum homine nomine illo in palatio aut ubilibet habere videor etc. *ut supra pag.* 353.

Alio modo.

CLXXIX. Magnifico fratri illi, ego ille filius illius. Rogo, supplico, atque tuae caritati iniungo ut ad vicem meam civitatem illam, etc. *ut supra pag.* 375.

Mandatum qualiter maritus negotium uxoris prosequatur.

CLXXX. Dum et humana prodit utilitas, et Lex Romana exposcit, ut quicunque uxoris suae negotium fuerit prosequutus, quamvis maritus sit, nihil aliud agat, etc. *ut supra pag.* 384.

Aliud Mandatum.

CLXXXI. Domino magnifico fratri illi, ego ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter me senectus adgravat, et infirmitas domat, ut causas meas minime valeam

prosequi vel admallare. Propterea precor et supplico caritati tuae, etc. *ut supra pag.* 356.

Aliud Mandatum.

CLXXXII. Legibus institutum] est et consuetudine per tempora conservatum ut quicunque Advocatum instruere velit, mandato legaliter dato atque solemniter confirmato eum instruere debeat, etc. *ut supra pag.* 348.

Aliud mandatum.

CLXXXIII. Magnifico fratri illi, ego ille. Omnibus non habetur incognitum quam me gravis aegritudo domet, ut eleemosynam meam minime valeam procurare. Propterea rogo caritatem tuam ut propter Deum de rebus meis in vice mea eleemosynam facere vel dispensare debeas. Pro hoc trado tibi à die praesente omnes res meas in pago illo, in loco cuius vocabulum est ille, id est, terris, mansis, domibus, aedificiis, quantumcunque visus sum tenere totum et ad integrum, quicquid dici aut nominari potest tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtractu, in quibuscunque pagis aut territoriis visus sum habere, totum et ad integrum rem inexquisitam, pèr meos wadros aut andelangos, per hoc mandatum ad meam eleemosynam faciendam in pauperes vel Sacerdotes tibi trado, ut quicquid exinde egeris gesserisve, apud me in omnibus et ex omnibus ratum et aptum atque transactum definitumque esse cognoscas. Et, quod nec fieri credo; si ego ipse aut aliquis. Et reliqua.

De formatis [*Epistolis*].

CLXXXIV. Graeca elementa litterarum numeros exprimere nullus qui tenuiter Graeci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos Latinus Formatas vocat, aliqua fraus falsitudinis temere praesumetur, hoc à patribus CCCXVIII. Nicaeae congregatis saluberrime inventum est et constitutum, ut formatae epistolae hanc calculationis seu supputationis habeant rationem; id est, ut adsumantur in supputationem prima Graeca elementa Patris et Filii et Spiritus sancti, hoc est, Π. Υ. Α. quae elementa octogenarium quadragentesimum et primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima littera, id est, Π. qui numerus octoginta significat; eius qui scribit epistolam, prima littera; cui scribitur, secunda littera; accipientis, tertia littera; civitatis quoque de qua scribitur, quarta; Indictionis quoque, id est, temporis qui fuerit numerus adfirmatur. Atque ita his omnibus litteris Graecis, quae, ut diximus, numeros

exprimunt, in unum ductis, quaecunque collecta fuerit summa, epistola teneat, hanc qui suscipit, omni cautela requirat expresse. Addat praeterea separatim in epistola etiam nonaganerium et nonum numerum, (qui secundum Graeca elementa significatur *).

*) *In Sirmondo quae includuntur intra parentheses, sic leguntur:* . . . qui, secundum Graeca elementa, significat AMHN.

Litterae Commendatitiae.

Sancto et Deo amabili Magnoni, dono Dei Archiepiscopo ex Senonica urbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus, dono Dei Archiepiscopus ex Biturige urbe, etc. *ut supra pag.* 350.

FORMULAE
BALUZIANAE
SIVE
FORMULAE VETERES

Ex veterrimis Codicibus manuscriptis primum editae à clarissimo viro Stephano Baluzio.

INCIPIUNT CAPITULA.

Petitio Episcopi peregrini ad Episcopum proprium.

In Christi nomine. Ille Episcopus illo Episcopo amico nostro devotam dirigo salutem. Gratias vobis referimus de caritate vestra, quam erga fidelem nostrum dignati estis facere et circa Congregationem nostram quae est in oppido sita quod dicitur illum. Fecisti enim ut Apostolus commendans ait: *Praedica verbum, ista opportune et inopportune nolentibus.* Qui enim sequitur Apostolorum vestigia, luce gaudebit perpetua. Rogo vos humiliter dirigere nobis per Epistolam vestram quid mihi de nostro liceat celebrare officium in parochia vestra et Ecclesiis vestris quae in nostro sunt beneficio, si praedicare liceat, si emendare, si corrigere, si erigere Ecclesiis, si confirmare, aut baptizare, aut poenitentiam dare, aut quid nobis concedatis, aut quid prohibeatis, scire nos faciatis citius petimus. Amicitiam vero vestram valde firmam optamus inter nos consistere. Et obsecro ut mihi commendare dignemini quasi amico tuo quodlibet servitium, et paratum me habetis in omnibus honestis et iustis mandatis vestris. Benevalete.

Commendatoria et exhortatoria ad Sanctimonialem.

II. In nomine sanctae Trinitatis. Venerandae et Almificae gloriosaeque illae, ego ille inferior cunctis servis vestris postulo summo à Deo aeternam venire salutem. Hinc rogo vos et ammoneo ut laus popularis, quae per vulgares spargitur aures, vestram adtingat mentem, et crescen-

do pollulat sapientia vestra apud Deum et homines. Omnis vero populus hac proclamat voce dicens his vero esse ditatam felicibus donis, quod in perpetuum firmiter permaneat, citam omni bono consilio et claram facie omni conpectui humano, varias scilicet gazas miro ordine beataque mundi regna mirifice disponere, pulcram corpore et in mente quieta, lucidis autem luminibus vestram fieret staturam, in aulem dicunt. Debetis enim semper gratias agere ut in vobis haec et his simila crescant per omnia momenta. Vide, ut Apostolus ait, quomodo caute ambulaveris, sicut sapientes. Et iterum: *Non solum coram Deo sed etiam coram hominibus providentes bona, etc.* Festina itaque, virgo gloriosissima, sanctis studiis te et bonis operibus ornare, ut cum sanctis et beatis virginibus centenum merearis collegere fructum.

Conquestio de vasso qui iustitiam facere renuit.

III. Domino inluster atque prae cuncto magnificentissimo, ut confido, viro amico meo illo ille. Deus scit, cui omnia non latent occulta antequam fiant, in omnibus amicus et bene cupiens vester, illud inprimitus quod plurima sunt et nobis opportunum, salutem in Domino optamus vobis in quantum arcana cordis mei continet plenitudo. De caetero cognoscas industria vestra iste praesens homo noster serviens vester nomen ille ad nos venit et nobis dixit eo quod vassus vester nomen ille res post se malo ordine reteneat iniuste, et dixit quod nulla iustitia apud ipso exinde consequere possit. Propterea solicitamus vobis, precamus ut hoc causa diligenter inquirere iubeatis, ut ipse homo noster serviens vester sine ulla dilatatione ad suum exinde debeat perquirere iustitiam. Et si hoc facietis, vestram bonam consuetudinem adimpletis. Et unde nos iniungetis, et nos potebimus, vos vel servientes vestros in bonis partibus remerire non tardamus. Agite taliter quae nos per vos bona habemus fiducia, ut iste homo noster serviens vester sibi congaudeat quod nostram ad vos deportasset suggestionem. Ad sapientissimum sufficit.

Item de eadem re.

IV. Domino sancto apostolica sede colendo Domno et in Christo patri illo Papae ille. Deus scit, cui nulla latent occulta, in quantum video et nostra est possibilitas, in omnibus amicus et bene cupiens vester, illud imprimitus quod plurima sunt et nobis opportunum, salutes in Domino optamus vobis in quantum totus mundus fulget in gloria, vel quantum distat ortus ab oriente et deficit ab occidente, seu et si fieri potuisset quod tota membra vertissent in lin-

gua. De caeterum supplicamus gratia vestra ut pro me peccatore in vestris sanctis orationibus intercedere digneris. Et iterum, Domine, supplicamus cognoscat almitas vestra iste praesens homo noster serviens vester nomen ille res suas malo ordine post se retinebat iniuste, et nulla iustitia apud ipso exinde consequere possit. Propterea precamur, vobis ut hanc causam diligenter inquirere iubeatis; ut sicut vestra bona est consuetudo, ipse homo noster serviens vester sine ulla dilatatione ad suam exinde debeat pervenire iustitiam, et sibi congaudeat quod nostram ad vos deportasset suggestionem, et nos vobis gratias agamus. Et si locus advenerit, vos vel servientes vestros in bonis partibus remerire non tardamus. Ad sapientissimo sufficit. Salutamus vobis satis et super omnia satis usque ad gaudium magnum.

Indiculus regalis.

V. Dominis sanctis et in Christo patribus omnibus Episcopis, seu et venerabilibus omnibus Abbatibus, atque illustribus Viris, seu et viris magnificis Domesticis, Vicariis, Centenariis, etiam quod omnis pars et amicos nostros seu et Missus nostros discurrentis, ille Rex Francorum vir inluster. Cognuscatis iste praesens ille ad nos venit et nostra commendatione expetivit habere; et nos ipso gratante animo recepimus vel retenemus. Propterea omnino vobis rogamus atque iubemus ut neque vos neque iuniores neque successores vestri ipso vel homines suos, qui per ipso legitimi sperare videntur, inquietare, nec condemnare nec de rebus suis in nullo abstrahere, nec diu nec nocte non praesumatis, nec facere permittatis. Et si talis causa adversus eo surrexerit ut ost — — fuerit et ibidem adimpletis vos absque eorum in quo dispendio minime definitas fuerint, quod ante nos separare vel reservatas, et talis causa ante nos finitivam accipiant sententiam. Et ut certius credatis, manu nostra subter adfirmavimus, et de nostro anolo sigilavimus

Indiculum de servis fugacibus

VI. Dilecta Dei, Sponsa Christi, socia sanctarum virginum merito coaequanda, inlustris Deo sacrata illa, ille. Deus scit in quantum valeo in omnibus in Christo amore amicus et bene cupiens vester illud imprimitus quod plurima sunt salutem in Domino optamus vobis in quantum totus mundus fulget in gloria, aut si fieri potuisset quod tota membra vertissent in lingua. De caeterum cognoscat dilecta caritas vestra, sicut nobis dictum fuit, eo quod homines vestri confugium fecerunt, et nos auditum habemus ubi esse debeant. Propterea apices nostros vobis direxi-

mus, si vestri homines sunt, Misso vestro ad nos dirigere faciatis, et quantum nos potevimus hac causa diligenter procuramus ut ipsos homines recipere faciatis.

Donatio ad casam Dei pro Missas canendo.

VII. Igitur ego in Dei nomine ille venerabilibus fratribus illo et illo. Admonet mihi amor Domini nostri Iesu Christi et desiderium de illo paradiso ubi iusti habitant, ut me Dominus ibidem participare dignetur, seu et timor gehennae, ut me exinde Dominus erigere iubeat. Propterea cedo vobis ad die praesente mea eleemosyna faciendo à pauperis vel à Sacerdotibus ad Missas canendo dispensando, cessumque in perpetuo esse volo, et de iure meo in iure et dominatione vestra transcribo atque transfundo, hoc est, res proprietatis meae tam in civitate illa quam et foras in ipso pago seu et in alios. Habent ipsas terras cum omni superposito de longo tanto, similiter in latus et in frontis subiungit de ambobus frontus et de ambobus latus terra illius, ipsas res et casas superpositis ad integrum seu et vineis in oppidum civitate illius cum terra proprietatis mei. Habet ipsa vinea arpennes tantos. Subiungit de ambobus latus et ambobus frontes terra illius. Etiam et in ipso pago in agro illo portione mea, tam terris, mansis, domibus, aedificiis, vineis, olicis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus quicquid in ipsa loca portio mea est, totum et ad integrum rem inexquisitam et aliam rem quantumcunque visus sum habere aut inantea laborare potuero, tam peculium, praesidium utriusque generis sexus, aurum, argentum, drapalia, aeramen, utensilia, mobile et immobilibus, quicquid dici aut nominari potest, ubicunque visus sum habere, medietatem ad integrum, ita ut ab hodierno die habeatis, teneatis, et in mea eleemosyna dispensando liberam et firmissimam ad die praesente in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis vel ullus quislibet ulla opposita persona qui contra hanc cessionem istam venire conaverit, et à me vel heredibus meis defensatum non fuerit, inferamus vobis una cum socio fisco auri uncias tantas, argentum pondo tanto esse multando, et praesens cessio ista omni tempore firma permaneat.

Supplicatio ad Regem.

VIII. Inclito atque praecellentissimo Domno illo glorioso Rege, ego ancilla vestra ultimissima, servissima omnium ancillarum vestrarum. Cognoscat, Domne, gratia vestra hominis vassi vestri nomen ille multas inquietudinis et

contra rationis ordines servientes Sanctae illius, qui in vestra mercede in regimini ordinastis, habere hos faciant, et nulla iustitia apud ipso illo consequere posso. Propterea, Domne, supplico, et si ante vestra praesentia fuisse, genua flexa ad terra prostrata ad pedes vestros suggerere mihi ancilla vestra oportebat et in vestra mercede et amore Deo vel illos Sanctos cuius famulas nobis exinde defensare iuberitis ut contra malicia contra servientes ipsius Sanctorum vel me ancilla vestra facere non debuissent. Domine, nostrum est ad suggerendum. Vestrum est ad ordinandum quae exinde iustitiam recipere debeamus, pietas vestra est nobis.

Indiculum.

IX. Suggerendo Domno piissimo atque praecellentissimo illo glorioso Rege. Nos, Domni, servientes vestri pagenses illius, quod veraciter cognovimus, vobis innotescere praesumpsimus. Homo alicus nomen ille nobis dixit eo quod casa sua vel strumenta sua chartarum tam vendictionis, cessionis, cautionis, obnoxiationis, iudicius, cessionis, vel donationis, seu et reliqua stramenta chartarum ab igne ibidem cremassent, quia et ille Iudex vel vicini pagenses ipsius taliter nobis dixerunt vel testimoniaverunt quod ad hoc videndum accesserant, et sic vero et actum aderat. Proinde, Domne, suggerere praesumpsimus, et quod exinde cognovimus vobis innotuimus. Domne, nostrum est ad suggerendum. Vestrum est ad ordinandum quod ipsa exinde agere debeat.

Indiculum.

X. Domna et dulcissima genetrice mea illa, prolis vester ille, serviens vester, illud imprimitis quod plurima sunt, et sic necessarium si praesumptio ostendit salutem plenissimam in Domino Iesu Christo vobis destinare praesumo, et supplico pro eo quod iste praesens ille serviens vester à mea parvitate expetivit ut nulla malitia de istas culpas quod ipse confugium fecit exinde non habeat, sed ad mea precatione excusatus exinde esse debeat. Agite taliter quem ego per vos bona fiducia et quem Domno et genitore meo iugale vestro illo sano et laeto proprios oculos celerius mereamus videre. Iterum salutamus vobis.

Indiculum.

XI. Sanctorum meritis beatificando Domno et fratri Importuno. Domne dulcissime et frater carissime Importune, quod recepisti tam dura aestimasti nos iam vicina morte de fame perire, et quando talem annonam voluisti

largire, nec ad pretium nec donum non cupimus tale an nona. Fecimus inde comentum, si dominus imbolat formentum, à foris turpis est crusta, ab intus miga nimis est fusca, aspera est in palato, amara et foetius adoratus, mixta vetus apud novella faciunt inde oblata non bella semper habeas gratum qui tam larga manu voluisti donatum, dum Deus servat tua potestate, in qua cognovimus tam grande largitatis. Vos vidistis in domo quod de fame nobiscum morimur. Homo, satis te praesumo salutare, et rogo ut pro nobis dignetis orare. Transmisimus tibi de illo pane. Probato si inde potis manducare. Quandiu vivimus plane liberat nos Deus de tale pane. Congregatio puellare sancta refutat tale pasta. Nostra privata stultitia ad te in summa amicitiae. Opto te semper valere et caritatis tuae iura tenere.

Item alium.

XII. Beatificando Domno et fratri Frodeberto Papae. Domne Frodeberte, audivimus quod noster fromentus vobis non fuit acceptus. De vestra gesta volumus intimare ut de vestros pares nunquam delectet hoc iogo tale hoc referre. Illud enim non fuit condignum quod egisti in Segeberto regnum de Grimaldo Maiorem domus, quem ei sustulisti sua unica ove sua uxore, unde postea in regno nunquam habuit honore, et cum gentes venientes Toronica regione misisti ipsa in sancta Congregatione — — — Monasterio puellarum qui est constructus in — — — — Non ibidem, lectiones divinis legistis, sed — — — — nis inter vos habuistis. Oportet sat — — — — — — — — — conlocutione quem nec est adeo ar — — — — — — — — — — — — — — ta sic est ab hominibus vestra so — dentiae, sed qualem facu — — — — — — — — — — — — — — Monasterio puella — — — — — — — — — — — — Monasterio tuis — — — — — — — — — — — — — — perdisti — — — — — — — — — — — — IMPORTUNUS de Parisiaga terra.

Parabola.

XIII. Domno meo Frodeberto, sine Deo, nec Sancto, nec Episcopo, nec regulari Clerico, ubi regnat antiquus hominum inimicus, qui mihi minime credit factu tuu vidit illum tibi necesse desidero, quare non amas Deo, nec credis Dei filio. Semper fecisti malum. Contra adversarium consilio satis te putas sapientem. Sed credimus quod mentis. Vere non times Christo, nec tibi consentit. Cui amas, per omnia eius facis opera. Nec genitoris tui diligebant

Christum, quando in Monasterio fecerunt temetipsum. Tuus pater cum Domino non fecit sancta opera. Propter Domnus digito relaxavit, te vivo docuit et nutri — — unde se postea poenetivit. Non sequis scriptura nec rendis — — quia memores Grimaldo qualem fecisti damnum — — — et Deo non oblituit de bona quae tibi fecit quid inde — — muliere sua habuisti conscientia nua nec — — norum peracta sed contra canonica — — — ea de sancta Congregatione apud — — — non ex devotione, sed cum gran — — — — cur nos scimus damnas nimis — — — tollis eis aurum et argentum et honores — — liberat per has regiones cur te praesumis tantum damnare suum thesaurum. Quod ut alibi ubi eum rogas per tua malefacta, quod non sunt apta, amas puella bella de qualibet terra pro nulla bonitate nec sancta caritate. Bonus nunquam eris dum tale via tenes. Per tua cauta longa sat ire si non est. Per omnia iube te castrare, ut non pereas per talis; quia fornicatoris Deus iudicabit. De culpas tuas alias te posso contristare. Sed tu iubes mihi exinde aliquid remandare, ut in quale nobis retenit in tua caritate exeant istas exemplarias per multas patrias ipso domno hoc reliquo se vidis amico qui te hoc nuntiat et donet consilium verum, sed te placit lege et pliga in pectore repone. Sin autem non vis, inheret in dude.

Item alia.

XIV. Incipiunt verba per similitudinem iuncta de fide vacua, dono pleno falsatore. Agino Salomon pro sapientia bene scripsit hanc sententiam, ut ne similis fiat stulto, nunquam respondes ei in mutto, et retractavi tam in multum sic respondere iussi stulto ut confundantur stultum grado nunquam praesumat gloriare respondi dixi te falsatore nec ei parcas in sermone qui se plantatum ex robore qui non pepercit suo ore vaneloquio susorrone verborum vulnera murone qui sui obl — — adiutoris, immemores nutritoris, calcavit — — qui fei date et prioris alodis sui reparatoris sordidas vomit pudoris incredulas dicit loquellas et inprobus coinquinat et conscientias bonum merito conquisitas, mundas, sanctas et antiquas, pulchras firmissimas et pulitas meas rumpit amitaticos, verba dicit quae nunquam vidit, ea scribit quae fecit animus. Parcat qui eum credit. Et si loquestem non stringit furorem latro fraudolentus homicidium est reus certus adulter, raptor est manifestus. Innumeros fecit excessus. Errando wadit quasi coecus. Fuscare tentat meum decus. A Deo

dispectus et desertus, ab inimico est perventus et per lingua et per pectus. Nolite, Domne, nolite fortis, nolite credere tantas fortes. Per Deum iuro et sacras fontis, per Sion et Sinai montis, falsator est ille, factus excogitator est defamatus, deformatus vultu, et deformata sunt. Qualis est animus, talis est status. Non est homo hic, miser talis latrat, sed non ut canis psallat de trapa, ut linguaris dilator maior, nullis talis falsator grunnit, post talone buccas inflat, in rotore crebat et currit in sudore, fleumas iactat in pudore; nullum vero facit pavere qui non habet adiutorem super secundum meum tutorem non meum — — tale baronem non — co contra insontem non cessat — — — ab exaperto sacco — — — — acco et salte detrascia — — non timere falco non perdas illo loco, non vales uno coco, non simulas tuo patre, vere nec tua matre, non gaudeas de dentes, deformas tuos parentes. Ad tua falsatura talis decet corona.

Indiculum.

XV. Nolite Domnae, nolite sanctae, nolite credere fabulas falsas: quia multum habetis falsatores, qui vobis proferunt falsos sermones, furi atque muronis, similis etiam et susurronis; et vobis, Domnae, non erunt protectoris. Latrat vulpis, sed non ut canis. Faltus mit semper inanis cauta proferit iam non fronte. Cito decadet ante cano forte. Volat upua, et non arundo. istco commedit in so frundo. Humile facit capta dura, sicut dilatus in falsatura falsator vadit tanquam latro, ad aura psallit, ut Escotus mentit, semper vadit toritus, et occidit quod nunquam vidit. Nolite Domnae atque prudentis vestras nón confrangat mentis, et non derelinquere serventes. Tempus quidem iam transactus. Et hoc feci quod vobis fuit adaptum. Iam modo per verba fallacia sexum deiactus de vestra gratia.

Incipit edictio.

XVI. Cum in praesentia inluster vir ill. illo mallavit. Sed ille petiit ut scriberet quod petivit, irrita Imperatores sancserunt decreta ut nullus a iudicio suscipere praecurrit, antiquam solemnia patefecerit, ut his qui fidem datis et nec obiecti sunt praeomaticis dictionis Lex poena succurrit. Edictio inquam ob rem petitio in conspectu magnitudinis vestri, ut homo nomen illi res illas post se mali ordine praeoccupasse dinoscitur, ut hoc vestra prudentia integrum et legalis sententia debeant definire. Ea vero scilicet ratio, ut si in constitutum placitum res illas mihi iustissime debitas adprobare non potuero, ut Lex mundana Theodosiano corpore arbitratus discernit, me impleturum esse pol-

liceor data edictione de inscriptionibus accusatoribus recrescant Theodosiano nono in ira prima tam civile neque criminalem actio professio manu accusatore conscripta praedicat, nisi in se repetitione celebrata prius a Iudice non audiatur.

Indiculum generale ad omnes.

XVII. Domino magnifico sapientiaque decoratum et dono Dei regali gratia sublimato illo ille ultimus servorum Dei servus ac si vilis ille infimus vocatus Episcopus, salutem vobis multimodam una cum confratres nostros oratores vestros, qui ad limina Sanctorum illorum die noctuque pro vobis obsecundare noscuntur, dirigere praesumimus. De caeterum cognuscat industria vestra precamur atque suplicamus vobis de ista causa unde iste praesens serviens vester Missus noster innotuerit, ei in suum placitum esse dignetis, agat almitas vestra ita ut consuetudo vestra bona erat erga nos frequenter operata est.

Item alio.

XVIII. Domino Procerumque illustrem Optimate ill. regale gratia sublimatum et à nobis cum magna veneratione atque reverentia nominandum in Dei nomen ill. ultimus servorum Dei servus salutem vobis in Domino tam multimoda destinare praesumimus una cum omni congregatione fratrum nostrorum quam arcana cordis nostri continet plenitudo. Memorare dignemini qualiter vos nobiscum ante hos dies confabolare dignastis et in oratione quamvis nos indigni commendare dignastis. Precamur atque suplicamus clementia vestra ut ad necessitatem fratrum nostrorum oratores vestros aliquid de eleemosyna vestra consolare iubeatis, et quicquid exinde vestra clementia erga nos disponit agere, per vestro venerabile scripto nobis dignetis facere certiores; et undecunque nobis iniungitis aut iniunctum habetis de orationibus vel de alio servitio, parati sumus vestris partibus vestrorumque omnium servientium fidelis reservire.

Item alio.

XIX. Sanctissimo ac sanctis ceremoniis observantem aeque fonte spirantiae exsuperantem Domno Patre et multorum gregem Christique vice agente illo Pontifice ultimus omnium servorumque Dei servus ille. Ad clementiam pietatis vestrae has apices destinare praesumpsimus, non nostri freti obsequio, sed vestra magnitudine culminis pietate. Ideoque quasi ad praesens genua vestra deosculantes, suggestiuncula nostra vobis propter quod mancipia beati patroni vestri de Monasterio nostro fuga lapsa in vestro

dominio praelapsi sunt advenisse. Ideo supplicamus clementiae vestrae ut quomodo iste Missus noster nomen ille haec nostra suggestiuncula vobis detulerit, sicut vestra in omnibus bona erga nos est consuetudo, inter nos seu erga omne nostra iusticia inquirere iubeatis, qualiter congregatio nostra obsecrantes Deo oratores vestros melius Dei misericordiam pro vobis dilectet implorare.

Item alio.

XX. Domino sancto ac sanctis ceremoniis observante Domno illo et in Christo patre ego ille salutem vobis in Domino una cum omni congregatione fratrum nostrorum plenissimam dirigere praesumimus tam vobis quam scilicet Congregationem vestram, quam Dominus sub norma sanctae regulae ad protegendum in manu misit. Supplicamus caritatem et fraternitatem vestram ut inter nos seu Monachis nostris orationes peculiares esse debeant: quia quamvis in spatiá terrarum distet corporalis nostra conversatio, sed, ut bene nostis, non separant spatia terrarum quos sociat caritas vera: quia si unus in oriente et alius in occidente consistat, ambo pariter orando Domino in caritate glutinantur. Supplicamus etiam.

Item alio.

XXI. Domino inclito fidelique Deo atque regale gratia sublimato atque à nobis veneratione et amore colendo inlustre viro illo Optimate illo maximam salutem et inviolabilem cupio et vobis praesumimus destinare. De caeterum comperiat industria vestra eo quod et aetera gaudeat floreatque per tempora nobilitas vestra, et quandoque terreńa linquitis, caelestibus mereatis agminibus glomerare.

Item alio.

XXII. Domino et in Christo patri apostolica sede colendo Domno illo ille proprius vernaculus vester salutem vobis in Domino multimodam destinare praesumimus. Cognuscat, Domne, sanctitas vestra quod serviens vester nomine illo ad nos venit et dixit se neglegentia contra vos habere pro qua gratiam vestram non habeat. Propterea supplicamus, quasi ad praesens genua vestra deosculantes, ut ipse apud vos excusatus sit et eum per nostram precationem recipere et consilium ei facere ordinetis. Agat, Domne, sanctitas vestra sicut semper erga nos facere consuevistis. Sanum et incolumem vos citius merear videre.

Item alio.

XXIII. Domino almifico, excellentiae decore ornato, ac beatissimo, meritisque venerando, amabiliter diligendo,

sanctitatis culmine conspicuo, ac nobilitatis titulo decorato, piissimo, sive sacra eloquia seu praecepta Dei plenissimo, Sanctorum meritis coaequando, et palma triumphationis atque sanctitatis gratia ornato, inclito praeclaroque. Deus omnipotens faciat in sancta Religione permanere. Venerabili in Christo et à nobis cum summa reverentia nominando illo Episcopo ego ill. in Domino perpetuam mitto salutem. Multimoda nobis benevolentiam vestram generare comperite gaudia quotiens nobis aditus dederit opportunos ut ad indagandam sospitatem vestram nostras dirigere apices debeamus. Quia nihil melius nisi ut invicem mutuam caritatem orando in invicem alterutrum spiritalia pabulum subministrare non cessimus, Hilarem et gaudentem citius vos cernere mereamus.

Item alio.

XXIV. Summa veneratione nobilissimi generis seu industriae vel sagacitatis culminisque sublimitatis ineffabile à nobis scelentiae vestrae, Domine inlustrissime, cum summa nobis reverentia nominando illo ille exiguus tam multiplices vobis salutes dirigere cupimus. Et reliqua. Obsecrantes piissimo Domino ut vos una cum culminis sublimitatis vestrae longa per tempora trina conservet deitas, et quandoque terrena linquetis, suffragantibus sanctis Angelorum mereatis coetibus glomerare, praecellentissime et inclite Domne.

Item alio.

XXV. Domino venerabile inlustrique sagacissimo, sed inlustriore sanctitate et gratia Dei pollente, et sacerdotale apice sublimato, Domno illo ille alumnus vester salutem in Domino vobis praesumpsimus destinare. Supplicamus, Domne, gratiae vestrae ut nos pro mercede vestra mom. instruere faciatis, et iuxta vestram bonam consuetudinem, quod semper nos pie ut dulciter gubernare dignastis, ita et nunc agi non dedignemini, ut ad cumulum mercedis vestrae perveniat. Et si ita agitis, maxima dona fratribus nostris iuxta solita bonitatis vestrae. Iterum atque iterum quasi ad praesens ante genua vestra prostrati precamur ut à coepta gubernatione vestra nos discedere nunquam patiatur.

Item alio.

XXVI. Reverendissimo confratri meo illo ille in Domino salutem. Cum enim longitudo terrae caritati illorum non queat evelli quos Christi connectit amor, desiderans desideravi literolas parvitatis meae fraternitati tuae dirigere, ut statim quod praesens loquella conspectui tuo

loqui non valet, vel has apices tibi enarrent. Cupio valde quem recordor absentem, ut cum quo mente sum, cum eo etiam corpore sim praesenti. Divinitas te servet per multos annos, parens et custos Dei aeterni, quem colimus, Iesu Christi.

Donatio à die praesente.

XXVII. Sacrosanctae basilicae Sancti illi Monasterio vel alio loco illo constructae, ubi venerabilis vir ille Abbas vel Episcopus aut Presbyter cum suis Clericis vel Monachis praeesse videntur, ego ille cogitans Dei amore vel aeterna retributione, ideoque cedo ad die praesente ad supradicta basilica et Monachis ibi consistentes cessumque in perpetuum esse volo portiones meas in loco nuncupante illo, sitas in pago illo, quae mihi tam de alode quam de comparato vel de quocunque libet adtracto advenit vel advenire potest legibus in supra memorata loca, tam terris, domibus, aedificiis, mancipiis, libertis, accolabus, merita accolanorum, vineis, silvis, pratis, pascuis, campis cultis et incultis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omnibus adiacentiis et appendiciis vel colonicis ad se pertinentibus, cum omni integritate vel superposito, quicquid dici aut nominari potest, in supramemoratos pagos vel ubique de supradictas portionibus tenere visus sum, totum et ad integrum ad die praesente ad iam memorato Monasterio vel ad ipsos Monachos ibi consistentes perpetualiter trado atque transfundo, de meo iure in vestra trado dominatione ad possidendum, ut quicquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem à die praesenti faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, in futurum, si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, aut ulla emissa vel opposita persona, vel quislibet qui contra hanc cessionem meam, quam ego bona voluntate fieri et adfirmare rogavi, venire, agere, aut resultare, vel per quibuscunque modis repedire aut infrangere conaverit, nec hoc valeat vindicare quod repetit, et insuper partibus supra memorato Monasterio vel Monachis ibidem consistentibus duplum tantum quantum ipsas res eo tempore emelioratas valuerint componat; et insuper socio fisco multa auri libra una coactus exsolvat, et haec cessio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum loco illo.

Ad testamentum faciendum.

XXVIII. Regnante in perpetuum Domno nostro Iesu Christo. Anno illo illius Regis, sub die XII. kalendarum illarum, feria illa, Indictione illa. Ego ille filius illius sana mente integroque consilio, metuens casus humanae fra-

gilitatis, testamentum meum condidi, quem illi scribendum commisi, ut quomodo dies legitimus post transitum meum advenerit, recognitis sigillis, inciso lino, ut Legis decrevit auctoritas, per inlustrem virum illum, quem in hac pagina testamenti nostro legatario institui, gestis reipublicae municipalibus titulis eius prosecutionibus ab ipsis muniatur, et in archivis basilicae Sancti illi conservandum decrevi; ut quicquid unicuique de rebus meis propriis habere decrevi singulariter in hoc testamentum meum inserere curavi. In reliquo vero qualescunque aut quaecunque epistolas aut testamenti vel conscriptionis de nomine meo manus meas firmatas ostensasque fuerint, et ante hoc testamentum praenotatas, quas hic non commemoravero, excepto de ingenuitates quas pro animae meae remedio fecimus aut adhuc facere volumus, vacuas permaneant; et quod unicuique per hoc testamentum dedero darique iussero, id ut faciat detur, praestetur, impleatur, te omnipotens Deus testem committo. Quapropter dum non habetur incognitum qualiter dispensante Deo ad habendum vel possidendum loca Sanctorum illorum de rebus meis propriis delegavi in perpetuum ad possidendum, dedi quoque ad basilica illa, portiones meas atque denominata, id sunt illa quicquid in ipsa loca superius nominata habere videor, totum et ad integrum ad basilicas superius nominatas proficiat in augmentum. Illas vero cessiones quas ad libertos nostros illos ad eorum ingenuitates confirmandas fecimus, id sunt ille et ille, quando ipsos pro animae nostrae remedium ingenuos dimisimus, ut dum advivunt hoc teneant et post eorum discessum cum omni superposito ad iamdicta Ecclesia Sancti illius, ubi eis patrocinium et defensionem constituimus, revertere faciant. Volumus enim ut ingenuos quos fecimus aut in antea fecerimus, quanticunque in ipsa loca manent quod ad sancta Ecclesia illa delegavimus, inspecta eorum libertate super ipsas terras per ingenuos commanent, et aliubi commanendi nullam habeant potestatem, sed ad loca sancta debeant sperare, et nullus de ipsis lidemonio ad nostros heredes nullatenus reddant; et de hoc quod aliquibus eis per chartas dedimus, nullatenus aliubi vendere nec alienare habeant licentiam. Similiter donavimus donatumque in perpetuum esse volumus ad Monasterium illum, ubi venerabilis Abbas ille praeesse videtur, villas illas in pago illo cum omnibus adiacentiis vel appendiciis earum, quantumcunque ibidem tenere vel possidere videmur, per qualibet adtracto ad nos pervenit aut legibus venire debet, totum et ad integrum cum omni superposito à die praesente in honore Sancti illius vel Abbati illi tradimus ad possidendum, cum domibus, aedificiis,

mancipiis, accolabus, libertis tam ibidem oriundis quam aliunde translatis vel ibidem commanentibus, vineis, silvis, campis, terris cultis et incultis, pratis, aquis aquarumque decursibus, cum exio et regresso, omne genus pecodum tam maiore quam minore, mobilibus et immobilibus, omnem rem inexquisitam, tam aurem quam argento vel reliquas fabricaturas, tam ministeria Ecclesiae vel strumenta chartarum, libros vel vestimenta Ecclesiae, vel omni praesidio quod mihi Legibus vivens possidere videor et mihi redibetur, et quicquid dici aut nominari potest, totum et ad integrum ad iamdicto Monasterio Sancti illius proficiat ad augmentum, inspecto illud strumento quod antea ad iamdicto Monasterio fecimus. Praeter ista omnia reservamus in Falcidia heredibus nostris villas illas in pago illo, in ea ratione ut facta mea in omnibus studeant conservare atque defendere. Quod si hoc facere neglexerint, quicquid eis deputavimus perdant, et de omni corpore facultatis meae penitus reddantur extranei. Et si aliquid comparavero, aut ex parentibus meis mihi obvenerit, vel adtraxero, vel per quolibet ingenio ad nos pervenerit, quod in ipso testamento supra non commemoravimus, post nostrum discessum casa Sancti illius per Rectores suos recipiat perpetualiter ad possidendum. Per praesentem testamentum basilicam Sancti illius heredem meam instituo, et quicquid unicuique deputavi, fidei tuae committo; quia haec quod tibi deputavi malo te habere quam me, te magis quam caeteris heredibus ac proheredibus meis. Si quis vero, quod futurum non esse credo, si aliquis heredum ac proheredum meorum, vel quislibet opposita persona praesentem testamentum meum infrangere conaverit vel tentare praesumpserit, in primis usque dum veram emendationem proinde corrigatur, Deo et Sanctis suis habeat contrarios, et à liminibus Ecclesiarum efficiatur extraneus, et insuper inferat ei cui pulsaverit una cum socio fisco auro libras coactus exsolvat, et nihilominus praesens pagina firma permaneat, quam manu mea propria subter firmavi, et bonorum hominum signis vel allegationibus roborandam decrevi, stipulatione. Actum loco illo.

Item aliud testamentum ad locum sanctum.

XXIX. ***** mansus et peculiare seu merita eorum praeter tantum illa et illa loca, ad legitimos heredes servo. In reliquo vero ego iamdictus ille quantum superius est insertum vel comprehensum, omnia et in omnibus, quicquid dici et nominari potest, ad suprascripto Monasterio eiusque congregatione in alimento seu in stipendia seu substantia pauperum ad die praesente dono, cedo, tra-

do, atque transfundo, ut quicquid omnia supermemorata pars ipsius Monasterii eiusque Rectores facere elegerint, liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem, libero arbitrio. Licet vero in cessionibus minime est necesse poenam inserere, sed tamen pro rei totius firmitate mihi complacuit intimare si fuerit, quod nec fieri credo, aut ego ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus aut proheredibus meis, vel quislibet potens aut inferior vel emissa persona qui contra praesentem epistolam donationis, quam ego plena et devota voluntate fieri et adfirmare rogavi, venire aut eam infrangere tentaverit, aut aliqua calumnia aut repetitione vel refragatione insurgere aut opponere conatus fuerit aut praesumpserit, in primis tantum quantum ipsas res eo tempore melioratas valuerint, contra cui pulsatur seu partibus iamdicti Monasterii componere et satisfacere adimpleatur, insuper una cum socio fisco aurum tantum coactus exsolvat, et sua repetitio nullo umquam tempore non obtineat effectum, et haec donatio omni tempore inlibata permaneat, stipulatione subnixa. Actum in loco illo.

Confirmatio traditionis ad Monasterium.

XXX. Notitia locum traditionis qualiter vel quibus praesentibus, qui subter firmaverunt, ubi veniens homo alicus nomen ille vocatus Monachus ad illas quod ille ante hos annos per suam epistolam donationis ad Monasterio illo, quod est in honore Sancti illius, ubi ille Abba una cum Congregatione Monachorum praeesse videtur, iamdictus ille in villa illa qui vocatur illa, et ad praesens fuit, et per unamquamque villas et loca per singulas per portas et per ostia de ipsas villas vel de illas casas dominicatas iam praefatus ille ad Misso de ipso Monasterio vel ipsius iamdicti Abbatis illius nomen ille, omnia quantum in illa epistola donationis est insertum vel comprehensum, in omnibus tradidit et consignavit et cum de ipsas res in omnibus vestrum et pillo et fistuca exinde in omnibus se exitum dixit et fecit. His praesentibus actum fuit.

Qualiter parentes filios suos offerant in Monasteriis.

XXXI. Dum legaliter sancitum antiquitus teneatur et cautum cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini feliciter servituros, proculdubio hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter praebetur exemplum. Æquum etenim iudico creatori nostro de nobis reddere fructum. Idcirco hunc filium nostrum nomine ill. cum oblatione in manu atque petitione altaris palla manu mea involuta ad nomina Sanctorum quorum hic Reliquiae continentur, et Abbate praesente, trado coram testibus regula-

riter permansurum, ita ut ab hac die non liceat illi collum de sub iugo regulae excutere, sed magis eiusdem regulae fideliter se cognoscat instituta servare et Domino cum caeteris gratanti animo militare. Et ut haec nostra traditio inconvulsa permaneat, promitto cum iureiurando coram Deo et Angelis eius quia nunquam per me, nunquam per suspectam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi de Monasterio tribuam occasionem. Et ut haec petitio firma permaneat, manu mea eam subter firmavi. Isti sunt testes.

Promissio stabilitatis in Monasterio.

XXXII. Ego ille initio conversationis meae diligenter adtendens considero quod petitionibus meis primum non facilis concessus est introïtus, sed diu mihi pulsanti vix hospitii locus est misericorditer adtributus; in quo per paucos dies demoratus, noviciorum sum domum progressus; in qua mihi dura et aspera primum à Seniore sunt praedicata, et stabilitatis meae promissio expetita, et ter in anno lecta atque tradita regula cum admonitione dicentis: Ecce lex sub qua militare vis. Si potes observare, ingredere. Si non potes, liber discede. Hoc erga videns, ordinatissimum atque morosum mihi spatium adtributum dubitans aditum praetermisso ut me iam vestro corpori sociare dignemini humiliter deposco. Ego tamen huius regulae instituta, Domino iuvante, servare promitto, et propter vitae aeternae praemium coram Deo et Angelis eius humiliter militaturum subicio, ita ut ab hac die non mihi liceat collum de sub iugo excutere regulae, quia sub annali optione aut excusare licuit aut suscipere. Et ut haec professionis meae petitio à vobis firmiter teneatur, ad nomina Sanctorum quorum hic Reliquiae continentur et praesentis Abbatis ill. conscriptam trado in perpetuum habendam, et manu mea roboratam super altare repono perenniter reservandam.

Ego ille promitto stabilitatem meam et conversionem morum meorum et obedientiam secundum regulam sancti Benedicti coram Deo et Sanctis eius.

Petitio quam ante votum Monachi quislibet facere debet.

XXXIII. Domino venerabili in Christo Patri illo Abbati de Monasterio illo, qui est constructus in honore Sancti illius, simul cum felici Congregatione vestra, quam Dominus de diversis provinciis ad peregrinandum propter nomen suum sub iugo militiae atque servitutis Christi atque ala protectionis secundum Evangelium Christi regulariter vobis coadunavit. Igitur audivimus quod Dominus noster

Iesus Christus per Evangelium suum adnuntiat dicens: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest esse meus discipulus.* Et alibi: *Qui reliquerit patrem aut matrem, fratres aut sorores, domus aut agros, et caetera propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Petimus ergo beatitudinem caritatis vestrae ut nos in ordine Congregationis vestrae dignemini recipere, ut ibidem diebus vitae nostrae sub regula beati Benedicti vivere et conversare debeamus, quatenus suave iugum Christi et onus eius leve sentiamus. Igitur nostra fuit petitio et vestra decrevit voluntas id ipsum implere. Quod ita fecistis. Abrenuntiamus ergo omnibus voluntatibus nostris propriis, ut Dei sola voluntas fiat in nobis, et omnibus rebus quas possidemus, sicut Evangelica et regularis traditio edocet. Nihil rebus terrenis ab hac die possessuros nos spondimus, nisi quantum à Patre Monasterii donante aut permittente alimenta aut tegumenta corporis acceperimus. Obedientiam vobis, in quantum vires suppetunt, Dominus dederit nobis adiutorium, conservare promittimus. Stabilitatem conservationis nostrae in congregatione vestra teste Domino, devoto animo cum observatione regulae usque in finem profitemur servare, nisi tantum, quia ignoramus futura, si fortasse causa utilitatis animae accedat ut per vestrum comiatum discedamus, aut etiam illud si contra voluntates nostras, quod absit, separemur à principibus vel à barbaris; et ipsum si fuerit factum, in quantum possumus, semper ad ipsam congregationem revertere faciamus, et sub sancto ordine perseveremus. In reliquo vero per nullum ingenium de praedicta congregatione vestra vel iugo sanctae regulae seu de potestate obedientiae vestrae nullam habeamus licentiam nos abstrahendi aut contradicendi. Quod si instigante antiquo hoste aut voluntate nostra propria hoc facere tentaverimus, in nullis modis hoc vindicare valeamus, sed ubicunque nos Missus vester aut aliquis ex congregatione vestra invenerit, etiam nobis nolentibus, in ipsa vestra sancta congregatione, Deo auxiliante, per vosmetipsos faciatis revocare et secundum regulam ibidem nos diiudicare, ut diebus vitae nostrae sub divina regula et regimine vestro perseveremus; qualiter in die iudicii ante tribunal aeterni Iudicis, ipso adiuvante, salvos nos repraesentare possitis. Et quicunque contra hanc petitionem, quam nos bona voluntate scribere rogavimus et subter firmavimus, per quemlibet modum agere aut infrangere voluerit, in primis sciat se à Deo damnandum, quem irritat, et insuper secundum canonicam institutionem à communione omnium Fratrum sit extraneus usquequo de hac causa ad veram emendationem perveniat. Manus nostrae subscriptione ad honorem

Domni et patroni nostri Sancti illius hanc petitionem volumus roborare.

Ipsa promissio.

XXXIV. Ego ille, Domne Abba ille, obedientiam vobis secundum regulam sancti Benedicti, iuxta quod in ista petitione continetur, quam super istud altare posui, coram Deo et Sanctis eius, in quantum mihi ipse Deus dederit adiutorium, Deo et vobis promitto custodire, et in quo possum, ipso auxiliante, conservo. Amen.

Exemplar promissionis sicut solebant antiqui Monachi regulam promittere.

XXXV. In nomine Domini. Promitto me ego ille in sacro monasterio beati Martyris sive Confessoris illius secundum instituta beati Benedicti coram Deo et sanctis Angelis eius, praesente etiam Abbate nostro illo, omnibus diebus meis in hoc sancto Monasterio amodo et deinceps perseveraturum et in omni obedientia, quodcunque mihi praeceptum fuerit, obediturum. Ego ille hanc promissionem à me factam manu propria coram testibus scripsi et roboravi.

Indiculus pro Monacho qui fugerit de Monasterio.

XXXVI. Domino illi ille. Suggerentes Sanctitati vestrae, certi de vobis quia veritatem animosa pietas non recusat, nec fides recta aliquando patitur quamcunque iacturam. De caetero cognoscatis quod noster frater ille, qui in Monasterio nobiscum fuit nutritus, tonsuratusque est, obedientiam coram Deo et Sanctis eius ac stabilitatem promisit, atque in nostro Clericatús officio ipse ordinatus est, hoc ipsum oblitus discessit à nobis et rediit post Satanam sicut reverti solet canis ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti, et nunc honorem seculi diligens, divitiis ac terrenis rebus sectans, vobiscum degens. Vos tamen scitis quicquid sacrum divina lumina verbis, eloquio sensuque docent, quod nemo mittit * manum in aratro, aspiciens retro, aptus est regno Dei. Nec vobis latet quid facere Canones de hac re commendent, vel regula atque tractatores Sancti exposuerunt. Haec enim vos cuncta relegentes, memoriter retinetis quod animo sitienti bibistis. Nam sancta Synodus Nicaena ordinat ut si quis in Monasterio nutritus usque ad summum studium fuerit, et postmodum discesserit, nisi revertatur, desertoris crimine damnetur. Et iterum: *Si quis susceperit Monachum alienum, ambo excommunicandi sunt.* Canones vero Chalcedonenses ita praecipiunt, ut Monachus in oratione et ieiunio permanet in loco in quo renuntiavit seculo. Deserentem vero excom-

municatum esse decreverunt. Canones autem Agathenses ita pronuntiant: *Monachum nisi per Abbatis sui permissum, ad alterum Monasterium migrantem nullus tenere praesumat.* Canones vero Augustidunenses ita statuunt, nullus Monachum alterius absque permisso Abbatis sui praesumat retinere. Regula namque sancti Benedicti, quam ipse promisit in omnibus custodire, ita edisserat: *Sciens se lege regulae constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio nec collum excutere de sub iugo regulae.* Et paulo post: *nec ex illa die proprii corporis potestatem se habiturum sciat.* Quid multa replicem? Vos sensibus doctis utimini. Nec mihi pluribus verbis opus est vobis scribere. Quaecunque enim à me potuerunt dici, haec iam divina gratia vobis contulit. Oportet namque ut doctrinae iungatur vita fidelis. Agnosci gravius non observanda nocebit. Vos autem secundum datam à Deo vobis sapientiam facite eum ad locum unde exivit reverti, ut agat poenitentiam. Scientes autem quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius à morte, et operit multitudinem peccatorum. Nec vobis decet hominem perverso ambulantem secundum desideria cordis sui auxilium praestare ut magis ac magis eat in interitum. Sed auferte malum ex vobis: quia qui tangit picem, coinquinabitur ab ea. Et nec abscondere potest homo ignem in sinu suo ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas ut non comburentur plantae eius; sic qui consenserit iniquitatem non erit mundus. Isti, qui excommunicatus est, nolite ei communicare, ne bonorum vestrorum praemia amittatis; sed cum sanctis Patribus, qui huiuscemodi hominem excommunicaverunt, partem habere mereatis. Et ubicunque fuerit, Abbati suo auctoritate Canonum revocetur. Canon Chalcedonensis: *Non liceat Clericum conscribi simul in duabus Ecclesiis, et in qua ordinatus est, et ad quam profugit quasi ad potiorem, ob inanes gloriae cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad Ecclesiam in qua primitus ordinati sunt, et ibi tantummodo ministrare. Eos vero qui ausi fuerunt ex his quae sunt prohibita perpetrare, à proprio gradu recedant.* Et ne quis Clericus qui derelicta Ecclesia sua, nulla causa existente probabile, vagatur, per alias Ecclesias suscipiatur in communionem. Canon Aurelianensis. Ministri in quibuscunque locis ordinati fuerint, pervagati, ubicunque inventi fuerint, cum auxilio Episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur. Et reum se ille Abbas futurum esse cognoscat qui huiusmodi personas non regulari animadversione distrinxerit, vel qui Monachum suscepit alienum.

Qui Monasterium in proprio aedificat, qualiter chartam faciat.

XXXVII. Antiqua Legum auctoritas et Principum decreta sanxerunt ut unusquisque, dum manet in corpore, de propria quam possidet facultate voluntatem suam literis inserat, ut perennis temporibus inviolata permaneat. Quapropter dum non habetur incognitum qualiter ego ille una cum consensu Galliarum Pontificum in re mea propria, quae ex successione parentum meorum mihi obvenit, Monasterium in honore Sancti illius aedificavi in loco nuncupante illo, in pago illo, in fine illa, et constituimus ibi Abbatem nomine illum, qui ibidem sanctum Ordinem, Deo auxiliante, gubernare faciat et suis Monachis ibi constituat, et per eius ordinationem ipse sanctus Ordo perpetualiter sit institutus et conservatus. Propterea donamus et donatum in perpetuum esse volumus ad iam nominato Monasterio Sancti illius vel ad Abbate illo ipsum locum ubi ipse Monasterius est constructus, cum omnibus adiacentiis et appendiciis suis et locella seu colonicis in villas illas in pago illo. Ista omnia quae superius memoravimus, cum omnibus adiacentiis vel appendiciis eorum, quantumcunque ibidem tenere vel possidere videmur per quolibet adtracto, totum et ad integrum cum omni supraposito ad die praesenti in honore Sancti illius pro remedium animae meae vel aeterna salute dedimus, cum domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, libertis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, strumenta chartarum, libris, vel vestimenta, seu Ministeria Ecclesiae, mobilibus et immobilibus, omnem rem inexquisitam, quicquid dici aut nominari potest, totum et ad integrum ad suprascripto Monasterio vel iam dicto Abbati cum Monachis suis perpetualiter, protegente Domino, tradimus ad possidendum. Et dum omnes Praesules et nobiles personae agnoscunt et comprovincialibus nostris cognitum est quod ego ille in mea re propria iam nominatum Monasterium aedificavi vel coenobiolo sancto ibi constitui propter Deum, vel quicquid exinde facere volo, praesenti tempore in omnibus mihi maneat libera potestas, propterea per praesentem paginam cum cousensu supra memoratorum Pontificum constituo ut nullus Episcopus alius civitatis, aut Archidiaconus vel quilibet ex clero, aut actores Ecclesiae, nullum ibidem praesumant exercere dominatum, non ad mansionatieos aut repastos exigendo, non ad ministeria describendo, non ad Abbatem mittendo. Cum vero necesse fuerit chrisma petere, tabulas aut altaria consecrare, sacris ordinibus benedici, Abbas vel Monachi ibidem consistentes, à quocunque de

sanctis Episcopis sibi elegerint qui hoc agere debeat, licentia sit eis expetere, et illi hoc benedicere vel consecrare. Si vero caritate exigente Pontifex quilibet ab Abbate loci illius ibi fuerit invitatus, simpliciter quae ei à fratribus offeruntur accipiat, nulla exenia vel munuscula amplius eis quaerat, neque de omnibus rebus ipsius Monasterii nullam habeat potestatem. Cum vero Abbas ipsius loci acceperit transitum, quemcunque de semetipsis Monachi ibidem habitantes secundum regulam sancti Benedicti meliorem invenerint, ipsum Abbatem ibidem constituant. Quod si ipsi de se ipsis talem non invenerint, cum communi consilio illi sanciores Monachi aliunde regularem Abbatem, qui eos sub regula sancti Benedicti regat, elegendum in eorum maneat potestate. Quod vero Deus avertat, ne ibi sanctus Ordo tepescat, et ipse Abbas hoc emendare non praevalet aut negligit, potestas maneatur ipsis Monachis ubicunque in propriis Monasteriis rectius et sanctius secundum regulam sancti Benedicti invenerint, expetere, et per eorum salubre consilium ipsum sanctum Ordinem regulariter emendare. Quod si Pontifex vel aliquis ex ecclesiasticis Monasteriis quislibet vel aliqua emissa persona contra ipsum Abbatem vel eius congregationem de supradictis ordinibus vel benedictionibus vel de rebus meis propriis Monasterii per qualecunque strumento aut quocunque modo ad ipsam casam fuit vel inantea fuerit delegatum, additum, commutatum, vel concessum vel quicquid ad ipsum Monasterium vel ad eorum homines pertinet, aliquid calumniare aut inquietare vel per quodlibet ingenium minuare tentaverit, à glorioso Domno, quem tunc Deus regnum Burgundiae gubernare permiserit, hoc protinus emendetur. Precor igitur glorioso Domno qui est temporibus modernis, et futuris successoribus (quibus) Deus regnum Burgundiae gubernare permiserit, et per Dei tremendum iudicium adiurare praesumo ut praesentem paginam vel facta mea ex iamdicto coenobiolo meo sua fortitudo contra omnem adversitatem pro mercede sua post Deum iubeat defensare atque solidum in omnibus custodire, ut nullatenus ab infestatione malorum hominum possit inrumpi, sed delectet ibidem Abbati vel Sacerdotibus seu Monachis ibidem consistentibus pro vita ipsius et filiorum eius vel exercitu et omni populo catholico quieto ordine Dominum supplicare. Si quis vero.

Qualiter privilegium condatur.

XXXVIII. Dominis apostolicis praesentibus temporibus et futuris, quicunque sub fide catholica pastorali sectantur officia, ille Episcopus Christi humilis. Opportunum est etiam ut Deum timentes propter ventura futuraque iu-

dicia diligentibus Deum bonum operare, quatenus qui Pontifex vocatur in populo, timentibus Deum succurrat affectus; ut qui seculum calcant et Christo servire desiderant, per consensum Pastoris quieti ab omnibus infestationibus vivant. Quapropter dum non habetur incognitum qualiter Monasterio in pago illo, qui dicitur ille, quem illuster vir ille in alode proprio construxit, et pro totius defensionis studio per suam epistolam ad praecellentissimum Domnum Regem Burgundiae ipsum Monasterium aspicere decrevit, ut communis mercis illius pro fundamento et regale clementia pro defensionis auxilio crescat apud Deum, et nobis iamdicto Domno glorioso Regi illo opportunum est petere ut privilegium Monachis ibidem habitantibus deberemus largire, ob hoc maxime quia solet contingere ut morientibus religiosis Episcopis, pastoralem locum suscipiant seculares, et res quae pauperibus fuerunt condonatae magis per Gasindos quam per Sacerdotes dispergantur, et ecclesiastica vita neglecta conlata bonorum magis per venatores et canes, et quod est gravius, per meretrices expendantur, vel religionis norma distructa levitate laicorum secularia iniuste consentiantur, et per eorum iniqua consilia Monachorum vitam conturbare praesumant. Propterea ergo ab hac parte semper Christo propitio director edirigentes communi voluntate ille Episcopus et caeteri consensimus ut in eis privilegium claro animo confirmaremus. Statuentes ergo iubemus sub testimonium sanctae Trinitatis et pretium sanguinis Christi coram Deo et Angelis atque Archangelis ut de praedicto Monasterio illo vel quicquid ibidem tam regio munere quam privatorum vel quibuslibet rebus atque corporibus est conlatum aut inantea conlatum fuerit, ut nullam exinde Episcopus civitatis illius habeat potestatem, neque Archidiaconus illius, vel Ministri et Actores Ecclesiae, aut quislibet ex Clero in rebus praedicti Monasterii nullum praesumat habere principatum in nullam omnino rem quod dici aut nominari potest, non pro pasto exactandum, non pro mansionaticos requirendum, non pro totius omnino re repetendo, non pro Abbatem constituendo, non pro ministeria discribendo, non pro altaria aut tabulas consecrando, non pro sacros ordines dedicando, illius civitatis Episcopus nullum ibidem praesumat habere accessum, nisi fortasse per communem consensum Abbas vel ipsa congregatio eum caritatis gratia pro sanctae vitae meritis crediderit evocandum. Et si fortasse ab eis fuerit evocatus, non hoc in consuetudine vertat, nec munera exinde requirat, sed simpliciter quae à fratribus sibi fuerint oblata, et expleto caritatis officio ad propria, sicut de reliqua Regis domo, cum pace disce-

dat; quia dignum est ut quod Rex huius seculi cum suis Proceribus pro commune salute voluit esse constructum, sub integro privilegio sit in perpetuum à calumniandi occasionibus conservatum. Confirmamus igitur iure perpetuo ut cum Abbas ipsius coenobii de hac vita migraverit, quemcunque sibi Monachi ibidem habitantes secundum Deum elegerint, absque ullo arbitrio civitatis ipsius antestitis ipsi sibi Monachi Pastorem instituant, qui eorum sacrum Ordinem instanter adtentat. Cum vero fuerit opportunum Ecclesiam dedicare, aut sacros ordines benedici, vel tabulas consecrare, quemcunque de religiosis Episcopis Abbas ipse vel Monachi sibi voluerint invocare, in eorum maneat potestate. Et si, quod absit, ibi Ordo sanctus tepescat, et Abbas Monasterii hoc per se emendare neglexerit, aut etiam ipse cum Monachis Statuta regularia servare contempserit, etiamsi vix pauci videantur de Monachis quorum religio in Christo proficiat, potestas illis maneat quemcunque sibi elegerint de proximis Monasteriis quem rectius et sanctius secundum regulam sancti Benedicti invenerint expetere, ut eorum salubri consilio studeant sanctum ordinem revocare. Statuimus etiam mulierum accessus intra portas Monasterii nullatenus fiat. Si quis itaque constitutionem praesentem pro quocunque conludio mutare conaverit, reus omnipotenti Deo effectus à pace Christianorum omnium habeatur extraneus, et indissolubili anathematis vinculo vinctus sortem damnationis Iudae proditoris incurrat. Quod privilegium ut in perpetuo tempore conservetur, stipulatione subnixa, manu propria.

In Dei nomine. Incipit epistola quae formata dicitur sive commendatitia.

XXXIX. Reverentissimo atque religiosissimo et à nobis cum summa veneratione nuncupando illi Episcopo ego ille extremus sub pontificali officio Deo famulantium perpetuam in Domino Iesu opto salutem. TTA. TAA AAI. DLXXV. Praesens frater noster ille petiit ab extremitate nostra licentiam ad vestram almitatem proficiscendi, atque vobiscum sive cum vestris habitandi. Cui et nos benivola mente et fraterno affectu, non solum ei copiam ad vos veniendi non negavimus, verum etiam ut à vobis sive à vestris gratifice suscipiatur exposcimus. Et si vobis placuerit ut aut in gradu quem modo tenet sacris altaribus ministret, aut ad altiorem gradum promoveatur, nostro sive nostrorum testimonio suscepto, id ei facere liceat; quippe qui nihil in eo tale noverimus quo id faciendi ei licentia denegetur. Bene namque in Ecclesia in qua hactenus fuit educatus, bene conversatus, hoc nobis de se sive de sua

vita ostendit, ut in quantum humana fragilitas scire postest, administratione sacrorum ministeriorum non sit indignus. Nos itaque, ut homines divini sensus inscii, et arcanorum ignari, praebemus de fratre quale scimus testimonium. Deus est enim quem occulta non fallunt, et qui omnium secreta rimatur, iuxta illud: *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Has ergo litterulas ideo illi petere et nobis facere libuit ut ille non solum pro profugo aut abiecto non habeatur, verum etiam nostrae humanitatis et caritatis commendatione à vestra fraternitate libentissime suscipiatur. AMHN. XCVIII. Salus aeterna, quae Christus est, et in hoc praesenti tempore vobis longaevam salutem et in futuro cum Sanctis et Electis sempiternam largiri dignetur. Amen. DCXCIV.

Item alia.

XL. In nomine Patris Π et Filii Υ et Spiritus Sancti A. Ille Episcopus venerabilibus Praesulibus illis carissimis nobis patribus et confratribus pacem omnem et salutem sempiternam. Audientes praesentem Ecclesiae nostrae filium illum, in eadem quoque natum, nutritum, atque eruditum, et usque in Presbyterii dignitatem à nostro praecessore provectum, vobis vestraeque Ecclesiae necessarium esse et utilem, mutua caritate et fraterna compassione destinamus eum vestrae paternitati, ut in omnibus, sicut ex vestris uno, illo quoque utamini in Christo, hoc scientes, quia nullius malae famae apud nos usque nunc fuit, vita honestus, moribus simplex. Scientia quidem non extollitur à nobis: quia nec potest Homerica, sed, ut ita dicamus, ut in pluribus non civilibus sed exterioribus vulgo egonica. Et quia non divisa, sed unica est Ecclesia Christi, non multiformis, sed concors, inter nos etiam quaedam familiaritas prae aliis familiaritatibus animata, decet omnino ut et vos utamini nostris ut vestris, et nos vestris ut nostris. Haec omnia invicem agamus in Christo Iesu Domino nostro. Et ut hae nostrae humilitatis litterae de praefato fratre vestrae caritati missae non fictae, sed fixae, non ventosae, sed firmae comperire valeant, Graecos apices, quos Ecclesiasticus mos in huiusmodi rebus agendis decrevit, constituit, et obtinuit, subter addere cum numeris ad se pertinentibus curiose decrevimus, hóc est, primos quos iam superius posuimus Patris Π, Filii Υ, Spiritus Sancti A, qui exprimunt numerum octogenarium quadringentesimum et primum, Petri quoque Apostolorum principis primam Π, qui habet numerum, ut iam dictum est, octogenarium. Nostri quoque nominis primam, vestri secundam, accipientis tertiam, nostrae quoque civitatis, de

qua scribitur, quartam, et vestrae, ad quam scribitur, quintam, Indictionis quoque praesentis anni numerum, et summam utriusque numeri. Addidimus praeterea seorsum in conclusione epistolae universa praefata, claudentes nonagenarium et nonum numerum, qui, secundum Graeca elementa, significat [AMHN,] Orate pro nobis orantibus pro vobis. Amen.

Item adhuc alia.

XLI. Clarissimo in Christo atque sanctissimo fratri illo Episcopo itemque ille indignus Archiepiscopus in Domino salutem optat. Praesens denique Presbyter ille nomine ad nostram confugit exiguitatem, nobis rememorans qualiter antecessor noster Domnus Ioseph eum ordinavit per deprecationem Fredegisi Abbatis in titulo sancti Martini in villa quae dicitur illa, et recordans quod nos in ipso die suae ordinationis eum inquisivimus. Ideo ad vestram misimus ipsum prudentiam, ut in vestra illi licitum sit suum peragere parrochia officium. Et ut certius credatis à nobis ipsum ordinatum, hanc epistolam, quam Formatam dicimus, concludimus eo tenore ut credimus à sanctis Patribus constitutum esse, id est, primam litteram Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut in nomine ipsius condita conservetur. Item primam litteram Petri ponimus, qui primus Apostolorum fuit, quae, ut transtulimus, LXXX. significat. Ponimus ad nostrorum nominum litteras loci quamvis diversorum ordine tamen ut constitutum est, id est, me indignum primam litteram, vestri gloriosi secundum, tertiam civitatis nostrae de qua mittitur, quartam vestrae urbis ad quam mittimus. Addidimus Indictionem quae est. AMHN. Quod nonagenarium nonum numerum exprimit. Valete in Domino.

Item adhuc alia.

XLII. Reverentissimo almifluaeque Religionis cultu sincerissimo sanctae illius Sedis Archiepiscopo vel Episcopo Adventius reverendae Mettensis Ecclesiae ac Plebis ipsius humilis famulus in Christo pastorum Principe mansuram cum gaudio prosperitatis et perpetuitatis gloriam. Decreta sanctorum CCCXVIII. Patrum Nicaea constitutorum saluberrima servantes, Deo dignam piamque fraternitatem vestram canonice aggredimur, et sub nomine formatae epistolae reverenter vestram Sanctitatem adimus, vobis videlicet intimando quia praesenti Presbytero vel Diacono seu Subdiacono nomine ill. has dimissorias dedimus litteras, quem in nostra Diocesi ecclesiastice educatum de ordine Clericatus ad illum proveximus gradum, ut his canonicis munitus apicibus, cum nostra licentia ei in vestra parochia

sub defensione ac regimine vestrae carae dilectionis degere liceat, et ut eum, si morum probitas et doctrinae dignitas suppetit, ad ecclesiasticos ordines promoveatis fideliter annuimus, et in sinu sanctae matris Ecclesiae canonice fovendum ac regendum committimus. Hanc ergo epistolam Graecis litteris hinc inde munire decrevimus, et anulo Ecclesiae nostrae bullare censimus. Christus Pastorum Princeps fraternitatem vestram ad custodiam sui gregis diu nobis conservet incolumen. Amen.

Exemplar libertatis.

XLIII. Auctoritas ecclesiastica patenter ammonet, insuper et maiestas regia catholicae religioni assensum praebet, ut quemcunque ad sacros ordines ex familia propria promovere Ecclesia quaeque delegerit in praesentia Sacerdotum, Canonicorum simul et nobilium Laicorum, eius cui subiectus est subscriptione vel manuscriptione sub libertatis testamento solemniter roboretur. Idcirco ego Adventius, annuente Christo, sanctae Mettensis Ecclesiae Episcopus, quendam Ecclesiae nostrae famulum nomen ill. sacris ordinibus oblatum altaris cornu nobilium virorum in praesentia per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die et tempore bene ingenuus atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis fuisset parentibus procreatus vel natus, eandemque pergat partem quamcunque volens canonice elegerit, ita ut deinceps nec nobis neque successoribus nostris ullum debeat noxiae conditionis servitium. Sed omnibus diebus vitae suae sub certa plenissimaque ingenuitate, sicut alii cives Romani, per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulum bene semper ingenuus atque securus existat. Suum vero peculiare quod habet, aut quod abhinc assequi poterit, faciat inde secundum canonicam auctoritatem libere quicquid voluerit. Et ut haec ingenuitatis pagina inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria illam roboravimus.

I S O N I S
MONACHI SANGALLENSIS FORMULAE.

Traditio ad Monasterium.

XLIV. Humano genere peccatorum maculis sauciato atque ob culpam inobedientiae à Paradisi gaudiis deiecto, inter cetera curationum medicamenta etiam et hoc Deus mundo remedium contulit ut propriis divitiis homines suas animas ab inferni tartaris redimere potuissent, sicut per Salomonem dicitur: *Redempti animae viri, propriae divi-*

tiae eius. Hinc et per semetipsam divina clementia in Evangelio hortatur dicens: *Date, et dabitur vobis.* Et iterum: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* His igitur atque aliis Scripturarum ammonitionibus ego Wolfhugi compunctus trado atque transfundo ad coenobium sancti Galli, ubi Grimaldus Abbas praeesse dinoscitur, quicquid in pago Turgauvensi in loco Rammisperage nominato proprio sudore Staricholfus adquisivit, et cum manu Advocati sui Richmari ad praedictum coenobium contradidit, mihique et legitimae meae procreationi sub ea ratione possidendum dereliquit ut censum exinde annis singulis persolvamus, id est, duos denarios vel duos maldros de grano. Si autem ego illas redimere velim, cum uno solido id agam. Si vero ego illas non redimam, legitimi heredes mei sub praedicto censu eas possideant. Si autem hoc evenerit ut legitimi heredes mei deficiant atque in sua ingenuitate non permaneant integerrime, statim ad praedictum redeant coenobium perpetualiter possidendum, nullusque eas ulterius licentiam abstrahendi habeat, sed pro remedio animae meae necnon et Staricholfi semper illuc sint deligatae, cum pratis, pascuis, silvis, marchis, viis, aquis, aquarumque decursibus, cultis et incultis, mobilibus et immobilibus, quicquid dici vel nominari potest. Hanc autem Traditionem ideo ego facere volui quia illa prior traditio quam Staricholfus fecit, non perfecta nec litteris fuit mandata. Quod si ego ipse vel ulla opposita persona contra hanc traditionis chartulam venire tentaverit, auri uncias tres, argenti pondera quinque ad aerarium Regis coactus persolvat, et effectum quem inchoavit non perficiat, sed haec charta stabilis et firma permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum in ipso coenobio sancti Galli, praesentibus istis quorum hic signacula continentur. Signum Wolfhugi, qui hanc Traditionem fecit. Sig. Heitar † Amalunc. † Witigouvo. † Tagibreht. † Ricman. † Enno etc. Ego igitur Iso immerens Monachus rogatus scripsi et subscripsi. Notavi diem dominicum IV. Kal. Iun. anno XIII. regni Lodoico, sub Odalrico Comite.

Item alia.

XLV. Ego in Dei nomine illa cum manu Advocati mei nomine illo trado ad Monasterium Sancti illius mancipia totidem, quorum haec sunt nomina. Sed extra hos unum servum emptitium nomine illo. In ea videlicet ratione ut ea habeam tempus vitae meae, censumque annis singulis solvam, id est, tantum. Et si redimere voluero, cum tanto redimam. Illum vero supra nominatum servum nomine illo in eundem censum habeam tempus vitae meae.

Et si redimere voluero, cum tanto pretio redimam. Post obitum vero meum, si ante non redimero, omnia ad iamdictum Monasterium redeant perpetim possidenda. Si quis vero contra hanc chartulam traditionis venire atque inrumpere tentaverit, illa multa componat sicut in Lege Alamannorum continetur. Actum in illo loco publice etc.

Praestaria.

XLVI. Christi enim favente clementia, ille Abbas Monasterii illius Sancti.] Convenit una cum consensu fratrum nostrorum ut illa mancipia, quae nobis ille de illo loco tradidit, ei iterum per praestarium repraestaremus, quorum haec sunt nomina, illum et eius sobolem his nominibus, sed extra hos unum servum empticium, in ea videlicet ratione ut ea habeat tempus vitae suae, censumque annis singulis inde solvat, et si redimere voluerit, cum illo pretio redimat. Illum vero supra nominatum servum illum in eundem censum habeat tempus vitae suae : et si redimere voluerit, cum illo pretio redimat. Post obitum vero eius omnia ad supra dictum Monasterium redeant perpetim possidenda, si ante non redemerit. Actum in ipso Monasterio publice, praesentibus istis quorum hic signacula continentur. Signum Decani, Praepositi, Cellerarii, Sacratarii, Portarii, Hospitarii, Camerarii. Sig. aliorum testium. Ego itaque ille scripsi et subscripsi. Notavi diem illum, illa data, anno illo illius Imperatoris, sub illo Comite.

Vindicatio traditionis.

XLVII. Dum constet plurimis quod à quodam homine nomine illo Advocatus coenobii Sancti illius, pro rebus quas ille in illo loco sitas ad partem iamdicti Monasterii contradidit, frequenter pro illis rebus interpellatus est. Qua ex re utrinque complacuit atque convenit ut devitandae deinceps causa contentionis praefatae res, pro quibus nos et Advocatum nostrum interpellat, ad nos pleniter id est ad potestatem Monasterii redeant perpetim possidendae, accipiatque à parte eiusdem Monasterii aliquo territorium in confinio villae illius nomine nuncupata, hoc est, totidem iuchos, sub tali conventione ut etiam deinceps neutra ullam inquietudinem seu repetitionem moliatur. Quod si inchoatum fuerit, sic tunc pars alteri tantum culpabilis quantum expetit, et quod malo ingenio repetit evindicare non valeat, sed praesens conventionis chartula perennem obtineat vigorem, stipulatione subnexa. Actum in illo loco publice. Signum illius Abbatis et Advocati sui illius, qui hanc conventionis chartulam perpetraverunt. Sig. Decani, Custoris, Praepositi, Cellerarii, Portarii, Camerarii, Hospi-

tarii. Sig. aliorum testium. Ego itaque ille rogatus scripsi. Notavi diem illum, in illa data anno illo illius Imperatoris, sub illo Comite.

Charta commutationis.

XLVIII. Omne namque quod inter partes diversas bonis moribus sanisque consiliis fuerit diffinitum, necesse est propter iurgia futura subicienda succedentibus temporibus subscriptionis vinculo conligare. Sic itaque complacuit atque convenit inter illum Abbatem cum Advocato suo, seu coenobii illius, seu inter alios seculares inter illum et illum ut similas firmitates parique tenore conscriptas cambii sui emitterent. Quas et emiserunt. Ipsum autem cambium in easdem firmitatis emissiones nominatim visum est nobis inserendum. Deinde namque memoratus Abbas seu alius cum manu Advocati sui iamdicto homini illo in villa nuncupata Iuchos et de pratis ad carradas ad ius pertinens Sancti illius et accepit ab illo in villa nuncupata Iuchos et de pratis ad carradas, ea duntaxat ratione ut pars utraque acceptae ius cambitionis deinceps inconvulsum et inviolabile perennibus temporibus absque ullius inquietudine vel repetitione possideat; sicque pari diffinitione sanxerunt ut si pars quaelibet exin calumniam ingerere, hoc est, si aut memoratus Abbas, seu successores ipsius, sive iamdictus ille vel illius heredes aliquam repetitionem molire tentaverint, sit tunc pars parti tantum culpabilis quantum repetere praesumpserit, et in aerarium Regis auri uncias tres cogatur impendere, sed nihilominus praesens emissio cambii eius perpetim sui vigoris obtineat firmitatem, ita duntaxat si Imperatoris clementiae complacuerit. Actum in illo loco praesentibus istis. Signum illius Abbatis et Advocati sui illius. Signum illius Decani. Signum Praepositi. Signum Cellararii. Signum Custoris. Signum Portarii. Signum Camerarii. Signum Hospitarii. Signum aliorum testium. Ego itaque immerens Diaconus anno illo Imperatoris scripsi et subscripsi. Notavi diem illum, illam datam, sub illo Comite. Amen.

Constitutio dotis.

XLIX. Dulcissima coniux mea atque amantissima nomine illo, ego in Dei nomine ille. Sumpsit mihi consilium atque complacuit ut ego te mihi in coniugium accepissem. Quod ita et feci. Propterea dono tibi dotem, sicut nostris utriusque complacuit amicis tibi donare, in pago illo, in illo loco, in villa nuncupata, id est, rectam curtem cum saepe circumcinctam etc.

FORMULAE ARVERNENSES

ALIÆQUE

Ex duobus Codicibus Bibliothecae Colbertinae primum editae à clarissimo viro Stephano Baluzio.

———————— Nascuntur per hanc occasionem non perdant. Ob hoc igitur ego ille, et coniux mea illa commanens orbe Arvernis, in pago illo, in villa illa. Dum non est incognitum, qualiter chartolas nostras per hostilitatem Francorum in ipsa villa illa manso nostro, ubi visi sumus manere, ibidem perdimus, et petimus vel cognitum faciemus, ut quit per ipsas stromentas et tempora habere noscuntur possessio nostra per hanc occasionem nostrorum pater inter epistolas illas de mansos in ipsa villa illa, de qua ipso attraximus in integrum ut et vindedit ista omnia superius conscripta vel quod memorare minime possimus iudicibus brevis nostris spondiis incoloacionibus vel alias stromentas tam nostras quam et qui nobis commendatas fuerunt hoc inter ipsas villas suprascriptas vel de ipsas turbas ibidem perdimus et petimus ut hanc contestatiuncula seu plancturia per hanc cartolas in nostro nomine collegere vel adfirmare deberemus. Quo ita et fecimus ista principium Honorio et Theodosio Consilibus eorum ab hostio sancto illo castro Claremunte per triduum habendi vel custodivimus seu in mercato publico in quo ordo curiae duxerunt aut regalis vel manuensis vester aut personarum ipsius castri, ut cum hanc contestatiuncula, seu plancturia iuxta legum consuetudinem in praesentia vestra relata fuerit, nostris subscriptionibus signaculis subroborare faciatis, ut quo-

cumque perdiciones nostras de supra scripta per vestra adfirmatione iusta auctoritas remedia consequatur, ut nostra firmitas legum auctoritas revocent in propinquietas.

Gesta.

Unde ego te vir laudabilis illu. defensore meo necnon et vos honoratique cartas publicas agitis assidue oportet me curiae in hoc contestatiuncula, seu plancturia per triduum partibus foris pupblicis apensa vestris subscriptionibus vel signaculis subter faciatis adfirmare, ut quomodo mihi necessarium fuerit causella mea aut in praesentia dominorum vel iudicibus adversariorum meorum revocent in proquietas, per hocque contra hanc contestatiuncula, seu plancturia deponere percuravimus, ut quando volueritis et malueritis vel mihi necessarium fuerit, ut mos est, gestis municipalibus eam faciatis ablegare cum petitiones nostras, maximas vobis ex hoc gratias agere valeamus.

Mandato.

Mox iniunxit antiqua, principium iura decreta sanxerunt ut quicquid causas per inpigritia census aut femina sexus, vel corporamentisque fragilitatis res suas suorumque suarum gubernare minime possit cura electorum permittuntur. Ego illa femina dilectissimus filius meus illius et illius, rogo et iniungo vel supplico gratias vestras, ut de omnis causas meas vel negotiis meis, vel quicquid de alode parentorum meorum aut de atracto aut unde meae consotium suppetit, aut adversus me altercatio orta fuerit quicquo de heredibus meis dicit aut numorari potest vos damus et procuratoribus de omnes causas meas vel facultates meas tam terras seu et mancipia vel alias res meas quicquit dinumerare longum est tam in praesentia dominorum aut in quibuscunque provinciis, sive eante Comitibus vel iudiciaria potestate. Adsupta mea vice elegi et proponat aut quicquid in hac parte ex causa veritatis aut definieritis egeris gesseris veraci confirmatum adque finita in contra esse pubplicar. Sane si quis ego ipse aut ullus.

Hic habet gesta.

Arvernis aput vir laudabile illo defensore vel curia pubplica ipsius civitatis illa femina ait quaeso vobis optime defensor vel cura publica ipsius civitatis ut tu mihi quod dicis pubplicis prosequere praecipiatis ab eoque gestarum alegacio cupio roborare memoratus defensore dixit. Pateant tibi quod dicis per pubplicas quae obtas quia illa femina per hanc mandatum mihi iniunxit ut propter sollemnitatem lex scripturas adfirmatum ut à duobus arseri deberim et

haec mandatum quae in filius suus illus et illu ut sumpta sua vice cosscribere vel adfirmare rogaverunt de omnes causas suas sunt quod rectius superior abeatur scriptum gestis municipalibus adligare adque firmare deberet. Iam dictus defensor et ordo curiae dixerunt: ediec mandatum adseras debere nobis ostendit ad relegendum. Tunc unus ex Notariis ipso mandato in publico recitavit. Praefatus defensor dixit: Haec gesta quomodo est scripta nostros manibus roborata, quicquit exinde dicere vel numerare res illa aut nihil aliut ago haec gesta quomodo est scripta vestris roborata mihi sine mora tradatur. Ille defensor cum suis curialibus vel subscriptionibus manibus ipsa gesta tradiderunt vel consignaverunt.

Libertas.

In Dei nomine. Ego ille metuens casum fragilitatis, et dum fragilitas humanum genus pertimescit, ultimum vitae temporibus ventura oportet ut non inveniat unumquemque imparatum ne sine aliquis operis bonum respectum nisi homo dum suum iure et potestatem praepararet sibi viam salutis per quem ad aeternam beatitudinem valeat pervenire. Propterea vindictam habuit liberare ancilla mea nomen illa una cum fantes suos illus et illus, quem de alode visi sumus habere, de omni iugo servitutis meis pro peccatis meis minuandis ipsus praecipimus esse bene ingenuus et absolutus in pubplico, nam non in secreto, Arvernis civitatis, domum matris Ecclesiae sancto illo, ubi Christi nomen ille Episcopus Pontifex tunc tempore praeesse dignoscitur, ante cornu altaris, in praesentia, presbiteris, diaconibus, clericis, vel in praesentia plurimarum personarum qui ipsa manopa subter firmaverunt, de iugum servitutis meis pro peccatis meis minuandis, sicut iam diximus, quicquid persona aut religiosi deorum mancipia data libertate conferre voluerit, secundum legem Romanam hoc facere potest, id est Latina dolitia, et cives Romana, meliore statum habet testamentum condere testimonium perhibere, emere, vindere, donare, commutare habeat potestatem sicut et alii cives Romani, ut nullum nulle vel heredum ac proheredum nihil debeant servitio nec letimonium nec onus patronati nec nulla obedientia ipsius non requiratur, nisi eant et maneant ubicumque voluerint, portae apertae, cives Romanae se esse cognoscant. Defensionem vero tam Ecclesia vel omnem dium timentium ubicumque experire voluerint, licentiae tribuimus ad faciendum in omnibus quicquid voluerint. Et si de ipsus aliquid generatum fuerit, ingenui permaneant. Sane si quis.

Item absolutio.

Liberum esse credimus quod Christus per spiritum sanctum et baptismum lavacrum generavit bene convenit ut dimittentibus debita dimittantur peccata. Ego enim in Dei nomen ill. et coniux mea illa pro remedio animae nostrae vel pro aeternam retributionem absolvimus à die praesente servo nostro illo una cum infantes suos illus et illus, quae de alode parentorum meorum vel per cessionem extra consortium heredum eorum mihi obvenit, a die praesente remedium inveniat vos relaxamus, ut ab hac die sibi vivant, sibi agant, sibi laboret, sibi nutromenta proficiat, suumque iure commissas eum et intromissus in ordine civium Romanorum ingenuis se esse cognoscant, ut post ac die neque ad ullum heredibus meis servitius nec letimonius ne onus patronati, nec ulla obedientia eis non requiratur, nisi iant et maneant ubicunque voluerint porte aperte, cives Romana se esse agnoscant. Defensionem vero tam Ecclesia vel ominem Deum timentium ubicumque expetire voleritis libera et firmissima in omnibus habeatis potestatem ad hoc faciendum quicquid voluerit. Sane si quis.

Redempturium.

Domino ill. A pluris est cognitum qualiter ante hos dies investiganti parte adversus neglegentia pro culpa mea in custodia traditus sum et nullam habeo substantia unde me redimere debeam nisi tantum formam et statum meum, quem libero et ingenuo videor habere, et in servitio me pro hac causa debeam inclinare, et vos pietas domini imperavit ut pro ac causa me redemisti, ego vobis carta patrocinale de statum meum, quem ingenuo habeo, in vos conscribere vel adfirmare rogavi, ut posthac diebus vitae meae ex iure in servicio vestro debeam consistere. Unde me spondo vel subter firmavit ut contra praesente cartola patrociniale neque ego neque de herebus meis, ne quislibet ulla opposita persona prae ac die ambulare non debeamus; quod quid fecerit, componat vobis sociante fisco auri uncia una, et quod petit nihil valeat vindicare, et ubicunque me invenire potueritis, sicut et reliquos servos vestros, ita et me in vestro servitio faciatis revocare absque ullo contradicente stibulant stibulatur in omnibus sum.

Cessionem.

Quociens inter quascumque inienuis personis lex beneficium edocet ut quantumcumque persona de rebus propriis suis in alterius transferre voluerit, libera abeat potestatem ad hoc faciendum quicquit voluerit. Ob hoc igitur in Dei

nomen et coniuves mea illa dilectissimo amico nostro illo pro benevolentia vel servitia tua quae circa nos impendis sed in comea facere non desinis, propterea cedimus tibi cessumque in perpetuum esse volo, hoc est, de nostro iure in tua tradimus dominatione tradimus transferimus atque transfundimus, hoc est, manso nostro in pago Arvernico in iace illo, in villa illa, quae de alode vel de atracto ibidem vissi sumus habere, cum casis, tictis, aedificiis, adiacentiis, campis, pratis, vineis, silvis, aquis aquarumve decursibus, omnia et ex omnibus quantumcumque ad ipsus mansus aspicit aut aspicere videtur, tam inquisitum — — —

INCIPIT ALTER CODEX.

Litteris commendatitiis.

Notum sit omnibus in Christo Iesu religiosa vita degentibus ego quod ill. Abbati sancti — — sime congregationis Abba fratris nostri de illi petitionibus satisfaciens qui — — vitae consortio apud nos coniunctus esse videbatur, quoniam mores vel habita — — — ferre non valentes ad salubriora loca et sibi convenientia ei additum ad eundum — — — cessimus, eo duntaxat modo ut ille nobiscum absens corpore, tamen spiritu praesens — — — — sanctis orationibus coniunctus esse debeat, et fratrum nostrorum assidua ora — — Dominum pro eo cotidie interpellet. Nos enim et cuncti fratres nostri valde e — — — — maluimus. Sed viri eum eius minime ferre valentes, consul — — paterno affectu commoti, ad ea quae sui sunt corporis convenientia loca, ut diximus, adeundi concessimus. Idcirco nostrae humilitatis apices ei conscripsimus, atque subter firmavimus, ut quia apud nos aliquod temporis spatium conversare vedebatur, securus et adiutus in Domino et defensus ab omni iurgio per easdem litteras ubique in Domino securam vitam degere valeat, supplicantes omnes ad quos eum Dominus direxerit pro nostrae parvitatis memoria ipsum clementer suscipere dignetis.

In Dei nomine. Domno et fratri et in Christo filio carissimo ill. viro venerabili et Abbatum — — — indignus Episcopus in Domino sempiternam salutem. Plures mihi, carissime, transierunt dies, ex quo ve — — — in conspectu tuae caritatis meas litterulas sive eulogiolas mittere. Sed te a — — sancti ill. venisse nonnisi modo cognovi. Venisse ergo te et bene valere et — — — et pro incolomitate et prosperitate tua in quantum valeo Domini misericordiam deprecor, quippe qui non solum ego, sed pene omnis Europa, et, ut ita dixerim, generaliter omnis Ecclesia ab oriente usque ad hoc occidentem tali cons — — — teneatur, utpote Domini misericordiam imploret, quippe qui fidem tuam ob-

servando et innocentiam custodiendo omnibus profuisti. Sicut enim non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae relevabitur in nobis, ita nec condigna benevolentiae officia — quilibet nostrum exhibere potest, quum videlicet multociens eis sit emolumentum tui beneficii quod erga Dominum nostrum et nos omnes fecisti quam si qua sint obsequia quae tibi à nobis impendantur. Deus enim qui per Mardochaeum famulum suum Israheliticae plebis interitui medicinam et nobis per te contulit, ipse et te et nos ita huius vitae curricula concedat peragere ut illam perveniamus vitam cui nullus est finis. De cetera exposco et ultra quam valeo quaeso ut me congregationis sancti ill. quae vobis à Deo ad regendum concessa est orationibus

sicuti et nos congregationum à Deo nobis ad regendum concessarum orationibus commendaturi sumus, ut mutuis nos orationibus quasi quibusdam spiritalibus brachiis, et, ut ita dixerim, spiritalibus armis adiuvantes, et antiqui hostis insidias sive machinamenta dolosa evadere, et ad Regem nostrum Christum inculpabiles venire ipso auxiliante valeamus. Merear te sospis sospitem, felix felicem, incolomis incolomem cernere, mi carissime, et de incolomitate tua semper audire. Pax tibi à Deo.

Sumito quae misi laetus, munuscula parva,
Dulcis amice mihi, dulcis et apte nimis.
Quae sint parva licet, magna haec dilectia mittit,
Quae non compensat res sed amoris opus.
Sit tibi vita salus, sint et felicia cuncta,
Et tibi de coelis Rex Deus addat opem,
Et sic te clemens ducat per prospera mundi
Ut pes inoffenso tramite celsa petat.
Et qui in hac vita dignum con(ces)sit honorem
Hic tibi post obitum det super astra locum.

— — — — — — *n*) tum meritis magnopere venerando et à nobis cum omni studio ardentique fervore in vinculo caritatis amabiliter amplectendo divina inspiratione protegente Abbati ill. inutilis ac vilissimus famulorum Dei famulus perennem per hanc Epistolam in Domino Iesu optat salutem. Comperiat igitur devotissima caritas vestra quia auxiliante Domino et Apostolorum principe Petro intercedente per diversos terrarum fines immensaque nos ac subditi nostrae — — — — — *Reliqua desunt*

---

n) *Virtutum.*

— — — — — — — — — — — — — —

In quo supplicamus excellentiae sanctitatis vestrae etc. *ut in actis Sanctorum ordinis S. Benedicti saeculo IV. parte I. p. 748. ubi male ista assuta sunt Epistolae Ioannis IV. Papae.*

Excellentissimo atque piissimo ill. Rege ill. gratia Dei Episcopus de illo oppido una cum coenobio sub quo egregius confessor ill. patronus vester in corpore requiescit. Obnixi supplicamus culmen regiminis vestri ut hos in Christo fratres nostros illos monachos de praefati congregationi sancti ovilinos; ipsi probabile videntur una cum collegis eorum vestris secum litterolis exiguitatis nostrae obtutibus praesentaverint benigni recipi Christianitas vestra iubeat et vestro adiutorio fulti iter arduum quam pro reverentia beati Petri principis Apostolorum arripuerunt usque ad limina ipsius quieti perficiant, unde vobis ipse sanctus apud Deum intercessor adsistat, et in futurum mercedem vobis augeat. Et humili prece vobis deposcimus ut quod hore propria postulaverint serenitas vestra benigne recipiat et ad effectum perducere bonitas vestra iubeat; ut si Christo propitio ad nos reversi fuerint, pro vobis et statu regni vestri indesinenter orare delectentur ———r te corpore et spiritu ille Samarita, id est, salvator et custus, de quo in Psalmo: *Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israhel.* Uthel, quod interpretatur vigel. Adrequ — — ut possis dicere: *Ego dormivi et cor meum vigilat.* Valere in Domino vos optamus — — sublimissime Regis atque optantissime. Salutat vos affatim omnes — — — o sancti illius nobiscum. Ille quamvis peccator Archiepiscopus fidens de bonitate Christi et serenitatis vestrae libens subscripsi.

Summa veneratione diligendo et nobis in amore Christi amabiliter praeferendo et in gremio Ecclesiae sano ac devoto gratuituque animo commendando atque ex totis viribus cum summo caritatis vinculo amplectendo domno spiritalique patre ill. sancta religione sedulo cuncti quidem fratres beatorum martyrum ill. et suis cum sanctis sociis proprii servuli et amatores — — toresque vestri prae omnibus salutemus vobis in Domino Iesu Christo salutatione amabili. De cetero, piissime pater, multas vobis agimus laudes et gratias de vestra melliflua scedula pulcherrimaque munera quae modo vestra sanctitas nostra infima parvitate dignata fuit munerare. Propterea vestra comperiat almitas quia nos in uno positi, relectas vestras litteras, continuo ut eas audivimus, gratulati licet de benedictione, sed multum turbati de vestra tribulatione. Quid ergo de vobis agimus, quid facimus, quid loquimur? Dolemus, gemitum habemus, anxii sumus, consilium quaerimus; statimque in commune consensu decrevimus, sicut nos divina docet lec-

tio ubi ait: *Orate cuncti pro invicem, ut omnes salvemini.* Nos autem repente, sicut mos est, loricam induti fidei, sumptis salutis galeam cum humilitatis spiritu, arma orationum sumsimus, ut certi Christi milites, in agonia pariter muniti, undique firmiter simul omnes venimus ordinata acie, belligerare coepimus, Iesu Christo Domino nostro pro vobis preces fundimus in Missis specialibus, in psalmodiae in canticis spiritalibus, in sacris orationibus in quantum nostra valens est parvitas pio affectui viriliter certavimus et optamus facere; ut vos Dei pietas per multa quidem lustra annorumque curricula in pace sanctae Dei Ecclesiae incolomem custodiat et post vitam aeternam istius in gloriam conlocet. Peracta omnia namque haec, ad divina veniamus eloquia, de qua haurire possimus consolatione optima. Audiamus primum Prophetam sanctissimum virum prudentissimum, psalmigraphum, humilem cytharizantem per cytharam praecepta meliflua sic nobis alloquitur: *Mihi autem,* ait, *adhaerere Deo bonum est.* In omnibus spem meam ubique ponite in Domino. Et rursum: Iacta tuum cogitatum semper in Domino, et ipse te enutriet dulciter. Idem ipse inquit: Bonum est, suave est mihi, Domine, quod humiliasti me. De quo sequitur: Bonum mihi lex oris tui super multa milia argenti et auri. Scriptum legimus quia praesens paupertas futuris divitiis compensanda sit. In cantico dicitur Annae: *Dominum pauperem facit et valdè ditat*; humiliat pro peccatis, sed statim sublevat per misericordiam. Unde iterum psalmista cohortat nos per omnia dicens: Dominus me regit, et mihi nihil deerit, et conlocavit me in loco pascuae super refectionis aquas me — — Haec auscultans egregius praedicator Apostolus tuba mirabilis nostri sin — — ibus mittit se in medio pulchra conectit eloquia, de qua pro loquens dic — — — — — um optimum et omne donum perfectum descendit à patre luminum. Dicit iterum: Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu persequutionem patiuntur. Adhuc subditur: Cum enim homo exterior affligitur, tunc ille qui intus est perfecte renovatur: quia dum infirmamur corpore, potentes sumus spiritu. Salvator Christus Dominus de semetipso ait: Spiritus quidem pruniptus est, caro autem infirma. Et bonae memoriae dicit Gregorius: Tunc homo perfectus est cum plenus fuerit caritate, et unde animus saepius cogitat inclemens frequenter meditat. Oramus atque optamus vobis per omnia ut Deus pacis et caritatis sanctificet vos in omnibus et integer spiritus vester, et reliqua. Quod ipse praestet.

— — — — — — — — — — — — — — —

Imminutum. Idipsum autem quod optimum habemus, quod

facultas suppetit, vobiscum libentissime impertiemus. Haec idcirco per singula studuimus scribere quia epistola superius dicta per scriptum vobis innotescere iussit de singulis. Ea vero quae subsequens exposcit sermo nostrae competunt necessitudini. Liquet namque quod sagax efficacia vestram astutiam praecellit omnium hanc legationem agentium ut superius dictum declarat affatum. Et ideo quia prae cunctis excellentius subtiliusque eandem legationem à vobis ordinari scimus, de vestra inviolabile caritate freti consilium expetimus quomodo ipsam agere debeamus, ut sicut eam penes vos habetis depositam, qualiter Episcopos vel Canonicos aut Monachos, vel quibus capitulis ab eis debeamus requirere, per ordinem cuncta celerius ad nos recurrens ostendat epistola. Illam quoque paginam quae coram Domino Imperatore et nobis omnibus lecta est cum universis generaliter data fuit licentia eundi palatio pariter cum pra petita epistola nobis mittite; et non solum ea quae nominatim expressimus, sed praebete cuncta quae huic negotio scitis esse congrua. Ita namque in omnibus erga nos agat vestra immarcescibilis caritas, sicuti per vos nostra confidat simplicitas. Hoc etenim almitati vestrae notum fieri volumus quia Domino nostro glorioso Augusto iubente die XVIIII. mensis praesentis, quae eveniet XIII. Kal. Iulias, ab omnibus suffraganeis nostris, Deo opitulante episcopale officium, licet indignus, suscepturus — — ego me huic oneri minus aptum et adhuc episcopalibus officiis novit oportet esse imbuum, termino statuto differre volui. Sed quia iussione imperiale urgente non valeo, idcirco vestram sanctitatem rogo et intentissima prece efflagito, ut licet omni tempore, maxime usque praedictam diem pro nobis cum omnibus vestris Domini misericordiam exorare dignemini, ut impetratu vestro à gravidine meorum delictorum merear leviari, et adnitentibus orationibus dignetur mihi Dominus Iesus Christus intellectum sensumque praebere qualiter ad dignitatem tanti honoris, quamvis immeritus, valeam competenter accedere.

FORMULAE ANDEGAVENSES SIVE FORMULAE VETERES

Ex Codice antiquissimo Weingartensi primum editae à clarissimo viro Iohanne Mabillonio.

CAPITULA.

Incipiunt Dictati.

Formula sollemnis de dote.

I. Hic est testamentum quarto regnum domni nostri Childeberto Reges, quod fecit Missus ille Chestantus. Cum iuxta consuetudinem Andicavis civitate, curia puplica resederet in foro, ibique vir magnificus illi prosecutor dixit: Rogo te, vir laudabilis illi Defensor, illi Curator, illi Magister militum, vel reliquum Curia publica, utique obticis puplicis patere iobeatis, quia habeo quid apud acta prosevere debiam. Defensor principalis simul et omnis Curia puplica dixerunt: Patent tibi cotecis puplici; prosequere quae optas. Obedire illa per mandato suo pagina mihi iniunxit, ut prosecutor exsistere deberit, qualiter mandatum, quam in dulcissimo iocali meo illo fici pro omnis causationis suas, tam in paco, quam et in palacio, seu in qualibet loca, accidere faciat illa porciones meas, quam ex alote parentum

meorum ei legibus obvenit vel obvenire debit, aut iustissime ei est reddebetum. E contra parentis suis vel contra cuiuslibet hominem accidere vel admallare seu et liticare facias inspecto illo mandato, quem in dulcissemo iocali meo illo fici, gestis municipalibus adlegare debeam. Curia vero dixerunt: Mandato, quem tibi habere dicis, accipiat vir venerabilis illi Diaconus et amanuensis. Ille prosecutor dixit: Rogo domno meis omnibus puplicis, ut sicut mandatum iustum legibus cognovistis esse factum, ut dotem quem prae manibus tenio, vobis praesentibus in foro puplico iobeatis recitari. Curia vero dixerunt: Dotem quem te dicis prae manibus retenire, illi Diaconus et amanuensis Andecavis civitate nobis praesentibus accipiat relegendum quo accepto dixit:

Incipit mandatus.

Domno mihi iocali meo illo. Rogo adque supplico dulcissima gratia vestra, ut ad vicem meam omnis causationis nostris, tam in pago quam et in palacio, seo in qualibet loca accidere faciatis; et illas portiones nostras, quem ex alote parentum meorum mihi legibus obvenisse vel obvenire debit, aut iustissime nobis est redebitum, haec contra parentis meus vel contra cuiuslibet hominum accidere vel admallare seu adliticare faciatis. Et quicquid exinde ad vicem nostram egeris, feceris, gesserisve, etenim me habiturum esse cognoscas rectum. Iuratum mandatum Andecavis civitate, Curia publica.

Incipit cessio.

Dulcissima et cum integro amore diligenda sponsa mea, filia illius, nomen illa, ego illi. Et quia, propitio Domino, iuxta consuetudinem una cum voluntate parentum tuorum sponsavi, proinde cido tibi de rem paupertatis meae, tam pro sponsalitia, quam pro largitate tuae, hoc est casa cum curte circumcincta, mobile et immobile, silvas, pratus, pascuas, aquas, aquarumve decursibus, iunctis et subiunctis, et in omnia superius nominata, tu dulcissima sponsa mea, ad die filicissimo nuptiarum tibi per hanc cessione dileco adque transfundo, ut in tuae iure hoc recepere dibeas. Cido tibi bracile valente solidus tantus, toneneas tantos, lectario ad lecto vestito valente solidus tantus, inaures aureas valente soledus tantus, annolus valentes solidus tantus. Cido tibi caballus cum sambuca et omnia stratura sua, boves tantus, vaccas cum sequentes tantus, ovis tantus, solidis tantis. Haec omnia subscripta rem in tuae iure et domenacione hoc recipere debias, vel posteris tuis, si inter nus procreati fuerunt, derelinquentis, salvo iure sancti il-

lius, cuius terrae esse videtur. Et si fuerit ullo umquam tempore, qui contra hanc cessione ista, quem ego in te bona voluntate conscribere rogavi, aut ego ipsi, aut ullus de heredibus meis vel propinquis meis, aut qualibet homo vel extranea aut emissa persona venire voluerit, aut agere, vel repetire praesumpserit, ante lite ingressus duplet tibi tantum, et alio tantum, quantum cessio ista contenet, aut eo tempore meliorata valuerit; et repetitione sua non obteniat effectum: et haec cessio ista atque voluntas nostra omni tempore firma permaneat.

Post haec Curia ait: Se adhuc aliquid abis ex hac causa aut agere debias, dic tu in praesente. Illi prosecutor dixit: Gratias agemus magnitudine vestrae, quod dotem sua scripta quem prosequio, gestis municipalibus, ut habuit caretas vestra, allegasse — — fecisse vobis ex more conscripse — — —.

Hic est venditio, qui seipsum vendit.

II. Domno mihi illo, necnon et coniux sua illa, ego illi. Quia coniunxerunt mihi necligentias, quod res vestras furavi, et in aliter transagere non possum, nisi ut integrum statum meum in vestrum debiam implecare servitium: ergo constat me nullo cogente imperium, set plenissima voluntate mea: et si de hac causa reprobus apparuerit, pro ipsa necligentia integrum statum meum in vestrum servitium obligare debiam ac cedere à vobis pretium in quod mihi complacuit, soledus tantus, ut quidquid ab hodierno die de memetipso facere volueritis, sicut et de reliqua mancipia vestra obnoxia, in omnibus Deo praesole habeatis potestatem faciendi quod volueritis. Si fuerit ego ipsi, aut aliquis de propinquis meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc vinditionem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, inferit inter tibi et fisco soledus tantus vobis componat, et quod repetit vindecare non valeat, et haec vinditio atque voluntas mea firma permaneat.

Hic est venditio de homine in esseno posito.

III. Domno mihi proprio illo, ego illi. Et quia coniunxerunt mihi culpas et meas magis necligentias pro furta quid feci, unde ego in turmentas fui, et eologias feci, et morte pericolum ex hoc incurrere debui; set habuit pietas vestra datis de ris vestras solidus tantus. Ideo hanc epistolam venditione de integrum statum omni peculiare meo vobis emittendam curavi, ut quidquid ab hodierna die de memetipso facere volueritis, sicut et de reliqua mancipia vestra originaria, in omnibus Deo praesole habeas potestatem faciendi. Et si fuerit ego ipsi, aut aliquis de pro-

pinquis meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc venditionem, quem ego ipsi bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, inferat inter tibi et fisco solidus tantus vobis componat, et quod repetit nihil valeat vindecare, et haec vinditio perenni tempore firma permaneat.

Hic est vinditio de terra conducta.

IV. Ego enim illi. Constat me vindedisse, et ita vindedi ad venerabile fratri illa vineola plus menus iuctus tantus, et residit in terraturium sancti illius, in fundo illa illa, et accipi a vobis pretium, in quod mihi conplacuit, hoc est soledus tantus, ut de ab hodiernum die memoratus emptor quicquid de ipsa vinea facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero (quod esse non credo) se fuerit aut ego ipsi, aut ullus de heredibus meis, aut quaelibet obposita persona, qui contra hanc vinditionem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, venire aut resultare praesumpserit, dupplit tantum, et alio tantum quantum haec vinditio ista contenit, et quod repetit vindicare non valeat, et haec vinditio omni tempore firma permaneat. Actum Andecavis.

Incipit securitas de supersallicione his est.

V. Dum non est incognetum, qualiter aliquos homo, nomen illi, aliquo homine, nomen illo, maliavit de res suas, et ipse illi male ei exinde numquam fecissit. Proinde ipsi illi ante bonis hominibus convenit, ut hanc epistolam facere deberit, ut nullo umquam tempore contra ipso agere non praesumat. Quod si illi aut aliqua persona ad vicem suam ipsa causa resultare praesumpserit, soledus tantus inter tibi, et fisco conponere debiat, et quod repetit vindicare non valeat, et haec securitas firma permaneat.

Incipit item securitas.

VI. Dum non est incognitum, quia ante hos dies aliquos homo nomen illi, litem in via publica aput illo ei habuit, et cobebus super eum ipsi illi ei posuit: sic taliter convenit ipsius homo ad mediantis bonis hominibus, ut hunc securitate ipsus homo de ipsus cobebus seu et de ipsa lite, quem aput mihi abuit, facere deberit, quod ita et fecit. Et (quod futurum esse non credo) si fuerit ut ego ipsi, aut aliquis de heredibus meis, vel qualibet obposita persona, qui contra hanc securitate resultare praesumpserit, soledus tantus ei conponat, et quod repetit nihil valeat vindicare, et haec securitas ista perenni tempore firma permaneat.

Incipit securitas.

VII. Domno venerabile et in Christo patri illo Abbat. vel omnis congregatio nostra et domni illius, ego illi. Et quia ad peticionem meam habuit pietas vestra fecistis mihi benificium de rem vestra, et domni illius, hoc est locello cognomenante, in pago illo, cum casis, campis, terris, mancipiis, acolabus, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, vestrum praeiudicium, et domni illius tenire et possedire debuit; et spondio vobis annis singulis cinso soledus tantus, et post quoque meum dicessum iure vestro et domni illius cum rem meliorata, quantumcumque in ipso loco inventum fuerit, revertatur, et accipiatur absque ullius contrarietate, aut repetitione propinquorum meorum, annuente Domino, ut mus est virorum atque magnorum opidi, confirmandum.

Incipit concamius.

VIII. In Dei nomen placuit atque convenit inter illus et illus, ut inter se campellus conmutare deberint, quod ita et fecerunt. Hoc est, dedit illi ad racione illo campo ferente modius tantus, et est super terreturio sancti illius, et subiungat de unus latus campus illius. Similiter in alio loco dedit illi super ipso terreturio ad racione illo campello ferente modius tantus, et subiungat de uno latere campus illius: ut quicquid exinde facere voluerit, absque preiudicium sancti illius, cuius terra esse videtur, liberam in omnibus habeas potestatem. Si fuerit unus quis qui contra pare suo agere aut resultare praesumpserit, partem quod accepit a pare suo amittit, et insuper multa legis damnum incurrit. Et haec epistolas uni tenorum conscriptas, quem inter nus fieri rogavimus, firmas permaneant.

Incipit vindicio quam facit qui seipso vindit.

IX. Domno fratri illo, necnon et coniux sua illa, ego illi, qui conmaneo in pago illo. Constat me vindedisse, et ita vindedi vobis vernacula iuris mei, nomen illo, et accipi inde precium in argento uncias tantas: ut quicquid ab hodierna die ipso vernaculo facere volueritis, habendi, tenende, donande, vindende, seu conmutandi, quomodo et de re aliqua mancipia vestra obnoxia exinde facere volueritis, liberam habeatis potestatem. Et si quis ego ipsi, aut aliquis de heredibus meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc vindicione, quem ego bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, inter tibi et fisco soledus tantus vobis conponat et quod repetit nihil valeat vindicare, et haec vindicio adque voluntas mea perenni tempore firma permaneat.

Incipit iudicius.

X. Veniens homo, nomen illi, ante venerabile vir illo Abbate vel reliquis viris venerabilibus adque magnificis, quorum nomina subtus tenuntur inserti, interpellabat aliquo homine nomen illo, quasi servicium ei redeberit; et illi taliter de praesente aderat, et hoc fortiter denegabat, quod servitium numquam redebebit. Interrogatum fuit ipsius illo de sua agnatione alius homines in suum servicium habebat, an non: et ipsi illi taliter locutus fuit, ut hoc non redebebat, nam ipsi illi servitium ei non redebebat, at de agnacione aut de conparato ut hoc inter se intenderent, ut dum ipsi illi alius homines de sua agnacione non redebebat. Sic visum fuit ipsius abbati vel quibus in eus aderant, ut ipsi homo aput homines XII. manu sua XIII. in basilica domne illius, in noctis tantis coniurare deberet, quod de annus XXX. seu amplius, servitium ei numquam redebebat: se hoc facere potebat, ipsi illi de hac causa contra ipso illo conpascere deberit; sin autem non potuerit, hoc inmendare studeat.

Incipit noticia de supradicto iudicio.

Noticia sacramenti, qualiter vel quibus praesentibus ingressus est illi apud homines tantus ingenuos super altare illius Andecavis civetate, pro eo quod homine, nomen illo ipso pro servitium interpellabat ad vicem genetore suo seu et genetrice sua. Iuratus dixit, iuxta quod iudicius ex hoc loquitur per hanc loco sancto et divina omnia quod hic aguntur, de annis XXX. seu amplius sub ingenuitate nomen resedi. nam et ipsi superius nomenatus servitium non redebi, nec redebio pro reverentia loci. id sunt quorum praesentia.

Incipit iudicius.

XI. Veniens homo, nomen illi, Andecavis civetate, ante illo agente vel reliquis qui cum eo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quasi iumento suo ad furtis conditionis abuissit: et ipsi illi una cum genetore suo ibidem aderat, et hoc fortiter denegabat, quod ipso iumento nunquam habuisset. Sic visum fuit ipso agente qui cum ipso aderunt, ut genitor suos illi pro filio suo illo, quia et ipsi genitor apud homines tantus ipsi illi in basileca domni illius in noctis tantus pro filio suo excusare deberit, se hoc facere potebat, ipsi illi contra ipso illo compascere deberit. Sin autem non potuerit, hoc contra ipso emendare stodiat.

Incipit noticia.

Noticia sacramenti, qualiter vel quibus praesentibus ingressus est illi in basileca domne illius pro iudicio, illo agente iuratus dixit: Per hunc loco sancto et divina omnia quod hic aguntur, quae hic Deo plenius offeruntur, unde me illi repotabat, quasi iumento suo ad furtis conditionis post me habuissit, et per meum ingenium ipso iumento digere habuisset; nec ipso iumento numquam habui, nec per meum nullum ingenium ipso iumento numquam perdedit, nec aliud tibi de hac causa non redebio, nisi isto edonio sacramento.

Incipit solsadia.

XII. Notitia solsadii, qualiter vel quibus praesentibus illi homo placetum suum adtendit Andecavis civetate Kalendas illas, per iudicio inlustri illo Comite, vel auditores suis, ac contra homines his nominibus illus et illus, vel genetrici eorum, nomen illa, una cum abunculo eorum illo, dum dicerit, quasi aliqua femena, nomen illa, genetore eorum, nomen illo, pro maleficio eum interfecisset. Qui ipsi iam superius nomenati placetum eorum legebus à mane usque ad vesperum visi fuerunt custodisse. Nam ipsa femena nec ad placetum advenit, nec misso ad persona addirexit, qui sonia redebuissit. Propterea necesse fuerit praedictis hominibus, ut hanc noticiam bonorum hominum manibus roboratas, prosequere deberent, qualiter et visi sunt fecisse.

Incipit item solsadia.

XIII. Noticia solsadii, qualiter vel quibus praesentibus veniens homo, nomen illi, placitum suum adtendit Andecavis civetate, in basileca domni illius, unde eum haec contra homine, nomen illo, quem ante illo agente fuit inratione pro iumento suo, etc.

Item solsadii

XIV. Noticia qualiter solsadii, vel quibus praesentibus veniens illi in basilica sancti illius Andecavis civitate, placetum suum adtendit contra homine, nomen illo, quem ante illo agente fuit inrationes pro agente, quod hoc die illo quod fecit mensis illi dies tantus, coniurare deberit una cum hominis suis, qui illi ad placitum adfuit una cum testis suis pro legibus triduum custodivit, et solsadivit; nec illi nec ad placito adfuit, nec ulla persona ad vicem suam direxit, qui ipso placito custodisset, aut sonia nunciare deberit. quos praesens placitus ipsius fuit custoditus aut solsaditus, aut hanc noticiam manibus eorum subter firmaverunt.

Incipit sacramentalis.

XV. Breve sacramenti, qualiter et quos praesentibus ingressus est homo, nomen illi, Andecavis civetate, die illo, quod fecit mensis illi dies tantus, in basileca domne illius. Iuratus dixit: Per hunc loco sancto et divina omnia quae hic aguntur, quae hic Deo plenius offeruntur, unde mihi homo, nomen illi, interpellabat, eo quod caballo suo furassit, aut in taxato post me habuissit; hoc coniurare quod caballo suo, quem mihi reputabat, numquam furavi, nec consciens ab ipso furandum numquam fuisset, nec post me intaxata ipso caballo numquam habui, nec alio tibi exinde non redebio, nisi isto edonio sacramento, quem iudicatum habui, et legibus transibi. Id sunt qui hunc sacramento audierunt, manibus eorum subter firmaverunt.

Incipit noticia.

XVI. Noticia qualiter vel quibus praesentibus illi et illi placitum eorum adtenderunt Andecavis civetate, in basileca domne illius, pro indicio illo praeposito, unde aliqua femina, nomen illa, habuit interpellatus pro illa re, qui illi et germanus suos illi ad ipso placito advenerunt, et homines suos hic praesentaverunt, ut ipso sacramento excusare deberent. Nam ipsa illa femena ad ipso placito adfuit, et ipso sacramento menime recipere voluit, qui illi ex germano suo illi placitum eorum legibus custodierunt. Propterea necessarium fuit, ut ex hoc noticia accipere deberent, quod ita et fecimus.

Incipit vacuaturia.

XVII. Dum cognitum est, quod homo, nomen illi, vinditione de integrum statum suum ab homine, nomen illo, et cogiae sua illa, et ipsa vinditione meneme invenisse non potuerunt. Proinde manus nostras firmatus vobis emittendam curavi, ubi et ubi ipsa vindicio inventa fuerit, inanis permaniat, et haec vacuaturia firma permaniat.

Incipit item vacuaturia.

XVIII. Dum cognetum est qualiter aliquos homo, nomen illi, aliquo homine, nomen illo, cautione inmissa habuit pro factum suum, quo ei beneficium facit argento uncias tantas, ut inter annus tantus, qualecumque ei servitium iniunxerit, ei facere debiret. Et ipsi homo cautione menime invenire non poterit. Proinde mano mea et bonorum hominum vacuaturia tibi proinde dedi, dum tu ris meas rededisti, ubi et ubi cautio ipsa inventa fuerit, vacua et inanis permaneat, et haec vacuaturia firma permaneat.

Incipit vindicio.

XIX. Domno mihi semper illo illi. Et pro necessitatis temporum et vidi compendium etiam sterilitas et inopia praecinxit, ut in aliter transagere non possum, nisi ut integrum statum meum in vestrum debiam implecare servitium. Ergo constat me nullo cogente imperio, sed plenissima voluntate mea, et accipi à vobis pro suprascriptum statum meum, hoc est in quod mihi complacuit, in auro valente soledus tantus, ut quicquid ab hodiernum diem de memetipso facere volueris, sicut et de reliqua vestra obnoxia, in omnibus Deo praesole habeatis facultatem faciendi. Si quis vero aut ego ipsi, etc. *ut supra.*

Incipit ingenuitas à die praesente.

XX. In Dei nomen ille, delectissimo nostro illo. Noverit iste pro divinitatis intuitu et animae meae remedium vel aeterna retributione tua, eatenus à die praesente ingenuum esse praecipimus, tamquam ab ingenuis parentibus fuisset procreatus, et nullius tibi heredum ac proheredum meorum nec servicium, nec ullum obsequium ultra debere cognuscas, sed potius aso defensione sanctum illius in integra valeas residire ingenuitas. Etsi fuerit unus de heredibus meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc ingenuitatem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, venire aut resultare praesumpserit, in primitus Dei incurrat iudicium, et de sanctorum loca efficiatur extraneus, et insuper multa legis damnum incurrat auri libra una, argento pondo tantum; et quod repetit vindicare non valeat, et haec ingenuitas perenni tempore firma permaniat.

Incipit vindicio.

XXI. Ego enim illi. Constat me vendedisse et ita vindedi ad illo campello ferente modius tantus, et est super terraturio sancti illius, in villa illa, et subiungit de terra illa, de uno latere campus illius, taxato precio: hoc est in quod mihi complacuit, valente soledus tantus, ut quidquid ab hodierna die de ipso campo agere volueris, absque praeiudicium sancti illius, cuius terrae esse videtur, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si fuerit ego ipsi, etc.

Incipit cautio de vinea.

XXII. Ego enim illi. Constat me accepisse, et ita accepi per hanc cautionem ad praestetum beneficium de homine, nomen illo, hoc est in quod mihi complacuit, in argento soledus tantus; et in pignore tibi conditionis demitto

tibi pro ipso beneficium inter annus tantus vinia medio iucto tantum, qui est supra terraturium sancti illius, in villa illa; et subiungit de uno latere vinia illius, ut interim res vestras micum habuero illa blaeda, quem ibidem Deus dederit, in tuam revoces potestatem. Et quod, si adsolet, ipsi annus tantus completi fuerunt, rem vestram reddere debiam, et cautionem meam recipere facias, aut tibi, aut cui cautionem istam dederis ad exagendum.

Incipit ingenuitas.

XXIII. Dilectissimo nostro illo ego ille. Noveris te pro divinitatis intuitu et animae meae remedium, vel aeterna retributione eatenus at iucum servitudinis tibi absolvemus, ut quamdiu advixeris, de meum non discedas servitium; et post meum quoque discessum cum omni peculiare quod habes, aut laborare potueris, ingenuam ducas vitam, tamquam se ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, et nullius tibi nec servitium, nec nullum obsequium heredum ac proheredum meorum te quicquam redebere cognuscas, nisi sub defensione sancti basileci domni illius praebeas obsequium, non requiratur. Si quis (quod futurum esse non credo) si fuerit unus de heredibus meis vel qualibet opposita persona, qui contra hanc ingenuitatem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, in primitus Dei incurrat iudicio, et à liminibus ecclesiarum, basilicarum vel omnium sacerdotum excommunus accipiat illam maledictionem, quem Iuda Scariotis accipiat, et mea voluntate cum Christo accipiat misericordia, et quod repetit numquam valeat sua voluntas obtineat, et ingenuitas ista perenni tempore firma permaneat.

Incipit iudicius.

XXIV. Eveniens illi Andecavis civitate ante illo Praeposito vel reliquis hominibus, qui cum eo aderant, interpellabant aliquo homine, nomen illo, quasi animalia per sua menata eos ducare habuissit, et ipsa animalia per sua menata aliquas mortas fuerant, et ipsa pecora illi excorticassit, posteaque mortas fuerunt. Interrogatum fuit ipsi illi, quid de hac causa responso daret: et ipsi illi taliter locutus fuit, quod nec sua animalia numquam menassit, nec per sua menata ipsa animalia degere numquam habuissit, nec de manus suas excorticatas numquam fuissent. Propterea visum fuit ab ipso Praeposito, vel qui cum ipso aderant, ut in noctes tantas apud homines tantus ipsi illi in basileca domni illius excusare deberit: se hoc facere debebat, de hac causa ipsi illi compascere debirit; sin autem

non poterit, quicquid lex de tale causa edocet emendare stodiat.

Incipit vindicio qui seipsum vindit.

XXV. Domno magnifico fratri illo, necnon coniux sua illa. Nus enim illi et coguie sua illa constat nus vindedisse et ita vendedimus à vobis estus nostros cum omni peculiare quod habemus aut locare poteremus, manso et terra vel viniolas, quantumcumque ad die praesente possìdere vidimur, in fundo illa villa in se super terra ecclesiae Andecavis, vel ubique habire visi sumus. Unde accipimus de vobis precium quod nobis conplacuit, hoc est in auro valente soledus tantus, ut post hunc diem memorati emptores quicquid de nus ipsis vel de heredis nostris facere voluerint, habeant potestatem faciendi. Si quis etc.

Incipit securitas.

XXVI. Dum non habetur incognitum, qualiter aliqua femina, nomen illa, apud hominem sancti illius,nomen illo, litis intentione habuit de illo rapto, quod ipsa fuit, ut ipsa ad pacem concordiam voluntate ad ipsa femina facere deberent. quod ita et fecerunt. Unde convenit, ut si homo manu sua firmata exinde accipere deberet, quod ita et fecit, ut se ipsa femena post hunc diem resultare voluerit, contra homine soledus tantus componat. Facta securitas.

Incipit vindicio proprietatis.

XXVII. Domino venerabile et in Christo Patri illo Abbate ego illi et coniux mea illa. Constat nus vindedisse et ita vindedimus vobis terra proprietatis nostrae, in loco nuncupante illo, et accipi proinde pretio de vobis in quod nobis conplacuit, hoc est in argento soledus tantus, etc. et haec vindicio perenni tempore firma permaneat stipulatione subnixa. Actum est.

Incipit iudicius.

XXVIII. Veniens illi Andecavis civitate ante illo Agente, necnon et illo, vel reliquis qui cum illo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quasi fossado per terra sua, in loco nuncupante, qui vocatur, illa villa, qui aspecit ad illa, ei fossadassit. Et taliter ipsi homo dedit responso, quod terra sua fossado fecisset. nam terra ad illo homine numquam fossadasset. Visus fuit ab ipsis magnificis, ut illi in noctis tantas apud homines tantus vicinis circa manentis de ipsa condita mano sua quarta in basileca domni illius senioris excusare deberet, quod terra sua malo ordine numquam fossadasset. Si hoc facere potebat,

quietus et securus resediat: sin autem non potuerit, contra ipso hominem satisfacere debeat.

Incipit iudicius.

XXIX. Veniens homo, nomen illi, aput femina, nomen illa, qui fuit coniux illa quondam germanus illius, ante venerabile vir illi Abbate, interpellaverunt hominem, nomen illo, quasi servitium qui fuerunt ipsius illi, quondam post se habuissit commandatas, hoc est illam rem qui illi ad praesens aderat: et hoc totum fortiter denegabat. Interrogaverunt ipsius illi, se habebat homines qui de praesente fuissent, ut vidissent quando ipsa rauba ipsi illi et illi commandasset. Taliter visum fuit ab ipso Abbate vel qui cum eo aderant, in noctis tantis daret homines tantus bene fidem habentes vicinis circa manentis, qui de praesente fuissent, et vidissent supra scripto illo quondam ipsa rauba ipsi illi commandasset, ut hoc in basilica domni illius coniurare deberit, ipsius illi per legem emendare studiat. sin autem non potuerit, de hac causa ipsi illi omni tempore ductus, quietus atque securus valeat resedire.

Incipit item iudicius.

XXX. Veniens illi ante illo Abbate, vel reliquis qui cum eo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quasi vineas suas, quae erant illius, quondam illi ad parciaricias dedissit, ut quamdiu ipsi illi se aptificavit, ipsas vineas ad parciaricias habire debiat. Interrogatum fuit ipsius illi, si ipsas vinias apud ipsas fuerunt, an non. Taliter ipsi locutus fuit, quod illas convenentias, quod ipsi illi dicebat, aput ipso numquam habuit. Visum fuit ipsius Abbate, ut dum hoc denegabat quod ipsas convenientias numquam habuit, ut apud homines tantus in basileca domni illius excusare deberet, quod ipsas convenentias inter se numquam habuissent. Se hoc facere potebat, precium quod de ipso illo acciperet, ei reddere debiat: sin autem non potuerit, contra ipso emendare stodiat.

Incipit apennis.

XXXI. Dum non est incognitum, qualiter aliquis homo, nomen illo, et coniuge sua illa, in terra eorum in loco illo, per nocte fuit à pessimis naufragium passus, et exinde perdedit et pecunia sua, et mobele suo, seu et strumenta sua quam pluremas, vindicionis, dotis composcionalis, contullitionis, pactis, commutationis, convenentias, securitatis, vacuaturias, iudicius, et noticias. Unde necesse ei fuit advocare iudecis seu et vicinis circa manentis, seu et universa parocia illa, et ibidem invenirent et ostia sua frac-

ta, et portis suas conquassatis, et ipso loco graviter devastata. Proinde petiit ad ipsos bonis hominibus: in eumdem prospecto accesserunt, invenirunt sicut tum esset, cuius nomina subter sunt inserta, ut hunc noticia relatione praesto ei adfirmare deberent. quod ita et fecerunt, qualiter melius possit Andecavis civetate adfirmare.

Incipit item appennis.

XXXII. Quicumque ad latruncolus sceleratoribus, seditiosis seu incendiariis, in qua provincia vim aut damnum pertulerit, oportet hoc eidem Rectores civium seu Curiales provinciae, in qua perpetratum fuisse perhibetur, palam ostendere, et publica denuntiatione manifestare. Igitur cum pro utilitate ecclesiae vel principale negocio Apostolicus vir, illi Episcopus, necnon et inluster vir illi Comes, in civitate Andecave cum reliquis venerabilibus atque magnificis rei puplicae viris resedissit, ibique veniens homo, nomen illi, palam suggereret, ceu casa sua in loco nuncupante illo, eo quod mali homines per caecata nocte ad casa sua in loco nuncupante illo advenissent, et ostia sua frigissent, vel res suas aurum, argentum, species, vestimentum, fabricaturas suas, vasa cerea, vel reliquas res quamplures, cum strumenta cartarum vindicionis, cautionis, cessionis, donationis, dotis conposcionalis, contulationis, pactis, commutationis, convenentiis, securitatis, vacuaturiis, iudicius et notitias, oblecationis, vel reliquas res quam plures, quam longum est per singula minustire, ad furtis causis deportassent. Unde per ipsas cartas pluras terras post se dicere venditum: et in castrenum locale accessione una cum bonas extraneas personas vicinis circa manentis in ipso loco manibus eorum roboratas accessisse: et ob hoc cognita relatione ante suprascriptus senioriis praesentabant ad relegendum, per quem ipsum seniores cognoverunt, quod ipsa causa taliter acta vel perpetrata fuisset. Dum taliter diligentia inquirere videtur, sublectum fuit ad ipsas bonas straneas personas vicinis circa manentes, qui bene optime ex hoc comperti aderant, quid exinde cognuscibant veraciter enarrare deberent, se ipsi homo taliter praebuerunt testimonium, ut inspecta illa epistola, quem illi praesentabat, sua denuntiatione veraciter concordabant. Dum sic in omnibus devolgata claruit, si suprascriptus Pontifex et ipsi Comis vel qui cum eo aderant, denuntiaverunt ipsius illi, ut quicquid per annorum spatia, de eo tempore usque nunc recte et legaliter possederat, inantea obsolve principale negotio recto tramite testata lege servit, res suas ipsi aut heredis sui tenire et possedire faciant. Et pro praesente et futura tempora convenit, ut hanc cartola, qui

vocatur Appennis, praefatorum seniorum vel reliquorum civium eorum manebus roboratus acciperet adfirmare deberet: quod ita et fecit: ita ut duo Appennis coaequalis ex hoc affirmatus accipiat, unum, quem ipsi apud se retineat; et alium, quem in foro puplico supenditur. Facto Appenni.

Incipit noticia ad Appenno firmare.

XXXIII. Cum per caeca cupiditate per loca orbana semper hostis antiquus bella consurget, et solent homines perfidi et pessimi per malus intolerabilia mala subire, tam ab hostibus, quam latrunculus, per talas et fortes, per captores et rapacis conmovere et conmutare gravis damnos aetatis. Igitur non est incognitum, qualiter aliquo homine, nomen illo, contegit gravis naufragius, quod in villa illa casa sua per nocte fuit effracta ut omnes praesidios suos, aurum, argentum, aeramentum, vestimentum, utensilia, pecunia, seu strumenta cartarum quamplurimas, vindicionis, cautionis, cessionis, donationis, dotis conposcionalis, pactis. conmutationes, convenientiis, securitatis, vacuaturias, iudicius et notitias, seu et omnes solemnitas, per quem à longo tempore usque modo res suas domenavit, per ipso furte exinde fuit deportata. Proinde necesse fuit saepe dicto illo in crastenum maturius mane iudici pupleco vicinis circa manentes ad ipso loco convocare: et ibidem venientes invenerunt sic esset factum, seris incisis ostias concapolatas, portas perforatas, conscensa seu et universa quae supra memoravimus per ipso furto perinde esset abstracta. Dum sic cessit veraciis, ut melius possit exinde appenne in civetate regione ipse ipsius prosequere et adfirmare, petiit ad ipsius vicinus et iudice, qui in ipsa cautione fuerunt, manibus propriis in hunc prospectum notitia relationis adfirmare deberent. quod ita et fecerunt.

Incipit (libellus) dotis.

XXXIV. Annum IIII. regnum Domini nostri Childeberto reges. Ego in Dei nomen illi fateor me hunc libellum dote scribere deberem, quod ita et fecerim, ad dulcessima sponsa mea, nomen illa, pro amore dulcitudinem suam, emitto tibi in cartola libelli dotes casa iam dicta puella sponsa mea illa habiat, teniat, possideat, faciat quod voluerit. Et si quis vero, aut ego ipsi, vel quislibet opposita persona, qui contra hoc voluntate meam facta aut libellum dote ista conscripta aut agere praesumpserit, soledus tantus coactus exsolvat. Et si quis ——— non obtineat effectum.

Incipit epistola.

Ego enim illi fateor me hanc epistola facere debere, quod ita et feci, ad coguie mea illa propter amore dulci-

tudinem suam et servicium circa me inpendetis, cedo tibi atque transcribo capsa de casa cum ipso villare, ubi ipsa casa resedit, ut ab hodierno die ipsas res denominatas habeas, teneas, possideas. Et si quis vero etc.

Incipit item cessio.

XXXV. Ego enim illi fateor me hanc cessionem facere debere quod ita et feci ei, ad dulcissimo nepote meo, nomen illo. Cedo ei propter amorem dulcitudinem suam casa, ut ab hodierno die ipsam rem conscriptam habeas, teneas, possideas, etc.

Incipit epistola, quem pater et mater facit in filio.

XXXVI. Licet unicuique de rebus suis, quas in praesente saeculo (habere) videtur, tam ad sancta loca seu parentum meliorare, et lex manet et consuetudo longinqua percurrit facere quod voluerit. Idcirco ego in Dei nomen illi, et coguie mea illa dulcissima, et à nobiscum integra amore diligendo filio illo. Dum in omnibus, et per omnia et super totum nobis fideliter servire videris, multas penurias et iniurias per diversa loca pro nostra necessitate suscepisti, et in utilitate domnorum partibus Britanici seu Wasconici hostiliter ordine ad specie mea fuisti: proinde convenit nobis, ut aliquid de facultatis nostrae te emeliorare debererit. quod ita et fecerunt. Ergo transcrivimus tibi mansello nostro illo super terraturio vir inluster vir illo, et hoc cum domebus, aedificiis, mancipiis, viniis, silvis, pratis, aquis aqúarumque decursibus, iunctis et adiecentiis, quantumcumque ibidem nos tenire visi sumus, hoc ad die praesente perpetualiter ordine tradimus ad possidendum, et hoc est habendi, tenendi seu commutandi posteris tuis, vel ubi tua decreverit voluntas, derelinquendi, et ubi aliubi ex nostra sine epistolis obligatam et infantis nostris remutarent, tu cum ipsis aequalis lanciae dividere facias. Et in hanc paginola intimare convenit, si nos ipsi aut heredis seu propinquis nostris, aut militans extranea persona, qui contra hanc epistola aliqua querilla aut refragatione contraire voluerimus, soledus tantus tibi sociante fisco conponat, et nihil vindicet quod repetet; et haec voluntas nostra cum manus nostras roboratas omni tempore cum lege Aquiliani non dibeat esse inconvulsa.

Incipit cautio de homine.

XXXVII. Domino magnifico fratri illo, ego illi. Constat me accipisse, et ita accepi à vobis per hanc cautionem ad pristetum beneficium, hoc est in argento uncias tantas: in loco pignoris emitto vobis statum meum medietatem, ut

in unaquisque septem ad die stantis qualecumque operam mihi legitemam iniunxeris, facere debiassemus. Cum annos tantus compliti fuerint, res vestras redibere debias, et cautionem meam recipere faciam. Et si exinde de ipsa opera, aut de ipsas res ad ipso placito negligens tardus fuero, aut voluntate vestra exinde non habuero; tunc me constat res vestras in duplum debiam esse reddituras, aut vobis, aut cui cautione ista dederis ad exagenda.

Incipit securitas.

XXXVIII. Ego enim illi. Quia dum non est incognitum, qualiter aliquos homo, nomen illi, et quia ante hos dies habuit interpellationem, dum dicerit, quasi casas sua infregisset, et res suas exinde deportassit. Unde et ipsi illi habuit, ut hoc in basilica sancti illius apud homines tantus coniurare deberet. Sed metuentis bonis hominibus eos concordiare dixerunt. Et si recognovi, et in nullo modo culpabile exinde ipso non invenit, convenit ut manu sua exinde facere deberet, quod ita et fecit, ut nullo umquam tempore contra ipsis nulla calumnia, neque repeticione facere non debeas, sed, sicut dixi, quietus et securus residias. Et si fuerit aut ego ipsi etc.

Incipit cessio (in dotem).

XXXIX. Dulcissima et cum integro amore diligenda sponsa mea nomen illa, ego illi, filius illius. Dum non habetur incognitum, sed pluris habetur cognitum, qualiter te secundum lege Romana sponsatam visus sum habere, in animis meis plenius tractavi, ut tibi aliquid de re paupertaticola mea concidere debirem. quod ita et feci, hoc est cedo tibi membro de casa cum mobile et immobile, in fundo illa villa, super terraturium sancti illius, cum villare vel omne circumcincto suo, iuxta caso illius, lecto vestito, vestimentum tantum, fabricaturas in soledus tantus, mancipia tanta, his nominebus illus et illus, boves tantus, vaccas tantas cum sequentis tantis, ovis tantus, solidis tantus, campo cum silva ferentes modius tantus; de unus latus est campus illius: vinia iuctus tantus, de unus latus est vinia illius: prato iuctus tantus. Haec omnia superius nominata ad die felicissimo nuptiarum hoc ad die praesente habeas concessum, dum advixeris, perpetualiter ad usumfructuario ad possedendum, absque praeiudicio (sancti illius) cuius terrae esse videtur. Si vero, quod fieri non etc.

Incipit ius liberorum.

XL. Dulcissimo et cum integro amore diligendo iocale meo illo, illa. Sane in Dei nomine mente sanoque con-

silio meditantis casus humanae fragilitatis corpore, ne nos contingit ultimos dies inordinatus, quod Deus avertat, de huius saeculi lustris discederemus, debitumve naturae compleverimus, dum in terra nus sobolus non habemus, nostrumque elegemus conspirante Deo commune consilio per cartolae textum nostrum voluntate conscribere. Ideo ego memoratus illi, si tu mihi dulcissima coniux mea illa superstitis fueris, cum ego de hac luce discessero, debitumve naturae complevero, tunc tu tris portionis de omne corpore facultatis meae, quem in pago illo et illi ex aloto parentum meorum, vel de quolibet contracto mihi legibus obvenit, si prolis interim non fuerint procreati, tibi transcribo, ut quicquid exinde in postmodum exinde volueris faciendum, id est tam in domibus, aedificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, agris, acolabus, aquis aquarumque decursibus, iunctis et subiunctis, mobilebus cum omne iure et soliditate eorum, integrum, sicut à me fuit possessum, possedendum tuo iure recipias, et perpetualiter possideas; et quicquid exinde elegeris, faciendi liberum potiaris arbitrium. Quia rem ipsam aliter quam quod heredibus meis, illa quarta vero portione reservaverunt, haec contra vos propinquorum heredibus legitimis meis reservo, ut tu coniux mea illa illas tris portionis, et ipsi heredis mei illa quarta similiter debetis percipere et possidere. Similiter ego illa in ara, iuxta ut superius contenitur depictum, religionis quos tenet tera mea ——— ad vos voluntate mea conscriptas, et ego ad similitudinem conscribere rogavi. Ergo si tu mihi dulcissimus iocalis meus illi superstitis fueris, cum ego de hac luce discessero, debitumve naturae complevero, tunc tu tris partis de omne corpore facultatis meae, quod in pago illo et illo ex alote parentum meorum abire videor, heridis meos in ipsis tris partis fotliden ——— ut quicquid de ipsis tris partis de alote meo, se prolis inter nos non fuerint procreati, facere volueris, tam in domibus, aedificiis, mancipiis, vineis, silvis, agris cultis et incultis, pratis, accolabus, sicut à me fuit possessum, possideas, et rebus tam quod ad praesens possidere videor, ut mihi inante iustum redebitum est, tu hoc integro iure percipias recipere, etc.

Incipit securitas.

XLI. Ego enim illi qui commaneo villa illa sancti illius. Convenit mihi bona voluntate ad securitate ad homine, nomen illo, facere debere. quod ita et fici, pro eo quod illam rem ad furtis conditionis post habuerit, et accepit exinde argento tantum. Proinde mano mea et bonorum firmata tibi exinde dedisse, ut post hunc diem de hac

causa quietus et securus residias. Et si fuerit aut ego ipse, etc.

Incipit epistola quem hominem repotavit de res suas.

XLII. Dum cognitum est quod homo, nomen illi, aliquo homine, nomen illo, mallavit pro res suas, et ipsi illi male ei exinde numquam male fecisset. Proinde ipsi illi ante bonis hominibus convenit, ut hanc epistolam facere deberit, ut nullo umquam tempore contra ipsum agere non praesumat. Quod si illi aut aliqua persona, etc.

Incipit securitas de rapto.

XLIII. Ego enim illi. Constat me accepisse de illo integro conpositione, pro eo quod apud homine, nomen illo, puella sua tradenda fuit, dedi ei ad ipso illo soledus tantus. Proinde manu sua firmata et bonorum hominum accepi, ut post hunc diem neque illi, neque nullus de heredibus suis, nulla calumnia nec repetitione habere non debias, sed, sicut dixi, de hac causa quietus residias. Et si fuerit aut ego ipsi, etc.

Incipit notitia (de matrimonio servorum).

XLIV. Notitia qualiter illi et illi. Non habitur incognitum, qualiter servus nomen illi, ancilla ad illo, nomen illa, extra voluntatem ad coniugium se coniunxerunt: sed modo nos una pacis concordia convenit, ut de agnatione qui de ipsis procreati fuerint, illi ad ancilla sua duas partes recipiat, ego et illi ad servo suo illo tertia, et quod ipsi aliquid stante coniugio convenerunt, illi servo suo de ipso peculiare duas partes recipiat: similiter et illa ad ancilla sua illa tertia. Proinde ut in postmodum nulla altercatio inter nos non debeat esse, ut manus nostra exinde per duas epistolas uno tenore conscriptas facere deberimus. quod ita et fecimus, et pro rei totius firmitate modo adfirmavimus, ut nec nos ipsi, nec ullus de heredibus vel de propinquis nostris, aut militans stranea persona, contra ipsas epistolas venire voluerit, ad dupla pecunia teneatur obnoxius; et illa petitio non obteniat effectum, et has convenentias inconcusso et inconvulso teniat firmitate.

Incipit epistolas qui de heredibus alicui aut ecclesiae delegat.

XLV. Lex Romana et antiqua consuetudo exposcit, ut unus quis homo, dum in suum contenit arbitrium, de rebus suis propriis aliquid pro animae suae conpendium dare decrevit, licentiam habeat, et illud quod ad loca sanctorum, ad congregationem monachorum confertur, numquam

perit, sed ad memoriam aeternam et iustitiam reputatur. Igitur ego enim in Dei nomen inluster vir ille, necnon et conguic mea inlustra matrona illa, convenit nobis unaniniter pertractantis, ut aliquid de rebus nostris in Monasterio nostrò, quem communiter aedificavimus, qui est in honore sancti illius infra muro Andecavis constructus, ubi illa Abbatissa custos praeesse videtur, concidere deberemus. Quod à die praesente visi sumus fecisse, hoc est locello nuncupante illo, in pago illo, rem proprietatis nostrae, quem de parente nostro venerabile viro illo Abbate propria pecunia conparavimus, vel die praesente nostra est possessio, hoc est cum terris, domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, viniis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, movilebus et inmovilebus, iunctis et appendiciis et adiecentiis in se habentis ad se pertenentis cum superposito pro omni merito suo, ut diximus, ad praedicta basileca vel congregatio ipsius vel rectorem ipsa volumus èsse translatum atque inductum: ita ut quicquid exinde ab hac die iure proprio atque firmissimo congregatio ipsiùs utilitatibus monasterii ipsius elegerit faciendum, liberam habeat in omnibus potestatem: quia malumus te sacrosanctae ecclesiae in honore sancti illius in idipsum monasterio aedificatae, quam reliquis heredibus nostris. Quod si fuerit aliquis de heredibus nostris, qui contra hanc epistolam cessionis, quam bonà voluntate pro nostris expiandis peccatis devovimus, venire aut contrarius vel pulsator exstiterit, prius à communione Ecclesiae catholicae sit pulsatus, et aeternae damnationi subiectus; et insuper auri libras tantas, argento pondus X. sociante fisco, cuius pulsaverit, componat: nihilo minus epistola atque definitio nostra omni tempore firma et stabilis perduret.

Incipit notitia, quem hominem in causa sua repellavit.

XLVI. Notitia qualiter veniens illi Andecavis civitate ante venerabile vir illo Abbati vel reliquis quam plures bonis hominibus, qui cum ipso aderant, cuius nomina vel scriptiones atque signaculum subter tenentur inserta, interpellavit aliquus homines his nominibus illus et illus, dum dicerit, quasi vinia sua in loco nuncupante illo, malo ordine pervasisset. quia ipse illi et illi taliter in responso (dederunt), quod auctori habebant legitimo nomen illo maiore, quia ipsa vinia ad eos dedissit. Sic ab ipsis viris illi fuit denuntiatum, ut die illo Andecavis civitate ipso illo in Autericio praesentarè deberit: se hoc non faciebat, cum legis beneficio ipso illo de ipsa vinia revestire deberet. Actum.

Incipit mandatus.

XLVII. Domino magnifico illo illi. Rogo, preco, supplico atque iniungo per hunc mandatum ad vicem meam hominem, nomen illo, quem ego beneficium ei feci, argento uncias tantas, ipsum meum ubi et ubi, eas vel meas prosequere et adinallare et adcausare facias, quomodo ipso debite recipere facias: et quicquid ad vicem meam exinde facere volueris, egeris, feceris, gesserisve, etenim me habiturum esse cognusce ratum. Mandatum Andecavis civitate, curia publica.

Incipit charta de sanguinolento, quem de matricola suscipi.

XLVIII. Cum in Dei nomen nos vero fratris, qui ad matricola sancti illius residere videmur, quos nobis ibidem omnipotens Deus de conlata Christianorum pascere videtur, invenimus ibidem infantolo sanguinolento, cui adhuc vocabulum non habetur, et de cuncto populo parentes eius invenire non potuimus. Ideo convenit nobis unanimiter consentientes, et per voluntatem marthyrario, nomen illo Presbytero, ut ipso infantolo ad homine nomen illo venumdare deberemus. quod ita et fecimus, et accepimus pro ipso, sicut apud nos consuetudo est, treanto uno, cum nostro pacto et intimare rogavimus. Si nus ipsi aut domenus vel parentis eius, qui contra charta ita venire voluerit, in primitus Christus filius Dei vivi terribilem et metuendum, ut non sit ad gaudium, sed ad eius detrimentum quod ei incutiat sempiternam poenam; et quod repetit vindicare non valeat, et haec facta nostra omni tempore firma permaneat.

Incipit iudicius de homicidio.

XLIX. Veniens illi et germanos suos illi Andecavis civitate, ante viro inluster illo Comite vel reliquis racimburdis qui cum eo aderant, quorum nomina per subscriptionibus atque signacola subter tenentur inserta, interpellabat aliquo homine, nomen illo, dicebat quasi ante hos annus parentis coram illo quomodo interfecisset. Interrogatum est saepe dicto illo, quid ad hac causa daret in responsis. sed hoc ad integra fortiter denegabat. Sic iuxta actificantes saepe dictis germanis visum est ad ipsis personas decrevisse iudicio, ut quatrum in suum quod evenit ipso Kalendas illas, apud homines XII. mano sua XIII. vicinus circa manentes sibi: sin melius in ecclesia seniore loci in ipsa civitate hoc debiat coniurare, quod ad morte saepe dicto numquam consentisset, nec eum occessisset, nec consciens, nec consentanius ad hoc faciendum numquam fuis-

set, Se hoc facere potest, diebus vitae suae de ipsa causa securus permaneat: sin autem non potuerit, in quantum lex praestat hoc emendare stodeat.

Incipit notitia ad supradicta iudicia.

Notitia sacramenti, qualiter vel quibus praesentibus aderant in ipso die Kalendas Martias ingressus est homo, nomen illi, in ecclesia seniore sancti loci Andecavis civitate, secundum quod iudicios suos loquitur, apud homines XII. mano sua XIII. iuratus dixit. Per hunc loco sancto et divina omnia sanctorum patrocinia, qui hic requiescunt, unde mihi aliquid homenis illi et germanus suos illi reputaverunt, quod parente eorum illo quondam interficisse aut interficere rogasse; ipsum non occisi, nec occidere rogavi nec consciens, nec consentaneus ad morte sua numquam fui, nec illud de hac causa non redebio nisi isto edonio sacramento, quem iudicatum habui, legibus transivi. Id sunt quod de praesente fuerunt, et hunc sacramentum audierunt, et hunc notitiam manus eorum subter adfirmaverunt. Facta notitia.

Incipit mandatus.

L. Domino fratri illo, ego illi. Negociens rogo, preco, atque suppleco per hunc mandatum ad vicem meam servo meo, nomen illo, natione gentile: quem mihi confugio fecit ubi et ubi, cum ipse invenire potueris, tam in pago, quam in palatio, seu in qualibet patria invenire potueris, quicquid exinde ad vicem meam prosequere et excausare, vel admallare eas faceas: et quicquid per hunc mandatum egeris, feceris, gesserisve, etenim me habiturum esse cognusce ratum. Mandatum Andecavis civitate.

Incipit mandatus.

LI. Domino magnifico illo, ego illi. Rogo atque suppleco vestra caretate per hunc mandatum, ut omnes causas meas in pago illo ad vicem meam prosequere vel admallare facias, tam in pago, quam et (si necessitas fuerit) ad palacio, vel ubi locus congruus fuerit; et quicquid exinde egeris, feceris gesserisve, etenim me in omnibus habitaturis tibi essit cognuscat ratum, quam gestibus oblecatus. Et ut certius credatur, mano mea subter firmavi, et magnorum meorum subterius decrevi adfirmare. Datum mandatum Andecavis civitate.

Incipit notitia.

LII. Noticia qualiter veniens ille Andecavis civitate, die illo, in regionis, quod ficit mensis illi dies tantus, pla-

citum suum adtendedit. Ac contra aliquus homines, his nominibus illus et illus: unde ante hos dies iurationis fuerunt pro vinia sua in loco qui dicitur illo. Unde et autore nomen illo, spoponderunt praesentare ipsa vinia ipsis consignasit. Sed veniens in eo placito illi, de mane usque ad vesperum placitum suum legibus custodivit et solsadivit. Nam illi et illi ibidem fuerunt, et hoc quod espoponderunt, menime potuerunt adimplire. Propterea necessarium ipsius illo, ut hanc noticiam manibus bonorum hominum exinde accipere deberit, quod ita et fecit, ut in postmodum quicquid lex inter eos declarat, attendere debiat.

Incipit cessio.

LIII. Quod bonum faustum sit, Lex felicitatis adsatis adsentit, et lex Romana edocit, et consuetudo pagi consentit, et principalis potestas non prohibet, ut tam pro se intercidentem, quam ad die filicissimo nuptiarum obtabile evenientem. Idcirco ego in Dei nomine illi nomen, ante proscribo ad sponsam meam, nomen illa, filia illius, transcribo ad ipsa per hanc epistola atque cessione, hoc est casa cum curte, vel omni circumcincto suo, hoc est mobile et inmobile, lecto vestito, campo ferente modius tantus, de uno latere est campus; vinia iuctus tantus, de uno latere vinia illius; silva iuctus tantus, de uno latere silva illius; prado iuctus, de uno latere prata illius, et est super terraturium sancti illius, in fundo illa villa, bovis tantus, vaccas cum sequentis tantus; vestimento tanto, in turis de soledus tantus, bracilo de soledus tantus, haec omnia rem superius nomenata, quamdiu adviximus, ambo pariter hoc tenere et possedere debiamus, superius nomenata hoc tenire et possedire debias. Et se prolem nobis Deus dederit, cum omne integritate ut rem meliorata acceperit, et adfirmare deberimus: quod ita et ficimus. Post transitum vero tuum in ipsis revertantur. Et se agnatio de nobis procreata non fuerit, haec omnia rem superius nomenata, hoc tenire et possedire debiant, et cui volueris derelinquas. Et si fuerit qui contra hanc epistola adque cessione, quem ego bona voluntate nulla imperium fieri et adfirmare rogavi, venire aut litigare vel infrangere fortasse conaverit, inferat inter tibi et fisco soledus tantus coactus componere debiat, et quod repetit vindecare non valiat.

Noticia divisionis.

LIV. In Dei nom. Placuit atque convenit inter illus et illus germanus, ut inter se de res eorum devidere debuerunt. quod et fecerunt. Accipit illi hoc est casa cum omni circumcincto illo, seu et mancipia vel mobile et im-

mobile, quem in ipsa casa esse videtur, vel vineas, silvas et prata, quantumcumque in ipsa casa aspicere videtur, totum et ad integrum. Et in contra accipit germanus suos illi alio locello illo, cum omne rem ad se pertinentis. Unde convenit ut manus eorum firmatas inter se accipere deberent, quod ita et fecerunt, ut unusquis quod accipit habeat, teneat et possideat, vel cui voluerit derelinquat. Et si fuerit unus ex nus ipsis qui contra pare suo agere aut resultare praesumpserit, partem suam ad pare suo amittat, et insuper soledus tantus componat, et quod repetit nihil valeat vindicare; et haec pactio divisionis omni tempore firma permaneat.

Noticia cessionis.

LV. Ego enim illi. Convenit nobis ad petitionem nutrido nostro, ut aliquo locello, nomen illo, in loco qui vocatur illo, pro assiduo servicio suo vel benevolentia qui circa nus abire visus est, ei concidere deberemus. quod ita et fecimus ut post hunc diem ipso locello integrum habeat concessum, ut quicquid de ipso facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem faciendi. Et pro infestantis malis hominibus, convenit multa ibidem inserere debeamus. quod ita et fecimus. Et si fuerit qui contra epistola ista ullus de heredibus meis, aut quislibet homo, aut extranea persona, qui contra ipsa resultare voluerit, soledus tantus ei componat, et repeticio sua non obtineat effectum, et haec epistola omni tempore firma permancat cum stipulatione subnixa.

(*Formula dissolvendi matrimonii.*)

LVI. Domino non dulcissimo, sed amarissimo et exsufflantissimo iocali meo illo illa. Dum non est (incognitum), qualiter faciente inimico et interdicente Deo, ut insimul esse non potemus; proinde convenit nobis ante bonis hominibus, ut ad invicem nos relaxare deberemus. quod ita et fecimus. Ubicumque iocalis meus mulierem (ducere) voluerit, licentiam habeat potestatem faciendi. Similiter et illa convenit, ut ubicumque ipsa femina superius nominata sibi marito accipere voluerit, licentiam habeat potestatem faciendi. Et si fuerit post hunc diem unus ex nus ipsis qui contra hanc epistola ista agere aut repetire praesumpserit, soledus tantus ad pare suo componat una cum iudice intercidentem, et quod repetit nihil valeat vindicare, et haec epistola firma permaneat.

Incipit cessio.

LVII. Lex Romana edocet, consuetudo pariter consensit, et regalis potestas non prohibet, ut unus quis de rem

suam, quem in praesente die possedit, faciat quod voluerit. Idcirco ego quidem in Dei nomen illi, qui commaneo illa villa, quia pertractavi circa animus meus, ut omnis res meas, quem in praesente seculo habere videor, ad filio meo duas partes per hanc epistola cessione ad die praesente trado ad possedendo, tam casas, domibus, aedificiis, mancipiis, campis, viniis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, iunctis et subiunctis movelibus et immovelibus, omni rem meam, pro assidua servitia sua vel benevolentia, ei, sicut dixi, partis duas deligo atque transfundo ad die praesente; tertia vero parte ad heredis propinquis reservans, hac tamen conditione, ut dum advixero, mihi in omnibus tam de victo, quam et de vestito soniare mihi debiat, et ipsa terra persolvere faciat: et quicquid de ipsis duas partes facere voluerit, habendi, tenendi, donandi, vendendi, seu commutandi, absque praeiudicio sancti illius, cuius terrae esse videtur, liberam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero (quod fieri esse non credo) si fuerit ullo umquam tempore, aut ego ipse, aut nullus de heredibus meis, vel quilibet homo aut extranea persona, qui contra hanc epistolam cessione ista venire aut agere fortasse praesumpserit, in primitus Dei incurrat iudicium, et sanctorum loca efficiatur extraneus, et insuper inter tibi et agente sancti illius tantus componat; et quod repetit nullo congenio evindicare non valeat, et haec cartola omni tempore firma permaneat.

(*Notitia de natis servorum*).

LVIII. Nos enim illi et coniux mea illa. Dum non est incognitum, qualiter aliqua femena, nomine illa, servo nostro, nomen illo, ad coniugium copulavit, et modo nos bona voluntate convenit, ut quamdiu quidem in coniugio sunt copulati, ipsa femena per nos non debuit esse declinatam in servicio. Et agnacio, se ex ipsis procreata fuerit, ad ingenuetatem capitis eorum debuit permanere ingenui. Si quoque ut se eis necessitas fuerit, ad servicio caput eorum inclinatur, non ei detur licentia, nisi ad nus vel heredis nostris propinquiores: et peculiare, quod sit ante coniugio laborare potuerit, ipsa femena tercia parte exinde habeat absque nostra repeticione, vel heredum nostrorum. Deinde in hunc epistola nobis intimare convenit, se nos ipsi, aut heredis vel propinqui nostri seu quislibet opposita persona, quid ad traditis conveniencias ipsa femena conmodolare voluerit, aut contra epistola haec agere contemtator fuerit, soledus tantus componat, et nihilum dicit et quod repetit, et haec epistola omni tempore firma permaneat.

(Notitia de commodato).

LIX. Ego enim illi qui conmaneo illa villa. Constat me accepisse, et ita accipi de homine, nomen illo, ad pristetum beneficium argento uncias tantas. Sic modo convenit, ut cum multa caretate ipso argento die Kalendas illas mox venturi Septembris et circum me habere debiam, et ipso die argento vestro reddere faciam, et cautionem meam recipere faciam. Et si exinde necligens aut tardus fuerim, voluntate vestra non habueris, hic modo mihi in hunc cautione placuit inserere, ipsas revestitas in dupplum vobis sic redderturus, aut vobis, aut cui cautionem istas dederis ad ex.

FORMULAE ALSATICAE
SIVE
FORMULAE VETERES

Ex vetustissimo Codice primum editae a clarissimo viro Claudius Le Pelletier.

FORMULARUM ARGUMENTA.

I. Ego ille cum manu Advocati illud trado ad Monasterium S. N. cui nunc S. Episcopus Abbatis iure praesidet,

quicquid haereditatis in Arguna possideo, hoc est in illo et illo loco, ea conditione ut ego inde duos denarios singulis annis vitae meae ad ipsum Monasterium persolvam. Et filius meus, Ille, et eius legitime procreati easdem res intra sex annos post obitum meum decem libris in arg. et auro puro, a supra dicto Monasterio redemerunt. Quod si pactum quod cum eis placitus sum confirmaverint et impleverint, potest eadem redemptio, etiam me vivente, si ita mihi et amicis meis complacuerit, fieri. Quodsi in aliquo pactionis meae contrarii fuerint, ego de rebus meis ordinandis potestatem habeam. Sic autem haec omnia trado, ut cuncta et filio meo, Illi, et eius procreationi, et Monasterio proficiant, in agris, pratis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, et omnibus aedificiis ac mancipiis atque universa supellectili: nisi tantum quod mancipia quae iugiter in domo mea consistunt, et mihi specialiter serviunt extra hanc traditionem relinquere decrevi, donec mihi Dominus insinuare dignatus fuerit quod de his, secundum suam voluntatem et utilitatem meam facere debeam. Si quis vero contra hanc cartam potestativa manu peractam venire, aut eam irrumpere conatus fuerit, ad fiscum Regis auri uncias tres, argenti libras octo coactus persolvat, et haec carta nihilominus firma et stabilis permaneat. Haec traditio primum placita et facta est in illa feria IIII. VII. Kalend. Octobris coram N. seniore Comite, et subscriptis Proceribus ac Plebeiis, atque roborata est in illa VI. die Kalend. earundem Tr. VI. coram Illo Comite iuniore et multitudine procerum ac popularium, quorum hic pauci admodum sunt adnotati. Signum N. et Advocatus eius N. qui hanc traditionem fieri iusserunt et decreverunt. Ego itaque N. notavi supradictos dies, annum N. Regis Piissimi VII. Comitem.

II. Complacuit mihi S. Episcopo et Abbati Monasterii S. G. ut res quas nobis N. tradidit cum consensu fratrum et manu Advocati nostri N. hoc ei repraestaremus. Tradidit autem nobis eadem N. quicquid haereditatis in Arguna in Australi parte Aquilonis Argunae possedit. Idem in isto et isto loco, ea conditione, ut ipsa inde duos denarios singulis annis vitae suae ad ipsum S. G. Monasterium persolvat. Et filius illius N. et eius legitimi procreati, easdem res intra sex annos post obitum ipsius R. X. libris in argento et auro puro à supradicto Monasterio redimant. Quod si pactum quod cum eis idem N. et procreatione eius placita est, confirmaverint et impleverint, potest eadem redemptio, ipsa vivente, si ita ipsi N. et amicis eius complacuerit, fieri. Quod si in aliquo pactioni ipsius contrarii fuerint, ipsa de rebus suis ordinandis potestatem habeat. Sic autem haec cuncta tradidit, ut omnia et filio ipsius N. et eius procreationi, et

praedicto Monasterio in agris, pratis, sylvis, aquis aquarumque decursibus et omnibus aedificiis, ac mancipiis, atque universa supellectili: nisi tantum, quod mancipia quae iugiter in domo illius consistunt et ipsi specialiter serviunt, extra hanc traditionem relinquere decrevit, donec Deus illi insinuari dignatus fuerit, quid de istis secundum voluntatem ipsius et utilitatem suam facere debeat. Haec conditio primum placita et facta est in N. feria IIII. VII. Kalend. Octobris coram N. seniore Comite, et subscriptis Proceribus ac Plebeiis, atque roborata est in N. V. die Kalend. earundem, feria III. coram N. Comite Iuniore et multitudine Procerum ac Popularium, quorum hic pauci admodum sunt adnotati. Signum S. Episcopi et Abbatis et Advocati eius N. qui hanc precariam fieri decreverunt. Signum Dec. Sacr. Praepositi Port. Hospit. Cell. Cam. Signum et aliorum testium qui ibi praesentes fuerunt. Signum illud et illud. Ego itaque N. notavi dies supra scriptos. Annum N. Comitem finis cartae precariae.

III. Sicut Augusti Romanorum totius orbis Monarchiam tenuisse ferunt, ita summus Pontifex in Sede Romana vicem beati Petri gerens, totius Ecclesiae apice sublimatur. De quo Sardicensi Concilio statuitur, cunctorum statuta ad eum referri debere: idque observandum quod ipse statuerit. Sicut vero summus saeculi status aut principatus, non tantum apud Romanos, verum etiam apud aliarum partium gentes fuit, ita et aliae Ecclesiae dignitati sedis Apostolicae et Romanae consociantur. Idem Antiochensis in Asia, Alexandrinus in Africa. In Concilio enim Nicaeno harum trium privilegium Ecclesiarum caeteris omnibus anteferendum ostenditur. Sed potest trium locorum eminentia ad unam dignitatem referri: quia in duobus horum Petrus ipse sedit, et cum nihilominus idem Alexandrinam, per Marcum filium suum, et Evangelium, quod ex ore eius ipse Marcus descripserat, suam effecerat sedem; similiter intelligendum de Principatibus saeculi; quod quamvis in diversis orbis partibus per tempora sua fulserint, tamen ad ius Romanum, quasi unum apicem postremo omnes relati sunt. Comparetur ergo Papa Romanus Augustis et Caesaribus; Patriarchae vero Patriciis, qui primi post Caesares in Imperiis fuisse videntur: ita et isti, qui satis pauci sunt, primi post trium Sedium Praesules habentur. Deinde Archiepiscopos, qui ipsis Metropolitanis praeminent Regibus conferamus. Hoc est Furiolanum, Lugdunensem, Mogontiacensem. Metropolitanos autem Ducibus comparemus; quia sicut Duces singularum sunt Provinciarum, ita et in singulis Provinciis illi singuli ponuntur. Unde et in Calcedonensi Concilio iubetur ne una Provincia in duos Metropolitanos dividatur.

Quod Comites et Praefecti in seculo, hoc Episcopi caeteri in Ecclesia explent. Ferunt enim in Orientis partibus per singulas urbes, et praefecturas singulas esse Episcoporum gubernationes. Sicut Tribuni militibus praeerant, ita Abbates Monachis Athletis spiritualibus praeesse noscuntur. Quemadmodum sunt in Palatiis Praetores, et Comites Palatii, qui saecularium causas ventilant, ita sunt et illi, quos summos Capellanos Franci appellant Clericorum causis praelati. Capellani minores ita sunt, sicut hi quos vassos Dominicos Gallica consuetudine nominamus. Dicti sunt autem primitus Capellani a cappa Beati Martini, quam Reges Francorum ob adiutorium victoriae in praeliis solebant habere secum, quam ferentes et custodientes, cum caeteris Sanctorum reliquiis Clerici Capellani coeperunt vocari. Porro sicut Comites quidam Missos suos praeponunt Popularibus, qui minores causas determinent, ipsis maiora reservent; ita quidam Episcopi Chorepiscopos habent, qui in rebus sibi congruentibus, quae iniunguntur efficiant. Centenarii, qui et Centuriones, et Vicarii, qui per pagos statuti sunt, Presbyteris Plebeii, qui baptismales Ecclesias tenent, et minoribus praesunt Presbyteris, conferri queunt. Decuriones et Decani, qui sub ipsis Vicariis quaedam minora exercent, minoribus Presbyteris titulorum possunt comparari. Sub ipsis Ministris Centenariorum sunt adhuc minores, qui Collectarii, Quaterniones, et Duumviri possunt appellari, quia colligunt populum, et ipso numero ostendunt, se Decanis esse minores. Sunt autem ipsa vocabula ab antiquitate mutuata, in qua officia Praelatorum dicebantur ex numero subiectorum, ut sunt Chiliarchi, Graeci, Latini, Millenarii, Centenarii, et Centuriones, Pentepontarchi et Quinquagenarii, Decani et Centuriones, Quaterniones, Duumviri. Ad horum, id est, minorum similitudinem sunt Diaconi, Subdiaconi, Presbyterorum adiutores in verbo, Baptismo et quotidiano officio. Sunt etiam Archipresbyteri in Episcopiis Canonicorum curam gerentes. Habent et potentes saeculi Consiliarios in domesticis, et liberorum Pedagogos suorum, habent ipsi Procuratores rei familiaris. Similiter in quibusdam Ecclesiis ad Archidiaconos familiae respicit gubernatio. Sunt in saecularibus Quaestionarii, qui reos examinant; sunt in Ecclesia Exorcistae Daemonum exclusores. Habent potentium Ianitores, habet et domus Dei Hostiarios. Habet mundus Veredarios, Commentarienses, ludorum exhibitores, carminum pompaticos relatores; habet Ecclesia Accolytos, Lectores, Cantores atque Psalmistas. Caeterum ex utriusque ordinis coniunctione et dilectione una domus Dei construitur, unum corpus Christi efficitur; cunctis membris officiorum suorum fructus mutuae utilitati conferentibus,

quemadmodum oculi in sapientibus, qui veram lucem et percipiant et insinuent: os in Doctoribus, auris in benevolis auditoribus, nasus in discretionis amatoribus, manus in operatoribus, pedes in proficiscentibus, venter in compatientibus, humeri in laborum toleratoribus, et caetera in caeteris, ut non sit schisma in corpore; sed si gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra; tristatur unum, cuncta condoleant. Ista convenientia eo usque tenenda est, donec occuramus omnes in virum perfectum, ut sit Deus omnia in omnibus, Amen.

IV. In nomine Sanctae et individuae Trinitatis. K. Divina favente gratia Imperator. Notum sit omnibus sanctae Dei Ecclesiae Fidelibus, nostrisque, praesentibus scilicet et futuris, qualiter Fideles nostri, illi et illi tradiderunt duo mancipia sua propria N. ad monasterium novum puellarum in Brixia per manus Advocati eiusdem Monasterii N. et concambiaverunt inde quemdam servum N. ut eum ob mercedis nostrae augmentum liberum dimitteremus. Nos vero manu propria nostra excutientes de manu supra dicti N. denarium, et numerum et argentum et aureum et dragmam, et sestertium, et minam, secundum legem Salicam eum liberum dimisimus, et ab omni iugo servitutis absolvimus, eiusque absolutionem per praesentem authoritatem nostram confirmavimus, atque nostris et futuris temporibus firmiter et quam inviolabiliter mansuram esse volumus. Praecipientes ergo praecipimus, ut sicut reliqui manumissi, qui per huiusmodi titulum absolutum a Regibus et Imperatoribus Francorum noscuntur esse ingenui relaxati, ita deinceps memoratus N. per hoc nostrae authoritatis praeceptum nullo inquietante, sed Domino auxiliante, perpetuis temporibus debeat permanere ingenuus atque securus. Et ut haec auctoritas absolutionis nostrae incorruptivam obtineat firmitatem, annuli nostri impressione subsigillari eam iussimus. Data VIII. Kalend. Iulii anno quinto. per mortem patris sui Hludovici in Francia, Alamannia, secundo regni eius in Burgundia, Imperatoriae vero dignitatis et Apostolicae benedictionis primo. Ego N. Notarius et exceptor ad vicem N. (*sic*) Archimentariensis recogno. Feci.

V. In nomine Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi K. Divina ordinante providentia triumphator et imperator Augustus, omnibus Comitibus partibus Alemanniae, seu successoribus atque iunioribus vestris et omnibus fidelibus nostris, notum sit. Quia placuit nobis pro remedio animae nostrae et aeternae retributionis fructu, Monasterio et Episcopio N. illi et illi quod situm est in pago N. ubi illi, et ille venerabilis Abbas et Episcopus praeest, et Congregationi ipsius Monasterii quemdam censum desuper scriptis Mona-

steriis, qui partibus Comitum exire solebant, salva tamen functione, quae tam ex tributo, seu vectigalibus et alia qualibet re partibus Palatii nostri venire debet, per hanc nostram authoritatem concedere, et propterea has nostrae praeceptionis litteras praedicto Monasterio eiusque congregationi fieri iussimus, per quas omnibus vobis praecipimus, ut de Monasteriis denominatis, hoc est in Comitia N. indurg. . . . in Centuria illa, in loco qui dicitur N. iuxta villam nostram N. de hoba illa et illa in eodem pago in Centuria N. in loco qui et ipse N. nuncupatur, qui est iuxta N. baptismalem Ecclesiam, de manso illo et illo, et in eadem Comitia in parte Orientali in Centuria N. in loco qui aeque N. vocatur, et est iuxta Constanticusem Ecclesiam. De manso illo, et illius nullum tributum, aut vectigal, aut opera, aut araturas, aut alias quaslibet functiones exigere, aut exactare praesumetis, sed sicut in nostra Elemosina concessimus, ita perpetuo maneat. Reliqua ut supra.

VI. In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis H. L. Rex Germaniae, si erga loca ab anterioribus nostris Divino cultui mancip.ta, et servos Dei in eisdem commanentes, liberalitas nostra aliquid beneficiorum contulerit, mercedem nobis ab hoc a Deo credimus repetendam, et prolem nostram post nos feliciter regnaturam. Et idcirco omnes fideles nostri, et filiorum nostrorum, praesentes scilicet et futuri cognoscant, quod venerabilis vir N. illius Ecclesiae Praesul precibus, quibus ausus est, serenitati suggessit, quod Canonici, et familia ipsius Ecclesiae, sed et alii Clerici et cunctus populus eiusdem Dioeceseos, nimium solliciti essent et suspecti, quisnam illis aut cuius gentis per se Episcopus ordinaretur, timentes videlicet, ne si ignotus ignotis, et etiam alterius linguae, diversorumque morum superponeretur, eis nequaquam convenire potuisset. Cuius suggestioni assensum nostrae pietatis accommodantes, et Christianae plebis utilitati prospicientes, per authoritatem nostrae potestatis eidem Ecclesiae hoc pacto in eodem Clero et etiam in ipsa Parrochia ius sibi eligendi Episcopum in Elemosinam nostram concessimus. Ideo si inter ipsos Canonicos Ingenui et Nobiles homines Divinae authoritatis eloquiis, et Synodalium Decretorum constitutis instructi, et bonis moribus adornati fuerint inventi, per consensum sacrorum ordinum, et natu maiorum nobilium Laicorum, qui dignus ex eis electus fuerit, ad nostrae serenitatis deducatur aspectum, ut per nostram comprobationem Clericis et Monachis et omni Populo acceptus et honorabilis habeatur. Quod si inter eos talis inveniri nequiverit, sed Dei gratia Monasteria in eadem Dioecesi Nobilibus et eruditis viris referta, inde dignum et industrium Ecclesiae Rectorem inve-

nientes, nostro conspectui perducant eligendum, ut per nos Archiepiscopo commendatus, officii sui authoritatem, per nostram obtineat potestatem. Si hoc noluerint, de tota Parrochia unum quemlibet Clericum natalibus et doctrina pollentem cum consensu populi eligentes nobis videndum et comprobandum praesentantes petitionem suam apud clementiam nostram se obtinere confidant. Si vero, quod absit, personam servili iugo notabilem, et publicis exactionibus debitam, aut etiam vitiis suis consentaneam, et ipsi sine populo eligere, et nobis absque idoneis Parrochiae testibus assignare praesumpserint, liceat nobis potestate Regia uti, et iuxta scientiam nobis divinitus concessam, Ecclesiae Dei dignum constituere Sacerdotem, qui et Ecclesiam Canonice sciat dirigere, et ad nostram obsequelam et obsequium, per aetatis et industriae commoditatem sufficiat occurrere, quod etiam caeteri, si perveniant ad Episcopium, sibi noverint subeundum. Ut autem haec concessio nostra firmitatis suae diuturnum obtinere possit vigorem, placuit nobis eam propria manu roborare, et annuli nostri impressione munire. Signum K. Serenissimi Regis in Orientali Francia data Kalend. Maii anno Imperii eius V. actum Regino curte publica, in Regno Baioariorum, anno ab incarnatione Domini qualicunque, indictione quavis.

VII. In nomine Dei et Domini nostri Iesu Christi K. Divina favente clementia Rex. Quicquid ad loca sancta impendiorum conferre curaverimus, Deum nobis pro hoc remuneratorem promereri confidimus: et ideo fideles nostros scire volumus, quod ille venerabilis Episcopus Ecclesiae illius per familiares Celsitudinis nostrae Pietatem nostram flagitare confisus est, ut pro Elemosyna nostra, et Augustissimorum Progenitorum nostrorum quemdam Fiscum Regalium possessionum, qui N. dicitur ad eandem Ecclesiam, et ad Clerum sustinendum et peregrinos, et ad peregrinos suscipiendos concedere dignaremur, et eosdem intercessores affabilitati nostrae conquestus ipsius Ecclesiae reculas valde tenuissimas esse, de quibus et nostrae sublimitatis obsequio et suo ministerio satisfacere nequiret. Rationabili igitur eius petitioni assensum nostrae largitatis accommodantes, concessimus ad ipsum titulum Pastoralem curtem seu fiscum iuris proprii et Regalis in illo et illo loco, tanta nostrae potestatis auctoritate, ut sicut usque nunc eaedem possessiones ad nos tantum et nostros Ministeriales aspectabant, ita ex hoc ad Episcopum loci ipsius et ad eos tantum quibus ille curam earundem rerum commiserit pertinere debeant, et nullus Dux aut Comes, nec quilibet superioris aut inferioris Ordinis Iudex, sive Missus in eodem loco nec in omnibus ad eum pertinentibus, et mansiones sibi parare aut invadere,

aut pastum iumentis suis aut suorum diripere, aut inde veredos aut veredarios exigere, aut ibi Concilium congregare, aut aliquid ex eisdem locis suo iuri vindicare, absque tunc temporis Episcopi consensu praesumere audeat, usque ad nostram praesentem audientiam et diiudicationem. Et quisquis de viciuis ex sua haereditatula ad eumdem sanctum locum tradiderit, hoc ipsum eidem immunitatis tuitioni subiaceat. Et ut haec largitatis nostrae constitutio firmum a posteris suae perfectionis tenorem obtinere valeat, manu propria eam insignire voluimus, et nostri imaginis anulo consignari praecepimus. Signum K. Serenissimi Augusti Rectoris Francorum, Sveviorum, Baioariorum, Turingorum, Saxonum, Domitorisque barbararum nationum. Ego N. ad vicem N. Archicapellani sic recogno fieri. Data Kl. Aug. anno, et ind. ut supra.

VIII. In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. N. Divina largiente Clementia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris, quod vir Reverendissimus N. Abbas Coenobii, qui dicitur N. et est constructum in honore sancti Martyris N. detulit nobis quoddam Gloriosissimi Genitoris nostri III. Imperatoris praeceptum, in quo continebatur, qualiter idem Monasterium ab antiquis temporibus a Regibus potestatem ac privilegium haberet, ut ipsi fratres inter se Abbatem eligerent, et nulli hominum subiecti esse deberent, praeter in eo solum, Episcopo suo deferrent, quod ad Ecclesiasticam disciplinam pertinet: videlicet ordinationem accipiendi, et si qua forte contra Canonicam authoritatem commissa fuerint, corrigendi, donec quibusdam machinationibus, imo surreptionibus apud avum nostrum N. R. M. Episcopus ipsi Ecclesiae idem Monasterium subiugaret. Deinde in eodem praecepto Domini et Patris nostri sanctae recordationis Piissimi haec continebantur. Qualiter ipse per suae potestatis authoritatem eidem Monasterio firmius privilegium concessisset, quam prius habere dinoscebatur. Cuius constitutionem nostra etiam authoritate renovare ab eiusdem Abbatis intercessoribus implorati praecipimus atque constituimus, ut idem sacer locus nostrae immunitatis tuitioni subiectus a caeterorum hominum dominatione in perpetuum sit absolutus: et nullus Episcopus, nullus Comes, nec eorum Missus, in eiusdem Monasterii possessionibus absque petitione et consensu Abbatis ipsius Concilium congregare et mansiones sibi parare, et ad ipsum Monasterium, si quando eum rationalis causa sive necessitas itineris pertraxerit, cum multitudine hominum et exercitu venire praesumat, sed modeste et decenter sicut sancta loca decet adire, nec ullus superioris aut inferioris Ordinis Iudex aliquid de eisdem coenobii possessionibus, quas modo legaliter obtinet, et

postea conquesierit, et acceperit, suo iuri sine publico mallo vindicare audeat; nec inde aliquid auferre, aut homines eius loci servos aut ingenuos ad iustum aliquod Concilium et necessitatem distringere, aut freda et parafreda exigere, aut titulos nostros seu suos aut cuiuslibet in omnibus eius locis imponere praesumat, absque nostra, si tamen ita res postulaverit, iussione. Et quandocunque Abbas, qui nunc, et eius successores Divina vocatione ex hoc mundo decesserint, quamdiu tales inter eos inventi fuerint, qui ipsum Monasterium secundum Regulam Sancti Benedicti bene regerent, et ad nostrae serenitatis obsequium sint idonei, cum Dei voluntate et nostra authoritate unanimo et salubri consensu eligant sibi Abbatem, quem nullus propter aliquam causam despicere et abiicere debeat. Et si aliqui de primis, alii de mediis, quidam etiam de extremis, ad nostram praesentiam ipsum electum adducant, ut per eos caeterorum omnium voluntas addiscens, cum illis Abbatem praeficiant sub spirituali regimine, unanimes habitantes in domo, statum Regni nostri et pacem totius Ecclesiae semper impetrare precibus devotis insistant; hoc procul dubio scientes, qui si querelosi aut contradictores inventi fuerint, aliquem de Capellanis aut Episcopis, seu Vasallis meis, talem eis superimponam, qui aut eorum contumeliam edomet, aut si etiam sic corrigi noluerint, quod absit, ex meo illis praecepto ad exemplum cunctorum in omnem ventum dispergam et dispergat. Reliqua ut supra.

IX. Karolus Divina ordinante Clementia Rex. Quia sicut regni Patrum nostrorum successores, ita etiam Religionis eorum haeredes esse cupimus. Ideo quemdam locum in quo ex multo iam tempore plurimae Sanctorum Reliquiae continebantur et laudes Dei à Religiosis hominibus celebrabantur, nostra Authoritate Monasterium, imo Coenobium esse decernimus, et Abbatem eidem loco Venerabilem Virum N. praeficimus, ut secundum Regulam Sancti Benedicti eum debeat ordinare, Nobiles et Religiosos homines illic congregando, orationibus, lectionibus, operi manuum regulariter insistendo, congrua Monachis habitacula construendo, res eiusdem Ecclesiae contra manifestos et occultos adversarios per nostrum et filiorum nostrorum favorem defensando, ut servi Dei, qui ibidem congregantur, victus et vestitus abundantia potientes, die noctuque Dei laudibus et precibus pro nobis et pro omni populo Christiano ex tempore in tempus insistere sufficiant, et nullus in Regno nostro qui gratia nostra uti desiderat, eis aliquam inquietudinem, aut oppressionem, aut direptionem inferre praesumat, et sint immunes ab omnium hominum potestate, nisi nostra et Episcopi, in cuius Parrochia sita sunt, cui tantum Canonice, non au-

tem serviliter se obtemperare debere noverint. Quae constitutio ut per generationum successiones illibata perduret, propria manu eam communire, et anuli nostri impressione libuit roborare. Actum in Castrum TRI.

X. K. ex Dei constitutione et antiquorum Regum propagatione Rex Alemanniae. Scire volo omnes in Regno nostro degentes, quia cunctis iuste et pie vivere cupientibus paternum affectum exhibere desidero, et idcirco cuidam N. vasallo fidelis nostri N. petitionibus annuentes concedimus ei in proprietatem quemdam locum proprii iuris nostri, ad quem pertinent Hobae numero, quia ipsa possessio paternae ipsius haereditati contigua est. Et ut haec constitutio firma permaneat, placuit nobis hoc conscriptum nostrae authoritatis ei facere, ut per generationum successiones ipse et posteritas eius easdem res quasi haereditarii iure possideant, et nullus Ministerialis et Procurator Rei publicae eidem homini de ipsis rebus aliquam molestiam per qualemcumque machinationem audeat inferre, ne populus noster per malignorum hominum occulta et nobis incognita molimina abhorrescat a nobis. Pro qua supra dicta possessione, accepimus ab eodem homine in loco qui dicitur ille et ille, qui est iuxta villam Regiam quae dicitur N. Hobas N. ut eadem possessio solis Regibus haereditario iure subiecta sit in perpetuum, et nullus de pagensibus ibi aliquid commune habeat, nisi forte precatio. Et ne fortassis eidem homini timor aliquis et suspicio rerum suarum perdendi remaneat, placuit nobis hanc conscriptionem per nos roborare, et bulla nostra sigillare debere. Actum in Rotuvilla curte Regali Sinum K. Clementissimi R. data die illa. Ego itaque signum ad vicem V. Archicapellani recognovi.

XI. Summae sanctitatis, scientiae, pietatis et ordinis culmine sublimato Domino T. dignitatis Episcopalis, infimus N. Pastor Ecclesiae C. salutis et prosperitatis augmentum, et futurae vitae gaudium sempiternum. Iste iuvenculus sectator fidei II. α. id est confessor aequalitatis et coaeternitatis II. et T. a. nomine a. M. CCC. LXII. Ex multo iam praecedente tempore pusillitatem nostram inquietare non cessat, ut ad vestrae dominationis dulcedinem eum dirigere debeam, quatenus apud vestram sapientiam aliquid e multis ediscere possit, quo ad ministerium cui deputatus est quantulumcumque proficiens, vitam suam in Ordine Sacerdotali seu Levitico transigere usquequaque non existat indignus. Opinio quippe omnimodarum virtutum in vobis redolentium, more redolentium aromatum et flagrantissimorum ita omnium animos oblectare dinoscitur, ut nec proximi ob desiderii nimietatem ea satiari, nec longinqui propter odoris magnitudinem ea possint privari. Quapropter et ego huius pueri

voluntatem divinitus existimans inspiratam, N. nec non simul et eius perpendens indolitiam N. et tantum in tali aetate ingenium insuper et infantiam in optimis studiis tritam, nefas putavi eius bono desiderio abnuere, et non ad vestram clementiam aliquid pro eius commendatione scribere. Quod etiam me non rogatum oportuisset facere, praesertim cum Dominationem vestram me et omnes ad me pertinentes indulgentius semper habuisse certissimo experimento probaverim. Nunc ergo Puerum istum, viscera mea, filium consobrinae meae, solam et maximam curam meam commendo, quibus estis plenissimi visceribus misericordiae vestrae, ut vestram vitam et vos primis miretur ab annis, mansuetudinem vigore decoratam, doctrinam operibus commendatam, austeritatem dulcedine temperatam, taciturnitatem modestam, locutionem utilem et necessariam, victus et somni parcitatem, mediocritatem vestitus, ieiuniorum et orationum per dies et noctes instantiam, largitionem elemosynarum, susceptionem hospitum, solamen lugentium, peregrinis et egenis, et egentibus plebibus, et Clero, Monachis et virginibus, viduis et orphanis, Comitibus et Regibus, servis et liberis, coniugibus et continentibus, mediocribus et maximis, Iudaeis et Gentilibus, vos unum omnia perdiscat effectum. Quod si aliquod apud vos, ubi omnes proficiunt, doctrinae morumque profectus Deo largiente ceperit, debitorem Christum vobis de eo facitis, qui eum talem educaveritis, ut non solum sibi, sed et aliis possit utilitatis fieri. Priorem autem eius vitam vestrae sapientiae absque fuco manifestare curamus. A sanctae recordationis Avunculo meo S. Episcopo detonsus in Clericum: mox apud Monasterium Sancti Galli cuidam Religiosissimo, omnique vigore et industria plenissimo viro commendatus sub arctissima disciplina et custodia, litterarum studiis monasterialibusque insistens rudimentis, vitam suam, ut credo, spero, et confido, adiutus gratia Dei hactenus servavit illaesam. Iuxta illud sapientissimi Salomonis, futurae illius viae ignari, commendamus eum Deo et verbo gratiae eius, qui potens est aedificare illum, et dare haereditatem in sanctificationibus, ut sub vestra custodela semen Doctrinae Christi in eo coalescat, antequam inimicus ei zizania superinspergat, quod heu! proh dolor! quotidie in omni loco dormientibus agricolis agere persistit infestus. Vos autem ad custodiam gregis sui, ad correctionem totius Germaniae, ad consolationem omnis Ecclesiae, vigiliis, orationibus, omnique diligentia insistentem, Sancta Trinitas diu conservare, et ad perpetuam remunerationem perducere dignetur. L. XI.. VIII. L. Scripta est Epistola haec anno praesenti, indictione XII. M. CCCC. LXIV.

XII. N. Sanctae N. Ecclesiae Pastor Dilectissimo et Sanctissimo Fratri, et Consacerdoti N. Florentino Episcopo, in Domino Salutem. Charitas vestra scire dignetur, quod praesens frater noster mediocribus apud nos natalibus ortus, optimis autem moribus et sacris litteris apprime institutus, a quodam cognato suo in vestram Dioecesim venire persuasus, postulavit à pusillitate nostra, ut pro se aliquid ad dulcedinem vestram scribere curaremus; cuius petitioni annuentes, et paupertati consulentes commendamus eum Sanctitati vestrae, ut apud Vos vitam suam in Diaconii gradu ducere debeat; usquequo eius conversatione vobis et vestris agnita et probata, ad Sacerdotii gradum in Elemosynam vestram promoveri mereatur. Vitam eius priorem, Deo teste, sine fuco vobis intimavimus. Amator erat ieiuniorum et vigiliarum, et idcirco castitatis perpetuus custos, assiduus Ecclesiarum visitator, et charitatis in Deum et proximum indefessus executor. Vale.

XIII. Domino et Patri S. Visocensis Ecclesiae Pontifici C. indignus Episcopus Ecclesiae C. a Deo Π. et Υ, et A. per intercessionem beati Π. α. gratiae et misericordiae pacisque abundantiam. Sublimitas vestra scire dignetur, quia Dominus noster K. Rex comperto recessu fratris nostri N. Losaniensis Episcopi, cuidam Clerico suo eamdem sedem tradere decrevit, pro quo mihi praecepit, ut ex ministerio meo, et consensu fratrum nostrorum, ad Sanctitatem vestram iuxta Canonum Decreta scriberemus. Quod Dei gratia opportune contigit; nam quando nobis eadem Domini Regis Epistola praesentata est, numerosam Synodum collectam habuimus, quibus cum ipsam brevicolam legi fecissemus, maximo sunt omnes gaudio repleti, quod tanti apud illum sumus habiti, ut ex nobis aliquos summo Sacerdotio non existimaret indignos. Commendamus ergo hunc fratrem nostrum, nomine N. Religiositati vestrae nihil extra dicentes, quam quod verum comperimus et scimus. Undique nobiliter genitus, moraliter enutritus, liberaliter instructus, in omni vita sua sine querela conversatus, ab anterioribus meis Archipresbyteratus ministerio suscepto, cum omni diligentia plebem sibi commissam regere curavit; cunctorum vitiorum osorem, et omnium virtutum eum novimus amatorem, pauperum et peregrinorum in eo susceptionem et omnibus hospitalitatem; adeo cuncti scire et laudare consuerunt, ut hanc ipsam dignitatem, quam nunc suscepturus est, non per aliquam ambitionem et machinationem, sive etiam subintroductam, aut subimmissam personam, sed per solum hospitalitatis bonum, Deo benignitati eius vicem reddente, meruerit. Nam cum quodam in tempore Dominus noster K. adhuc iuvenculus per flagrantissimum aestum ad nocturnam mansionem sibi prae-

paratam festinaret, et propter angustiam temporum per totam diem non habens, quo diverteret, iuxta possessionem eiusdem Presbyteri itineris rectitudine perveniens, devotissime ab eo susceptus et regaliter honoratus est; cui decedens promisit, quia si aliquando sibi facultas suppeteret, hoc ei prandium recompensaret. Nunc ergo ei, quem Deus ut credimus elegit, officii vestri munus impendere dignamini: dulcissimam Paternitatem vestram et Ecclesiam Sanctitati vestrae commissam et omnes suffraganeos vestros cum gregibus suae curae commendatis ad laudem et gloriam nominis Domini Deus omnipotens conservare dignetur. Amen. Scripta est autem haec Epistola anno praesenti, indict. XII. M. CLXXIV.

XIV. Dilectissimo fratri et unanimo amico Gloriosissimo Galliarum, Aquitaniae, et Hispaniae Regi Hludovico cognominis vestri Hl. Rex Francorum, gratia vobis et pax atque victoria de coelo vobis subministrentur. Obsecro, frater charissime, sanguis et ossa mea, pars animae meae, nomen meum, ut postpositis, vel potius explosis et annulatis simultatibus et inimicitiis, quas inter Patrem vestrum et nostrum cupidi et perversissimi homines seminare gaudebant, Christiano et cognato amore nos invicem diligere et alter alteri domi militiaeque fidi et pacati esse curemus, ne quisquam tertius nos duos, nisi unum, se invenire tripudiet; et ita fit, ut nec nostri de nostra dissentione et minoratione glorias et dignitates aucupentur, nec adversarii et extranei de Regni nostri defectu, et casu glorientur. Ut autem foedus inter nos conditum permaneat firmum, mittimus vobis pro arrabone cavallum viribus et velocitate, non statura et carnibus probabilem, et sellam, qualem nos insidere solemus, ut nos fortitudine et utilitate, non luxu et inanitate delectari noveritis. Mittimus etiam cortinam praestantissimam, qua in palatio vestro tempore consilii pro signo dilectionis nostrae suspensa omnia maledicorum seminaria contabescant, dum et meam apud vos devotionem hoc munere, et vestram erga nos affectionem ipsa viderint, et extimuerint ostentatione. Et ut de vitae vestrae diuturnitate nos sollicitos esse noveritis, dirigimus vobis aromata, et unguenta, et pigmenta medicabilia, quorum odore, delibatione, et sapore delectati, diu vivere, et nos diligere firmiter et iure debeatis.

XV. Uterinis fratribus, Adoptulus frater, in Salvatore mundi salutem. Rem miraculo dignam, immo portentuosam mihi praecipitis, ut balbus, edentulus, et ideo blesus, et ut verius dicam, semiblaterator surdastris vobis, et potius insensatis cantare, seu ludere, sive lamentari debeam: quod contra possibilitatem et conscientiam meam incipio, qui vobis quicquam denegare nequeo. Vos autem et mihi et vobis

in hoc consulite, ut ad invidiam nostram hoc nemini propaletis. Quicquid ab anterioribus nostris accepimus, absque ulla retractatione, et discussione suscipere, et subire debemus; quia ut Cassianus ait, *qui a discussione incipit discere, nunquam ad perfectum perveniet.* Sed quia ita se humanum habet ingenium, ut iuxta pessimum et execrabile primorum terrigenarum exemplum, omnia cupiunt experimento probare, non obediendo servare, quantum scientia suppetit, conabor vobis aperire, quam necessario et Clericis tonsura et Monachis sint indicta cuculla. Et quidem de tonsura quae Clero et Coenobiis et cunctis altaris Ministris, cismarinis duntaxat, est communis, hoc nobis sufficere debet, quod Patres nostri Petrum Apostolum ob recordationem et imitationem spineae coronae, quae Domino ab illudentibus est imposita, summum sibi capitis denudare, et infra ad similitudinem coronae capillos sibi relinquere tradiderunt, et exinde cunctos, qui ad Sacerdotium pertingere cuperent, eo modo non solum rebus suis, sed etiam sibi ipsis se abnegare debere. Et quidem hoc nobis magnum est, cum in veteri testimonio et lege praeter summum Pontificem et eius tantum filios, omnes Levitae non solum capillos, sed et omnes pilos corporis sint radere praecepti, donec Ezechiel propheta summusque Sacerdos in portentum populi concidendi, cremandi, et dispergendi, capillos et barbam radere, et ex eis partem cremare, partemque concidere, et partem in omnem ventum dispergere iussus est: qui etiam hoc in mandato accepit, ut Sacerdotes capita non raderent, sed tonderent, quia in altero aliquid miserae delectationis, in altero nihil est, nisi profundae humilitatis; quod apparet in his qui tondentur ad palum: quamvis Beatissimus Papa Gregorius in explanatione eiusdem sententiae non ita videatur intellexisse, sed ita solummodo tonderi, ut non impedirentur oculi. Quod si ita est, quid fiet de mandato legis, quae dicit: *non attondetis vos in rotundum;* et causa additur; *quia sancti estis Domino.* Quod quem intellectum, iuxta historiam, habeat, non litteris commendandum, ne contra consuetudinem nostratum aliquid sentire videamur. Sed forte de Sacerdotibus in Ezechiele ita potest intelligi iussum, ut supra oculos se tantum tonderent, sicut adhuc Graeci faciunt Sacerdotes, cum Monachi, et iuxta Athanasium, totum caput usque ad barbas radant bis et semel in anno, vel iuxta primos eiusdem professionis viros Heliam Prophetam, Ioannem Baptistam, Paulum solitarium, Antonium, eundem Anachoretam, Ecclesiarumque Doctorem, et ipsorum Episcoporum Magistrum naturali tegmine delectati pro gratiarum actione Creatori capillis et barba vestiri non graventur, quorum etiam Antonius hoc dicit, quia quicquid naturae meliorandae

decorandaeque subtrahitur, hoc est ad turpitudinem ipsius, et ad iniuriam Creatoris redundat. Huc accedit quod novaculae comparandae, temperandae, ipsumque caput ad nimiam in frigore et calore miseriam et calumniam decalvandum sit, ipsaeque horae, quibus haec praeparantur et aguntur pereant, nisi diligènter noveritis et observetis, cur hoc genus tonsurae, immo rasurae in his sit Provinciis usurpatum, et potius pro lege susceptum, licet Paulus et Stephanus in sua regula verticem Monachos iterato non radere, sed tondere praecipiant. Porro quam necessario et tonsura sive rasura eadem sit instituta, ex sequentibus liquido perpendite. Licet quidam Petrum et Paulum non attonsos et derasos, sed naturaliter priorem recalvastrum asseverare soleant, sequentem in frontispicio calvum; quod si ita est, quis tam superbus debet esse Christianus, ut non libenter pro Christi nomine contumeliam subeat, qua primos Apostolos insignitos esse non diffidit? quin potius hinc discat, in alia vita honorem inquirere, cum amicos suos in hac vita capillorum didicerit honore privare. Si autem Petrus non naturaliter calvus, sed rasorio creditur decalvatus, ut contumeliae crucis Christi participaretur? merito quaeritur cur sibi coronam, tollendo comam, non torquem imponendo, facere voluerit? Ad quos facilis responsio patet. Primum quia si iuxta Dominum spinea Sacerdotibus imponeretur corona, non semper ea possent uti, et praecipue dormientes: si autem viminea et fraxinea et cuiuslibet flexibilis ligni seu cerae, cuiuscunque texturae et metalli, quis nostrum eam pro loco et tempore ut vilem non abiiceret, et pretiosam sibi imponeret? et quid esset, quod nos a Laicis dispararet? quod si dixeritis quia vestes, quid est, in quo indumenta vestra a Laicorum differant vestimentis? nisi quod interdum podere linea, quasi summi Sacerdotes, ad altare processuri soletis indui, et purpureis vestibus quasi tribunal ascensuri consuestis ornari. Sed quam facile haec indumenta reiicitis et Laica induitis, propter quod calvaria est maxime necessaria, quia hanc celerius capillis obducere non poteritis. Cur autem rasio potius quam tonsio et ipsa frequens a modernis sit Episcopis instituta? hoc videtur in causa, ut videatur et diligatur ipsa corona, quae huius temporis Sacerdotibus est concessa, cum in veteri Testamento totum caput Levitarum sit calvaria deturbatum. Quod vero eadem rasura saepius est indicta, non ideo fit, ut nos imperfecti putamus, ut pro comarum specie hac ornemur innovatione, sed quia si rarius fieret et capilli aliquantum excrescerent, non sine aliquo scrupulo exoletis abscinderentur, vel potius in cincinnos nutrirentur, et plures praevaricatores, immo desertores spiritualis militiae inveniren-

tur. Et haec quidem in commune de Clericis. De Monachis, licet ipsi inter se maiori flagrent odio quam Clerici et Laici, specialiter de Monachis dicendum, quia nimium indecens est et incongruum, ut qui ita vestitus est aliquid seculare desideret: quia quicquid seculares homines diligunt, cucullis indignum iudicant et contrarium; nec immerito, quia qui vestem abrenuntiationis quam in baptismo suscepit iugiter portare consuevit, mundo se mortuum continue meminisse debebit. Delibato ore qualitercunque cantavimus, ludum in eiulatum vertere habemus, quia Clerici et Monachi habitu, quo mundo se renuntiare promittunt, mundi curis et negotiis, immo illecebris omnimodo se implicare contendunt. Lamentationis ignarus mitto te ad libros Hieronymi ad Sabianum Diaconum, et Ioannis Chrysostomi ad Stelechium Monachum.

XVI. Domino Praecellentissimo et Regi Gloriosissimo N. Indignus Episcopus et fidelis famulus vester N. Clementissima dominatio vestra scire dignetur, quia quod ego tantillus homuntio ad conspectum serenitatis vestrae iuxta praeceptum Dominationis vestrae non veni, maxima infirmitate detentus, iussionem vestram implere non potui. Nunc autem suppliciter obsecro, ut in hoc misericordiam vestram super me recognoscere possim, si per hunc Legatum pusillitati meae dignamini, quando cum gratia Dei, sanitate recuperata, ad servitium vestrum properare debeam: quia post timorem Conditoris mei, tota intentio mea in hoc laborare debeat, et desiderat, ut serenitatem vestram circa me serenam invenire merear. Sicut autem in diebus istis nihil exterioris operis exercere et negotii secularis aut ecclesiastici procurare potui, ita totum ad Deum mente conversus pro incolumitate vestra et coniugis et filiorum, ac pro statu Regni vestri Dei misericordiam implorare non cessavi. Parva Xeniola, sed peregrina, seu transmarina, quae modo ad obsequium vestrum pietatem Divinam mihi credo direxisse, Augustae Dominationi vestrae curavi destinare. Pallium coloris Prasini, et aliud Polimetum, spatulas Palmarum cum suis fructibus, Cynamomi, Calaugani, Cariofili, Masticis et Piperis fasciculum, Caricas ficorum, Malogranata, Pectinen Elefantinum, Vermiculos, Cicadas, Aves Psitacos, Merulam albam, et longissimam spinam de pisce marino. Serenissimam Celsitudinem vestram ad munimen Ecclesiae omnipotentis Dei misericordia diu conservare dignetur.

XVII. Summum gradum in Ecclesia summa sanctitate promerito Patri et Provisori meo N. humilis Suffraganeus et fidelis obsecrator vester, ac devotus Servitor N. illius Ecclesiae Pastor indignus. Scrutatorem cordium testem invoco in animam meam, quam invitus et coactus aliquid sinistri, et

quod placiditatem vestram turbare valeat, auribus dulcedinis vestrae aliquando ingerere praesumo. Sed quia melius est ut errata Populi nos incusemus, et damnare studeamus, quam ab ipsis pro nostra negligentia circa illos iure forsitan laceremur; notum sit Religiositati vestrae, quia quosdam coniuges quos iniuste et contra Christianae disciplinae Regulam coniunctos audimus, et nos evocari fecimus, et prout Cleri iudicium et ipsa iustitia dictavit, separari praecepimus. Qui, ut erant nobiles, de principibus populi multos sibi complices adunantes, tyrannico more, contra Ecclesiasticam normam, iurata bella susceperunt. Sed nos vigore iustitiae contumaciae illorum opposito, nequaquam iniustitiae cedendum putavimus. At illi in maiorem insaniam versi propter meae personae vilitatem, officii nostri authoritatem pro nihilo reputantes, ad vestram Celsitudinem appellaverunt. Vos autem ad quem nos omnes spectare debemus, nolite inaniloquio eorum credere, quia notitiam civium suorum, inter quos degunt, evitantes, ad ignota loca se transferre satagunt, ut ibi mendacia sua vitare praevaleant. Porro ego in fide mea omnia vobis vera narrabo. Cum Dioecesim meam circuirem, deveni ad locum ubi memorati homines habitabant, et ibi dididi a maioribus vici illius, quia iidem coniuges ita sibimet consanguinitate iuncti essent, ut de uno Parente in quinta, de altero in quarta generatione mutuam ducerent propagationem. Quod inquisitione facta et fide cum iuramento data ita verum esse didici, ut omnes, a minimo usque ad maximum, id ita se habere proclamarent. Quod si haec facultas improbis hominibus inhibita non fuerit, ut Episcopi sui praeceptum contemnere non audeant, sicut minores mihi, ita maiores quique vobis facere incipient, et periclitabitur apud Domnum Apostolicum nostrum Ministerium. Communibus ergo viribus communes hostes Christi debellare studeamus. De caetero, Domine Pater, de gratia vestra super me subiectionem meam certiorare dignemini. Religiositatem vestram ad regimen Ecclesiae suae Mediator Dei et hominum roborare dignetur.

XVIII. Providentia divina N. Ecclesiae ille Episcopus N. Archipresbytero pagi illius salutem. Notum sit dilectioni tuae, quia Domini nostri Reges, quando nuperrime in unum congregati sunt, inter multa quae pie ac salubriter observanda constituerunt, hoc etiam decreverunt, ut pro multis necessitatibus triduanum ieiunium pariter observare deberemus; quod hoc modo fieri debebit, XIV. Kalend. et XIII. et XII. Kal. Iunii, pura confessione et pace praemissa ieiunent omnes usque ad nonam: exceptis qui prae infirmitate et infantia aut senio (non) possunt abstinere: et unanimes contrito et humili corde veniant ad Ecclesiam, sequantur

Crucem cum Litania. Totus populus Kyrie eleison clamantes, cinere aspersi, et ciliciis induti, qui illa possunt invenire. Caeteri quicunque habent, laneis vestibus induantur ad corpus. Pauperibus et non habentibus ipsa sua penuria pro afflictione sufficit. Discalceati omnes Missam in commune auscultent cum metu et reverentia. Presbyteri singulis illis diebus Missam cantent. Caeteri Clerici et omnes qui noverint viri ac foeminae L. Psalmos impleant, obsecrantes Conditoris nostri clementiam, ut ab invisibilium hostium insidiis et gentibus variis et gentilium incursionibus Ecclesiam suam defensare, et ipsam pace sua, quae omnem sensum exuperat, interius custodire dignetur, ne in sua viscera ipsa consurgere et semet lacerare conetur: diversas pestes et morbos ab hominibus et iumentis auferat, aeris temperiem tribuat, terram foecundet, fruges ad maturitatem perducat, fructus arborum multiplicet, ut exterioribus necessariis affluentes cum fide recta, spe firma, et charitate syncera Deum diligere, et illius mandatis inhaerere possimus: et his subsidiis utentes in via, ad aeterna praemia pervenire mereamur in patria. Pane sicco alantur omnes, et crudis oleribus, et sale atque pomis; et qui opus habent infusis vescantur oleribus, uno vasculo de pura cervisa refocillentur. Cunctis omnino a carne et pinguedine et omni quod ex lacte conficitur. Pisces et ova praeter infirmitatem nemo praesumat. Similiter vinum et omne, quod mello dulcioratum est, et unusquisque, in quantum poterit, quod sibi subtrahit, indigenti praebere non differat: quia ieiunio innocens acquiritur vita, oratione religiosus animus enutritur, elemosyna misericordia, quae requiritur, invenitur, et quod nuper in ministerio tuo semi correctum dereliqui, sicut a te digrediens strenuitati tuae commendavi. Omnia ad certum finem, prout poteris perducere, curato. Vale.

XIX. Ille Episcopus sanctissimae Congregationi in honore Sancti N. coadunatae salutem. Dilectio vestra noverit, quod sancta Synodus apud urbem N. collecta, finitis quaestionibus, quae ex diversis causis emerserunt, saluberrime decrevit, ut omnes Ecclesiarum Clerici et Monachorum catervae commune ieiunium et orationes tribus diebus exequerentur, hoc est IV. et III. et II.

Presbyteri tres missas, caeteri Clerici Psalterium decantarent, circa nonam horam crucem sequerentur, alimentis vero consuete uterentur, caetero populo propter aestum atque opera forinseca hoc non indixerunt. Vale.

XX. Dilectissimo Patri et omni laude colendo N. Ecclesiae Argentarinae et Argentariensis Pontifici N. humilis oppidi Constantiensis Episcopus. Paternitas vestra scire digne-

tur, quod Dominus noster Rex C. ad Coenobium Luxoviense parvitatem meam dirigere voluit. Unde peto largitatem vestram, ut in vico vestrae potestatis Ruvacha, mihi mansionem et necessaria cuncta subministrari; me vero sequentibus hospitia et aliquas impensas exhiberi praecipiatis, procul dubio scientes, quia quodcunque pusillitati meae demandare dignamini, absque omni recrastinatione perficere curabo. Ei si quando iuxta nos alicubi deveneritis, scitote quia ad vestrum obsequium cum omni festinatione occurrere studebo. Sanctitatem vestram et gregem vobis commissum continuis orationibus Domino commendamus. Idipsum autem ut pro Ecclesia fidei nostrae commissa et nostra fragilitate facere dignemini suppliciter imploramus. Vale.

XXI. Ille N. gratia Dei Episcopus N. Vicedomino et fideli suo salutem. Strenuitas tua sciat, quia G. Nemidonensis Episcopus Romam profecturus unam mansionem petiit a me in III. Idus Maii, hoc est secunda die sequentis Hebdomadae. Ideoque omni cura provide, ne quicquam tunc ibidem necessariorum ei defuerit, sed omnia sufficienter illi subministres, id est maldra quatuor de pane, de cervisa carradam unam, triginta situlas de Vino, situlas, tres friskingas, Ovinas quatuor, Porcum unum, de lardo dimidium tergum, Agnellum unum, Porcellum unum, Anserem unum, Annetas duas, Pullos quatuor, et ipsi aliquem piscem si potueritis: ligna ad focum, et vasa ad ministerium, plumatia et capitalia ad lectum, de avena trita et ventilata ad pastum cavallorum maldra tria et foenum in pratis et in agris, singulis cavallis vasallorum et servorum illius unum manipulum: et si prae nimia occupatione et gravi damno aliarum rerum poteris, per te ipsum illi servire, curato ita ut ad gratiam fiat quod facimus. Et si quando ad eius loca nos devenire necessitas coegerit, ita eum benefactis anticipatum habeamus, ut iure se nobis vicem debere noverit. Vale.

XXII. Vicedominus N. Episcopi N. Procuratori in Polligen. Unus Episcopus debet ad Polligen super XII. noctes advenire, et ideo praepara illi ministerium. Vide ubi optimum granum habeas et para VI. maldra de farina lota, et unum modium de simila. Tolle de XII. censariis singulas Ovas. Et da illis quotidie sal et ventilamina et commixtum migma, ut tunc bonae sunt. Tolle unum porcum de illo servo, quem hoc anno reddere debet, et da illi quotidie sufficienter de sigila et hordeo, et inebria illum mixtura furfurum seu farinae, et fac unum Agnellum tota matris ubera sugere; similiter et Porcellum et unam aucam, et duas anetas a caeteris separa, et da illis quotidie abundanter, et ex Gallinas et Pullos commixta hordeacea farina pasce; et sume de servis quibus volueris. Duas fretas de cervisa, et

sume sex siclos de vino in cellario Episcopi ad Constantiam, et praecipe quatuor servis, ut una hebdomada diebus quos indomicum debent, ligna fagina, et caetera optima quotidie adducant, et ova congrega, ut quando ego venero omnia parata inveniam, si cutem et capillos habere volueris. Vale.

XXIII. Episcopus Procuratori suo N. Accipe epistolam istam, et commenda illam alicui tributariorum nostrorum qui cavallum habet, et praecipe illi, ut nec die nec nocte quiescat, donec eam ad Tringonilla Maiori deferat. Quod si nullus eorum tibi obedierit, tu ipse eam illuc defer, et praecipe illi, ut diem cum nocte continuando N. eam perferat, et hanc brevicolam apertam illi signatae coargilae ut tu et socius tuus et ipse N. noverit, quod qui per cuiuscunque vestrum neglectum contigerit, ut ipsa Epistola N. Episcopo ante istam dominicam non veniat, omnibus meis et gratia mea privabitur. Si autem tibi N. venerit, expecta me in loco, et para mihi hospitium, quia in sequenti hebdomada ad te in illum locum, propria Divinitate, venire debebo, inde ad Stratoburgam perrecturus. Et strenuem Missum dirige, qui ipsam Epistolam N. sub omni celeritate repraesentet. Caeteris etiam Compresbyteris tuis de meo adventu indica, quia spero, quod Augiensis Abbas et Comes N. mecum veniant, ut aliquid illis impendere valeam. Vale.

XXIV. Sanctae Moguntiacensis Ecclesiae Praesul fratri et Sacerdoti N. in Salvatore mundi salutem. Dilectio tua novit, quod a recordatione iuventutis tuae, ut reor, numquam in nostra Dioecesi Episcoporum Concilium est habitum; et idcirco puto, quin potius metuo, quod in Ecclesiis nostrae pusillitati commissis multa grandia et insanabilia, tum propter suimet enormitatem, tum etiam propter incuriae et occupationis nostrae diuturnitatem adeo concreverint, ut aut vix aut certe nequaquam sine magna authoritate aut vigore corrigi valeant. Quapropter ut dicta Canonum praecipere nosti, ut non dicam quod ad omnia meus semper fuisti, pridie Nonas Aprilis, ad urbem Moguntiam venire ne praetermittas, ita paratus, ut quandiucunque causarum necessitas exposcit, ibi manere pro abundantia sumptuum possis. Et quicunque aliquid gravioris negotii, quod supra vires tuas existimas, et nunc et Antecessorum tuorum temporibus habuerunt, aut tecum pariter venire, aut seorsum tibi occurrere in loco memorato praecipe, ut ibi omnis eorum controversia finiatur. Vale.

XXV. Domino et in Christo Patri. Illi Archiepiscopo N. indignus Ecclesiae N. excubitor. Sanitate dulcedinis vestrae comperta, omni gaudio repletus sum. Ad praecepta vestra non solum ea quibus pro authoritate regiminis vestri

obtemperare subiectionem meam convenit, sed et omnia quamvis gravia et difficilia, me esse semper paratissimum. Utinam ita probaveritis experimento, sicut ego, memor scilicet beneficiorum et educationis vestrae libentissime vobis ostendere desidero. Obsecro vero ne aures sapientissimi Magisterii vestri forsitan offendat, si pietate vestra confisus unam Apologiam, immo querimonium vobis insinuare, et potius implorare praesumo. Solertissima vestra novit industria quamdiu Episcopium mihi commissum ab infirmis et senio defessis hominibus retentum est, adeo ut iam nonus annus pene sit exactus, ex quo nullus eorum ipsam Parochiam circuire potuerit, et ego secundo iam anno illam retinens ob perturbationem Reipl. causarumque varietates et Domini mei Regis servitium nisi tantum dimidiam pertransire potui. Et licet in illis partibus quae adhuc visitavi, non satis multa prava invenerim, metuo ne illis, quas modo adire debeo, plurima distorta et incorrigibilia insipientiam meam deprehendere contingat; quae tamen cum gratia Dei et adiutorio prudentium virorum aliquantulum eventilare, et discutere necessarium puto, antequam ad notitiam vestram et dignitatis vestrae et tantae Synodi tam multa haec et tam gravia ita incorrecta et indiscussa perveniant, ne in mei peccatoris ministerio plus facinorum et flagitiorum reperiatur, quam in cunctis suffraganeorum vestrorum Parrochiis. Ideo supplico mansuetissimae Religiositati vestrae, ut si vestrae benignitati placuerit, per hunc Missum vilitati meae remandare dignemini, si me ab hac profectione excusatum habere velitis, donec aliquid eorum quae minus adhuc correcta sunt ad normam iustitiae dirigere queam. Nihil tamen in voluntate mea ponens, vestrae sanctitatis iussis impigrum me exhibere studebo. Valete.

XXVI. Dilectissimo et religiosissimo Consacerdoti et firmissimo amico N. Episcopo, ille Brixiensis Ecclesiae Pastor. Obsecro fidelitatem vestram, ut veraciter mihi et diligenter demandare dignemini, quomodo se summa rerum habeat, quam pacati inter se Domini nostri Reges sint, id est filii Illudovici, qualemque pacem ad consobrinum suum filium K. conservent: quia nos habitatores Italiae, et potius Inquilini, seu quod potissimum veritas ipsa testatur, praeda nunc horum, nunc illorum, aegre nimis expectamus, donec inter se concorditer adinveniant, cuinam Provinciam istam concedere velint; ut illi, prout oportet, singulariter subiiciamur: caeteris etiam, in quibus possimus, laeti serviamus. De sospitate sanctitatis vestrae certum me reddere velitis, et vestris Romam pergentibus, seu reliquis pro sua necessitate Italiam petentibus intimate, ut ad me divertant, et in vestro honore eis aliqua impendam subsidia: et de statu

sanitatis vestrae laetificabor; et vos de mea, ut credo. In vestram iucunda et pigmenta ac medicamenta, quae vobis congrua puto, vestrae dilectioni dirigere curabo. Munuscula, quae modo fuerunt ad manus, vestrae dignitati direximus, hoc est palliolum diacedrinum, et aliud coccineum, tertium saphirini coloris, stragulas duas, duos ramos palmarum virides, et partem amigdalarum, et Thimiama novum. Quod si opportunum vobis est, obsecro, ut unum Admissarium generosissimum, celeritate et forma, quin et animo praestantissimum et alacrem, mihi fideli vestro dirigatis. Simul quodcunque volueritis grandioris pretii mihi iniungentes, ut puto, ad vestram voluntatem paratissimo.

XXVII. Nobilitatis et religionis summique Sacerdotii dignitate sublimato N. illi Ecclesiae Pontifici N. illius Ecclesiae indignus Episcopus. Comperta sanitate dulcedinis vestrae multum in Domino gavisus sum, sed et gaudeo et gaudebo. De perturbatione vero Italiae tum propter vestram et Ecclesiarum Christi inquietudinem et vastationem, tum etiam propter nostra detrimenta nimium contristamur: quia pauperrima et arida Provincia nostra quid amplius habitura est matre divitiarum suarum direpta. Sed Dei misericordia confidimus hanc tempestatem in brevi serenandam; nam sicut demandastis mihi, ut de Regni pace, et statu vobis certi aliquid significarem et qualem pacem ad invicem conservarent tres fratres filii nostri Domini Hludovici, et utrum nepotem et consobrinum, immo compatruelem suum filium K. in societatem suam ascivissent? Notum facio dilectioni vestrae, quia tres illi fratres, ita se mutua charitate complectuntur, ut summam Trinitatem mediam inter illos diversari credamus. Adeo omnia, quae ad illos seu privato, seu publice pertinere videntur, humanas res et vota supergrediuntur: et unusquisque eorum, si postest fieri, plus alios quam se ipsum diligit, et diligeret. Et Domnus quidem K. cum fratre Hl. Hludovici iunioris, id est Galliam Lugdunensem et Treverim cum omni Mosellana regione, nec non Agrippinensem Provinciam, et Burgundionam inter se dividendas acceperunt. Italiam vero et Tusciam et omnem Campaniam Domno K. regendas commiserunt, qui etiam modo sanitate indulta et indepta quandocius vos per gratiam Dei visitabit, et omnem adversarium et praedonem de vestra Provincia fugabit. Ineffabiles vestrae liberalitati gratias de magnis exquisitis muneribus, quae mihi dirigere curastis. De cavallo, quem me expostulastis, scitote quia praestantissimum vobis mitto, *Illorum de gente Patrum, quos Daedala Circe supposita de matre nothos furata creavit.* Quod ne fabulosum existimetis, aerius ei color innatus hoc verum esse com-

probat. Qui pernicitate Cillarum, animositate Rhebum, mirabili singularitate Bucephalum antecellat, et generosissimos pullos faciat: qui procul odoretur bellum, et gaudeat ad vocem tubae, et cum sanguineam pugnam videat, dicat Vah: qui montes oppositos laetus et alacris exsuperet, et fluvios rapaces innatet, et latissimos lacus transvadet. *Belgica vel molli melius ferat Esseda collo*, et humano sensu cognoscat, quomodo sub quolibet homine se gerere habeat: hoc est sub iuvenibus et indisciplinatis transversus et supinus, sub senioribus vero et gravibus humilis et rectus incedere norit. Debetis autem farre pascere, non siliquis fabarum et lupinorum, seu frondibus cerrarum, et quercuum. Debetis autem puro amne et liquido fonte potare, non putentibus aquis, ut vos eas nomine dicitis. Si haec ei facitis, omnia quae dixi et ampliora in eo invenietis; si vero haec negligitis, et curam illi subtrahitis, immunis ero a mendacio, qui vobis bonum eum direxi, et qualiter habere deberetis instruxi. Vos autem vobis ipsis, aut ministris vestris de eius vili.

Caetera desunt.

FORMULAE LONGOBARDICAE

Quas ex antiquo Codice Veronensi primum edidit clarissimus vir Paulus Canciani.

Qualiter carta ostendatur.

I. Domine Comes, propter hoc ostendit Petrus hanc cartam venditionis, qui non sit silens, et abet, et tenet res illas, quae leguntur in hac carta a suam proprietatem. Et si aliquis homo est, qui inde aliquid vult dicere, paratus est cum eo stare ad rationem, et, quod plus est, querit, et hoc vult, ut dicat Iohannes, qui est hic ad presens, si carta illa venditionis bona et vera est; vel si ille rogavit eam fieri et firmari; vel si res, que leguntur in carta illa venditionis proprie sint sue Petri, aut, et si sibi Iohanni pertinent ad habendum, et requirendum, aut non, et si abet scriptum, vel firmitate aliquam, quod inde parabolare possit aut non. Dicis ita Petre? Sic facio. Et tu Ioannes quid dicis? Quid debeo dicere? Hoc dic, quod carta illa venditionis bona, et vera est. Sic est. Et tu rogasti eam fieri et firmari. Et sic feci. Et ille res que leguntur in illa carta venditionis sue proprie sunt. Sic sunt, et esse debent. Cum lege. Sic debent. Nec tibi pertinent ad habendum, et requirendum. Non faciunt. Nec firmitatem habes, quod inde parabolare possis. Non abeo. Sed sicut dictum habes, sue proprie sunt, et esse debent cum lege. Sic sunt. Qua lege vivis? Longobarda. Modo exponde te. Si unquam in tempore tu, aut filii, vel filie, et heredes contra Petrum, aut suos heredes, aut cui ipsi

dederint, habebis agere, aut causare, et si apparuerit ullum datum, aut factum, aut scriptum aut firmitas, que in alia parte facte habeatis, et clare facta fuerit, et omni tempore non permanseritis taciti, et contenpti, ut componatis dupla querimonia, et insuper pena argenti X. librarum. Spondes ita? Spondeo. Seniores iudices, mittote iudicium. ✝ Iusta illorum professionem et manifestationem P. habeat ad proprium res, que leguntur in illa carta, et Ioannes, et sui heredes permaneant inde taciti, et contenpti. Domne Comes praecipite fieri noticiam. Et similiter est de Romana. In lege Salicha dic, et vuarpite et pro heredibus et insuper.

Qualiter sit finis status.

II. Domne Comes, hoc dicit Ioannes, qui est liber homó de sua persona, et abet, et tenet suum conquisitum ad suam proprietatem, et si aliquis homo est, qui idem aliquid vult dicere, inde paratus est stare ad rationem, et quod plus est, querit, et vult, ut dicat Petrus, qui est hic ad praesens, si est Ioannes liber homo de sua persona, aut non, et si debet retinere ad suam proprietatem suum conquisitum, aut si pertinet sibi ius aliquid ad habendum, et requirendum, aut non, et si abet scriptum, vel aliquam firmitatem, quod inde parabolare possit, aut non. Dicis ita Ioannes? Dico. Et tu quid dicis, Petre? Quid debeo dicere? Hoc dic, quod Ioannes liber homo est de sua persona. Sic est. Et suum conquisitum debet retinere ad suam proprietatem. Sicut debet. Nec tibi aliquid pertinet ad habendum, aut requirendum. Non facit. Nec scriptum nec firmitatem habes, quod inde parabolare posses ab eo: sed sicut habes dictum est liber homo de sua persona. Sicut est. Qua lege vivis? Salicha. Modo vuarpis te, et obligas te, et si unquam in tempore tu aut tui filii, vel filie, heredes, ac proheredes contra Petrum, aut suos heredes, aut cui ipsi dederint suum conquisitum habes agere, aut causare; et si apparuerit ullum datum, aut factum, aut scriptum, aut firmitas, que in alia parte facta habeatis, et clare factum fuerit, et omni tempore non permanseritis taciti, et contenpti, ut componatis duplam illam querimoniam, et insuper pena stipulationis nomine, que est mulcta auri optimi uncias quatuor et argenti pondera octo. Obligas te ita? Obligo. Seniores iudices mittite iudicium. Iuxta illorum professionem, et manifestationem Ioannes liber homo est de sua persona, et abet, et tenet ad proprium suum conquisitum, et Petrus, et sui heredes, ac proheredes permaneant inde taciti, et contenpti. Domne Comes, precipite fieri noticiam.

Qualiter sit finis intentionis terre.

III. Domne Comes, hoc dicit Petrus, quod terra, que in tali loco est sua propria est; et cetera que supra legitur.

Qualiter sit noticia salve querele.

IV. Senior Comes, hoc dicit Petrus iam per plures vices lamentatus ad vos de Ioanne, quod sibi contendit malo ordine, et contra legem unam pecia de terra, que iacet in tali loco, unde vos sibi pluribus vicibus mandastis vestros missos, et epistolas, ut ad placitum vestrum veniret, et de illa terra ei iustitiam faceret, et ille noluit venire. Senior Comes, recordamini vos? Ita recordor. Et vos Iudices? Sic facimus. Et propter hoc querit vobis mercedem, ut pro Deo et anima Domni Imperatoris investiatis eum de illa pecia de terra ad salvam querelam. Requiris tu ita Petre? Sic facio. Tunc Comes investiat eum per fustem, quem in manu detinet, donec ille veniat, et iusticiam faciat. Et super hoc querit, ut mittatis bannum super eum, et super rem, ut non sit aliquis homo, qui audeat eum de illa re devistire sine legali iudicio, et si quis ausus fuerit hoc facere componat duo mille mancusios aureos, medietatem camere Domni Imperatoris, et medietatem Petro, et suis heredibus. Precipite fieri noticiam.

Qualiter fit contraria.

V. Senior Comes, hoc dicit Ioannes, quod audivit dicere, quod vos investistis Petrum ad salvam querelam de una sua pecia de terra, propter quod ipse Petrus pluribus vicibus lamentatus est ad vos, quod ipse Ioannes sibi teneret ipsam peciam de terra, unde vos per plures vices mandastis sibi missos, et epistolas, ut ad vestrum placitum veniret, et illi iusticiam faceret, et ille non venit. Sed postea in iudicio ante vestram presentiam paratus fuit standi ad racionem cum eo unde per vestros missos ei ammonitionem fecistis, ut ad vestrum placitum venisset, et cum eo exinde ad racionem stetisset, sed minime venit. Senior Comes, et vos Iudices recordamini? Ita, recordamur. Modo similiter venit in vestra presentia, et vult facere iusticia. Vis ita? Volo. Modo da vadimonium Comiti, ut facias ei iusticiam de ipsa terra, et per hoc querit mercedem, ut investiatis eum de ipsa pecia de terra sicut hactenus fuit. Tunc per fustem Comes investiat eum. Et super hoc querit vobis mercedem, ut mittatis bannum super eum, et super res, ut non sit aliquis homo, qui eum audeat de ipsa pecia de terra disvestire sine legali iudicio, et quicumque ausus fuerit facere hoc componat duo mille mancusios au-

reos, medietatem Camere Domni Imperatoris, et medietatem Ioanni et suis heredibus. Precipite fieri noticiam. Que noticia non potest fieri, postquam fuerit completus unus annus, ut legitur in VIII. libro Codicis.

Qualiter filius emancipetur.

VI. Domne Comes hoc dicit Petrus quod vult emancipare Iohannem suum filium de se, ut de hac hora in antea abeat licentiam, et potestatem ire ad placitum et stare, et appellationem faciendi, et recipiendi, et cartas venditionis, et donationis, et omnem scriptionem, et obligationem faciendi, et quod fecerit sic sit firmum, tanquam si communiter, aut consentiente eodem genitore suo fecisset. Vis ita emancipare? Volo. Comandate fieri noticia.

Noticia sufferentis.

VII. Domne Comes, hoc dicit Petrus, qui hic est, quod postquam sociavit Aldam, que hic est ad presens, sibi ad legitimum coniugium, quod ipsa consiliata est, et tractavit de morte sua, et cum illo homine adulteravit. Et dicis ita Petre? Dico. Et tu quid dicis Alda? Quid debeo dicere? Responde, si hoc verum est. Vere diabolo suadente, postquam me ille sibi in legiptimo coniugio copulavit, consiliata sum, et tractavi de morte sua, et cum alio homine me adulteravi. Tunc Iudices interrogent eam: an dicis hoc timore alicuius hominis, aut suasione? Non dico. Sed ita verum est, ut dixi. Tunc Comes interroget Iudices, ut dicant legem et cum dicta fuerit lex, accipiat eam per manum desteram, et tradat suferenti viro suo ad faciendum et ad habendum eam, ut lex est. Senior Comes, precipite fieri noticia.

Traditio Donationis propter Nuptias.

VIII. Martine, trade per hanc pergamena carta de Morgincap ad Aldam de quarta portionem de omnium rerum, que nunc abes, aut in antea aquistare potueris tunc rerum mobilium, quam immobilium, seu familia, ut ipsa faciat heredes nostri secundum legem, quod facere velint. Dicis ita Martine? Dico. Ita trade ei huic ad scribendum. Dic omnes vos rogo. Si est Romanus, vel Salichus, dic carta dotis et de tercia portione. Et dic in Salicha, per heredes. Et dic, et insuper pena stipulationis nomine, que est multa auri optimi untias quatuor, et argenti pondera octo; et si hanc cartam volueris rumpere aut infrangere. Et hoc adde in fine tradicionis Saliche et cetera omnia similiter superiori, et mitte attramentum super cartulam.

Traditio vinditionis cum defensione.

IX. Martine trade per hanc pergamena carta vinditionis sub dupla defensione de una pecia de terra, que est tui iuris, que est in tali loco pro mensura tantum et habet coherentias tales ad Ioannem, quod de hinc in antea a presenti die proprietario nomine faciat ipse, aut sui heredes, aut cui ipsi dederint, quidquid voluerint, sine omni contradicione tua, et tuorum heredum, et insuper espondete vos ab omni homine defensare, quod si defendere non potueritis, aut si vos aliquid per quodvis ingenium subtrahere quesieritis, tunc illi in duplum eandem cartam vinditionis restituatis, sicut pro tempore meliorata fuerit, aut valuerit sub estimatione in consimili loco Ioanni. Dicis ita? Dico. Sic trade ei ad proprium, et huic notario ad scribendum. Habes pretium iusta cartam? Habeo. Dic totos vos rogo tangere. Si est Romanus, similiter dic. Si est Robuarius, si est Francus, si est Gothus, vel Allemannus venditor pone cartam in terra et super cartam mitte cultellum, festucam nodata, vuantonem, vuasonem terre, et ramum arboris, et atramentarium et Alamanni Vuandelabc, et levet de terra. Et, eo cartam tenente, dic tradictionem, ut supra diximus, et adde in istorum carta et Baioariorum et Gundebaldorum, nam in Gundebalda, et Baioria non ponitur insuper cultellum per heredes, et repetitione, et tolle, et spondite, et mitte, et obligate et omnium fine traditionis adde, et super mitte pena stipulationis nomine, que est mulcta auri optimi uncias quattuor et argenti pondera octo, quam inferatis ad illam partem, contra quam exinde litem intuleritis, et, quod repetieritis, vindicare non valeatis. Et adde vuarpite: cetera sunt secundum sit promissum. Dic tantum in fine, et ita trade ei per hoc missum, et huic Notario ab scribendum.

Traditio venditionis sine defensionis.

X. Martine, trade per hanc pergamenam cartam venditionis sine tua defensione, et absque restauratione de petia una de terra, que est tui iuris, et que est posita in tali loco, que est pro mensura tantum, que habet coherentias tales, ad Ioannem, quod de hinc in antea a presenti die proprietario nomine faciat ipse, et sui heredes, aut cui ipsi dederint, quidquid voluerint sine contradicione sua, et suorum heredum. Et si apparuerit ullum datum, aut factum aut scriptum, aut aliqua firmitas, quod in alia parte facta abeatis, et clare factum fuerit, tunc de ille parte, unde hoc apparuerit, promittatis ab omni homine defensare, et si defendere non potueritis, aut si vos ex inde per quovis ingenium subtraere quesieritis, tunc in duplum illi

eamdem venditionem restituatis, sicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit sub estimatione in consimili loco. Et si non apparuerit ullum datum, aut factum, aut scriptum, aut aliqua firmitas, quod in alia parte facta, abeatis, nec promittatis illi defendere nec restaurare anteposito, sicut supra diximus. Dicis ita? Dico. Sic trade sibi cartam venditionis sine tua defensione, et absque restauratione ad proprium, et huic Notario ad scribendum. Dic, habes precium iusta cartam ab eo? Dic totos vos rogo. De Romano vero similiter et de ceteris similiter, sed cum adituris. Si vero sunt parentes ante parentes, vel Comitem, antequam dicant, omnes vos rogo, interrogetur mulier, sic facit velle. Nam in his dicitur habes launechild? dato launechild.

De Donationibus.

XI. De donationum cartis omnium similiter preter precium habes.

De promissionibus refutationum.

XII. Petre, promitte, et sic te esponde, et tuos heredes contra Ioannem et suos heredes nominative de una petia de terra que est tui iuris, que est in tali loco, que habet coherentias tales, si amodo unquam in tempore habeas agere, et causare tu, aut tui heredes contra illum, aut sui heredes, aut cui ipsi dederint, et si apparuerit ullum datum, aut factum, quod in alia parte factum habeatis, et clare factum fuerit, et omni tempore non permanseritis taciti, et contenpti, ut componatis duplam querimoniam, et insuper penam argenti librarum X. Dicis ita? dico sicut de huic carte promissionis refutationis, et huic notario ad scribendum. Habes launechild? Habeo. Dic totos vos rogo. Si Romanus est similiter. Si Salichus et cetera, ut dixi, pone attramentarium super carta, ita levet de terra, et adde per heredes, et penam stipulationis, que est multa auri obtimi III. argenti pondera VI. et dic promittite et sic obligas te.

Traditio venditionis infantibus pro fame et debito.

XIII. Domne Comes, hoc dicit Petrus infantulus cum Donato suo tutore quod patitur necessitatem famis, et quod pater suus Aldus dimisit sibi debitum X. librarum, et non habet de mobilibus rebus, unde istud tempus necessitatem famis evadere possit, et debitum sanare possit, pro qua causa querit vobis, ut pro Deo, et anime Domni Imperatoris, ac vestre mercedis, ut tribuatis ei licentiam, et auctoritatem publicam ad venundandum unam peciam de terra iuris sui, que est in tali loco. Et cum ipse talia dixisset, tunc Comes ex subgestione legali iuditio mittat missum

suum ad domum eius, qui prevideat rem ita esse, ut dixit, quamvis modo non sit nisi ficticie; vadit enim tantum foras; qui cum reversus fuerit, tunc tres estimatores iussu praesidis vadant super terram, et estiment eam, quamvis modo sit ficticie. His reversis, tunc Comes dicat, habeas licentiam, et auctoritatem publicam ad venumdan dum illa pecia de terra C. et postea fiat carta venditionis, ut cetere, et Comes firmet illam cartam.

Traditio libellorum.

XIV. Domne Abbas, trade per hanc pergamena libellario nomine ad Ioannem unam petia de terra, que est iuris de Monasterio Sancti Petri, unde tu es Abbas, que est in tali loco, que est pro mensura tantum, que abet coherentias tales, ut abeat ipse Ioannes ad fictum sub centum reddendo libellario nomine usque ad annos XXIX. ea racione, ut faciat ipse, et sui heredes usque ad prefatos annos de fruge, et de reditu ipsius terre, quidquid voluerint, sine omni contraditione tua tuorumque successorum, et parti ipsius monasterii, ita ut per eum sit meliorata, et non pegiorata, et persolvere ex inde debeant ipse, et sui heredes singulis annis per omnem Missam Sancti Martini, aut infra tres dies ante, aut tres postea X. denarios sicut ipsi denarii in predicto monasterio consignentur ipsi abbati, aut suis successoribus vel vestro Misso, aut super altare ipsius Monasterii ponantur per se, aut per suos heredes, aut per suos Missos, ita ut alia super imposita non faciatis. Et insuper penam mittite inter vos si vos ante prefatum tempus tollere volueritis, aut ipsi laxare voluerit, et componat pars parti fidem servandi penam argenti libras X. et post penam solutam libellus permaneat in suo vigore. Dicis ita Abbas? Dico. Et dicis tu ita Petre? Dico. Ita tradite pars alteri inter vos duos libellos in uno tenore et huic ad scribendum; dicite vos ambo, omnes vos rogo.

Traditio libertatis.

XV. Martine, trade per hanc pergamena carta libertatis, et absolutionis ad Marcum, qualiter servus tui iuris, ut amodo a presenti die sit liber, et absolutus ab omni vinculo servitutis iusta legem per anime tue mercedem, et abead licentiam, et potestatem de quatuor viis ambulare, et abitare, ubi voluerit, et neque a te, neque a tuis heredibus, ullam abead reprensionem, nec ullam conditionem servitutis, sed in perpetuum permaneat in sua potestatis, et congruam libertatem, sicut illi, qui in quadruvio in quarta manus traditi, et amont facti sunt, et sicut illi qui per manum Sacerdotis circa sacrosanctum altarium ad liberos di-

mittendi deducti sunt, per anime tue mercedem. Et insuper concede sibi ad gratiam sue libertatis omne suum conquisitum, quod nunc habet, aut in antea aquirere potuerit, ut faciat exinde a praesenti die proprietario nomine quicquit voluerit per anime sue mercedem. Dicis ita? Dico. Ita trade cartam libertatis huic Notarius ad scribendum. Dic: omnes vos rogo. Si Salichus, et cetera, elevent atramentarium tantum supra pergamena de terra, si non tribuunt eis terram. Si vero tribuunt, tunc elevent cultellum, et cetera, exceptis Baioariis et Gundebadis. Adde per heredes, et pone peculiare, et adde insuper mitte pena stipulationis nomine, que est multa auri optimi uncias quatuor et argenti ponderas octo, quam inferatis ad illam partem contra quem intulerimus, et, quod repecieritis, vendicare non valeatis. Si est Romanus adde illic, ubi dicis deducti sunt Civesque Romani portas apertas eat: et pergat et qua parte voluerit ambulare discedat. Similiter in Salicha; et in omnibus aliis et ceteri vero omni sunt similia in omnibus.

Traditio promissionis pignoris.

XVI. Martine, modo promitte, et sponde te, et tuos heredes Petro, et suis heredibus, quod si Petrus, et sui heredes tibi, aut tui heredibus dederit, aut sanatione fecerit DC. solid. hac die usque Kalend. de tale in Civitate Tusculanensi in domo habitationis tue reddatis ei cartam illam venditionis, quam in vobis emisit de petia una de terra, que est in tali, que habet coherentias tales capsasatam et taliatam, ut in se nullum obtineat roborem. Quod si tu ipse, aut tui heredes sibi, aut suis heredibus distuleris predictam cartam venditionis capsatam et taliatam reddere in eodem constituto, ut supra dictum est, tunc componatis pene eadem petia de terra in duplum sicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit sub estimatione in consimili loco. Et si ipse Petrus, aut sui heredes distulerimus tibi, aut tuis heredibus, et predicto constituto predictum pretium adimplere, ut diximus, ut eadem carta venditionis in suo maneat robore et facias tu, aut tui heredes de hinc in antea de ipsa petia de terra proprietario nomine quicquit volueritis. Dicis ita? Dico ita. Adde huic carte promissionis et huic Notario ad scribendum. Habes launechild? Habeo. Dic omnes vos rogo. Si est Romanus similiter. Si est Salichus, et ceteri, elevent cartam de terra cum atramentario, et adde per heredes et mitte, obliga te, et iunge illi, ubi dicis in consimili loco, et insuper mitte pena stipulationis nomine, que est mulcta auri optimi IV. argenti pondera octo. Cetera sunt similia.

Traditio Iudicati.

XVII. Petre Presbyter, trade per hanc pergamena carta ordinationis de una petia de terra, que modo venit in te per cartam venditionis, et pro accepto pretio de petia una de terra, que fuit iuris Ioannis, et esse videntur in loco tali per mensuram et coherentias designata, eo tenore, ut ipse Ioannes faciat de fructu eiusdem pecia de terra usufructuario nomine diebus vite sue quicquid voluerit per anime sue mercedem. Dicis ita? Sic dico. Ita tradite cartam ordinationis, et huic notario ad scribendum; et ita faciat iudicatum, ut est tenor.

Traditio offersionum.

XVIII. Ioannes trade per hanc pergamenam cartam offersionis de una petia de terra, que est tui iuris, in tali loco, que est pro mensura tantum, et habet coherentias tales, ad Ecclesiam S. Pauli, ut a presenti die proprietario nomine faciat pars ipsa Ecclesie quicquit voluerit, ad usum et servitium presbiterorum, et clericorum, qui ibi pro tempore fuerint, sine tua, et heredum tuorum contradictione. Dicis ita? dico ita. Trade cartam offersionis ad Ecclesiam S. Pauli pro anima tua mercede et huic ad scribendum. Similiter fit etiam, ut venditio cum defensione, veluti sine defensione, et cum alio tenore, prout offerens vult, et ita Longobardus et Romanus. Si vero Salichus, et ceteri, mitte supra cartam illam omnia, que dixi supra in venditione Salicha. Et adde hic illud, que addi de pena, et de per heredes, et vuarpite in illo venditionis. Cetera enim sunt similia.

Traditio brevis divisionis.

XIX. Trade per hanc pergamenam brevem divisionis inter vos de una petia de terra que est vestri iuris que iacet in tali loco, et ut in primis tollat Petrus in portionem, et divisionem ex parte occidentis tabulas IV. que pars habet coherentias tales, et post tollat Martinus item in portionem, et divisionem item tabulas IV. ex parte Orientis, que pars habet coherentias tales: ita ut faciat unusquisque vestrum sua portione a presenti die proprietario nomine vos, et vestri heredes, et cui vos dederitis quidquid volueritis, sine omni unius alterius contradictione, vestrorumque heredum, ita tamen, ut in ipsa petia de terra semper sortes stent, et equatio percurrat, et insuper espondete vos ad invicem, ut si vos, aut vestri heredes non compleveritis omnia qualiter supra etc. vel si ab uno quisvis homine contradicente vos, et vestri heredes non defensaveritis ad invicem, et

ita firmum esse non promiseritis, qualiter supra diximus, ut tunc componat pars parti fide servandi penam in duplum ipsam portionem de terra supradicta, qualiter pro tempore fuerit melimata, aut valuerit sub estimatione in consimili loco. Dicitis ita? Dicimus. Tradite invicem duos breves divisionis in uno tenore, et huic notario a scribendum. Dicite omnes vos rogo. Similiter Romani faciunt. Salicus, et ceteri levant cartam de terra cum omnibus, que superius diximus in venditione Salicha. Et adde, pro heredes, et per espondete, mitte obligate. Et dic sine contradictione et repetitione et adde illic, ubi dicis, in consimili loco et insuper penam stipulationis nomine, que est mulcta auri optimi untias quatuor argenti pondera octo quam inferatis ad partem fidem servantem, vel contra qualiter intuleritis et adde vuarpite et cetera sunt similia. In Romana et Salicha ne addas, ut sortes stent et equatio percurrat.

Qualiter Vidua Salicha spondetur; Nam de Puella fit ut de ceteris.

XX. Comite, Missove regis cum septem iudicibus in iudicio residente, tongino vel centenario placito banniente femina vidua Salica tali tenore et ordine spondetur. Adsunt enim novem homines quorum tres sunt actores, tres qui rei, tres ut testes huius omnis rei et solid. III. et unus denari eque pensantium; ita ut hi actores utantur actionibus quarum due semper iure iurando indigeant terminari veluti controversia de antestestura et de consilio mortis. Tercia vero actio semper duello gaudet examinari actorem clepio et baculo preparato ut de furto super sex solid. et deposito XX. et ultra, sed factis actionibus et iure pro iis datis vademoneis a reis, actores baculos vadimonii reis restituant. Hoc facto, et a sponsuro precio supradicto repario dato, debet mulier inquirit an eligat eum virum de quo sit placitum sibi, quod cum mulier affirmaverit, tunc debet pater sponsuri interrogari, si filio suo consentit et post orator incipiat.

Notum sit vobis, Quirites, si a Deo factum, ordinatumque fuerit, quod Fabius venerit ut sibi Sempronia relicta quondam coniux Thersitis et que est ex genere Francorum, filia Ciceronis, vobis presentibus, Fabio spondeatur et Seneca suo repario. Quo a Fabio confirmato Seneca ab Oratore interrogatus respondeat Sponsalibus et primo Orator interroget Fabium qua lege vivendo utatur. Si dixerit, verbi gratia, Salicha, tunc Orator dicat, o Fabi, da Senece vadimonium ut faciat Semproniam, que defensione Senece regitur iure tuo securitatem scripturalem et tercie portionis omnium rerum quas nunc habes vel adquisitionis

tam mobilium quamque immobilium seu familie et si hoc non feceris ut componas decem libras auri. Quo vadibus firmato, tunc gladius cum clamide et . . . tenditur a Seneca, et Orator dicat: per illum gladium et clamidem Sponsa Fabio Semproniam tuam repariam, que est ex genere Francorum. Quod cum Seneca firmaverit tunc Orator dicat ad Fabium accipientem gladium cum clamide dicat ei: o Fabio tu per eumdem gladium et clamidem comendatam sibi, donec fuerit inter te et illum conventio. Quo facto tunc Seneca det Fabio vadimonio quod dederit Semproniam ad legitimum coniugium, et mittet eam sub mundio cum omnibus rebus mobilibus, et immobilibus, seu familiis que ei legibus pertinent et Fabius det Seneche vadimonium eam recipiendi et si quis eorum se subtraxerit componat X. libras auri. Quo facto, tunc Fabius eam subarret annulo, et post tradatur cartula donationis et dotis et scripte ibi legantur et Seneca det coniugem Semproniam Fabio.

De Mundio.

XXI. Hoc facto pro mundio det Fabius Senece crosnam unam valentem XX. solidos et Orator dicat; Seneca, tu per hanc crosnam mitte sub mundio hanc cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus, seu familiis que ei legibus pertinent et mundium et crosnam trade ad proprium Fabio. Quo facto, tunc Fabius cum Sempronia sua uxore lonechild Senece tribuad.

De Donatione Salica.

XXII. Carta in terra posita, et super calamario, cultello, festuca nodata, vuantone, cleba, ramo arboris donatio Salicha ita fit. Carta cum omnibus suprascriptis rebus sursum levata ad donatore teneatur, et Orator dicat: ita o Petre trade per hanc pergamenam cartam donationis sub dupla defensione nominative de quodam fundo tui iuris qui est in Tusculano rure per mensuram et coherentias designato ut hic breviter scriptum est ad Martinum ut faciat a presenti die proprietario nomine ipse aut heredes eius ac pro eredes aut cui ipsi dederint quidquid voluerint sine omni contradictione de re et de tuis heredibus ac pro eredibus. Equidem obligate vos atque promittite ab omni homine defensare: quod si defendere non potueritis aut per aliquod ingenium subtrahere volueritis tunc componatis ipsum fundum in duplo sicut pro tempore fuerit linelioratus aut valuerit sub estimatione in consimili loco et insuper penam stipulationis nomine que est mulcta auri optimi uncias IV. argenti pondera octo, quam inferatis ad

illam partem contra quam exinde litem intuleritis et quod repecieritis vendicare non valeatis. Dicis ita. Dico. Trade huic ad proprium et huic notario ad scribendum. Da ei launechild. Modo vuarpite. Dic omnes vos rogo tangere. Et hec omnia sint in donacione Longobarda et Romana preter pro eredes et penam obligationis et vuarpite.

Noticia de banno.

XXIII. Qualiter fit noticia de banno misso super res. Donne Comes, hoc dicit Petro, quod habet et tenet ad suam proprietatem res, que sunt in tali loco, et habet coherentias tales, et si aliquis homo est, qui inde vul aliquid dicere, paratus est cum eo exinde ad rationem standi et legitime finiendi: sed quod plus est querit et vul ut vos Donne Comes mittatis bannum super se et super ipsas res propter Deum et anime Donni Jmperatoris ac vestri mercedem, ut nullus quidlibet homo eum de predictis rebus disvestire presumat sine legali iudicio. Qui vero fecerit componat mille mancusios aureos medietas camere Donni Jmperatoris et medietas ipsi et suis heredes. Mittis ita bannum? Mitto. Precipite fieri noticiam.

FORMULAE VETERES
EXORCISMORUM.

Stephanus Baluzius Tutelensis in unum collegit, magnam partem primum edidit, reliquas emendavit.

CAPITULA.

Incipit benedictio vel exorcismus aquae calidae seu frigidae in qua manus ad iudicium mittitur.

I. *Cum homines vis mittere ad comprobationem iudicii aquae calidae, primum fac eos intrare cum omni humilitate in Ecclesia; et prostratis in oratione, dicat Sacerdos has orationes.*

PRIMA ORATIO.

Auxiliare, Domine, quaerentibus misericordiam tuam, et da veniam confitentibus. Parce supplicibus; ut qui nostris meritis flagellamur, tua miseratione salvemur. Per.

SECUNDA ORATIO.

Quaesumus, omnipotens Deus, afflicti populi lacrymas respice, et iram tuae indignationis averte; ut qui reatum nostrae infirmitatis agnoscimus, tua consolatione liberemur. Per.

TERTIA ORATIO.

Deus qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi; ut et ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore et a parvis cogitationibus mundemur in mente. Per.

His orationibus completis, surgat pariter, et coram hominibus illis cantet Presbyter Missam, et faciat eos ad ipsam Missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos cum adiuratione et dicat.

Adiuro vos, homines, per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per vestram Christianitatem quam suscepistis, et per unigenitum Dei filium, quem Redemptorem creditis, et per sanctam Trinitatem, et per sanctum Evangelium, et per Reliquias quae in ista sancta Ecclesia sunt reconditae, ut non praesumatis ullo modo ad istam sanctam communionem accedere nec sumendo communicare si hoc vel illud fecistis, aut consensistis, aut aliquam veritatem inde scitis, seu qui hoc egit nostis.

Si autem tacuerint, et nullam inde professionem dixerint, accedat Sacerdos ad altare, et communicet more solito, postea vero communicet illos. Cum autem communicant ante altare, dicat Sacerdos: Corpus hoc et sanguis Domini nostri Iesu Christi sit vobis ad comprobationem hodie. *Expleta Missa, descendat Sacerdos ad locum destinatum, ubi ipsum examen peragatur. Deferat secum librum Evangeliorum et Crucem, et canat modicam letaniam; et cum compleverit ipsam letaniam, exorcizet et benedicat aquam ipsam antequam fervescat, ita dicendo.*

Exorcizo te creatura aquae in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Iesu Christi filii eius Domini nostri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici et omne phantasma Diaboli; ut si hic homo qui manum suam in te missurus est innocens extiterit de hac culpa unde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum; et si, quod absit, culpabilis est, et praesumptuose in

te manum mittere ausus fuerit, eiusdem omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur; ut omnis homo timeat et contremiscat nomen sanctum gloriae Domini nostri, qui vivit et regnat Deus per omnia secula.

ORATIO.

Domine Iesu Christe, qui es iudex, iustus, fortis, et patiens, et multum misericors, per quem facta sunt omnia, Deus Deorum et Dominus Dominantium, qui propter nos homines et propter nostram salutem de sinu Patris descendisti, et ex Virgine Maria carnem assumere dignatus es, et per Passionem tuam mundum in cruce redemisti, et ad inferos descendisti, et Diabolum in tenebris exterioribus conligasti, et omnes Iustos, qui originali peccato ibidem detinebantur, magna potentia tua exinde liberasti, tu Domine, quaesumus, mittere digneris Spiritum tuum sanctum ex summa coeli arce super hanc creaturam aquae, quae ab igne fervescere atque calescere videtur, ut rectum iudicium per eam super hunc hominem nomine illo comprobet ac manifestet. Te Domine Deus supplices deprecamur, qui in Cana Galilaeae signo admirabili tua virtute ex aqua vinum fecisti, et tres pueros Sidrac, Misac, et Abdenago de camino ignis ardentis illaesos eduxisti, et Susannam de falso crimine liberasti, caeco nato oculos aperuisti, Lazarum quatriduanum à monumento suscitasti, et Petro mergenti manum porrexisti, ne respicias peccata nostra in hac oratione sed tuum verum et sanctum iudicium coram hominibus in hoc manifestare digneris; ut si hic homo pro hac reputationis causa, furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio, vel luxuria, aut pro qualibet causa culpae modo ad praesens manum suam in hanc aquam igne ferventem miserit, et culpabilis ex hac causa non est, hoc ei praestare digneris ut nulla laesio vel macula in eadem manu appareat, per quam sine culpa calumniam incurrat.

Iterum te, Deus omnipotens, nos indigni et peccatores famuli tui suppliciter oramus ut sanctum, verum et rectum iudicium tuum nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatenus hic homo ex hac reputationis causa, si per aliquod maleficium, Diabolo instigante, aut cupiditate vel superbia incitante, culpabilis est in facto vel in consensu, et hoc comprobationis iudicium subvertere vel violare volens, malo confisus ingenio, manum suam in hanc aquam praesumptuose mittere ausus fuerit, tua pietas taliter hoc declarare dignetur, ut in eius manu dinosci queat quod iniuste egit, ut et ipse deinceps per veram confessionem poenitentiam agens ad emendationem perveniat, et iudicium tuum sanctum et verum in omnibus gentibus declaretur per

te, Redemptor mundi, qui venturus es iudicare vivos et mortuos et seculum per ignem. Amen.

ITEM ALIUS EXORCISMUS.

Te autem, creatura aquae, adiuro te per Deum vivum, per Deum sanctum, qui te in principio separavit ab arida, adiuro te per Deum vivum, qui te de fonte paradisi manavit et in quatuor fluminibus exire iussit et totam terram rigare praecepit, adiuro te per eum qui te in Cana Galilaeae sua potentia convertit in vinum, qui super te suis sanctis pedibus ambulavit, qui tibi nomen imposuit Siloha, adiuro te per Deum qui in te Nahaman Syrum sua lepra mundavit dicens, aqua sancta, aqua benedicta, aqua quae lavas sordes et mundos peccata, adiuro te per Deum vivum ut te mundam exhibeas nec in te aliqua phantasma retineas, sed efficiaris fons exorcitatus ad effugandum et evacuandum et comprobandum omne mendacium et investigandam et comprobandam omnem veritatem; ut iste qui in te manum miserit, si veritatem et iustitiam habuerit, nullam laesionem in te accipiat; et si mendacium habet, appareat manus eius igne combusta; ut cognoscant omnes homines virtutem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est cum Spiritu sancto iudicare vivos et mortuos et seculum per ignem. Amen.

Post haec exuat eum vestimentis suis, et induat eum vel eos vestimentis mundis de Ecclesia, id est, indumento de Exorcista aut de Diacono, et faciat eos vel eum osculari Evangelium et crucem Christi, et aspergat super eos de aqua ipsa; et ipsi qui intraturi sunt ad Dei examen, det illis omnibus bibere de ipsa aqua benedicta. Cum autem dederit, unicuique dicat. Hanc aquam dedi tibi, vel vobis, ad probationem hodie. *Deinde imponantur ligna subter caldaria, et dicat Sacerdos has orationes quando ipsa aqua calescere coeperit.*

In nomine sanctae Trinitatis. Deus iudex, iustus, fortis, et patiens, qui est auctor et creator clemens et misericors, et iudicas aequitatem, tu iudica qui iussisti rectum iudicium facere, et respicis super terram, et facis eam tremere. Tu Deus omnipotens, qui per adventum unigeniti filii tui Domini nostri Iesu Christi mundum redemisti, qui per eius passionem genus humanum subvenisti et salvasti, tu hanc aquam ferventem sanctifica. Qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach et Abdenago sub Rege Babylonis Nabuchodonosor in camino ignis accensa fornace salvasti, et inlaesos per Angelum tuum eduxisti, tu clementissime Dominator praesta ut si quis innocens ab huiusmodi culpa seu causa sive reputatione homicidii, adulterii, latrocinii fuerit,

et in hanc aquam manum miserit, salvam et inlaesam inde educas. Qui tres pueros supradictos et Susannam de falso crimine liberasti, ita, Domine omnipotens, si culpabilis fuerit, et incrassante Diabolo cor obduratum, manum in huius tui elementi ferventis creaturam miserit, tua veritas hoc declaret, ut in corpore manifestetur, et anima per poenitentiam salvetur. Et si ex hoc scelere culpabilis fuerit, et per aliquod maleficium aut per herbas aut per diabolicas incantationes hanc peccati sui culpam occultare voluerit, vel tuam iustitiam contaminare vel violare se posse crediderit, magnifica tua dextera hoc malum evacuet et omnem rei veritatem demonstret. Per te, clementissime Pater, qui vivis et regnas in trinitate perfecta. Per omnia.

A l i a.

Oremus. Deus qui beatam Susannam de falso crimine liberasti, Deus qui beatam Theclam de spectaculis liberasti, Deus qui sanctum Danielem de lacu leonum liberasti, et tres pueros de camino ignis ardentis eripuisti, tu libera innocentes, et consigna factores. Per Dominum nostrum.

Et qui manum mittit in aquam ad ipsum examen, dicat Orationem Dominicam, et signet se signaculo crucis, et festine deponatur ipsa aqua fervens desuper iuxta ignem, et iudex perpendat ipsam lapidem illigatam ad mensuram ill. infra ipsam aquam more solito; et sic inde extrahat eam in nomine Domini ipse qui intrat ad examen iudicii. Postea cum magna diligentia sic fiat involuta manus sub sigillo Iudicis signata usque in die tertio; quo visa sit viris idoneis et aestimata.

Iudicium aquae frigidae.

II. *Cum homines vis mittere ad iudicium aquae frigidae ob comprobationem ita facere debes. Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, et deduc eos in Ecclesiam et coram omnibus illis cantet Presbyter Missam, et fac eos ad ipsam Missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos cum adiuratione, et dicat:* Adiuro vos homines per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, et per vestram Christianitatem quam suscepistis, et per sanctam Trinitatem, et per sanctum Evangelium, et per illas sanctas Reliquias quae in ista Ecclesia sunt, ut non praesumatis ullo modo communicare, neque accedere ad altare si hoc fecistis aut consensistis, aut scitis qui hoc egerit. *Si autem omnes tacuerint, et nullus confessus fuerit, accedat Sacerdos ad altare, et communicet, separatis illis qui examinandi sunt. Postea*

vero communicent illi quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant, dicat Sacerdos per singulos ante altare: Corpus hoc et sanguis Domini nostri Iesu Christi sit tibi ad probationem hodie ad laudem et gloriam nominis sui et ad Ecclesiae suae utilitatem. *Expleta Missa, faciat Sacerdos aquam benedictam, et deferat eam ad locum examinis, ubi homines probantur. Cum autem venerit ad ipsum locum, letaniam faciens, omnibus pro eadem causa Dominum deprecantibus, det examinandis bibere de aqua illa benedicta. Cum autem dederit, unicuique dicat:* Haec aqua Domini fiat tibi ad probationem hodie per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est verus iudex et iustus. *Deinde coniuret aquam ubi mittendi sunt. Post coniurationem autem aquae, exuat illos vestimentis suis, et faciat illos per singulos osculari sanctum Evangelium et crucem Christi. Et post haec de ipsa aqua benedicta aspergat super unumquemque hominem, et proiiciat eos statim per singulos in aquam. Haec autem omnia facere debet ieiunus; neque illi antea comedant qui ipsos mittant in aqua.*

Coniuratio aquae.

Adiuro te, aqua, in nomine Dei patris omnipotentis, qui te in principio creavit, quique te segregavit ab aquis superioribus, et iussit te servire humanis necessitatibus. Adiuro te etiam per invisibile et ineffabile nomen Christi Iesu, filii Dei vivi omnipotentis, sub cuius pedibus te calcabilem praebuisti, qui etiam in te baptizari dignatus est, et suo baptismate consecravit. Adiuro etiam te per Spiritum sanctum, qui super Dominum in te baptizatum descendit, qui te invisibili sanctificatione sacratam ad animarum purgationem inenarrabile constituit sacramentum, per quam olim et Populus Israeliticus siccis pedibus transivit, et ex aqua ferrum, quod casu ceciderat, Heliseus divina virtute contra naturam natans in suo manubrio redire fecit, ut nullo modo suscipias hunc hominem, si in aliquo culpabilis est ex hoc quod illi obiicitur, scilicet aut opere, aut consensu seu conscientia, vel quolibet ingenio; sed per virtutem Domini Iesu Christi reiice ex te, et fac illum natare super te, quatenus cognoscant fideles Christi nullum maleficium, nullum praestigium divinae virtuti posse resistere quod non detectum fiat et omnibus manifestum. Adiuro etiam te per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi ut ad laudem illius cui omnis creatura servit, et cui coelestis exercitus famulatur clamans *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, ut nobis adiurantibus et eius misericordiam obsecrantibus obedias, qui regnat et dominatur per infinita secula seculorum. Amen.

Hominis coniuratio.

Adiuro te, homo, et contestor per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per sanctam et individuam Trinitatem, et per omnes Angelos et Archangelos, et per omnes Principatus et Potestates, Dominationes quoque et Virtutes, et per Dei sedilia Cherubin et Seraphin, et per diem tremendum iudicii Dei, necnon et viginti quatuor Seniores qui quotidie laudant Deum, et per quatuor Evangelistas, et per sanctos quoque Apostolos, Martyres, et Confessores, necnon et per sanctam genitricem Dei Mariam, omnesque Virgines, et per cunctum populum sanctum Dei, vel per sanctum baptismum in quo renatus es, si hoc malum fecisti ex quo culparis, vel assensum praebuisti, aut baiulasti, aut in domum tuam recepisti, aut inde conscius aut consentaneus extitisti, coram omnibus dicito. Quod si, Diabolo suadente, celare disposueris, et culpabilis exinde es, evanescat cor tuum incrassatum et induratum, et non suscipiat te aqua incredulum et seductum; ut dicat populus quia Deus noster Iudex est, cuius potestas in secula seculorum. Amen.

Post coniurationem aquae exuat illos vestimentis illorum, et osculari sanctum Evangelium et sanctam crucem faciat; et sanctificatis omnibus aqua benedicta cum timore et reverentia, fidus de eius clementia, proiiciat in aquam.

Hoc iudicium autem, petente Domno Hludovico Imperatore, constituit beatus Eugenius, praecipiens ut omnes Episcopi, Comites, Abbates, omnisque populus Christianus qui infra eius imperium est, hoc iudicio defendant innocentes, et examinent nocentes, ne periuri super Reliquias Sanctorum perdant suas animas in malum consentientes.

Alio modo.

Deus iudex, iustus, fortis, et patiens, qui es auctor et amator iustitiae, qui iudicas aequitatem, iudica, Domine, quod iustum est, quia recta tua iudicia sunt. Qui respicis super terram, et facis eam tremere, tu, Domine omnipotens, qui per adventum filii tui Domini nostri Iesu Christi mundum salvasti, et per eius Passionem genus humanum redemisti, tu hanc aquam per ignem ferventem sanctifica. Qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach, Abdenago, iussione Regis Babylonis missos in caminum ignis servasti, tu, clementissime, praesta ut si quis innocens in hanc aquam ferventem manum mittat, sicut tres pueros supradictos de camino ignis eripuisti, et Susannam de falso crimine liberasti, ita Domine manum illius salvam et illaesam perducas. At si quis culpabilis, incrassante Diabolo cor indura-

tum, praesumpserit manum mittere, tua iustissima pietas hoc declarare dignetur, ut in eius corpore tua virtus manifestetur, et anima illius per poenitentiam salvetur.

Deus iudex iustus, qui auctor pacis es, et iudicas aequitatem, te suppliciter rogamus ut hoc ferrum ordinatum ad iustam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam benedicere ✝ et sanctificare digneris, ita ut si innocens de praenominata causa, unde purgatio quaerenda est, hoc ignitum in manus acceperit, illaesus adpareat, et culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua in eo cum virtute declarandum: quatenus iustitiae non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas aequitati, per Dominum nostrum etc.

Incipit Exorcismus aquae ad iudicium Dei demonstrandum.

Ex Ordine Dunstani Archiepiscopi Dorobernensis.

III. *Peractis coram Sacerdote trium dierum ieiuniis, cum homines vis mittere ad iudicium aquae frigidae ob comprobationem, ita facere debes. Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, et duc eos in Ecclesiam, et coram omnibus illis cantet Presbyter Missam, et faciat eos ad ipsam Missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos cum adiuratione et dicat.* Adiuro vos ill. et ill. per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per vestram Christianitatem quam suscepistis, et per unigenitum Dei Filium, et per sanctam Trinitatem, et per sanctum Evangelium, et istas sanctas Reliquias quae in ista Ecclesia sunt, et per illud Baptismum quo vos Sacerdos regeneravit, ut non praesumatis ullo modo communicare neque accedere ad altare, si hoc fecistis aut consensistis, aut scitis quis hoc egerit. *Si autem tacuerint, et nulli hoc dixerint, accedat Sacerdos ad altare et communicet. Postea vero communicet illos quos vult in aquam mittere. Cum autem communicaverint, dicat Sacerdos ante altare per singulos:* Corpus hoc et sanguis Domini nostri Iesu Christi sit tibi ad probationem hodie.

Incipit Missa iudicii.

Antiphona. Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum, fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. *Psalm.* Beati immaculati.

ORATIO.

Absolve, quaesumus Domine, tuorum delicta famulorum, ut a peccatorum suorum nexibus, quae pro sua fragilitate contraxerunt, tua benignitate liberentur, et in hoc indicio prout meruerunt, tua iustitia praeveniente, ad ve-

ritatis censuram pervenire mereantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Lectio Libri Levitici.

In diebus illis locutus est Dominus ad Moysem dicens: Ego sum Dominus Deus vester. Non faciatis furtum, non mentiamini, nec decipiat unusquisque proximum suum. Non periures in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui. Ego Dominus. Non facias calumniam proximo tuo, nec vi opprimas eum. Non moretur opus mercenarii tui apud te usque mane. Non maledicas surdo, nec coram coeco ponas offendiculum. Sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus, dicit Dominus omnipotens.

Item alia Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Fratres, renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini, et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare Diabolo. Qui furabatur, iam non furetur. Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

Graduale. Propitius esto Domine peccatis nostris, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum. *Versus.* Adiuva nos Deus salutaris noster, propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. *Alleluia.* Deus iudex, iustus, fortis, et patiens, numquid irascetur per singulos dies.

Sequitur sanctum Evangelium secundum Marcum.

In illo tempore cum egressus esset Iesus in via, procurrens quidam genu flexo ante eum rogabat eum dicens: Magister bone, quid faciam ut vitam aeternam percipiam? Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. Praecepta nosti? Ille dixit. Quae? Non occidas, non adulteres, non fureris, non fraudem feceris. Honora patrem tuum et matrem tuam. At ille respondens ait: Magister, haec omnia custodivi a iuventute mea. Iesus autem intuitus eum dilexit eum, et dixit ei: Unum tibi deest. Vade, quaecunque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me.

Offertorium.

Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.

Et hic offerant. Secreta.

Intercessio Sanctorum tuorum misericordiae tuae, Domine, munera nostra conciliet, ut quam merita nostra non valent, eorum deprecatio indulgentiam valeat obtinere. Per Dominum.

Praefatio.

Aeterne Deus, qui non solum peccata dimittis, sed ipsos etiam iustificas peccatores, et reis non tantum poenas relaxas, sed dona largiris et praemia, cuius nos pietatem supplices exoramus ut famulos tuos illos non de praeteritis iudices reatibus, sed huius culpae veritatem spectantibus insinues; quatinus et in hoc populus tuus praeconia nominis tui efferat, et te vitae praesentis et perpetuae auctorem agnoscat. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio ad iudicium.

Deus, de quo scriptum est quia iustus es et rectum iudicium tuum, fac cum his servis tuis secundum misericordiam tuam, ut non de pristinis iudicentur reatibus, sed in hoc, prout meruerunt, tua benedictione praeveniente, veritatis subsequatur iudicium. Amen.

Et qui iustus es et amator iustitiae, et a cuius vultu videtur aequitas, fac in conspectu populi tui ut nullis malorum praestigiis veritatis tuae fuscentur examina. Amen.

Petitiones nostras placatus intende, et culparum omnium praeteritarum eis veniam clementer attribue. Et si culpabiles sunt, tua larga benedictio non eis ad suffragium, sed huius culpae ad insinuandam veritatem proficiat. Amen. Quod ipse praestare dignetur, cuius regnum.

Hic communicent per Sacerdotem, et dicat Sacerdos.

Corpus hoc et sanguis Dominis nostri Iesu Christi sit vobis ad probationem hodie.

Antiphona post communionem.

Iustus Dominus et iustitiam dilexit, aequitatem vidit vultus eius.

Post communionem.

Perceptis, Domine Deus noster, sacris muneribus, suppliciter deprecamur ut huius participatio sacramenti et a propriis nos reatibus indesinenter expediat, et in famulis tuis veritatis sententiam declaret. Per Dominum nostrum.

Expleta Missa, faciat ipse Sacerdos aquam benedictam, et pergat ad locum ubi homines probentur. Cum autem venerit ad ipsum locum, det illis omnibus bibere de aqua. Cum autem dederit, dicat ad unumquemque hominem: Haec

aqua fiat tibi ad probationem. *Postea vero coniuret aquam ubi culpabiles mittat.*

Incipit adiuratio aquae.

Deus qui per aquarum substantiam iudicia tua exercens diluvii inundatione millia populorum interemisti, et Noë iustum cum suis salvandum censuisti, Deus qui in mari rubro cuneos Aegyptiorum involvisti, et agmina Israëlitica imperterrita abire iussisti, virtutem tuae benedictionis his aquis infundere et novum ac mirabile signum in eis ostendere digneris, ut innocentes a crimine furti vel homicidii vel adulterii aut alterius naevi, cuius examinationem agimus, more aquae in se recipiant et in profundum pertrahant, conscios autem huius criminis a se repellant atque reiiciant, nec patiantur recipere corpus quod ab onere bonitatis evacuatum ventus iniquitatis allevavit et inane constituit; sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriae substantiae in aquis. Per Christum Dominum nostrum.

Alia adiuratio.

Adiuro te creatura aquae in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit et iussit ministrare humanis necessitatibus, qui etiam iussit segregari te ab aquis superioribus. Adiuro etiam te per ineffabile nomen Iesu Christi filii Dei vivi, sub cuius pedibus mare et elementum divisum se calcabile praebuit, qui etiam baptizari se in aquarum elemento voluit. Adiuro etiam te per Spiritum sanctum, qui super Dominum baptizatum descendit. Adiuro te per nomen sanctae et individuae Divinitatis, cuius voluntate aquarum elementum divisum est, et populus Israël siccis pedibus statim transivit, ad cuius etiam invocationem Heliseus ferrum, quod de manubrio exierat, super aquam natare fecerat, ut nullo modo suscipias hos homines ill. si in aliquo sunt culpabiles de hoc quod illis obiicitur, scilicet aut per opera, aut per consensum, vel per conscientiam, seu per ullum ingenium, sed fac eos super te natare. Et nulla possit contra te causa facta aut ullum praestigium inimici quod illud possit occultare. Adiurata autem per nomen Christi, praecipimus tibi ut nobis per nomen eius obedias cui omnis creatura servit, quem Cherubin et Seraphin collaudant, dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum;* qui etiam regnat et dominatur per infinita secula seculorum.

Alia.

Adiuro te, creatura aquae, per Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per tremendum diem iudicii

et per duodecim Apostolos, et per septuaginta duos Discipulos, et per duodecim Prophetas, et viginti quatuor Seniores qui assidue Dominum laudant, et per centum quadraginta quatuor millia quae sequuntur Agnum, et per omnia agmina sanctorum Angelorum, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Virtutum, Cherubin atque Seraphin, et per omnia millia sanctorum Martyrum, Confessorum et Virginum. Adiuro te per sanguinem Domini nostri Iesu Christi, et per quatuor Evangelia, et per quatuor Evangelistas, necnon et per septuaginta duos libros veteris ac novi Testamenti, et per omnes Scriptores sanctos ac Doctores eorum. Adiuro te per sanctam Ecclesiam catholicam, et per resurrectionem eorum, ut fias aqua exorcizata, adiurata, et obfirmata adversus inimicum hominis Diabolum et adversus hominem qui ab eo seductus furtum hoc vel homicidium aut adulterium, unde ratio agitur, perpetravit, ut nullatenus eum in te submergi aut in profundum trahi permittas, sed a te repellas atque reiicias; neque patiaris recipere corpus quod ab onere bonitatis inane est factum; sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriae substantiae in te. Innocentes vero a praedicto crimine more aquae in te recipias, et in profundum innocuos pertrahas. Per Dominum nostrum.

Post has autem coniurationes aquae, exuantur homines qui mittendi eunt in aquam propriis vestimentis et osculentur singuli Evangelium et crucem Christi, et aqua benedicta super omnes aspergatur; et qui adsunt omnes ieiunent, et sic proiiciantur singuli in aquam. Et si submersi fuerint, inculpabiles reputentur. Si super nataverint, rei esse iudicentur.

Incipit adiuratio ferri vel aquae ferventis.

IV. *In simplo unum pondus, in triplo tria ferrum aequiparet pondera; et in illa adiuratione non adsint, ut praediximus, nisi ieiuni. Et dictis letaniis, sic Sacerdos in loco ubi ferrum accenditur, vel aqua infervescatur, adiurationem initiando inchoet.*

Deus qui per ignem signa magna ostendens Abraham puerum tuum de incendio Chaldaeorum quibusdam pereuntibus eruisti, Deus qui rubum ardere ante conspectum Moysi et minime comburi permisisti, Deus qui ab incendio fornacis Chaldaicis plerisque succensis tres pueros tuos illaesos eduxisti, Deus qui incendio ignis populum Sodomae et Gomorrae involvens, Loth famulum tuum cum suis saluti donasti, Deus qui in adventu sancti Spiritus inlustratione ignis fideles tuos ab infidelibus decrevisti: ostende nobis in hoc parvitatis nostrae examine virtutem eiusdem

sancti Spiritus et per huius ignis fervorem discernere fideles et infideles, ut a tactu eius furti, vel homicidii, vel adulterii, cuius inquisitio agitur, conscii exhorrescant, et manus eorum vel pedes comburantur aliquatenus, immunes vero ab eiusmodi crimine liberentur penitus et inlaesi permaneant. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus iudex, iustus, fortis, auctor et amator pacis, patiens et multum misericors, qui iudicas quod iustum est, et rectum iudicium tuum, qui respicis super terram et facis eam tremere, tu, Deus omnipotens, qui per adventum Filii tui Domini nostri Iesu Christi mundum salvasti, et per eius Passionem genus humanum redemisti, hanc aquam ferventem vel hoc ferrum fervens sanctifica. Qui tres pueros Sidrac, Misac, et Abdenago iussu Regis Babylonis in camino ignis accensa fornace salvasti et inlaesos per Angelum sanctum tuum eduxisti, tu, clementissime Pater, Dominator omnipotens, praesta ut si quis innocens de furto hoc, vel homicidio, aut adulterio, seu maleficio, in hoc ferrum fervens vel in hanc aquam ferventem miserit manum suam, salva, te praestante Domino nostro, permaneat. Et sicut tres pueros supradictos de camino ignis ardentis liberasti, sic manum innocentis, omnipotens Deus, ab omni laesionis insanie salvare diguare. Et si quis culpabilis, vel noxius, et tumido corde, induratoque pectore, vel superba mente, reus de hoc furto, vel homicidio, aut adulterio, seu maleficio manum miserit in hoc ferrum vel aquam ferventem, tu, Deus omnipotens, iustissima pietate et rectissimo iudicio illud declarare et manifestare digneris, ut anima eius per poenitentiam salvetur. Et si ille nocens vel culpabilis sit, et per aliquod maleficium vel per herbas aut per causas diabolicas induraverit, et peccatum quod fecit confiteri noluerit, tua dextera, quaesumus Domine, hoc declarare dignetur. Per Dominum.

Idem tertia.

Deus innocentiae restitutor et amator, qui auctor pacis es et iudicas aequitatem, te subnixis rogamus precibus ut hoc ferrum ignitum ordinatum vel hanc aquam ordinatam ad iustitiam et examinationem cuiuslibet dubietatis benedicere et sanctificare digneris; ita ut si innocens de hoc furto, vel homicidio, vel adulterio, vel maleficio, unde purgatio quaerenda est, in hoc ignitum et tua benedictione sanctificatum ferrum, vel in hanc aquam fervidam et tua benedictione sanctificatam, manus vel pedes immiserit, tua benignissima miseratione inlaesus appareat. Si autem culpabilis atque reus contempserit, et quasi tentator iudicium

tuum adierit, aut per herbas vel quaecunque tentamenta sive molimina maleficiosa peccata sua contueri et defendere inflatus per afflatorem malitiae contra veritatis tuae examen voluerit, iustissime et misericordissime Domine Deus, ad hoc virtus tua, quae omnia superat, in eo cum veritate, quae permaneat in seculum seculi, declaretur, quatinus iustitiae tuae non dominetur iniquitas, sed veritati subdatur falsitas, et ut caeteri hoc videntes ab incredulitate sua, te miserante liberentur. Qui vivis.

His peractis, aqua benedicta cunctis adstantibus detur ad degustandum, et adspergatur per totam domum, et ferrum proferatur, quod a culpato coram omnibus accipiatur, et per mensuram novem pedum portetur, manus sigilletur, sub sigillo servetur, et post tres noctes aperiatur. Et si mundus est, Deo gratuletur. Si autem insanies crudescens in vestigio ferri inveniatur, culpabilis et immundus reputetur.

In aqua fervente accipiat homo lapidem qui per funem suspendatur in simpla probatione per mensuram palmae, in tripla autem unius ulnae. Manus vero sigilletur et aperiatur ut supra diximus in consecratione ferri.

Incipit exorcismus panis hordeacii vel casei, quorum appensio unius unciae.

V. *Primitus faciat Sacerdos letanias, et omnes qui intus sunt cum eo ieiuni sint, et sic incipiat.*

Conservator et creator humani generis, dator gratiae spiritalis, largitor aeternae salutis, tu emitte Spiritum tuum super hanc creaturam panis vel casei cum tremore et timore magnitudinis brachii tui adversus eum qui cum superbia et contumacia ac zelo iniquo venit et vult subvertere iustitiam et conculcare iudicium. Fac eum, Domine, in visceribus angustari, eiusque guttur conclude, ut panem vel caseum istum in tuo nomine sanctificatum devorare non possit hic qui iniuste iuravit ac negavit illud furtum vel homicidium aut adulterium seu maleficium quod quaerebatur, et iusiurandum pro nihilo habuit, et nomen tuum nominavit ubi rectum non erat. Te quaesumus ut non ei permittas illud abscondere, quia iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum, qui custodis veritatem in seculum, faciens iudicium iniuriam patientibus, et custodis pupillum, ac viduam suscipis, et viam malignorum exterminabis. Ideo ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, ut humiles ac mansueti ac recti propter veritatem gaudeant; superbi autem et iniqui ac cupidi contristentur et humilientur usque dum confiteantur magno et sancto nomini tuo, et cognoscant caeteri quia nomen tibi Dominus, et tu solus altissimus

super omnem terram, et servi tui in te glorientur et laudent nomen tuum in secula seculorum. Amen.

Item alia.

Domine Iesu Christe, qui regnas in coelis et in terris, et mirabilis es in omnibus operibus tuis, Dominator Dominantium, Deus Angelorum, Deus Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, et omnium Electorum, praesta, quaesumus, per sanctum ac mirabile nomen tuum ut qui reus est huius furti, vel homicidii, aut adulterii, seu maleficii, de quo hic requiritur, vel in facto vel in conscientia, ad adpositam ei pro ostensione veritatis creaturam panis sanctificati vel casei faux eius claudatur, guttur eius stranguletur, et in nomine tuo ante illud reiiciatur quam devoretur. Sed et spiritus diabolicus, cui nulla est communio cum tua superna veritate in hoc negotio ad subvertendum iudicium pravis praestigiorum suorum molitionibus nil praevaleat. Sed qui reus et conscius est rei praefatae, ad hoc pabulum sanctificati panis vel casei, et praesertim per dominici corporis et sanguinis communionem quam accepit, tremat et tremendo palleat, et nutabundus in omnibus membris appareat: innoxius vero et inscius sobrie ad salubritatem sui cum omni facilitate hanc partem panis vel casei in nomine tuo signatam manducando deglutiat; ut cognoscant omnes quia tu es iustus Iudex, qui salvos facis sperantes in te, et non est alius praeter te, qui vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum.

Tertia oratio.

Deus cuius scientia senariam circumscriptionem angelicis et humanis elongatam sensibus sola interius penetrat et exterius concludit, quem nulla coelestium vel terrestrium aut infernorum vota fallere possunt, quanto magis cor unius hominis culpabile; respice ad preces nostrae humilitatis, quibus famulatum sacri indidisti ordinis, et praesta, non nostris exigentibus meritis, sed tuorum omnium suffragantibus Sanctorum; ut quod in hac culpa humanos latet oculos, et sermonum humanae procacitatis obtegitur defensionibus, tua coelesti et superna moderatione sine ullo reveletur obstricamine; et sicut solus verus es, veritatis in hoc sententiam elucidare digneris: quatinus innocentes sine ulla difficultate hoc pabulum probationis deglutiant, obnoxii autem obtrepidante mentis statu, et totius compagine corporis vacillante, quod in tuo sancto nomine consecretur et benedicitur, nullatenus devorandi valetudinem percipiant, sed coram omnibus in valetudine confusi, quod praesumptione immerita susceperunt, cum irrisione proiiciant. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Incipit ordo iudicii quo rei aut innoxii probantur ferro candenti.

VI. *Post accusationem legitime factam et triduum in ieiuniis et oratione consumptum, Sacerdos vestibus sacris praeter casulam indutus, ferrum ante altare positum forcipe accipiat, et hymnum trium puerorum, videlicet* Benedicite omnia opera, *decantans, ad ignem deferat et dicat hanc Orationem super locum ubi fiet ignis ad faciendum iudicium.*

Benedic, Domine Deus, locum istum, ut sit nobis in eo sanctitas, castitas, virtus et victoria, et sanctimonia, humilitas, bonitas, lenitas, et plenitudo legis, et obedientia Deo Patri et Filio et Spiritui sancto. Haec benedictio sit super hunc locum et super omnes inhabitantes in eo.

Benedictio super ignem.

Domine Deus, pater omnipotens, lumen indeficiens, exaudi nos, quia tu es conditor omnium luminum. Benedic, Domine, hoc lumen, quod a te sanctificatum est, qui illuminasti omnem hominem vel mundum, ut ab eo lumine accendamur igne claritatis tuae. Et sicut igne illuminasti Moysen, ita nunc illumina corda nostra et sensus nostros, ut ad vitam aeternam mereamur pervenire. Per Christum Dominum etc.

Qua finita, dicat Pater noster etc. Salvum fac servum etc. Mitte ei auxilium Deus etc. De Sion tuere eum etc. Domine exaudi etc. Dominus vobiscum etc.

Oratio.

Benedic, Domine sancte Pater omnipotens Deus, per invocationem sanctissimi nominis tui, et per adventum Filii tui, atque per donum Spiritus paracleti, ad manifestandum verum iudicium tuum, hoc genus metalli, ut sit sanctificatum, ut omni daemonum falsitate procul remota, veritas veri iudicii tui fidelibus tuis manifesta fiat, per eundem Dominum, etc.

Post hoc, ferrum in ignem mittatur, et aspergatur aqua benedicta; et dum calescit, Missam celebret. Cum vero Sacerdos Eucharistiam sumpserit, hominem probandum sicut infra scriptum est adiuret atque communicare faciat.

Officium Missae.

Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum, etc.

Oratio.

Absolve quaesumus, Domine, tui delicta famuli, ut a peccatorum suorum nexibus, quae pro sua fragilitate con-

traxit, tua benignitate liberetur, et in hoc iudicio quoad meruit, iustitia tua praeveniente, ad veritatis censuram pervenire mereatur per Christum Dominum, etc.

In illo tempore, cum egressus esset Iesus, in via praecurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens: Magister bone quid faciam ut vitam aeternam percipiam? Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum, etc.

Deinde Secreta, etc.

Antequam vero communicet, interroget eum Sacerdos eum adiuratione sic. Adiuro te per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et veram Christianitatem quam suscepisti, et per sanctas Reliquias quae in ista Ecclesia sunt, et per baptismum quo te Sacerdos regenaverit, ut non praesumas ullo modo communicare neque accedere ad altare si hoc fecisti aut consensisti, etc. *Hic communicet Sacerdos illos, et dicat.* Corpus hoc et sanguis Domini nostri Iesu Christi sit tibi ad probationem hodie.

Oratio.

Perceptis Domine, Deus noster, sacris muneribus, supplices deprecamur ut huius participatio sacramenti a propriis nos reatibus expediat, et in famulo tuo veritatis sententiam declaret, etc.

Deinde Kirieleison, et Letania, et Psalmi. *Et tum.*

O r e m u s.

Deus, qui per ignem signa magna ostendens Abraham puerum tuum de incendio Chaldeorum quibusdam pereuntibus eruisti: Deus qui rubum ardere ante conspectum Moysis et minime comburi permisisti: Deus qui de incendio fornacis Chaldaicis plerisque succensis tres pueros tuos illaesos eduxisti: Deus qui incendio ignis populum Sodomae involvens, Loth famulum tuum cum suis salute donasti: Deus qui in adventu sancti Spiritus tui illustratione ignis fideles tuos ab infidelibus decrevisti, ostende nobis in hoc parvitatis nostrae examine virtutem eiusdem Spiritus etc. Et per ignis huius fervorem discerne fideles et infideles, ut a tactu eius, cuius inquisitio agitur, conscius exhorrescat, et manus eius comburatur, innocens vero penitus illaesus permaneat, etc. Deus cuius notitiam nulla unquam secreta effugiunt, fidei nostrae tua bonitate responde, et praesta ut quisquis purgandi se gratia hoc ignitum tulerit ferrum, vel absolvatur innocens vel rei noxius detegatur.

Deinde Sacerdos super ferrum aquam benedictam spargat, et dicat: Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus

sancti descendat super hoc ferrum ad discernendum rectum iudicium Dei. *Et mox accusatus ad novem pedum mensuram ferrum perferat. Huius denique manus sub sigillo triduum tegatur, et si sanies crudescens in vestigio ferri reperiatur, culpabilis ducatur; sin autem munda extiterit, laus Deo referatur.*

In Christi nomine. Incipiunt Collectas ad malis furtis repremendis.

VII. Agius, agius, agius. Sancte Pater, qui es invisibilis, omnium rerum conditor, spiritalium munerator, qui cunctorum es conditor, et arcana conspicis, cuncta cognoscis, qui scrutaris corda et renes, Deus, deprecor te, et exaudi verba deprecationis meae; ut qui hunc furtum illum admisit, panis vel casius iste transire fauces nec guttur illius non possit. Amen.

Domine, qui liberasti Moysen de terra Aegypti, David de manu Saul Regis, Ionam de ventre ceti, Petrum de fluctibus, Paulum de vinculis, Teclam de bestiis, Susannam de falsis criminibus, tres pueros de camino ignis ardentis, Daniel de lacu leonis, paralyticum de grabato, Lazarum de monumento, ostende mihi qui hunc furtum illum admisit, ut panis vel casius iste fauces nec guttur illius transire non possit. Amen.

Exorcizo te, maledicte, immundissime draco, basilice, serpens innoxia per verbum veritatis et signum claritatis per Deum omnipotentem et Iesum Christum Nazarenum agnum immaculatum, de altissimis procreatum, de Spiritu sancto conceptum, ex Maria Virgine, quem Gabriel Archangelus adnuntiavit venturum, quem cum vidisset Ioannes, voce magna clamavit dicens: *Hic est filius Dei vivi.* Nullo modo hic dimittas communicare qui hunc furtum illum admisit. Qui crimen nesciens est, manducet. Et qui crimen sciens est, statim tremebundus evomat. Amen.

Suggero tibi, Dominus Deus omnipotens aeterne Deus, qui coelos camerasti, terram fundasti, mare limitibus firmasti, et ipsum coelum fabricasti, qui magna mirabilia sol et luna super iustos splendere et lucere fecisti, doctrinam ordinasti; fac, Domine, signum talem ut omnis mundus et omnis terra intellegant quia tu es, Deus, qui facis mirabilia solus, Domine Iesu Christe fili Dei vivi. Et qui res illas furavit, et qui ex hoc consentaneus videtur, ut gula et lingua faucis suae sint constrictae et legatae. Amen. Et panem nec casium istum non possit manducare. Amen.

Coniuro tibi, homo, per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, per diem tremendi iudicii et quatuor evangelia, et per duodecim Apostolos, per duodecim Prophetas, per

viginti quatuor Seniores, qui cotidie in laudem Domini sunt, per illo Redemptore qui pro nostra peccata manus in sancta cruce suspendere dignatus est, ut hunc furtum mixtus es aut fecisti aut consentisti aut fraudolenter baiolasti, taliter sit tibi baiulandum si de manu Domini de sua sancta gloria et virtutem, ut panem et casium istum nunquam possis manducare, nisi inflatas bucas cum spuma et gemitu et lacrymis et doloribus faucis tuae sint constrictae et oblegatae. Amen.

Ista collecta desuper caput hominis coniurati.

Domine Deus omnipotens, agius, agius, agius, adstans in coelis et in terris, Domine, sanctum et admirabilem nomen tuum invocamus, nomen tuum deprecamur, Domine Domine Dominantium. Nomen tuum invocamus, Deus coelorum, Deus iustorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus omniumque Sanctorum. Te invocamus, ut quicunque furtum illum fecit aut consenserit, adponatur ei creatura panis et formaticus, aut in terra vomat quam pertranseat; quia tu es Deus, et non est alius praeter te. Fac secundum magnam misericordiam tuam. Separetur ab eo spiritus Diaboli. Qui conscius est, evomat. Et qui innocens est, manducet. Et qui culpabilis est, tremat, tremescat, tanquam arbor tremulet, et requiem non habeat donec te confiteatur, Pater sancte.

Incipit probatio a cunctis furtis probandis.

VIII. Antequam incipias, canitur Missa de sancta Trinitate. Antiphona: Benedicta sit sancta Trinitas. Domine Iesu Christe. Agie, agie, agie. Astans in coelis, in omnibus locis dominaris, vides et regis, iudicas et disponis. Sanctum et admirabile nomen tuum invocamus. Domine Dominantium, Spiritus Dei, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus Coelorum, Deus Iustorum, Deus propitiator, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus omnium Sanctorum, te invocamus, ut quicunque de † isto furto culpabilis est, opponatur ei panis et caseus, ut te iubente constringantur fauces illius et guttur eius claudatur; ut qui † istud furtum commisit, antea revomat quam pertranseat; ut sciat quod tu es Deus, et non est alius praeter te. Fac secundum magnam misericordiam tuam ut ab eo spiritus Diaboli separetur, et probatus convictus sit, qui culpabilis est tremat et tremescat tanquam folia arboris tremuli. Per constringentes Angelos tuos, per sanctum Michaelem et sanctum Raphahelem, tremens appareat, et requiem non habeat donec confiteatur furtum istud. Agie, agie, agie.

Te iubente liberatus est Daniel de lacu leonum, Petrus de fluctibus, Paulus de carceribus, Ionas de ventre ceti, Susana de falso crimine. Tu manifesta furtum † istud sicut manifestasti Pharaonem Regem in mari. Sicut ille non pertransivit mare, sic non pertranseat gula eius qui hoc † furtum admisit creatura panis et casei. Adsit Angelus sanctus Michael, et sanctus Gabriel, et sanctus Raphael. Constringant guttur illius, et claudatur, et victus appareat. Christe Iesu, praesta quod petimus Trinitas inseparabilis manifesta. Omnipotens Deus, qui vivis et regnas per omnia secula secula seculorum. Amen.

Incipit exorcismus ad caldaria sive ad aqua.

IX. Deus, Iudex iustus et patiens, qui auctor es pacis et iudicas aequitatem, tu iudica quod rectum est, Domine. Rectum iudicium tuum. Qui respicis super terram, et facis eam tremere, tu, Deus omnipotens, qui per unigenitum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum mundum salvasti, et per eius Passionem genus humanum redemisti, tu hanc aquam per ignem ferventem sanctifica. Qui tres pueros, id est, Sidrac, Misac et Abdenago, iussu Regis Babylonis Nabuchodonosor, in camino ignis missos accenso fornace salvasti et inlaesos per Angelum tuum eduxisti, tu, Domine, qui semper dominaris, praesta ut sicut innocens de hunc furtum in hanc aquam per ignem ferventem manum miserit, sicut tres pueros supradictos de camino ignis et Susannam de falsa crimina liberasti, ita et qui innocens de hunc supradictum furtum in hanc aquam per ignem ferventem manum miserit, salvam et inlaesam educat, ita, Deus omnipotens, si quis culpabilis, adingrasante Diabolo cor induratum, praesumpserit manum mittere, tua iustissima veritas hoc declaratur, tua virtute manifesta, anima pro poenitentia salvetur. Si quis culpabilis pro aliquo maleficio aut pro herbas diabolicas peccatum tegere voluerit, tua dextera hoc evacuare dignetur. Per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum semper vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.

Resolutio omnium maleficiorum et maledictionum et incantationum et conligationum et in(mis)sionum et instigationum et zeli et invidiae et Daemonii et omnium malorum quaecunque scimus vel quaecunque nescimus.

X. Invocamus te, Deus omnipotens, Rex aeterne omnium seculorum, incorruptibilis, immaculate, indivise, lucis dator, potens manu, adonai, eloe sabaoth, Deus Deorum et omnium virtutum, gloriose, gloriosissime pater veritatis

magne et misericordiae, princeps potestatum, pater Domini nostri Iesu Christi, benedictionem da famulo tuo nom. ill. omnibus qui ad eum pertinent. Insuper invocamus te, Deus Deorum, omnipotens, Rex aeterne, qui sedis in medio duos Cherubin ac Seraphin. Resolve, Domine, si qua nobis facta sunt maleficia vel conligationes, aut si tentantur fieri, vel conligavit nos aliquis, aut devovit, aut posuit aliquid noxium in fundamentis nostris, aut ingressu, aut regressu, aut lecto, aut in aedificio, aut in exterquilinio, aut in agro; aut in atrio, aut in via, aut in semita, aut in deserto loco, aut in monumentis, aut in aqua. aut in igne, aut quolibet loco ubi scimus vel nescimus. Resolve, Domine, et ne permittas aliquem nocere famulo tuo, nom. illo, quaecunque ad eum pertinent. Coniuro vos omnia quaecunque noxia estis vel nociva, sive iam facta, sive futura, agnita vel incognita. Coniuro vos, Daemones et omnis Spiritus immundus, per Deum timendum et tremendum et honorandum et glorificandum et enarrabile nomen, per beleoi, hadonai, eloe sabaoth, ne noceatis vel adpropinquetis ad famulum Dei nom. illo, quod ad illum pertineat; sed recedite a me, et ite singuli super capita eorum qui vos fecerunt vel dixerunt vel conscii sunt. Quicunque ille, sive vir, sive mulier, sive de qualibet gente vel natione, quos scimus vel nescimus, convertimini, et ite singuli per istam coniurationem et hoc conservatorium, per signum venturi et iudicaturi vivos et mortuos Regis Iesu Christi. Sed et Virtutes coelestes et Angeli Dei, qui adsistatis ante conspectu Domini in coelis sanctis atque altissimis consistentes, Michael, Gabriel, Raphael, Cherubin et Seraphin, custodite omnem inscriptionem domus nostrae, et conservate famulum Dei nom. ill. quod ad eum pertineat ab omni re mala, a zelo, ab invidia, ab infirmitatibus, a daemonio, ab instigationibus, vel ab omnibus tentationibus, a maleficiis, a maledicto, et ab omni malo unde scimus vel nescimus. Coniuro vos omnia, quaecunque noxia estis et nociva, per Deum qui divisit lucem a tenebris, et mensus est coelos palmo suo, et constituit terram sine culmina, pensavit montes in pondere et colles in libra. Coniuro vos per venturum et iudicaturum vivos et mortuos, et per Deum Israel, qui eduxit populum suum de terra Aegypti per manum suam potentem et brachium suum fortissimum, et percussit Pharaonem una cum exercito suo. Coniuro vos per eum qui locutus est Moysi in monte Sinai, et dedit Legem et praecepta filiis Israel, et satiavit aqua ex petra rupto saxo, et manna in esca tribuit. Insuper etiam coniuro vos per inseparabile nomen et tremendum patrem Domini nostri Iesu Christi, quaecunque estis noxia et nociva, sive in

anima sive in corpore nocentia, agnita vel incognita, sive iam facta, si fura, conligati, sive immissa, sive ex vobismetipsis venientia docere qualibet modo vel qualibet arte maleficiis arenosis et indolosis presteriaticum sive druconticum, sive prope sive longe, expavescite et timete nomen Domini grande, per quod ego coniuro vos, ne noceatis vel adpropietis famulum Dei nom. illo vel quod ad eum pertinet; sed recedite ab eo, et ite singuli super capita eorum qui vos fecerunt. Pax Deus, sanitas Deus, iustitia Deus, lumen Deus. Cognoscite gentes et superamini, quoniam nobiscum est Deus, et consilium sine eritis adversum nos, et devellet illud Deus, quoniam nobiscum est Dominus; et sermonem quemcunque locuti fueritis adversum nos, permanebit in vobis. Quoniam nobiscum est Deus, sermonem vestrum non timebimus, neque conturbabit nos, quoniam nobiscum Deus. Dominum Deum adoravimus, et illi soli servimus; cui est honor, gloria, virtus, et potestas in secula seculorum. Amen.

Ad revocandum examen apum dispersum.

XI. Adiuro te, mater aviorum, per Deum Regem coelorum, et per illum Redemptorem filium Dei te adiuro ut non te altum levare, nec longe volare, sed quam plus cito potest ad arborem venire. Ibi te allocas cum omni tua genera, vel cum socia tua. Ibi habeo bono vaso parato, ubi vos ibi in Dei nomine laboretis, et nos in Dei nomine luminaria faciamus in Ecclesia Dei, et per virtutem Domini nostri Iesu Christi, ut nos non offendat Dominus de radio solis, sicut vos offendit de egalo flos in nomine sanctae Trinitatis. Amen.

CAPITULA
REGUM FRANCORUM ET IMPERATORUM
COLLECTIONI
LEGUM LANGOBARDORUM
ADDITA.

CAROLI MAGNI LEGES.

Anno feliciter undecimo, regnante Domno nostro Karolo gloriosissimo Rege, in mense Maii factum est Capitulare, qualiter in uno congregati Synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, Virisque Illustribus, una cum piissimo Domno nostro Karolo, secundum voluntatem Dei, pro caussis opportunis consenserunt decretum. *Praef. Capitul. a.* 779. III. 1. 1.

Quae gens multa petit Carolus sua iussa peregit.
Rex bonus orbis honor.

I. De Metropolitanis Episcopis ut eorum suffraganei Episcopi eis secundum Canones subiecti sint, et ea quae erga illorum ministeria emendanda cognoscunt, libenti animo emendent atque corrigant. *Capitul. a.* 779. c. 1. III. 1. 1.

II. De Episcopatibus, ubi praesentes Episcopi ordinati non sint, sine tarditate ordinentur. *Ibid. c.* 2. III. 1. 2.

III. De Monasteriis, quae regularia fuerint, ut secundum regulam vivant; nec non et Monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant, et unaquaeque Abbatissa in Monasterio suo sine intermissione resideat. *Ibid. c.* 3. III. 1. 3.

IV. Ut Episcopi de Presbyteris et Clericis infra illorum parochiam, et de suo ministerio potestatem habeant, secundum Canones facere. *Ibid. c.* 4. III. 1. 4.

V. Ut Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant; seu et de viduis infra suam parochiam potestatem habeant corrigendi. Et si de ipsis incestuosis aliquis post iudicium Episcopi in ipso incestu se iterum commiscuerit, si praedium, idest allodium, habuerit, ipsum in fiscum Regis recipiatur. *Ibid. c.* 5. II. 8. 9.

VI. Ut nulli Episcopo liceat alterius Clericum recipere aut ordinare in aliquo gradu, sine dimissoria Episcopi sui, de cuius Parochia est. *Ibid. c.* 6. III. 2. 1.

VII. De decimis, ut unusquisque homo suam decimam donet, atque per iussionem Episcopi sui dispensetur *a*). *Ibid. c.* 7. III. 3. 1.

VIII. Ut homicidae et rei ceteri, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam Dei confugiunt, non excutiantur, neque eis ibidem victus detur. *Ibid. c.* 8. II. 39. 2.

IX. Ut latrones illos de infra immunitatem Iudices et Advocati ad Comitum placita, quando eis annunciatum fuerit, praesentent. Et si dixerint, quod ipsos latrones praesentare non potuissent, iurare debent, quod illos praesentare non potuissent, postquam eis denunciatum fuerit, nec pro ulla iustitia dilatanda illis latronibus fugere consenserint, nec pro caussa dilationis de illorum potestate, vel de suo ministerio, latrones iactassent. Et hoc iurent, ut per suorum voluntatem, si potuerint, ipsos latrones praesentare debeant ad iustitiam faciendam. Et qui hoc non fecerint, beneficium et honorem perdant. Similiter et si Bassi nostri hoc non adimpleverint, beneficium et honorem perdant, et qui beneficium non habuerit, bannum nostrum solvat. *Ibid. c.* 9. II. 39. 3.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod Comes tuus mandavit tibi, quod tu praesentares ad suum placitum unum latronem de infra emunitatem Sancti Syri, unde tu es Advocatus et non praesentasti.

X. De eo qui periurium fecerit se sciente, nullam redemtionem habeat, nisi manum perdat. *Ibid. c.* 10. II. 58. 2.

XI. De truste facienda, ut nemo praesumat ad nos venienti *b*) mansionem vetare; et quae necessaria sunt, sicut vicino suo, ei vendat. *Ibid. c.* 14. III. 4. 2.

XII. De Cerariis, et Tabulariis, et Chartulariis, sicut a longo tempore fuit consuetudo, ita observetur. *Ibid. c.* 15. III. 5. 1.

XIII. De sacramentis per gildoniam *c*) ad invicem coniurandis, ut nemo facere praesumat. Alio vero modo de illorum alimoniis, aut de incendio, aut de naufragio quamvis convenientiam faciant, nemo in hoc iurare praesumat. *Ibid. c.* 16. I. 17. 7.

XIV. De iterantibus, qui ad Palatium, aut alicubi pergunt, ut eos cum collecta manu nemo ausus sit assalire. Et nemo herbam alterius tempore defensionis tollere praesumat, nisi vel in hostem pergendo, aut Missus noster sit. Qui aliter facere praesumpserit, emendet. *Ibid. c.* 17. III. 4. 3.

---

a) Un. Cod. *consilium Episcopi in cuius parochia sunt, dispensentur.*

b) Al. Codd. addunt : *hiberno tempore.*

c) Al. Codd. *per gildonem ; pro gildoniis.*

XV. De teloneis, quae iam ante furbannita fuere, ut nemo tollat; nisi ubi antiquo tempore consuetudo fuerit. *Ibid. c.* 18. III. 1. 5.

XVI. Ut nemo praesumat hominem aliquem vendere, aut comparare, nisi in praesentia Comitum aut Missorum nostrorum. II. 30. 1.

XVII. De Bruneis, ut nullus extra Regnum nostrum vendere praesumat. *Ibid. c.* 20. III. 17. 1.

XVIII. Si Comes in suo ministerio iustitiam non fecerit, tunc Missus noster de hac caussa sonniare *d*) faciat, usque dum iustitiae ibidem factae fuerint. Et si Vassus noster iustitiam non fecerit, tunc Comes, et Missus noster in ipsa casa sedeant, et de suo vivant, quousque iustitiam faciant. *Ibid. c.* 21. II. 52. 2.

XIX. Si quis pro faida pretium recipere noluerit, ad nos sit transmissus, et nos eum dirigamus, ubi damnum minime *e*) facere possit. Simili modo, etiam qui pro faida pretium solvere noluerit, nec iustitiam inde facere, tunc ad nos sit transmissus, et in tali loco eum mittere volumus, ut magis damnum non crescat. *Ibid. c.* 22. I. 37. 1.

XX. De armis infra patriam non portandis, id est scutis, lanceis, et loricis. Si faidosus quis fuerit, discutiatur; et tunc quis e duobus contrarius fuerit, pacatus fiat, et distringatur ad pacem, etiamsi noluerit. Et si aliter se pacificare noluerit, adducatur ad nostram praesentiam: et si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum *f*), et manum illam, quam periuravit, perdat, et insuper bannum dominicum persolvat. *Capitul. II. a.* 805. *c.* 5. I. 37. 2.

XXI. De periuriis ut caveantur, et non admittantur testes ad iuramentum, antequam discutiantur. Et si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, et singulariter inquirantur, et non soli accusatori liceat testes eligere absente suo caussatore. Et omnino nullus nisi ieiunus ad iuramentum, vel ad testimonium admittatur. Et ille, qui ad testimonium adductus fuerit, si refutatur, dicat ille, qui eum refutat, et probet, quare eum recipere nolit. Et ut de ipso pago, non de altero testes eligantur; nisi forte extra Comitatum longius sit caussa quaerenda. Et si quis convictus fuerit de periurio, manum perdat, aut redimat. *Ibid. c.* 11. II. 51. 2.

XXII. De Advocatis et Vicedominis, Vicariis, et Cen-

---

d) Al. Codd. *soniare*; *summare*. Lind. *sonare*.

e) Un. Cod. *nemini*.

f) Un. Cod. addit: *si se defendendo fecerit. Si vero aliter, omnem substantiam suam amittat.*

tenariis pravis, ut tollantur; et tales eligantur, qui sciant, et volunt iustitiae caussam discernere et determinare. Et si Comes aliquis pravus inventus fuerit, nobis nuntietur: et Iudices, Advocati, Praepositi, Centenarii, Scabini, quales meliores inveniri possunt, et Deum timentes, constituantur, ad sua ministeria exercenda. *Ibid. c.* 12. II. 47. 1.

FORM. Domne Comes, hoc dicit Raynaldus Episcopus, quod vult eligere Donatum, ut sit suus Advocatus, et de Episcopatu; quod habeat de hac hora in antea licentiam, et potestatem de rebus Ecclesiae appellationes faciendi et recipiendi, et res Ecclesiae per pugnam requirendi et excutiendi, et quod fecerit per se vel cum Episcopo de rebus Ecclesiae permaneat stabile. Dicis ita Episcope? Dico. Domine Comes praecipite fieri notitiam.

XXIII. De heribanno volumus, ut Missi nostri heribannum hoc modo exactare fideliter debeant, absque ullius personae gratia, vel blanditia, sine terrore, secundum nostram iussionem; id est de homine habente sex Libras in auro et argento, bruneis, ferramento, pannis, caballis, bobus, vaccis, aut peculiis; ita ut uxores eorum aut infantes non fiant exspoliati pro hac re de eorum vestimentis, sed recipiatur legitimum heribannum, id est Librae tres *g*). Qui vero non habuerint amplius in suprascripto pretio valente, nisi Libras III., solidi XXX. ab eo exigantur, id est Libra una et dimidia. Qui autem non habuerit amplius nisi Libras II. solidi X. Si vero unam Libram solid. V. ita ut iterum se valeat praeparare ad servitium Dei et in nostram utilitatem. Et nostri Missi caveant et diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium substrahant nostram iustitiam, alteri tradendo aut commendando *h*). *Ibid. c.* 21. III. 6. 1.

XXIV. Optimus quisque in pago vel in civitate in testimonium admittatur, ut is, contra quem testimonium dare debet, nullum crimen possit indicare *i*). *Capitul. II. a.* 803. *c.* 11. II. 51. 3.

XXV. Ut nemo colonus, nec Fiscalinus possit aliubi foras mixtos traditionem *k*) facere. *Capitul. III. a.* 803. *c.* 10. II. 32. 6.

XXVI. Nemini liceat dimittere servum suum, propter damnum ab illo cuilibet illatum, sed iuxta qualitatem damni dominus eius pro illo respondeat, vel eum in compositionem, aut ad poenam petitori offerat. Sin autem servus pro perpetrato scelere fugerit, ita ut a domino penitus inveniri non possit, cum sacramento dominus eius excusare studeat,

---

g) Al. Codd. *sed recipiant leg. herib. id est Libras tres.*

h) Un. Cod. addit: *res suas.*

i) Un. Cod. *possit ei iniicere. Et testis quislibet recipiendus sit, nisi crimen ei oppositum fuerit et probatum.*

k) Al. Codd *aliubi foras mitio traditionem; alicubi foras mitio traditionis.*

quod hoc non suae voluntatis, nec conscientiae fuisset, quod servus eius tale factum commisisset, et sit absolutus. Iubemus quoque, ut propter nullam districtionem, quam nos facere iubemus, pro quibuslibet caussis servi non mittantur in districtionem; sed per Missos nostros vel dominos eorum, aut illorum Advocatos ipsi servi distringantur, ut ipsi sicut lex iubet *l*), rationem pro servis reddant, utrum culpabiles sint, an non. Ipsi vero domini distringant et inquirant servos suos, sicut ipsos amant. I. 36. 7.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod Donatus tuus servus fecit iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. De torto. Si dixerit liber est, aut est servus: dicat appellator Martino hoc te appellat Martinus, quod Donatus tuus servus fecit sibi unam plagam in capsum. Non tibi respondeo, quod Petrus vendidit mihi per ipsum malum. Aut probet, aut respondeat. Si dixerit, quod servus est fugitivus, vadat eum quaerere.

XXVII. Si quis *m*) ad mallum legibus mannitus fuerit, et non venerit, si eum sompis non detinuerit, solid. XV. culpabilis iudicetur. Si ad secundam et tertiam vicem, similiter. Si autem ad quartam venire contemserit, possessio eius in bannum mittatur, donec veniat, et de qua re interpellatus fuerit, iustitiam faciat. Si autem infra annum non venerit, de rebus eius, quae in bannum missae sunt, Rex interrogetur, et quicquid exinde iudicaverit, fiat. Prima mannitio sit super VII. noctes: secunda super noctes XIV. Tertia super noctes XXI. Quarta super noctes XLII. Similiter de beneficio hominis, si forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum, usque dum Rex interrogetur *n*). *Capitul. IV. a.* 803. *c.* 5. II. 43. 1.

XXVIII. Ut sacramenta, quae ad palatium fuerint arramita, in palatio finiantur: et si sacramentales cum ipso venire noluerint, iussione dominica, aut sigillo, vel iudicio, ad palatium venire cogantur *o*). *Capitul. II. a.* 809. *c.* 14. II. 55. 20.

XXIX. Si quis liber super Missum dominicum cum collecta et armis venerit, et missaticum illi iniunctum contradixerit, aut contradicere voluerit, et hoc ei approbatum fuerit, quod sciens esse Missum dominicum, ad resistendum venisset, de vita componat *p*): et si negaverit, cum XII. sacramentalibus suis se idoneum faciat; et pro eo quod cum collecta contra Missum dominicum armatus venerit ad

l) Al. Codd. *distringantur. Ipsi vero domini.*

m) Un. Cod. *Si quis Salichus.*

n) Un. Cod. addit: *Beneficium quidem contradicatur ei, donec ipse venerit, et iustitiam fecerit, aut missus aliquando.*

o) Al. Codd. addunt: *Similiter de caeteris.*

p) Un. Cod. addit: *et res eius ad publicum deveniant.*

resistendum, bannum dominicum componat. Simili modo Domnus Imperator de suis Vassis indicavit. Et si servus hoc fecerit, disciplinae corporali subiaceat. *Capitul. Lib. III. c.* 64. I. 13. 3.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu venisti cum collecta et armis te sciente super Missum Imperatoris, et contradixisti missaticum illi, quod erat sibi commendatum.

Capitula de Exercitalibus.

XXX. Si quis *q*) domum alienam cuilibet fregerit, quicquid exinde per virtutem abstulerit, aut rapuerit, aut furatus fuerit, secundum legem et euuam illi, cuius domus fuerit fracta aut expoliata, in triplo componat, et insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, et insuper secundum legem componat. *Ibid. c.* 65. I. 14. 9.

XXXI. Si quis liber homo *r*) aliquod damnum cuilibet fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum inwadiare studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat. *Ibid.* I. 14. 10.

XXXII. Si quis messem, aut annonam in hoste super bannum dominicum rapuerit, aut furatus fuerit, vel paverit, aut cum caballis vastaverit, aestimato damno secundum legem in triplo componat. Et si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur: servus vero secundum legem triplum componat, damnum in loco restituat, et pro banno disciplinae corporali subiaceat. *Ibid.* c. 66. I. 14. 11.

XXXIII. Si quaelibet persona *s*) de hoc quoque interpellata fuerit, aut praesentialiter emendet, aut sacramentum reddat solus, quod nec ipse fecerit, nec vere qui fecisset, sciat. Accusator vero prius iuret, quod non eum iniuste se sciente interpellasset. I. 14. 12.

XXXIV. De his vero personis, quae longe a Palatio quasi in via remanserint, exspectantes Seniorem suum, et depraedationes fecerint, Comes, aut Minister eius quicquid contra legem fecerint, absque ulla excusatione emendare faciat. Si vero de iniustitia contendere voluerint, constringant, aut velint vel nolint, ut iustitiam faciant. Si vero quisquam in sua superbia adeo contenderit, ut ibidem interfectus sit, incompositus iaceat; et neque Senior, neque propinquus eius pro hoc ullam faidam portet, aut commotionem

q) Un. Cod. *Si quis in expeditione.*

r) Un. Cod. addit: *in eadem expeditione.*

s) Un. Cod. addit: *de eadem expeditione.*

faciat; et si fecerit, nobis et populo nostro inimicus annotetur.

XXXV. Quicunque liber homo in hoste bannitus fuerit et venire contemserit, plenum heribannum componat, (secundum legem Francorum *t*), id est LX. solidos solvat; aut si non habuerit unde illam summam persolvat, semet ipsum per wadiam in servitio Principis tradat, donec per tempora ipsum bannum ab eo fiat persolutum, et tunc iterum ad statum suae libertatis revertatur. Et si ille homo, qui propter heribannum in servitio se tradiderit, et in servitio illo defunctus fuerit, heredes eius hereditatem, quae ad illos pertinet, non perdant; nec de libertate, nec de ipso heribanno obnoxii fiant. *Ibid. c.* 67. *Capitul. II. a.* 812. *c.* 1. I. 14. 13.

XXXVI. Ut nullus homo in placitum Centenarii, neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam, aut res reddendas, vel mancipia iudicetur: sed ea omnia in praesentia Comitum vel Missorum nostrorum iudicentur. *Capitul. III. a.* 812. *c.* 4. II. 52. 3.

XXXVII. Omnis controversia coram Centenariis diffiniri potest, excepta redhibitione rerum immobilium, et mancipiorum; quae non potest diffiniri nisi coram Comite. *Capitul. Lib. IV. c.* 26. II. 52. 10.

XXXVIII. Omnia sacramenta in Ecclesiis, aut super reliquias Sanctorum iurentur. Et quae in Ecclesia iuranda sunt, cum VI. electis, aut sibi XII. esse debeant, quales potuerint legibus invenire. Et sic iuret: *Sic illum Deus adiuvet et Sancti, quorum reliquiae istae sunt, ut inde veritatem dicat u*). *Capitul. IV. a.* 803. *c.* 10., *Capitul. Lib. VI. c.* 214. II. 55. 21.

XXXIX. Ut infantes, qui sine rationabili aetate sunt, non cogantur iurare, sicut Gundebada lege viventes faciunt. Et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit postea, nec ad sacramentum accedat, nec in sua caussa vel alterius iurator existat *v*). II. 55. 22.

XL. Ut infantulae puerilis aetatis non velentur, antequam eligere sciant, quid velint, salva canonica auctoritate *w*). *Capitul. I. a.* 805. *c.* 14. III. 1. 6.

XLI. Ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro: nec vir aliam accipiat uxorem, vivente priore uxore. *Capitul. I. inc. anni c.* 22. II. 13. 4.

---

t) Desunt ista in uno Cod.

u) Un. Cod. add.: *Haec sacramenta sint de minoribus placitis.*

v) Un. Cod. add: *nisi accipiat poenitentiam.*

w) Un. Cod. addit: *Id est ante XXV. annos, excepto metu mortis, aut raptus, nisi consensu parentis.*

XLII. **Ut iudices ieiuni caussas audiant et discernant.** II. 52. 4.

XLIII. Ut Episcopi, Abbates et Comites, et quique potentiores, si caussam inter se habuerint, et pacificare se noluerint, ad nostram iubeantur venire praesentiam, neque eorum contentio alicubi iudicetur, nec propter hoc pauperum et minus potentum iustitiae remaneant. Neque ullus Comes Palatii nostri potentiorum caussas, sine nostra iussione, finire praesumat: sed tantum pauperum et minus potentum ad iustitias faciendas se sciat esse constitutum, ut in omnibus caussis pro illis rationem reddere possint. *Capitul. III. a.* 812. c. 2. II. 45. 1.

XLIV. De latronibus ita praecipimus observandum, ut pro prima culpa *x*) non moriatur, sed oculum perdat. De secunda, nasus ei scapelletur. De tertia vero, si se non emendaverit, moriatur. *Capitul. a.* 779. *c.* 23. I. 25. 61.

XLV. De illis hominibus, qui propter eorum culpas ad mortem fuerint iudicati, et postea vita eis concessa fuerit, si ipsi iustitiam ab aliis, aut alii ab eis quaerere voluerint, aequale iudicium inter eos terminetur. Primum enim omnium *y*) de illis caussis, pro quibus iudicati fuerint ad mortem, nullam postea repetitionem facere possunt *z*), quod omnes res suae secundum iudicium Francorum, in publico sunt revocatae. Et si aliquid postmodum, postquam eis vita concessa est, cum iustitia acquirere potuerint, in sua libertate teneant, et defendant secundum legem. Sed in testimonio non suscipiantur, nec inter Scabinos ad legem iudicandam locum teneant. Et si sacramentum eis aliquod iudicatum fuerit, quod iurare debeant, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, cum armis contendant. *Capitul I. a.* 809. *c.* 30. I. 35. 1.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti sibi unam plagam in capite. Non tibi respondeo, quia tu fuisti iudicatus post ad mortem. Aut probet, aut respondeat. Si dixerit: iudicatus fui ad mortem, sed mihi fuit vita concessa. Et tu post fecisti illud malum. Probet, aut taceat. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Donatum suum servum ministerialem. Non tibi respondeo, quia ego sum iudicatus post ad mortem. Probet. Si dixerit, qui appellat; tibi fuit vita concessa, et post illud malum mihi fecisti, probet. Si dixerit qui appellatus est: fuit mihi vita concessa; sed si tu dicis, quod ego fecissem tibi malum ipsum, postquam fuit mihi vita concessa: de torto. Petre te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspicionem, quod tu fuisti fur de tanto suo mobili, quod va-

---

x) Al. Codd. *per primam vicem.*

y) Un. Cod. *iustitiam ab aliis quaerere voluerint, aut alii ab eis. de aliquibus commissis ante iudicium mortis, aequaliter inter illos sententia terminetur. Ut primum omnium. etc.*

z) Un. Cod. *nullus possit facere repetitionem.*

lebat solid. C. Non tibi respondeo, quia pro ipsa mobilia fui iudicatus ad mortem. Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. De torto. Si voluerit dicere, quod falsum sit sacramentum, quod debet iurare, faciat pugnam cum armis.

XLVI. Si alicui homini post iudicium Scabinorum fuerit vita concessa, et ipse postmodum aliquod malum perpetraverit, et iustitiam reddere noluerit, dicendo quod mortuus sit, et ideo iustitiam reddere non debeat, statutum est, ut superius iudicium sustineat, quod antea sustinere debuit. Et si aliquis adversus eum aliquod malum fecerit, secundum aequitatis ordinem, licentiam habeat suam iustitiam requirendi de caussis perpetratis, postquam ad mortem iudicatus est. De praeteritis vero maneat, sicut supra iudicatum est. *Ibid. c.* 31. I. 35. 2.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum. Non tibi respondeo, quia ego sum mortuus. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Quid tibi pertinet? Imperator mihi fecit per praeceptum. Et quid pertinuit ad Imperatorem? Ego fui iudicatus ad mortem, et totae meae res venerunt ad Publicum. Potes tu probare, quod tu, postquam Imperator tibi dedit infra hoc, quod tu fuisti iudicatus ad mortem, et quod tu, antequam tu fuisses iudicatus ad mortem, et quod pater tuus per XXX. annos possessam habeatis.

(XLVII.) De latrone forbannito, si liber homo susceperit, XV. sol. componat; et si servus, CXX. ictuum percussionibus vapuletur *a*). *Capitul. Lib. III. c.* 49. I. 25. 62.

XLVII. Ut Comes qui latronem in forbanno miserit, vicinis suis, et aliis Comitibus notum faciat, eundem latronem a se forbannitum esse, ut illi eum non recipiant. *Capitul. I. a.* 809. *c.* 32. I. 25. 63.

XLVIII. Ut quandocunque testes ad rem quamlibet discutiendam quaerendi aut eligendi sunt a Misso nostro et Comite *b*), in quorum ministerio de re qualicunque agendum est, tales eligantur, quales meliores inveniri in ipso pago possunt. Et non liceat litigatoribus per praemia falsos testes adhibere, sicut hactenus fieri solebat. *Capitul. III. a.* 812. *c.* 3. II. 51. 5.

XLIX. Ut nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis Scabinis, et Vassis Comitum, nisi ille qui caussam suam quaerit, aut si alter illi quaerere debeat, et ille qui respondet. *Capitul. II. a.* 809. *c.* 5. II. 42. 1.

L. Ut testes ad testimonium dicendum praemio non ducantur; et nullus testimonium dicat, aut sacramentum

---

a) Hoc caput in aliis editionibus deest.

b) Al. Codd. *aut Comite.*

iuret, nisi ieiunus. Et ut testes, priusquam iurent, separatim discutiantur, quid dicere velint de illa re, unde testimonium reddere debent. *Ibid. c.* 6. II. 51. 6.

LI. Ut nullus quislibet Missus noster, neque Comes, neque Iudex, aut Scabinus cuiuslibet iustitiam dilatare praesumat, si statim implere potuerit secundum rectitudinem. Neque praemia per hoc a quolibet homine per aliquod ingenium accipere praesumant. *Ibid. c.* 7. II. 52. 5.

LII. Ut mercatum nullo loco habeatur nisi ubi antiquitus fuerit, et legitime debet esse. *Ibid. c.* 8. III. 18. 1.

LIII. Ut nullus cogatur ad pontem ire, ad fluvium transeundum, propter telonei caussam, quando ille in alio loco compendiosius illum fluvium transire potest. Similiter in campo plano, ubi nec pons, nec transiectus est, ibi omnino ut teloneum non exigatur, praecipimus. *Ibid. c.* 9. III. 1. 7.

LIV. Ut Presbyter, qui sanctum chrisma dederit ad iudicium subvertendum, postquam de gradu suo expulsus fuerit, manum amittat. *Ibid. c.* 10. III. 27. 1.

LV. Ut Iudices, Advocati, Centenarii, Scabini, Praepositi, quales meliores inveniri possunt, et Deum timentes, constituantur ad sua ministeria exercenda. *Ibid. c.* 11. II. 47. 1.

LVI. Ut nemo propter cupiditatem pecuniae, aut avaritiam det pretium, ut futuram emtionem sibi praeparet, ut duplum vel triplum recipiat: sed tunc tantum, quantum praesentes sunt fructus, sibi illos comparet. *Ibid. c.* 12. II. 31. 1.

LVII. Volumus atque iubemus, ut Episcopi suum in omnibus iuxta vires suas peragere studeant ministerium, in Parrochiis eorum: et ut praedicationes et confirmationes ibidem expleant. Et de monasteriis, quae infra eorum Parochiam sunt, vigilanter curent, et Canonici secundum Canones, et Regulares secundum regulam vivant: et ubi aliter quam ordo poposcit invenerint, emendare faciant; et si emendare nequiverint, nobis nuncietur. *Capitul. I. Mabillon. c.* 1. III. 1. 8.

LVIII. Ut Comites pleniter iustitiam faciant et diligant, et iuxta vires eorum expleant, et iustitiae sanctae Dei ecclesiae vigilanti cura insistant, et orphanorum, viduarum, pauperum, et omnium qui in eorum ministerio permanent, et de caussa quacunque ad eos venerit querela, plenissima et iustissima deliberatione diffinire decertant, et sicut rectum et iustum est, ita agant. Et ut primitus ad placita eorum orphanorum, viduarum, nec non pauperum caussae deliberentur: nec propter aliquam dilationem eorum iustitia a Iudicibus dilatetur. II. 52. 6.

LIX. Volumus ut Episcopi et Comites concordiam et dilectionem inter se habeant, ad Dei sanctae ecclesiae tractatum c) peragendum: ut Episcopus suo Comiti, ubi ei necessitas poposcerit, adiutor et exhortator existat, qualiter suum ministerium explere possit. Similiter et Comes faciat contra suum Episcopum, ut in omnibus illis adiutor sit, qualiter intra suam Parochiam canonicum possit explere ministerium. II. 53. 1.

LX. Praecipimus etiam Comitibus et omnibus fidelibus nostris, ut quicunque de rebus ecclesiasticis beneficia d) habent, pleniter secundum morem regionis nonas et decimas ad ipsas ecclesias donent, absque ulla diminutione et dilatatione, in quantum melius possunt, et iuxta possibilitatem eorum. Et quando necessitas exegerit, dent operas ad ipsas ecclesias restaurandas, et adiutorium faciant e). III. 3. 2.

LXI. Et vobis Episcopis, qui in omnibus nonas et decimas accipitis, ut in vestra providentia sit, quatenus ecclesiae et capellae, quae in vestra Parochia sunt, emendentur, et luminaria eis praebeatis, ut in eis Presbyteri vivere possint. III. 3. 3.

LXII. Ut nemo alterius Clericum sine commendatitiis aut dimissoriis litteris recipere praesumat. III. 2. 2.

LXIII. Ut Episcopi, Abbates, per Xenodochia et Monasteria eorum hospitale, ubi antiquitus fuerit, faciant: et summopere curent, ut nullatenus praetermittatur. III. 1. 9.

LXIV. Volumus, ut Advocati in praesentia Comitum eligantur, non habentes malam famam, sed tales eligantur, quales lex iubet eligere. *Capitul. I. Mabillon. c.* 5. II. 47. 2.

LXV. De furto, vel de minoribus f) caussis statuimus, si ille, cuius caussa fuerit iurata, dicere voluerit, quod ille qui iuravit, se sciente periurasset, vel campo vel cruce contendat g). Et si ille qui iuravit victus fuerit, quod sciens periurasset, suprascriptae subiaceat sententiae. Et si ille qui criminavit alium, periurium non approbaverit, legem suam, cui periuratum esse dixerit, persolvat. De maioribus vero caussis lex, quae a longo tempore fuit, observetur. II. 55. 25.

---

c) Al. Codd. *protractum; pertractatum.*

d) Un. Cod. *de rebus ecclesiae et beneficiis.*

e) Un. Cod. *de opera ad ips. eccl. restaur. adiut. fac.*

f) Un. Cod. *De furto, vel scaccho, vel de min.* Alt. *De furto vel de maioribus.*

g) Un. Cod. *vel componat vel cruce contendat.*

LXVI. Mentio etenim facta est a nonnullis in placito, quod habuimus in anno praeterito, et dictum est inibi, quia ubi palam apparet, quod aut ille qui crimen iniecerit, aut ille qui se defendere vult, periurare se debeant, melius est, in campo cum fustibus pariter contendant, quam periurium absconse perpetrent. II. 55. 23.

LXVII. Volumus etiam atque iubemus, ut Comites et Iudices non admittant testes, habentes malam famam, testimonium perhibere; sed tales eligantur, qui testimonium bonum habeant inter suos Pagenses. Et primum per ipsos Iudices inquirantur, et sicut ab illis rectius inquirere potuerint, ita faciant, non voluntatibus malorum hominum assensum praebentes. Et ut ipsi Comites, et eorum Iudices, quomodo noverunt caussam, de qua inter eos agitur, coopertam esse, sine blandimento ipsius qui caussam habet, faciant testes ad eandem caussam venire, et per eorum inquisitionem ita fiat diffinita. Et iubemus, ut testimonia ab invicem separentur, ut lex habet. Quia si ita agatur, multi falsi testes possunt convinci, si ita interrogati fuerint separatim. *Capitul. I. Mabillon. c.* 6. II. 51. 7.

LXVIII. Sed et hoc volumus, ut Comites de latronibus plenam iustitiam faciant per eorum ministeria, ut fures et malefactores non patiantur quiete residere, sed semper eos in quantum valent, infestent. *Ibid. c.* 7. I. 25. 64.

LXIX. Ut ante Vicarios nulla criminalis actio diffiniatur, nisi tantum leviores caussae, quae facile possunt iudicari. Et nullus in eorum iudicio aliquem in servitio hominem conquirat; sed per fideiussorem mittantur usque ad praesentiam Comitis. Et ingenuos homines nulla placita faciant custodire, postquam illa tria custodierint placita, quae instituta sunt, nisi forte contingat, ut aliquis aliquem accuset: exceptis illis Scabinis, qui cum Iudicibus residere debent. *Ibid. c.* 8. II. 52. 7.

LXX. Volumus ut sicut nos omnibus legem observamus, ita et omnes Comites nostri nobis legem observare faciant, et plenam iustitiam in eorum ministeriis, quicquid ad nos pertinet, facere studeant *Ibid. c.* 9. II. 52. 8.

LXXI. Ut nemo pedicas in foresto Dominico, nec in quolibet Regali loco tendere praesumat. Et si ingenuus hoc perpetravit, bannum dominicum solvat. Et si servus est, dominus illius emendet, sicut lex est *h*). I. 22. 7.

LXXII. De mancipiis quae venduntur, ut in praesentia Episcopi vel Comitis sint vendita, aut Archidiaconi,

---

h) Un. Cod. addit: *aut CXX. ictus accipiat servus.*

et Centenarii, aut Vicedomini, aut Iudicis, vel Vicecomitis, aut ante bene nota testimonia. Et ut foras Marcas nemo mancipia vendat. Et hoc qui fecerit, tantis vicibus bannum solvat, quanta mancipia vendiderit. Et si non habet pretium, in wadia pro servo semetipsum Comiti donet, usque dum ipsum bannum persolvat. *Capitul. a.* 779. *c.* 19. II. 30. 2.

LXXIII. Item, ut nemo audeat in furto mancipia emere, et in aliam regionem occulte ducere: ubi vero repertum fuerit, legali sententiae subiaceat. II. 30. 2.

LXXIV. Ut nemo forcapium de mancipiis *i*), aut de qualibet caussa, recipere praesumat, sicut saepius Dominus Imperator commendavit *k*). *Capitul. I. Mabillon. c.* 11. II. 55. 24.

LXXV. Ut mancipia adventitia et fugitiva nullus praesumat recipere. *Ibid. c.* 12. I. 25. 65.

LXXVI. De omnibus debitis solvendis, sicut antiquitus fuit consuetudo, per XII. denarios solidi solvantur, per totam Salicam Legem: excepto leudes *l*), si Saxo aut Friso Salicum occiderit, per XL. denarios *m*) solidus solvatur *n*). Inter Salicos vero ex utraque parte de omnibus debitis, sicut diximus, per XII. denarios solid. solvatur, sive de homicidiis, sive de omnibus rebus. *Capitul. III. Mabillon. c.* 5. II. 22. 1.

LXXVII. De manitionibus vero, nisi de ingenuitate, aut de hereditate, non sit opus observare; de ceteris vero caussis, per districtionem Comitis ad mallum veniant, et iuste examinentur ad iustitiam faciendam. Comites vero non semper pauperes per placita opprimant. *Ibid. c.* 6. *et Capitul. I. Mabillon. c.* 13. II. 45. 2.

LXXVIII. Si quis Longobardus statum humanae fragilitatis praecogitans, pro salute animae suae de rebus suis voluerit iudicare, vel chartam donationis cuilibet facere, non sicut hactenus fieri solebat, ius sibi vendendi, donandi, commutandi, et per aliam chartam easdem res alienandi reservet potestatem: sed absolute faciat unusquisque de rebus suis, quod velit *o*), et noscat sibi ex nostra auctoritate penitus interdictum esse, duas de eadem re facere traditio-

---

i) Omnes editiones habent: *Ut nemo furem camphium de manc.*

k) Un. Cod. addit: *in verbis, non lege.*

l) Al. Codd. *leuden; leudo.* Murat. et Lind. *excepto si leudes, id est, si Saxo etc.*

m) Murat. et Lind. *LX. den.*

n) Un. Cod. addit: *Similiter de omnibus controversiis, quas hi contra Salicum habuerint, unde ei compositionem facere debuerint. Infra Salicos etc.*

o) Un. Cod. addit: *nisi servaverit ordinationem sibi, et usumfructum de rebus datis loco Deo dicato. Si aliter sibi placuerit, noscat etc.*

nes. Sed postquam unam de rebus suis traditionem *p*) fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam habeat potestatem. Ita tamen si usumfructum voluerit habere, per precariam res traditas usque in tempus definitum possidendi sit concessa facultas. *Capitul. Carol. M. a.* 801. *c.* 1. II. 18. 4.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Ecce charta, quam mihi fecit Donatus; et ecce charta, quam mihi fecit Donatus. Ipse qui habet posteriorem chartam, dicat priorem falsam.

LXXIX. Quicunque res suas pro anima sua ad casam Dei, aut ad parentes suos, sive ad liberos homines tradiderit, et in servitium Dei iturus fuerit, aut ad mortem traditus, si in ipso itinere, aut de ipsa infirmitate mortuus fuerit, habeat ipsas res, cui traditae sunt. Et si mortuus non fuerit in ipso itinere, aut de ipsa infirmitate, recipiat res suas, quas tradiderit, si voluerit, et habeat in suo iure, sicut antea habuit.

LXXX. Si quis liber homo, contempta iussione nostra, ceteris in exercitu pergentibus, domi residere praesumpserit, plenum heribannum, secundum legem Francorum, idest, LX. solid. sciat se debere componere. Similiter et pro contemtu singulorum capitulorum, quibus per nostram Regalem auctoritatem bannum promulgavimus; videlicet qui pacem Ecclesiarum Dei, et viduarum, et orphanorum, et pupillorum, pauperum, ac minus potentum irruperit, aut raptum intra patriam fecerit, aut alienas domos incenderit, vel cum collecta multitudine vim cuilibet intulerit, LX. solid. poena mulctetur. *Ibid. c.* 2. I. 14. 14.

LXXX. Si quis contumax adeo aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu absque iussu et licentia Regis domum revertatur, et quod nos Teudisca lingua dicimus, heriliz fecerit, ut ipse sit reus Maiestatis, vitae periculum incurrat, et res eius Fisco nostro socientur. *Ibid. c.* 3. I. 14. 15.

LXXXII. Si quis alium praesumtione sua vel sponte castraverit, et ei ambos testiculos amputaverit, in integrum widrigild suum iuxta conditionem personae componat. Si virgam absciderit, similiter. Si unum testiculum, medietatem persolvat. Et haec de oculis, manibus, pedibus, et lingua sancimus, ut si unus eorum abscissus fuerit, medium widrigildum componat: si ambo, integritas (pro facti emendatione *q*) componatur. *Ibid. c.* 5. I. 7. 18.

LXXXIII. Aldiones vel Aldiae ea lege vivant in Italia, in servitute dominorum suorum, qua Fiscalini, vel Liti vivunt in Francia. *Ibid. c.* 6. III. 20. 1.

---

p) Un. Cod. *ordinationem.*

q) Al. Codd. *perfecta emendatione.* In uno Codice ista omnino desunt.

LXXXIV. De vindicta et iudicio iusto facto in latronibus, ut testimonio Episcoporum absque peccato Comites facere possunt, ita tamen ut absque invidia, aut alia occasione mala faciant, et nihil aliud interponatur, nisi ad veram iustitiam perficiendam, et pacem confirmandam. *Capitul. a.* 779. *c.* 11. I. 25. 66.

FORM. Petre Comes te appellat Martinus, quod tu taliasti sibi manum per invidiam, non per iustitiam.

LXXXV. Si quis latro de uno furto probatus fuerit, oculum unum perdat; et si de duobus furtis probatus fuerit, oculum perdat et nasus ei curtetur *r*); et si de tribus furtis probatus fuerit, moriatur. *Ibid. c.* 23. I. 25. 67.

LXXXVI. De duobus furtis, unde oculum et nasum perdere debet, constituimus ut dominus servi illius, secundum legem, cui furta facta fuerint, solvere debeat. De tertio vero furto, unde mori debet, mors illius furta illa excludat. Et si Comes sine culpa per invidiam aut occasionem iniustam, nisi per iustitiam et pacem faciendam, hominem diffecerit, honorem suum perdat, et legibus illi, contra quem iniuste fecerit, secundum poenam quam intulerit, emendet. I. 25. 68.

LXXXVII. Si quis latronem morte dignum, sibi ad occidendum traditum, servaverit, et vitam indigno concesserit, medium damni, propter quod traditus est, pro latrone componat: et si ipse latro rursus in latrocinio comprehensus fuerit, quod prius debuit, capitali sententia persolvat debitum. *Capitul. a.* 801. *c.* 4. I. 25. 69.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu conservasti unum latronem, qui habebat furata tanta mobilia, quae valebant solid. C. qui tibi erat traditus ad occidendum, et vitam indigno concessisti.

LXXXVIII. Si quis furem vel latronem comprehenderit, et eum indemnem dimiserit, neque illum ad praesentiam Iudicis, aut Comitis *s*) vel loci Servatoris, qui Missus Comitis est, adduxerit, et de hoc facto, sive de hac nequitia, post haec in praesentia Iudicum convictus fuerit, ipse damni aestimationem, pro quo fur vel latro comprehensus est, componere ad Publicum cogatur. *Ibid. c.* 7. I. 25. 70.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu comprehendisti unum latronem, qui habebat furata tanta mobilia, quae valebant, solid. C. et non minasti eum ante Comitem.

LXXXIX. Ubicunque intra Italiam, sive Regis sive Ecclesiasticus, vel cuiuslibet alterius servus fugitivus inven-

---

r) Al. Codd. *fuerit, perdat oculum; et si de duobus furtis prob. fuer., nasus ei scapelletur.*

s) Un. Cod. *Iudicis, Ducis, aut Comitis.*

tus fuerit, a domino suo sine ulla annorum praescriptione vindicetur; ea tamen ratione, si dominus Francus, sive Alamannus, aut alterius cuiuslibet nationis sit. Si vero Longobardus, aut Romanus fuerit, ea lege servos suos acquirat vel amittat, quae inter eos antiquitus est constituta. *Ibid. c.* 8. I. 25. 71.

XC. Ut Iudices sive Missi nostri Fiscalini, de qualibet caussa non exigant fredam, priusquam facinus componatur. II. 52. 9.

XCI. Omnia debita, quae ad partem Regis solvi debent, per XII. denarios solidi solvantur; excepta freda *t*), quae in Lege Salica scripta est, eisdem solid. cum quibus ceterae compositiones solvi debent, componatur. *Capitul. II. a.* 803. *c.* 9. II. 22. 2.

XCII. Si quis iudicatam caussam repetere in mallo praesumserit, ibique a testibus convictus fuerit, aut XV. solid. componat, aut XV. ictus accipiat a Scabinis, qui caussam ipsam prius iudicaverint. *Ibid. c.* 10. II. 59. 1.

XCIII. De his qui legem servare contemserunt, ut per fideiussorem in praesentia Regis deducantur. *Capitul. III. a.* 803. *c.* 4. III. 21. 1.

XCIV. Qui filium legitimum non habuerit, et alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Comite, vel coram Rege et Scabinis, vel Misso Dominico, qui tunc ad iustitiam faciendam in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat. *Capitul. IV. a.* 803. *c.* 7. II. 16. 1.

XCV. Ut decimae Populi in quatuor partes dividantur. Prima pars Episcopis detur, alia Clericis, tertia Pauperibus, quarta in fabrica ipsius Ecclesiae. III. 3. 4.

XCVI. Ut nullus Presbyter chartam scribat, neque conductor *u*) existat suis senioribus. *Capitul. Lib. I. c.* 152. III. 1. 10.

XCVII. Ut heribannum, aut aliquem coniectum *v*) pro exercitali caussa, Comes de liberis hominibus recipere, aut requirere non praesumat; excepto si de Palatio nostro, aut Filii nostri Missi veniant, qui illum heribannum requirant. *Capitul. IV. incert. ann. c.* 13. III. 6. 2.

XCVIII. Ut illi qui heribannum solvere debent, coniectum faciant ad heribannitorum. *Capitul. III. a.* 803. *c.* 5. III. 6. 3.

XCIX. Volumus primo, ut neque Abbates, neque Presbyteri, neque Diaconi, neque Subdiaconi, neque quislibet de Clero, de personis suis ad publica vel ad secularia iu-

---

t) Gloss. marg. *i. e. compositio quae datur regi pro puella nata, quae trahitur in mundio, in verbo ipsius regis.*

u) Gloss. int. *i. e. Masnerius.*

v) Gloss. int. *i. e. Gaforium.*

dicia trahantur, vel distringantur; sed a suis Episcopis iudicati iustitiam faciant. Si autem de possessionibus sive Ecclesiasticis, sive suis propriis super eos clamor ad Iudicem venerit, mittat Iudex clamantem cum Misso suo ad Episcopum, ut faciat eum per Advocatum iustitiam recipere. Si vero talis aliqua inter eos fuerit orta contentio, quam per se pacificare non velint, aut non possint, tunc per Advocatum Episcopi, qualem iusserit, caussa ipsa ante Comitem veniat, vel Iudicem, et ibi secundum legem finiatur, anteposito, sicut dictum est, de persona Clericorum *w*). *Alia Capitul. a.* 801. *c.* 1. (*Tom. II. p.* 152.). III. 1. 11.

C. Ut servi, aldiones, libellarii antiqui, vel alii noviter facti, qui non per fraudem, neque per malum ingenium de Publico servitio se subtrahentes, sed per solam necessitatem, et paupertatem terram Ecclesiasticam colunt, vel colendam suscipiunt, non a Comite, vel aliquo Ministro illius ad ullam angariam, seu servitium Publicum vel privatum, cogantur vel compellantur: sed quicquid ab eis iuste agendum est, a domino vel patrono suo ordinandum est. Si vero de aliquo crimine accusantur, Episcopus primo compelletur; et ipse per Advocatum suum, secundum quod lex est, iuxta conditionem singularium personarum, iustitiam faciat. Si vero culpabiles fuerint, sicut in Capitulare Domni Imperatoris scriptum est, ita fiat. Ceteri vero homines liberi, qui vel commendationem, vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines, iustitiam faciant. *Ibid. c.* 2. II. 44. 2.

Salicha K. subaudis nunc Lex.

CI. Qui Subdiaconum occiderit, CCC. solid. componat. Qui Diaconum, CCCC. Qui Presbyterum, DC. Qui Episcopum, DCCCC. Qui Monachum, CCCC. De Episcopis et Sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus, fiat; et de reliquis quibuslibet caussis. Verumtamen de Presbyteris videtur nobis, ut si liber est natus Presbyter, per triplam compositionem, secundum legem suam sit compositus ab eo, qui hoc perpetraverit. Et si plagatus fuerit, secundum qualitatem vel quantitatem *x*) plagarum, vel disciplinae, per triplam compositionem secundum legem suam emendetur ab eo, qui hoc perpetraverit. Si autem servus Presbyter natus fuerit, secundum illius nativitatem per triplam compositionem solvatur in plagis et disciplinis. De Diaconibus similiter fiat. *Capitul. II. a.* 803. *c.* 1., *Epist. Carol. M. ad Pipp. a.* 807. I. 9. 27.

---

w) Un. Cod. *anteposita, ut dictum est, persona clericorum.*

x) Un. Cod. *qualitatem et aestimationem.*

CII. Si quis in emunitate damnum aliquod fecerit, DC. solid. componat. Si autem homo furtum, aut homicidium, vel quodlibet crimen commiserit, et infra emunitatem fugerit, mandet Comes Episcopo, vel Abbati, vel Vicedomino, aut qui locum Episcopi vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Quod si ille Episcopus, sive Abbas, sive Custos contradixerit, et eum reddere noluerit, in prima contradictione solidos XV. culpabilis iudicetur. Si nec ad secundam requisitionem eum reddere voluerit, solidos XXX. culpabilis iudicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quicquid reus damni fecerit, totum ille qui infra immunitatem eum retinet, nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes veniens habeat licentiam ipsum hominem infra emunitatem quaerendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quod reus infra emunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus est, sic statim iuret sive Episcopus, sive Abbas, sive Custos, quod ipse eum ad iustitiam cuiuslibet differendam fugere non fecisset: et sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam emunitatem Comiti collecta manu quislibet resistere tentaverit, Comes hoc factum ad Regem, vel ad Principem deferat, ibique iudicetur; ut sicut ille qui in emunitate damnum fecerit, DC. solid. componere debet, ita qui Comiti collecta manu resistere tentaverit, vel praesumserit, DC. solid. culpabilis iudicetur. *Capitul. II. a.* 803. *c.* 2. II 39. 4.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti damnum in emunitate Sancti Syri, unde ipse est Advocatus. Petre te appellat Mauringus Comes, quod unus latro fugerat infra emunitatem Sancti Syri, unde tu es Advocatus, et mandavit tibi, ut redderes ei eum; et reddere noluisti, et contradixisti semel aut bis. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu prolongasti reddere post tertiam contestationem ad Comitem tuum unum latronem, qui fugerat in emunitate Sancti Syri, unde tu es Advocatus, qui fecerit tantum damnum, quod valuit XX. solid. Petre te appellat Martinus Advocatus de parte Publica, quod unus latro fugerat infra emunitatem Sancti Syri unde tu es Advocatus, et Comes venit et voluit quaerere eum in emunitate, et tu venisti contra eum cum collecta manu.

CIII. Si quis ad Ecclesiam Dei confugium fecerit, intra atrium ipsius Ecclesiae pacem habeat, nec sit necesse ei Ecclesiam ingredi. Et nullus eum per vim inde abstrahere praesumat; sed liceat ei confiteri, quod fecit, et idem per manus bonorum hominum ad discussionem in Publicum perducatur. *Ibid. c.* 3. II. 39. 5.

CIV. Si quis in iudicio iniuste hominem contra alium altercantem per malum ingenium praesumserit adiuvare, atque inde coram Iudicibus vel Comitibus increpatus fuerit,

et negare non potuerit, solid. XV. culpabilis iudicetur. *Ibid. c.* 4. III. 19. 1.

CV. Si quis de libertate sua interpellatus fuerit, et timens ne in servitium cadat, aliquem de propinquis, per quem in servitium casurus esset *y)*, occiderit, idest, patrem vel matrem, patruum *z)* vel avunculum, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, ipse qui hoc perpetravit, moriatur: agnatio eius et sanguinitas in servitium cadant. Et si negaverit ipsum occidisse, ad novem vomeres ignitos ad iudicium Dei examinandus accedat. *Ib. c.* 5. I. 10.3.

CVI. Quicumque res suas pro anima sua ad Casam Dei tradere voluerit, domi *a)* traditionem faciat coram testibus legitimis. Et quae in hoste factae sunt hactenus traditiones, de quibus nulla quaestio est, stabiles permaneant. Si vero aliquis alii res suas tradiderit, et in hoste profectus fuerit, et ille cui res traditae sunt, interim mortuus fuerit, ipse qui res suas tradiderit, cum reversus fuerit, adhibitis testibus, coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem ipse mortuus fuerit, heredes eius legitimi ipsam rem traditam recipiant. *Ibid. c.* 6. II. 18. 5.

CVII. Si quis per chartam ingenuitatis a domino suo legitimam libertatem est consecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum iniuste inservire tentaverit, ille chartam ingenuitatis ostendat. Et si adversarius iniuste eum inservire conatus fuerit, ille qui id tentaverit, mulctam quae in ipsa charta scripta est, solvere cogatur. Si autem charta non apparuerit, sed iam ab illo, qui eum inservire voluerit, disfacta est, widrigild eius componat; duas partes illi, quem inservire voluerit, tertiam Regi. Et ille iterum per praeceptum Regis suam libertatem conquirat *b)*. *Ibid. c.* 7. II.34. 10.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu es servus suus, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. Liber sum per chartam quam tu mihi fecisti. Ecce charta. Quae si vocata fuerit falsa, sit ut poene dicturus sum declarare facienda scilicet praeter rerum amissionem, et praeter parentes. Si vero visa charta de eius statu tacuerit, multa chartulae ab eo solvatur, ut legitur in lege. Si dixerit appellatus: tu habes disfactam ipsam chartam, probet; et disfactor widrigild suum ei componat. Et si non potuerit probare, ipse iuret per usum, quod non habet disfactam, et ipse sit servus. Si dixerit: tu tulisti mihi ipsam chartam malo ordine, fiat pugna secundum usum. Si dixerit: tu tulisti mihi ad furtum, aut schachum, aut ego deposui tibi ipsam chartam, fiat pugna secundum Capitula Octonis. Si dixerit: ipsa charta fuit apud te: si est salva, per te est salva; si est absentata, per te est absentata; probet. Si non potuerit, ipse iuret per usum. Si

---

y) Al. Codd. *se casurum timet.*

z) Al. Codd. *patruelem.*

a) Al. Codd. *domui.* Gloss. int. *i. e. maiori ecclesiae.*

b) Un. Cod. addit: *Similiter destructor chartulae res omnes, quas charta continebat, emendet.*

charta est apud eum absentata, debent adesse tres homines liberi, qui dicant se vidisse eam chartam; et ipse, cuius fuit, sit quartus. Et octo alii liberi; et hoc sit per usum. Et hoc iureiurando affirmet. Et ita de omnibus chartis.

CVIII. Si liber homo se loco wadiae in alterius potestate commiserit, ibique contigerit, ut damnum aliquod cuilibet fecerit, ille qui hominem liberum in locum wadiae suscepit, damnum solvat; aut hominem in mallum perductum dimittat, perdens eum, simul et debitum, propter quod eum in wadiam suscepit: et qui damnum fecit, dimissus, iuxta qualitatem rei cogatur emendare. Si vero liberam feminam habuerit, usque dum in pignus astiterit, et filios habuerit, liberi permaneant. *Ibid. c.* 8. II. 33. 1.

CIX. Homo regis, id est fiscalinus, vel ecclesiasticus, id est lidus c) interfectus C. solid. componatur. *Capitul. IV. a.* 803. *c.* 2.

CX. De fugitivis servis et ancillis fugacibus, advenis ac peregrinis, ut distringantur, ut scire possimus qui sint, et unde veniant. I. 25. 72.

CXI. De mensuris, ut secundum iussionem nostram aequales fiant. *Capitul. III. a.* 803. *c.* 8. III. 22. 1.

CXII. Ut nullus praesumat hominem ad iudicium mittere, nisi iudicatum fuerit. *Ibid. c.* 11. III. 23. 1.

CXIII. Ut liber homo, qui in Monasterio regulari comam deposuerit, et res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundum regulam firmiter teneat. *Ibid. c.* 12. III. 1. 12.

CXIV. Ut nullus ebrius suam caussam in mallum possit conquirere, nec testimonium dicere; nec Comes placitum habeat, nisi ieiunus. *Ibid. c.* 15. II. 52. 11.

CXV. Ut Missis nostris discurrentibus, vel ceteris propter utilitatem nostram iter agentibus, nullus mansionem contradicere praesumat d). *Ibid. c.* 17. III. 4. 4.

CXVI. Ut nullus ad placitum e) banniatur, nisi qui caussam suam quaerit, aut si alter ei quaerere debet; exceptis scabinis septem, qui ad omnia placita esse debent. *Ibid. c.* 20. II. 42. 2.

CXVII. Nullus praesumat per vitam Regis, vel filiorum eius iurare. *Ibid c.* 22. III. 24. 1.

CXVIII. Ut caussa, quae adhuc coram Comite non fuerit finita, et is qui se reclamat propter suam stultitiam,

---

c) Un Cod. *Homo regis, vel ecclesiasticus, vel lidus, aut fiscalinus.*

d) Un. Cod. addit: *hyberno tempore.*

e) Un. Cod. *placitum quot dianum.*

aut contumaciam, et Comitem *f*) inde appellare noluerit, iterum Comiti commendetur. *Capitul. V. Ludov. P. a.* 819. *c.* 25. III. 25. 1.

CXIX. Quicunque suum beneficium occasione proprii desertum habuerit, et infra annum postquam Comes vel Missus noster notum factum habuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat. *Capitul. IV. Ludov. P. a.* 819. *c.* 5. III. 8. 1.

CXX. Ut placita publica vel secularia neque a Comite, nec ab ullo Ministro suo, vel Iudice, nec in Ecclesia, nec in terris Ecclesiae circumiacentibus, vel cohaerentibus nullatenus teneantur *g*). II. 52. 12.

CXXI. Audivimus etiam, quod iuniores Comitum, vel aliqui Ministri Reipublicae, sive etiam nonnulli fortiores Vassi Comitum, aliquas redhibitiones, vel collectiones, quidam per pastum, quidam etiam sine pasto, quasi depraedando a populo exigere solent. Similiter quoque operas, collectiones frugum, arare, seminare, runcare, carrucare vel cetera his similia, a populo per easdem vel per alias machinationes exigere consuevere, non tantum ab Ecclesiasticis, sed etiam a reliquo populo; quae omnia nobis ab omni Populo iuste removenda esse videntur: quia in quibusdam locis in tantum inde Populus oppressus est, ut multi ferre non valentes, per fugam a dominis vel a patronis suis lapsi fuerint, et terrae ipsae in solitudinem redactae sunt. Potentioribus autem, vel ditioribus, ex spontanea tantum voluntate, vel mutua dilectione, volentibus solatia praestare invicem minime prohibemus. III. 12. 1.

CXXII. De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam a nobis licentiam postulent. Hoc autem ideo dicimus, quia audivimus aliquos ex illis, non tantum caussa devotionis hoc facere, quam pro exercitu, seu pro alia functione Regali fugienda. Quosdam vero cupiditatis caussa, ab his qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus: et hoc ideo fieri prohibemus *i*). *Capitul. II. a.* 805. *c.* 15. III. 1. 13.

CXXIII. Si quis praepositus aut Ministerialis aliquas res Ecclesiae, quas praevidere debet, aliquo inscriptionis *k*) titulo cuique concesserit, quod ad damnum ipsius Ecclesiae

---

f) Un. Cod. *aut propter contumaciam Comitem.*

g) Un. Cod. addit: *Nisi Comes minora placita tenuerit: ea enim habeat, ubi impetrare potuerit.*

h) Un. Cod. *hominibus non coniugatis.*

i) Un. Cod. addit: *Si vero coniugati sunt, ut vir et uxor, non fiat hoc sine consensu Episcopi.*

k) Al. Codd. *scriptionis; alienationis.*

pertineat, pro sacrilegio computetur. Similiter de rebus, quae ad Rempublicam pertinent, si Comes aut Ministerialis Reipublicae cuique concesserit, similiter pro infidelitate computetur. I. 34. 2.

CXXIV. De desponsatis puellis, et postea ab aliis raptis, placuit nobis erui, et postea eis reddi, quibus ante fuerunt desponsatae: etiam si eis a raptoribus vis illata constiterit. Proinde statutum est a sacro conventu, ut raptor publica poenitentia multetur. Raptam vero si sponsus recipere noluerit, et ipsa eiusdem criminis consentiens non fuerit, licentia alii nubendi non denegetur; quia si ipsa consenserit, simili sententiae subiaceat. Quod si post haec se coniungere praesumserint, uterque anathematizetur. *Capitul. Ludov. P. a.* 816. *c.* 24. I. 30. 12.

CXXV. De feminis quas defunctis viris Lex Longobardorum prohibet ante anni spatium vestem religionis mutare, velumque suscipere: petierunt nostram licentiam, ut mox dum divina pietas Dei inspiravit eas, indemnes liceat suscipere. Nos autem considerantes, quia praeterito tempore pro ipsa dilatione multae etiam raptae intra idem spatium ad aliam partem distractae fuerunt; ideo petitionem earum, quam censemus esse iustam, suscepimus, et eis fieri ita concedimus *l*). *Capitul. Lothar. I. Tit. III. c.* 23., *Capitul. Ludov. II. Tit. II. c.* 1. II. 6. 2.

CXXVI. Ut omnia quae wadiari debent, iuxta ea quae in lege continentur, pleniter secundum ipsam legem wadiata *m*) fiant, et postmodum vel Domnus Rex, vel ille cuius est caussa, iuxta quod ei placuerit, misericordiam faciat. *Capitul. III. a.* 803. *c.* 13. II. 21. 29.

CXXVII. Hoc quoque iubemus, ut Iudices supra nominati, sive (Missi nostri *n*) Fiscalini, de qualibet caussa fredam non exigant, priusquam facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus componat fredam: ut autem non illi iudici, qui culpam commisit, sed illi, qui solutionem recipit, tertia pars coram testibus fisco tribuatur, ut *o*) pax perpetua stabilis permaneat. *Lex Ripuar. Tit.* 89. II. 52. 13.

---

l) Un. Cod. *suscepimus. Et cui ita fieri concedimus cum consilio Episcopi vel sacerdotum aliorum, ut expectet XXX. dies post decessum viri sui.*

m) Un. Cod. *revadiata fiant.*

n) Desunt ista in uno Cod.

o) Un. Cod. *componat. Fredum autem non ille Iudici tribuat, qui culpam commisit, sed ipse qui solutionem recipit, scilicet a Iudice, tertiam partem coram testibus legitimis fisco tribuat, ut etc.* Baluz. *componat. Fredam autem non illi Iudici, qui culpam commisit, tribuat; sed ille qui solutionem recepit, tertiam partem coram testibus fisco tribuat, et pax etc.*

CXXVIII. Ut non per aliquam occasionem, nec pro waita, nec de scara *p*), nec de warda, nec pro heribergare, nec pro alio banno, heribannum Comes exactare praesumat, nisi Missus noster prius heribannum ad partem nostram recipiat, et ei suam tertiam partem exinde per iussionem nostram donet. Ipsum vero heribannum non exactetur neque in terris, neque mancipiis, sed in auro et argento, pannis, atque armis, et animalibus, atque pecudibus, sive talibus speciebus, quae ad utilitatem pertinent. *Capitul. II. a.* 812. *c.* 2.

CXXIX. Ut coniugia servorum non dirimantur, etiam si diversos dominos habuerint, sed in uno coniugio servi permanentes, dominis suis serviant. Sic tamen ut ipsum coniugium legale sit, et per voluntatem dominorum suorum iuxta Evangelium: *quos Deus coniunxit, homo non separet.* II. 12. 10.

CXXX. Placuit nobis secundum sanctorum Patrum auctoritatem, si quis ab Episcopo suo iuste excommunicatus fuerit, a nullo penitus recipiatur, antequam in praesentia sui Episcopi veniat, pro culpa satisfactionem redditurus. III. 26. 1.

CXXXI. Et quia sunt nonnulli, qui sine proprietatibus in Regno nostro degentes, iudicia Comitum effugiunt, et non habentes res aut substantiam, quibus constringi possint, ideo circumquaque malitias exercere non cessant; de illis vero placuit nobis, ut ipsi cum quibus manere videntur, aut eos praesentent, aut pro eorum malefactis rationem reddant *q*). II. 44. 3.

CXXXII. Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quem res intertiata fuerit, cum sacramento se excusare de furto, quod nec suae voluntatis, nec consentiens fuerit, quod ablatum est, ut tantum sine damno restituat. Si vero actor venerit, et rem intertiatam recipere voluerit *r*), campo vel cruce contendat. *Capitul. IV. a.* 803. *c.* 11., *Capitul. Lib. VI. c.* 214. II. 28. 3.

CXXXIII. Quicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam agat poenitentiam. Et si contumax fuerit, comprehendatur a Comite, et ferro vinciatur et in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam perducatur. *Capitul. Ludov. P. a.* 829. *Sect. III. c.* 3. II. 13. 5.

CXXXIV. Si mulier filium vel filiam suam per fraudem aliquam coram Episcopo ad confirmandum tenuerit, propter fallaciam suam publicam agat poenitentiam; a viro tamen suo non separetur. III. 30. 1.

---

p) Al. Editt. *strata.*
r) Al. Codd. *noluerit.*
q) Un. Cod. addit: *ita ut non sint eorum Advocati.*

CXXXV. Ut loca, quae semel Deo dicata sunt, ut Monasteria sint in perpetuum *s*), nec possint ultra fieri secularia habitacula. *Capitul. I. inc. ann. c.* 15. III. 1. 14.

CXXXVI. Ut si Clerici aliquod negotium inter se habuerint, a suo Episcopo iudicentur, nam non a secularibus; ut nec Monachus, nec Clericus in secularia negotia transeant. *Capitul. I. a.* 789. *c.* 22. 27. III. 1. 15.

CXXXVII. Unusquisque Presbyter res, quas post diem consecrationis adquisierit proprias, Ecclesiae relinquat. *Capitul. Lib. I. c.* 150.

CXXXVIII. Ut servum alterius nemo sollicitet ad Clericalem vel Monachalem ascendere ordinem, sine licentia domini sui et voluntate. *Capitul. I. a.* 789. *c.* 22. III. 1. 16.

CXXXIX. Ut nullus alienos fines usurpet, aut terminos Patrum transcendat. *Ibid. c.* 32. I. 26. 7.

CXL. Ut etiam Dominicus dies, sicut decet, honoretur, et eum colere omnes studeant; ut hoc liberius possit fieri, et mercata et placita a Comitibus, sicut saepe ammonitum fuit, illo die prohibeantur. *Capitul. Ludov. P. a.* 823. *c.* 7. II. 49. 1.

CXLI. De illis, qui non fiunt secundum regulam pulsati, praecipimus ut pulsantes hoc deinceps emendent, et pulsent secundum regulam. *Capitul. I. a.* 805. *c.* 13.

CXLII. Ut qui commendaverit pecuniam, pecuniam recipiat. Si vero speciem aliam, eandem speciem, quam dedit, accipiat, nisi aliud pro alio solvatur consentiente creditore, vel commendatore. *Capitul. I. inc. ann. c.* 18.

CXLIII. Generaliter omnes admonemus, ut Capitula, quae praeterito anno Legi Salicae cum omnium consensu addenda esse censuimus, iam non ulterius Capitula, sed tantum Leges dicantur, imo pro lege Salica teneantur. *Capitul. Ludov. P. a.* 820. *c.* 5. III. 31. 1.

CXLIV. Falsa persona non habet potestatem accusandi. Et si in primo crimine convictus fuerit *t*) falsum dixisse testimonium, in secundo non habeat potestatem dicendi. II. 51. 8.

CXLV. Illud praeterea per omnia praecaventes nos prohibere decrevimus, ut nullus praesumat ante annos pubertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare, nec in dissimili aetate, sed coaetaneos, et sibi consentientes: quia multas saepius ex huiusmodi contractu nuptiali ruinas animarum factas audivimus, et tales fornicationes perpetratas,

---

s) Al. Codd. *sunt, maneant in perpetuum.*

t) Un. Cod. *non habeat potestatem accusandi, donec poenitentiam egerit. Et si in primo crimine visa est etc.*

quales inter Gentes esse non debent. Ita plane, ut si contigerit puerum adultum esse, et puellam parvulam, per virum *u*) cognata, et socrus deprehendantur adulterae: e contrario si puella maturae aetatis, et puer tenerae, et propter *v*) puellam adultam, et puerum parvulum pater et frater pueri tanti peccati flagitiosi perveniunt irretiti *w*). Unde qui haec prohibita de cetero usurpare praesumserit, ab omni consortio Ecclesiastico sit alienus, sed nec a publicis sit immunis iudiciis. II. 8. 10.

CXLVI. Ut Episcopus, vel quilibet ex Clero sine consilio, vel literis Episcoporum, vel Metropolitani, non audeat Regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in communi Episcoporum Concilio caussa examinetur. *Capitul. I. a.* 789. *c.* 10.

CXLVII. Ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Iudices, nullusque omnino sub mala occasione, vel malo ingenio res pauperum, vel minus potentum nec emere, nec vi tollere audeat; sed quisquis ex eis aliquid comparare voluerit, in Publico coram idoneis testibus et cum rationibus hoc faciat. Ubicunque autem aliquid inventum fuerit factum, hoc omnino emendetur per iussionem nostram. *Capitul. I. a.* 813. *c.* 22.

CXLVIII. Ut longa consuetudo, quae ad utilitatem publicam non impedit, pro lege servetur, et quae diu servatae sunt, permaneant.

CXLIX. Placuit nobis de orphanis, et pupillis, et pauperibus, qui debitam, vel indebitam dicuntur amisisse hereditatem paternam vel maternam iuris ad se pertinentem, si alicubi inventum fuerit, quod patres vel matres propter traditiones illos exheredes fecerint, aliorum scilicet suasionibus vel petitionibus, vel aliquo ingenio, volumus atque decernimus emendari, quantum ad nos vel ad nostram pertinet potestatem iuxta voluntatem Dei, et nostram factam ammonitionem et considerationem, ut si forte extra officium nostrum alicubi inventum fuerit, ammonere addimus nostra clementia, ut emendetur. *Capitul. Lib. II. c* 31.

---

u) Un. Cod. *et puellam parvulam coniugatam; et contrario, si puella maturae aetatis sit, et puer sit tenerae, et per virum etc.*

v) Al. Cod. *et puer tener; et puerum adultum cognata, et socrus comprehendantur adulterae, et propter etc.*

w) Al. Cod. *Ita plane, ut cum contigerit puerum adulterum* (leg. *adultum*) *esse, et puellam parvulam, et e contrario, si puella maturae aetatis sit, et puer sit tenerae, propter virum cognata et socrus deprehendatur adulterae, et propter puellam pater vel frater pueri tanti peccati flagitio pereant interiti.*

CL. Ut de ea coniunctione qui secundum Canones, aut Edictum esse non possunt copulati, placuit nobis, ut separentur ab invicem.

CLI. Ut qui se periuraverit, aut infamis erit, postquam poenitentiam acceperit, inculpabilis esse videatur. II. 58. 4.

CLII. Ut qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua caussa, vel alterius iurator existat. *Capitul. II. inc. ann. c. 29.* II. 51. 5.

Epistola Caroli Magni ad Pipinum suum filium Italiae Regem.

CLIII. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Karolus serenissimus Augustus a Deo coronatus, Magnus, Pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui et per misericordiam Dei Rex Francorum, et Langobardorum, dilectissimo filio suo Pippino glorioso Regi sempiternam in Domino salutem. Pervenit ad aures clementiae nostrae, quod aliqui Duces, et eorum Iuniores, Gastaldii, Vicarii, et Centenarii, seu reliqui Ministeriales, Falconarii, Venatores et ceteri per singula territoria habitantes, ac discurrentes, mansionatica, et paravareda accipiant, non solum de liberis hominibus, sed etiam de Ecclesiis Dei, Monasteriorum videlicet virorum, et puellarum, et senodochiorum, atque per diversas plebes, et seu per reliquos servientes Ecclesiarum Dei. Insuper homines, atque servientes Ecclesiarum in eorum opera, idest in vineis, et campis, seu pratis, nec non et in eorum aedificiis illos faciant operari, et carnaticum, et vinum contra omnem iustitiam ab eis exactare non cessent, et multas oppressiones patiuntur ipsae Ecclesiae Dei, vel servientes earum. Ideoque, Karissime Fili, has literas ad tuam dilectionem direximus, ut hoc anno caussam diligenter ac prudenter facias inquirere. Et si veritas est, quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare, et corrigere studeas, quatenus in diebus nostris ac tuis pax Ecclesiarum Dei, sive illarum servientium in Domino conservetur, et ut merces copiosa nobis, ac tibi exinde iugiter accrescat. Audivimus etiam, quod quaedam capitula, quae in lege scribi iussimus, per aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicunt, quod nequaquam illa provecta sint ad nostram notitiam, nec per nosmetipsos esse condita, et ita nolunt ea obedire, nec consentire, nec pro lege tenere. Tu valde nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti sumus de ipsis capitulis. Et ideo monemus tuam amabilem dilectionem, ut per universum Regnum tibi a Deo commissum ea nota facias, et obedire,

et implere praecipias. His expletis bene valeas semper in Domino, Karissime fili. *Epistol. Carol. M. ad Pippin. a.* 807.

ADDITAMENTA AD CAPITULARIA CAROLI MAGNI.

CLIV. De causis ammonendis, vel ecclesiis emendandis, et ubi in unum locum plures sint, quam necesse sit, ut destruantur quae necessariae non sunt, et aliae construantur. *Capitul. III. a.* 803. *c.* 1.

CLV. Ut quae bonae memoriae Genitor noster in sua Placita constituit, et sic nos conservare volumus. *Capitul. a.* 779. *c.* 12.

CLVI. De rebus vero ecclesiarum, unde nunc census exeunt, decima et nona sint soluta. Et unde antea non exierunt, similiter nona et decima detur; atque de casatis L. solidus, et de casatis XXX. medius solidus, et de XX. tremisse. Et precariae, ubi modo sunt, renoventur: et ubi non sunt, scribantur. Et sit districtio *x*) inter precarias de verbo nostro factas, et inter eas, quae spontanea voluntate de ipsis rebus ecclesiarum fiunt. *Ibid. c.* 13.

CLVII. Carolus divino nutu coronatus, Romanum regens Imperium, Serenissimus Augustus, omnibus Ducibus, Comitibus, Castaldiis, seu cunctis Reipublicae per Provinciam Italiae a nostra mansuetudine praepositis. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCI. Indictione IX., Anno vero Regni nostri in Francia XXXIII. in Italia XXVIII., Consulatus autem nostri primo, cum in Italiam propter utilitatem sanctae Dei ecclesiae, ac Provinciarum disponendarum venissemus, et multae atque diversae per urbes singulas ante conspectum nostrum quaestiones tam de ecclesiasticis, quam de publicis ac privatis rebus discuterentur, pleraque statuta recitata ex Romana, seu Langobardica Lege competenti sententia terminata sunt; quaedam vero in nostri examinis arbitrium ad tempus dilata, quorum iudicialis sententia a legislatoribus, aut penitus omissa est, aut a posteris oblivioni tradita. Quocirca nos considerantes utilitatem nostram et populi a Deo nobis concessi, ea quae ab antecessoribus nostris Regibus in edictis

---

x) Un. Cod. *Et sit discretio inter precarias de verbo dominico factas et inter eas quas Episcopi et Abbatissae eorum arbitrio vel dispositione faciunt. Ut liceat eis, quando quidem eis placuerit, res quas beneficiarii habuerint, ad partem ipsius ecclesiae recipere facere. Et unusquisque homo ad causa Dei* (leg. *casa Dei*) *in honore Deo fideliter et firmiter deserviat.*

legis Langobardicae ab ipsis editae praetermissa sunt, iuxta rerum et temporis considerationem addere curavimus, soliciti ut necessaria, quae legi defuerant supplerentur, et in rebus dubiis non quorumlibet Iudicum arbitrium, sed nostrae Regiae auctoritatis sententia praevaleret. *Capitul. a.* 801. *Praef.*

CLVIII. De laicis noviter conversis, ne antequam suam legem pleniter ediscant vivendo, ad alia negotia mittantur. *Capitul. I. a.* 805. *c.* 10.

CLIX. De propriis servis vel ancillis, ut non amplius tondantur, vel velentur, nisi secundum mensuram, ut et ibi satisfiat, et Villae non sint desolatae. *Capitul. Lib. I. c.* 106.

CLX. De congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant, sed tantos congregent, quantis consilium dari potest. *Ibid. c.* 107.

CLXI. De pace, ut omnes, qui per aliqua scelera rebelles sunt, constringantur. *Capitul. II. et III. a.* 803 *c.* 1.

Ad omnes generaliter.

CLXII. De hoc si evenerit fames, clades, aut inaequalitas aëris, vel alia qualiscunque tribulatio, non expectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur Dei misericordia. Et in praesenti anno de famis inopia, ut suos quisque adiuvet, prout potest, et suam annonam non nimis care vendat. Et ne foris Imperium nostrum vendatur aliquid alimoniae. *Ibid. c.* 4. *et* 5.

CLXIII. De negotiatoribus, qui partibus Sclavorum et Avarorum pergunt, quousque procedere cum suis negotiis debeant. Id est partibus Saxoniae, usque ad partem Nuvih, ibi praevideat Ereti; et ad Sheerba, ubi Madelgaudus praevideat. Ad Alugestat, et ad Serpfesur. Item praevideat ad Forah-Heim, et ad Prembert, et ad Raginsburg, Audulfus. Ad Magadoburg praevideat Atto; ad Lauriacum Werinherus. Et ut arma et brunias non ducantur ad venumdandum. Quod si inventi fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus Palatii, alia vero medietas inter iam dictos Missos et inventorem dividatur. *Ibid. c.* 7. *et* 9.

CLXIV. Census Regalis undecunque legitime exhibeatur, volumus ut inde solvatur, sive de propriae personae hominibus, sive de rebus. *Ibid. c.* 20. *et* 22.

CLXV. De incantationibus, auguriis, vel divinationibus, et de his, qui tempestates, vel aliquam faciunt malitiam, placuit sancto Niçaeno Concilio, ut ubicunque deprehensi fuerint, videat Archipresbyter Diocesis illius ut diligentissime examinatione constringantur, si forte confitean-

tur malorum, quae gesserunt. Sed tali moderatione fiat eadem districtio, ne vitam perdant, sed eos salvent in carcere adflictos, usque dum Deo inspirante spondeant emendationem peccatorum. Et ut nullatenus per aliqua praemia a Comitibus vel Centenariis absque districta examinatione remittantur. Et hoc si fecerint, Archipresbyteri, dum hoc cognoverint, nequaquam Episcopis celare audeant, et ab Episcopis, ut dignum est, pro hoc corripiantur. *Ibid. cap.* 25.

PIPPINI ITALIAE REGIS LEGES.

PIPPINUS REX CAROLI MAGNI FILIUS.

In nomine Domini nostri Iesu Christi: audite qualiter placuit mihi Pippino Excellentissimo Regi gentis Langobardorum, cum adessent nobiscum singuli Episcopi, Abbates, et Comites, seu reliqui Fideles nostri Franci, et Longobardi.

Decrevit Divus Populo laudante Pipinus.

I. Ut ecclesiae baptismales, seu oracula, qui eas a longo tempore restauraverint, mox iterum eas restaurent: et tam curtis Regia, quam Longobardi, tales ibi habeant dominationes, quales *y*) illorum a longo tempore fuerit consuetudo. III. 1. 17.

II. Ut Pontifex unusquisque ordinet, et disponat ecclesiam suam Canonico ordine, et sacerdotes suos vel Clericos distringat Canonico ordine vivendo. Et si quis Pontifex Clericos suos Canonico ordine distringere noluerit, et si illi *z*) ad secularem pertransierint habitum, quod Canones Clericos prohibent facere, Comes qui in loco ordinatus fuerit, distringat illos in omnibus ad suam partem, sicut alios exercitales. III. 1. 18.

III. Monasteria virorum et puellarum tam quae in mundio Palatii esse noscuntur, quam quae in mundio Episcopi sui, seu reliquorum hominum, distringat unusquisque in cuius mundio sunt, ut regulariter vivant. III. 1. 19.

---

y) Un. Cod. *talem inibi habeant dominationem, qualem etc.*

z) Al. Codd. *voluerit, et si illi.* Al. editt. *noluerit, anathema sit. Et si illi etc.*

IV. Similiter in Xenodochiis, cuiuslibet sint, fratres in omnibus pascantur, iuxta possibilitatem illorum locorum. III. 1. 20.

V. Ut de restauratione ecclesiae, vel ponte faciendo *a*), aut strata restauranda, omnia generaliter faciant homines, sicut antiqua fuit consuetudo; et non anteponatur immunitas, nec pro hac re ulla occasio perveniat *b*). III. 1. 21.

VI. Ut viduae, et orphani tutores habeant iuxta illorum leges, qui illos defendant, et adiuvent, ut per malorum hominum oppressionem iustitias suas non perdant. Et si tutor illorum aliquis esse noluerit, Iudex praevideat Deum timentem hominem, iuxta ut lex illorum est, qui per nosstram praeceptionem illorum caussam peragere debeat *c*). II. 48. 1.

VII. Ut qui se reclamaverit super Pontificem, quod iustitiam habeat ad inquirendum, dirigat illum Comes, aut per Missum suum, aut per epistolam suam ad ipsum Pontificem. Et si Episcopus ipse Francus aut Longobardus, distulerit ad iustitiam faciendam, tunc iuxta ut ipsi Episcopi elegerint *d*), ubi consuetudo fuerit pignorandi a longo tempore, ut in antea in eo modo sit *e*), pro iustitia facienda. Et hoc statuimus, ut ubicumque Episcopi substantiam habuerint, Advocatum habeant in ipso Comitatu, qui absque tarditate iustitiam faciat, et suscipiat. Et talis sit ipse Advocatus, liber homo, bonae opinionis, Laicus autem, non Clericus *f*), qui sacramentum pro caussa ecclesiae quam peregerit, deducere possit, iuxta qualitatem substantiae, sicut lex eorum habet. III. 32. 1.

VIII. De universali quidem populo, qui ubicunque iustitiam quaesierit, suscipiat tam a Comitibus suis quam etiam a Gastaldiis, seu Sculdasiis, vel loci Praepositis, iuxta ipsorum legem, absque tarditate. Et si Comites Franci distulerint ad iustitiam faciendam *g*), et probatum fuerit, iuxta ut eorum fuerit electio, ita poenae subiaceant: et de illorum honore ita fiat, sicut est consuetudo Francorum. Et de Longobardis Comitibus, qui ex ipsis neglectum posuerit ad iustitiam faciendam, sicut illorum lex est, ita componat. Et si forsitan attenderit ad gasindium, vel ad parentem, aut ad amicum suum, seu ad praemium,

---

a) Herold. *ecclesiae vel pontis facienda.*

b) Un. Cod. *veniat.*

c) Un. Cod. addit: *Ita tamen ut legitimus propinquus infantum, qui iuste tutor ac defensor eorum esse videatur, pro ipsis rationem aliquando compellatur reddere.*

d) Baluz. *Episcopi elegerint ipsi sibi.*

e) Al. Codd. *sint.*

f) Al. editt. *laicus aut clericus.*

g) Un. Cod. *Comes Franciscus distulerit iustitiam faciendam.*

et legem non iudicaverit, et probatum fuerit, widrigild suum componat, et honorem suum amittat, sicut ipsorum lex est. Et si Gastaldius, aut Sculdais, vel loci Praepositus, de qualibet Iudiciaria, tam ad suos pagenses, quam ad alios, qui iustitiam quaesierint, non fecerint, sicut lex ipsorum est, componat. Et si forsitan Francus, aut Longobardus, habens beneficium, iustitiam facere noluerit, ille Iudex, in cuius ministerio fuerit, contradicat illi beneficium suum, interim dum ipse, aut Missus eius iustitiam faciat. II. 52. 14.

IX. Ut Iudex unusquisque faciat iurare ad Dei iudicia per civitates, homines credentes, iuxta quantos praeviderit, seu foras per Curtes, vel Vicos, ubi manent; ut cui ex ipsis cognitum fuerit, homicidia, furta, adulteria, et de illicitis coniunctionibus, ut nemo ex eis eas concelet. Sed et hoc damus in mandatis, ut si quis venerit iustitiam reclamare super quempiam hominem, dicendo de homicidio, furto, aut praeda; et ille super quem dixerit, denegare voluerit, tunc ille qui reclamat, si potuerit, approbet illud; et si forsitan non potuerit approbare, et ipse super quem dixerit, negaverit, quod ipsum malum nec ipse, nec homines ipsius perpetrassent, et posuerit excusationem, et dixerit: *Nomina mihi meos homines, qui tibi istud malum fecerint, ego tibi de illis iustitiam faciam,* et ille qui incognitis reclamat, et nomina *h*) illorum hominum nescit, nec approbare potest, et ipsi qui exinde veritatem sciunt, denegare voluerint, et ille qui reclamat, dixerit, *quia illi homines veritatem sciverint:* tunc ipse Iudex, qui in ipso loco est, faciat iurare homines, quilibet fuerint, Franci aut Longobardi, quos ipse nominative dixerit, ut dicant veritatem. Et si credentes homines fuerint, in manu Comitis sui dextram dent: et si latrocinia, vel furta, aut praeda, inventa fuerint, emendentur, ita ut eorum lex est, cui ipsum malum perpetratum fuerit *i*). Tamen Iudex de loco, unde fuerit, de latronibus et furibus studium ponat, ut iste post, hic habitans, aut veniens *k*), in pace vivere valeat. II. 52. 15.

X. De servis et ancillis fugacibus, unusquisque Iudex studium ponat ad perquirendum, iuxta ut edictum continet. Et hoc damus in mandatis, ut tam in Austria, quam in Neustria, quamque in Aemilia, et Tuscia, et littore maris per omnia loca perquirantur suprascripti fugaces: et

---

h) Al. Codd. *et ille incognitus, qui reclamat, nomina.*

i) Un. Cod. *iuxta ut eius lex est, cui.*

k) Un. Cod. *de latrone, aut furone studium ponat, ut populus iste hic habitans, aut veniens etc.*

apud locum iurent *l*) Sculdasii, Decani, et Saltarii, vel loco positi, ut nullus eos celet, et ubicunque inventi fuerint, ipse apud quem fuerint inventi, una cum Misso Comitis de ipso loco ad nos perducatur, ita ut iurare valeat, quod neminem celasset. I. 25. 73.

XI. De advenis et peregrinis, qui in Dei servitio vel Romam, vel ad alia loca, festinant ad Sanctorum corpora, ut salvi vadant et revertantur, sub nostra defensione. Et qui aliquem ex ipsis *m*) peregrinis ausus fuerit occidere, LX. solid. in sacro Palatio nostro componat: et insuper compositio ipsa fiat de ipso homicidio, cui legibus leudum ipsum pertinuit. Et hoc damus in mandatis cunctis Episcopis, Abbatibus *n*), seu Actionariis nostris, ut haec omnis suprascripta iustitia de praesenti absque ulla tarditate adimpleta fieri debeat: ut qui in tantos annos iustitiam habere non potuerit, vel modo per Dei omnipotentis misericordiam, et praeceptum Domini et genitoris Caroli, Regis Francorum et Langobardorum, ac Patricii Romanorum, simul et per nostram praeceptionem, unusquisque iustitiam suam accipiat *o*). I. 9. 28.

XII. Placuit atque convenit nobis, ut omnes iustitiae pleniter factae esse debeant infra Regnum nostrum, absque ulla dilatione, tam de ecclesiis, quamque de Xenodochiis, seu pauperibus, et viduis, et orphanis, atque de reliquis hominibus, secundum iussionem Domni Caroli Regis. *Capitul. Pippin. a.* 793. *c.* 1. II. 52. 16.

XIII. Homo denarialis non antea hereditare in sua agnatione poterit, quam usque *p*) in tertiam generationem perveniat. Et homo chartularius similiter. *Capitul. IV. Carol. M. a.* 803. *c.* 8. *et* 9. II. 34. 11.

XIV. Instituimus, ut sicut Domnus Carolus Rex commendavit de illis Monachis, qui de Francia vel de aliis locis venerint, et eorum Monasteria dimiserint, ut praesentialiter in illis partibus revertantur ad Monasteria: et nemo ex vobis ipsos secum detineat. *Capitul. Pippin. a.* 793. *c.* 2. III. 1. 22.

XV. De Presbyteris, qui de aliis locis vel provinciis

---

l) Baluz. *conveniant.* Al. Cod. *coniurent.*

m) Un. Cod. *Et si quis aliquem, praeter Langobardum et Romanum liberum, ex ipsis etc.*

n) Un. Cod. addit: *Comitibus.*

o) Un Cod. habet titulum. *Incipit Capitulare, quod Pippinus rex instituit cum suis Iudicibus in Papia.*

p) Al. Codd. *non habeat hereditatem in sua generatione, antequam usque.* Al. *non antea hereditare suam agnationem poterit, quam usque in.* Herold. *modo ante haereditatem in suam agnationem acquirere poterit, usque.*

veniunt, ut nullus eos debeat recipere, sine demissoria Episcopi sui de cuius Parochia est. *Ibid.* c. 3. III. 1. 23., III. 2. 3.

XVI. De Episcopis, et Abbatibus, Comitibus, seu Vassis dominicis, vel reliquis hominibus, qui ad Palatium *q*) veniunt, vel inde vadunt, vel ubicunque pergunt per regnum nostrum, ut non praesumant ipsi, aut homines illorum, alicui homini suam caussam tollere, vel suum laboratum: in tantum si non comparaverint *r*), aut ipse homo sua spontanea voluntate eis non dederit. Et quando hybernum tempus *s*) fuerit, nullus audeat mansionem vetare ad ipsos iterantes; in tantum, quod ipsi iterantes iniuste nullas caussas tollant. Et si aliquis hoc praesumserit facere, tam seniores, quam Vasalli nostri, et ipse homo ibidem ad eos proclamaverit, tunc volumus, ut praesentialiter ipse, qui hoc fecerit, hoc quod ad ipsum hominem tulerit secundum suam legem emendet. Et si evenerit, quod ei ipsa causa ibidem secundum legem praesentialiter emendata non fuerit, et ad Palatium exinde proclamatio evenerit, tunc volumus, ut ipse, qui malum fecerit, contra ipsum hominem, qui proclamaverit, secundum suam legem emendet, et insuper ad Palatium nostrum bannum componat, ex eo quod super bannum nostrum hoc facere ausus fuerit. *Ibid.* c. 4. III. 4. 5.

XVII. Stetit nobis de omnibus libellariis, ut nullus Comes, nec Iuniores eorum, amplius distringant, nec inquietent, nisi sicut a longo tempore fuit consuetudo. *Ibid.* c. 6. III. 5. 2.

XVIII. Placuit nobis de ecclesiis baptismalibus, ut in omnibus ita debeant esse ordinatae et conservatae, ut Domnus Carolus Rex commendavit, et in suo capitulari continetur. *Ibid.* c. 7. III. 1. 24.

XIX. Et hoc constituimus, ut immunitates, quae sunt iam a dicto patre nostro *t*) confirmatae, ut in omnibus conservatae esse debeant, sicut iussio ipsius Domni Caroli Regis est. *Ibid.* c. 8. III. 1. 25.

XX. Consideravimus, ut viae, et portus, et pontes, infra Regnum nostrum in omnibus pleniter emendatae esse debeant, per illa loca, ubi iam antea fuit consuetudo. Nam per alia loca super ipsa flumina nullatenus pontes *u*) esse debeant. *Ibid.* c. 8. III. 1. 26.

XXI. Stetit nobis, ut Missos nostros, unum Monachum

---

q) Herold. *ad placitum.*

r) Un. Cod. *nec sua laborata, in tantum si non comparaverint.*

s) Herold. *quando heribanni tempus.*

t) Herold. *ab Edicto patrono.*

u) Al. Codd. *portus; portas.*

et alium Capellanum, direxissemus infra Regnum nostrum, providendo et inquirendo per monasteria virorum ac puellarum, quae sub sancta Regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio, aut qualiter est vita eorum, aut conversatio eorum, et quomodo unum quodque monasterium debeat habere, unde vivere possit. *Ibid. c.* 11. III. 1. 27.

XXII. Placuit nobis, ut nullus Comes, nec eorum Iuniores, nullatenus praesumant alicui homini sua testimonia tollere aut extrahere, sed permittat ei habere sua testimonia, quae conquirere aut rogare potuerit *v*). Et si aliquis contra hoc facere praesumserit, nostra est voluntas, ut ipse veniat ad nostram praesentiam, et ibidem inde accipiat talem sententiam, quomodo nostra voluntas fuerit ad iudicandum. *Ibid. c.* 12. II. 51. 9.

XXIII. Stetit nobis de illis hominibus liberis Langobardis, ut licentiam habeant se commendandi *w*), ubi voluerint, sicut antea in tempore Langobardorum consuetudo fuit. In tantum ut suo Comiti faciant rationabiliter, quod debent. *Ibid. c.* 13. III. 9. 1.

XXIV. Ut nullus alteri praesumat res suas, aut alienam caussam sine iudicio legali tollere aut invadere: et qui hoc facere praesumserit, ad partem nostram exinde bannum componat. I. 27. 10.

XXV. Ut quicunque Xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint, et consilium facere, quomodo ab antea fuerit, habeant ipsa Xenodochia, et regant ordinabiliter: et si hoc facere noluerint, ipsa dimittant; et per talem hominem in antea sint gubernata, cum consilio Episcopi, qualiter Deo et nobis exinde placet *x*). *Ibid. c.* 14. III. 1. 28.

XXVI. De ecclesiis baptismalibus, ut nullatenus Laici homines eas tenere debeant, sed per sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernatae. Neque illi pagenses negligentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debent *y*): et illi sacerdotes eas sic regant, quomodo ordo canonicus exposcit. *Ibid. c.* 15. III. 1. 29.

XXVII. De Advocatis sacerdotum volumus, ut pro ecclesiastico honore, et pro illorum reverentia, Advocatos habeant. *Ibid. c.* 16. II. 47. 3.

XXVIII. De diversis generationibus z) hominum, quae in Italia commanent, volumus, ut ubicumque culpa conti-

---

v) Al. Codd. *aut abstrahere, qui ea potest conquirere, atque rogare.*

w) Herold. *commodandi.*

x) Un. Cod. *eo et nobis exinde placeat.*

y) Un. Cod. *illic pagenses licentiam habeant, de hoc, quod ibi facere debent, se subtrahere.*

z) Herold. *generibus.*

gerit, unde faida crescere poterit, pro satisfactione hominis illius, contra quem culpaverit, secundum legem ipsius, cui negligentiam commiserit, emendet *a*). *Ibid. c.* 17. II. 56. 2.

XXIX. De statu vero ingenuitatis, aut aliis querelis, unusquisque homo secundum suam legem se ipsum defendat. *Ibid. c.* 17. II. 56. 2.

XXX. De compositionibus, quae ad Palatium nostrum pertinent, si Comes ipsas caussas commoverit ad requirendum, ille tertiam partem recipiat ad suum opus, duas vero ad Palatium: et si per eius negligentiam remanserint, et Missus Dominicus ipsas caussas requirat, tunc volumus, ut ille Comes illam tertiam partem non habeat, sed cum integritate ad Palatium perveniat. *Ibid. c.* 18. I. 2. 10.

XXXI. De Monasteriis et Xenodochiis, quae per diversos Comitatus esse videntur, et Regalia sunt: ut quicumque ea habere voluerint, per beneficium Domini Regis habeant. *Ibid. c.* 19. III. 1. 30.

XXXII. De rebus forfactis, quae per diversos Comitatus sunt, volumus ut ad Palatium pertineant, (transacto anno et die *b*). *Ibid. c.* 20. III. 33. 1.

XXXIII. Si cuiuscumque res in eleemosyna datae sunt, et ipse homo mortuus fuerit, antequam eas dispenset, tunc dominicus Missus una cum Episcopo parochiae ipsius consideret, qualiter pro mercede domini Regis eleemosyna fiat facta, et infra XXX. noctes adimpleta esse debeat. *Ibid. c.* 21. II. 18. 6.

XXXIV. De filia cuius pater per manum erogatoris *c*) omnes servos suos iussit fieri libertos, quia contra legem esse videtur, statuimus, ut filia ipsa in tertiam portionem de praefatis rebus iterum introire possit *d*). *Ibid. c.* 22. II. 20. 5.

XXXV. Placuit nobis inserere, ubicunque lex erit, praecellere consuetudinem; et nulla consuetudo superponatur legi. *Ibid. c.* 23. II. 41. 6

XXXVI. Placuit nobis etiam, ut sicut quaeque femina potestatem habet cum licentia *e*) viri sui res suas vendere, ita habeat potestatem donare. *Ibid. c.* 24. II. 10. 3.

XXXVII. De mancipiis Palatii nostri, et ecclesiarum nostrarum nolumus *f*) mundium recipere, sed nostra mancipia habere *g*). *Ibid. c.* 25. II. 12. 11.

---

a) Un. Cod. *culpaverint, sec. leg. ips.; cui negligentiam ipsius commiserint, emendent.*
b) Desunt in al. Codd.
c) Herold. *arrogatoris.*
d) Herold. *instituimus, ut ipsa habeat tertiam portionem.*
e) Al. Codd. *per commeatum.*
f) Herold. *volumus.*
g) Un. Cod. *nolumus mundio recipere, sed nostras ipsas mancipias habere.*

XXXVIII. Placuit nobis, ut ullos liberos homines, Comites nostri ad eorum opus in servitium non opprimant: et quicumque hoc fecerit, secundum iudicium, quod statutum habemus, emendet. *Ibid.* c. 26. III. 12. 2.

XXXIX. Non est nostra voluntas, ut homines Placentini per eorum praeceptum de curte Palatii nostri ullos aldiones recipiant. *Ibid.* c. 27. III. 34. 1.

XL. De fugacibus, qui in partibus Beneventi et Spoleti, sive Romaniae, vel Pentapoli confugium faciunt, ut reddantur, et sint reversi ad propria loca. *Ibid.* c. 28. I. 25. 74.

XLI. Sicut consuetudo fuerit sigilla et epistolas comprehendere, et vias vel portus *h*) custodire, ita nunc sit factum. *Ibid.* c. 29. III. 5. 3.

XLII. Ut nullus ad mallum, vel ad placitum infra patriam arma, id est scutum et lanceam portet. *Capitul. III. Carol. M. a.* 806. *c.* 1. II. 46. 1.

XLIII. Quicunque post missam S. Iohannis Baptistae latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. similiter Francis iuret, quod latronem eum fuisse nesciret; licet pater eius sit, aut frater, aut propinquus *i*). Et si hoc iurare non potuerit, et ab alio convinctus fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro et infidelis iudicetur *k*). Quia qui latro est, infidelis est in nostro Regno Francorum, et qui illum susceperit, similis est illi. Si autem audivit, quod latro est, et ipse tamen nescit firmiter, aut iuret solus, quod numquam audisset, nec per veritatem, nec per mendacium *l*) eum latronem esse; aut sit paratus, si ille postea de latrocinio convictus fuerit, ut similiter damnetur. *Ibid.* c. 2. I. 25. 75.

FORM. Petre France te appellat Martinus, quod tu dedisti mansionem ad Marchoardum latronem, qui habebat sibi furata tanta mobilia, quae valebant solidos C. De torto me appellasti. Si dixerit: ego nesciebam, quod fuisset latro, iuret. Petre te appellat Martinus, quod tu audivisti, quod Iohannes erat latro. Audivi et non scio firmiter. Petre te appellat Martinus, quod ipse appellavit te, quod tu dedisti mansionem ad Marcum latronem, qui habebat sibi furata tanta mobilia, quae valebant solidos C. et iurasti, quod nesciebas, quod fuisset latro. Et ipse appellavit te, quod tu habebas auditum quod ipse erat latro. Et dixisti, quod audivisti, et non sapuisti firmiter: et fuisti paratus. Modo habet ipse latro sibi emendatum furtum, et habet oculum perditum. Et lex commendat, quod tu debes similem poenam substinere.

---

h) Un. Cod. *prehendere, et vias vel portas.*

i) Un. Cod. addit: *Similiter omnis homo purificet se secundum suam legem. Si hoc etc.*

k) Un. Cod. *latro et infidelis, Francus quidem tantum, iudicetur.*

l) Un. Cod. *nec per mandatum.*

XLIV. Ut nullus comparet caballum, bovem, iumentum vel aliam rem, nisi illum hominem cognoscat, qui ei vendiderit, aut de quo pago est, vel ubi manet, et quis est eius Senior. *Ibid. c.* 3. II. 28. 4.

XLV. Si quis periurium fecerit *m*), nullam redemtionem ei facere liceat, nisi manum perdat. Et si ille qui prius illud sacramentum iurat, de illo periurio probatus fuerit, et aliquis de suis iuratoribus dixerit, quod nesciens se ibidem periurasset, aut hoc apud iudicium Dei approbet, verum esse, aut similiter manum perdat. De cuius caussa periurium fecerit, sicut mos loci *n*) illius, ubi periurium factum est, a longo tempore fuerit, de eorum pretio emendare studeat *o*). II. 58. 3.

XLVI. Sicut *p*) consuetudo nostra est, ut Langobardus, aut Romanus, si evenerit, quod caussam inter se habeant, observamus, ut Romani successiones *q*) iuxta illorum legem habeant: similiter et *r*) omnes scriptiones secundum legem suam faciant. Et quando iurant, iuxta legem suam iurent, et alii similiter *s*). Et quando componunt, iuxta legem ipsius, cui malum fecerint, componant. Et Longobardos illos convenit similiter *t*) componere. De ceteris vero caussis communi Lege vivant *u*), quam Dominus Karolus, excellentissimus Rex Francorum atque Langobardorum, in edicto adiunxit. II. 56. 1.

XLVII. Stetit nobis de illis hominibus, qui hic infra Italiam eorum Seniores dimittunt, ut nullus eos recipere debeat in vassaticum sine commeatu senioris sui, antequam sciat veraciter, pro qua caussa ipse suum seniorem dimisit. Et ille homo, qui eum recipere voluerit, et ipsum secum habuerit, debeat eum in nostra praesentia praesentare, aut ipse, aut Missus suus, intra XL. noctes, postquam ipse homo ad eum venerit, si nos infra Italiam sumus. Et si nos infra Italiam non fuerimus, tunc postquam in Dei nomine nos fuerimus reversi, similiter intra XL. noctes eum in nostra praesentia debeat praesentare, sicut supra diximus.

---

m) Un. Cod. *sciens fecerit.*

n) Un. Cod. *perdat, sicut ille fecit, de cuius caussa periurium fecerit. Et si purificatus fuerit, quod nescienter periurasset sicut lex loci etc.*

o) Un. Cod. *de suo pretio emendare studeat, id est widrigild suum componat.*

p) Un. Cod. *Sicut consuetudo nostra est, Romanus vel Longobardus si evenerit, quod causam inter se habeant, observamus ut Romanus populus successionem eorum iuxta suam legem habeat. Similiter etc.*

q) Baluz. *successionem eorum.*

r) Baluz. *ut.*

s) Un. Cod *et alii homines ad alios similiter.*

t) Un. Cod. *et Longobardus illi similiter convenit.*

u) Al. Codd. *vivamus.*

Et qui hoc facere contemserit, et ita non compleverit, exinde bannum nostrum ad partem nostram componat. *Capitul. Pippin. a.* 793. *c.* 5.

XLVIII. Placuit nobis de illis feminis, quarum mariti in Francia esse videntur, ut Missi nostri per regnum nostrum hoc debeant inquirere, si eorum iustitias sic pleniter habeant, sicut fuit iussio Domini nostri, aut non. Et si sic habuerit, bene. Sin autem, tunc volumus, ut ipsi Missi nostri cum ipso Comite emendent, in cuius ministerio ita compleat, sicut Domnus noster demandavit. *Ibid. c.* 6.

XLIX. Neque decennii, neque vicennii, aut XXX. annorum praescriptio religiosis domibus opponatur; sed sola XL. annorum curricula terminentur, non solum in ceteris rebus, sed etiam in legatis, et in hereditatibus. *Capitul. Lib. V. c.* 389.

LUDOVICI PII AUGUSTI LEGES.

LUDOVICUS REX.

Attulit ista pius Divus nobis Ludoicus.

In nomine Domini, Ludoicus a Deo coronatus Serenissimus Augustus, omnibus Abbatibus, Ducibus, Comitibus, et cunctis fidelibus nostris capitula composuit de causis opportunis. Haec sunt.

I. Si quis in aliena patria, ubi vel propter beneficium, vel propter aliam quamlibet occasionem conversari solet, de qualibet caussa fuerit interpellatus, ibi secundum suam legem iustitiam faciat, et cum talibus *v*), quales in eadem regione vel provincia secum habere potuerit, iuratoribus *w*) legitimum sacramentum iuret. Excepto si quis eum de statu suo, vel de hereditate, quam ei pater suus moriens dereliquit, appellaverit: de his duobus liceat sa-

---

v) Un. Cod. *talibus, excepto in probanda veritate chartulae falsae vocatae, quales etc.*

w) Un. Cod. *iuratoribus tamen liberis.*

cramentum in patria sua, idest in legitimo loco, iusiurandum afferre. Et is, qui cum eo litigat, sequatur illum in patria sua, ad recipiendum illud sacramentum. Et ipse prius in eodem loco, ubi interpellatus est, satisfaciat tam Comiti et Iudicibus, quam suo adversario, testes producendo, quod rem quam quaerit, pater suus eidem reliquit. *Capitul. Lib. IV. c.* 74. II. 41. 7.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. Non tibi respondeo, quia ego sum de Roma. Tu soles heic conversare propter beneficium. Tunc Comes inquirat, si solet conversare. Et si Comes vel noluerit, vel non potuerit inquirere, tunc appellator probet solitum esse eum heic conversare et respondeat. Petre te appellat Martinus, quod tu es suus servus, aut tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris. Et si me secutus fueris in patriam, ubi natus fui, respondebo tibi, et satisfaciam legaliter. Non debes tu hoc dicere, quia haec terra non pertinet tibi per successionem habere patris tui. Et ita probet. Si vero probare non potuerit, sequatur illum in patriam suam cum tali securitate per sacramentum, quod ille appellatus producet sibi testes illic, quod illa terra pertineat recte sibi ex hereditate patris sui. Si vero probare non potuerit, tunc widrigild manus periurio tribuat, et revertatur ad priorem locum, ubi appellatio prius fuit. Similiter sit de statu citra securitatem, et ibi res prius incaepta, lege finiatur.

II. Ut omnis solutio atque compositio, quae in Lege Salica continetur, intra Franciam per XII. denarios *x)* solidi componantur, excepto ubi intentio inter Saxones et Frisones orta fuerit, ubi volumus, ut XL. denariorum *y)* quantitatem solidi habeant. Et quae vel Saxo, aut Friso ad partem Salicam, Francis cum eis litigantibus, solvere debent, ita ut supra constitutum est, componantur *z)*. *Ibid. c.* 75. II. 22. 3.

III. Si quis cum altero de qualibet caussa contentionem habuerit, et testes contra eum producti fuerint: si illos falsos esse suspicatur, liceat ei alios testes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambae partes testium inter se ita dissenserint, ut nullatenus una pars alteri concedere voluerit, eligantur duo ex ipsis, idest ex utraque parte unus, qui cum scutis et fustibus in campo decertent, utra pars falsitatem vel veritatem suo testimonio consequatur. Et Campioni qui convictus fuerit, propter periurium, quod ante pugnam commiserit, dextra ma-

---

x) Un. Cod. *intra Franciam, et ubicumque per XII. den.*

y) Al. editt. *LX. den.*

z) Un. Cod. *orta fuerit, ibi volumus, ut XL. den. solidus quantitatem habeat, quem Saxo aut Frixo ad partem Salicam Franco litiganti solvere debet. Et ita, sicut supra scriptum est, componatur.*

nus amputetur. Ceteri vero eiusdem partis testes, qui falsi apparuerint, manus suas redimant: cuius compositionis duas partes ei, contra quem testificati sunt, dentur; tertia pro freda solvatur. Et in seculari quidem caussa huiusmodi testium diversitas, etiam in campo comprobetur. In Ecclesiasticis vero caussis, ubi de una parte seculare, de altera vero Ecclesiasticum negotium est, hic modus observetur. Ubi vero ex utraque parte Ecclesiasticum fuerit negotium, Rectores earundem Ecclesiarum, si se familiariter pacificare voluerint, licentiam habeant. Si autem de huiusmodi pacificatione inter eos convenire non potuerint, Advocati eorum in mallo publico, in praesentia Comitis veniant, et ibi legitimus terminus de eorum intentionibus imponatur. Testes vero de qualibet caussa non aliunde quaerantur, nisi de illo Comitatu, in quo res illae positae sunt, unde caussa agitur. Quia non est credibile, ut de statu hominis vel de possessione cuiuslibet per alios melius veritas cognosci valeat, quam per illos, qui viciniores sunt. Sic tamen, ut contentio, quae inter eos orta est, si in confinio duorum Comitatuum fuerit, liceat eidem de vicina centena adiacentis Comitatus ad suam caussam testes habere. *Capitul. I. a.* 819. *c.* 10. II. 51. 11.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu sponsasti Mariam tuam filiam sibi, et dedisti eam alteri ad coniugium ante duos annos. Non sponsavi tibi meam filiam. Potes sibi probare? Possum. Da vadia de probare. Et tu da vadia si potes de placito, et de contra. Et tunc probator post vadimonium habeat inducias, si necessitas fuerit. Si Langobardus est, XII. noctes. Ceteri vero secundum suam legem. Et cum venerit dies probandi dic: Domne Comes, tali die Martinus appellavit Petrum, quod Petrus spopondit sibi filiam suam. Et Petrus negavit, se sponsavisse sibi filiam suam. Et Martinus dedit vadimonium de probare, et modo est paratus cum testibus, et testium laudatoribus. Tunc testibus et laudatoribus adstantibus ibi interrogetur adversarius antequam testes laudentur, si vult aliquem testium criminari. Si dixerit: nolo: tunc interrogetur unusquisque laudatorum, quid sapiat de testibus. Et tunc unus dicat ita: Hoc sapio, quod Petrus, et Iohannes, et Andreas liberi homines sunt. Et suum widrigild habent, vel in puro allodio, vel allodio et aliis rebus. Et testimonium bene possunt dare. Ceteri duo similiter dicant. Et testimonium uniuscuiusque testis separatim scribatur. Et sic dicat unusquisque testis de una parte. Hoc sapio, et illic fui ego, quando Petrus sponsavit Mariam filiam suam ad Martinum. Tunc adversarius interrogetur: Si illi testes nec boni, nec veri sint, et receptibiles; vel si habeat meliores, quos velit contra illos opponere. Si dixerit: illi testes nec boni, nec veri sunt, neç receptibiles; et ego habeo meliores, quos velim contra ipsos opponere. Tunc eius testes separati, et laudati, ut superius diximus, producantur. Et unusquisque testis ex alia dicat. Hoc sapio, quod Petrus non sponsavit Mariam suam filiam ad Martinum. Et ita ut nullus eorum iuret, eligat unum ex una parte, et ex altera alium, Comes, ut pugnetur. Et antequam bellum incipiant, iuret uterque. Illud testimonium, quod ego Petrus, et Io-

hannes, et Andreas dedimus, verum testimonium dedimus. Et Camphioni cadenti dextra manus incidatur. Ceteri vero partis testes manus uniuscuiusque redimant. Conductor widrigild suum tribuat. Si vero adversarius dixerit: illi testes boni, et veri sunt, et receptibiles, nec ego habeo meliores testes, quos velim contra eos opponere, firmatur res ita, et iurent testes unusquisque ita: Hoc sapio, et illic fui ego, quando Petrus sponsavit Mariam suam filiam ad Martinum. Si Deus etc. Conductor hoc dicat, quod Petrus, et Iohannes, et Andreas iuraverunt, verum iuraverunt si Deus etc. Et sacramentum hoc conductoris sit per Legem, si qualiscumque. Sed secundum valentes non sit nisi pro testimonio testium stantiae. Et facta probatione res vincatur, et poena secundum mallum solvatur.

IV. Constitutum est, ut nullus Laicus crimen Clericis audeat inferre. Testimonium Clerici adversus Laicum nemo recipiat. Nemo enim Clericus, vel Diaconus, vel Presbyter, pro qualibet caussa intret in Curiam, nec ante Iudicem caussam dicere praesumat. Quoniam omnis Curia a cruore dicitur, et immolatione simulacrorum. Et si quis Clericus Clericum accusans in Curiam introierit, anathema sit. II. 51. 12.

V. Primum omnium placuit nobis, ut chartulae obligationis de singulis hominibus factae, qui se aut uxores eorum, aut filios, vel filias in servitio tradiderint, ubi inventae fuerint, frangantur, et sint liberi, sicut primitus fuerint. *Capitul. III. Mabillon. c.* 7. II. 33. 2.

VI. Si quis chartula ingenuitatis liber dimissus est, et a quolibet homine ad servitium interpellatus fuerit, primum legitimum auctorem suae libertatis proferat, et in sua libertate perseveret. Si vero legitimus auctor defuerit, cum testimonio bonorum hominum, qui tunc aderant, quando liber dimissus fuerit, se defendere permittatur. Si vero testes defuerint, cum duabus aliis chartis, quae eiusdem Cancellarii manu fuerint firmatae vel scriptae, suam chartam, quae tertia est, veram et legitimam esse confirmet. Cancellarius tamen talis esse debet, qui pagensibus loci illius notus sit, et acceptus. Si vero qui interpellatus fuerit, nec auctorem, nec testimonia, nec chartarum collationem ostendere potuerit, ipse qui eum interpellavit, secundum legem ipsam, chartam falsam esse faciat, et servum suum conquirat. Si vero interpellator, aut auctore *a*) aut testimonio, aut chartarum collatione convictus fuerit, et hoc quod voluerit efficere non potuerit, multam quae in ipsa ingenuitatis charta continetur, cogatur exsolvere. *Capitul. de ingenuit. chartar.* (*Tom. II. p.* 184.). II. 34. 12.

Quomodo Ludovicus Imperator dedit, quomodo Missi, et Comites habere debent de Ecclesiasticis.

VII. Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum furore,

---

a) Un. Cod. *aut auctor.*

si Presbyter fuerit in triplo componatur: duas partes ecclesiae presbytero, tertiam pro freda ad Ecclesiam, et insuper bannum nostrum componat. Similiter et de Diacono, iuxta *b*) compositionem eius in triplo componatur: et bannum nostrum componat *c*). *Capitul. I. a.* 819. *c.* 2. II. 39. 6.

VIII. De Subdiaconibus, similiter secundum suam compositionem in triplo persolvat *d*). De unoquoque ordine Clericorum secundum suam legem compositionem in triplum faciat, et bannum nostrum componat. Similiter et de ictibus sine sanguinis effusione de unoquoque ordine Clericorum secundum suam compositionem cum triplo componatur, et bannum nostrum. Et qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitio eiusdem Ecclesiae usque dum totum debitum persolvat. *Ibid. c.* 2. II. 39. 6.

IX. Si quis ex levi caussa, aut sine caussa, hominem in Ecclesia interfecerit, de vita sua componat. Si vero foris rixati fuerint, et unus post alterum fugerit in Ecclesia, et ibi se defendendo eum interfecerit; si huius facti testes non habuerit, cum XII. iuratoribus legitimis per sacramentum affirmet, ut se defendendo eum interfecisset, et pro hoc DC. solid. ad partem ipsius ecclesiae, quam polluit, componat, et insuper bannum nostrum. Is vero qui interfectus est, absque compositione iaceat, ac deinde interfector secundum Canonum iudicium congruam facinoris, quod admisit, poenitentiam accipiat. Si proprius servus hoc admiserit, iudicio aquae ferventis examinetur, utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus eius exusta fuerit, interficiatur. Si vero non fuerit, publica poenitentia mulctetur. Si forte ipse auctor commotae inter eos rixae fuerit inventus, tunc dominus eius iuxta quod widrigild eius fuerit, ad Ecclesiam persolvat; aut si voluerit, ipsum servum Ecclesiae tradat. *Ibid. c.* 1. I. 9. 29.

X. De Ecclesiastico, et Fiscalino, et Beneficiario servo volumus, ut pro una vice widrigild eius componat pro eo, altera vero vice ipse servus ad supplicium tradatur. Haereditas tamen liberi hominis, qui pro tali facinore ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos haeredes illius perveniat. Si vero in atrio ipsius Ecclesiae, cuius portae Reliquiis Sanctorum fuerint consecratae, huiusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur, vel componatur. Si vero portae Ecclesiae non fuerint consecratae eo modo

---

b) Un. Cod. *iuxta aestimationem vel etc.*

c) Un. Cod. *componatur.*

d) Un. Cod. *vel aestimationem in triplo persolvatur.*

componatur, quod in atrio committitur, sicut et componi debet, quod in immunitate violenter committitur. *Ibid.* I. 9. 30.

XI. De viduis, pupillis, et pauperibus, quandocumque in mallum veniunt ante Comitem, prius eorum caussae audiantur, et diffiniantur. Et si testes pro se ad caussas suas quaerendas habere non potuerint, vel legem nescierint, Comes illos vel illas adiuvet, dando eis tales homines, qui eorum rationes teneant, vel pro eis loquantur. *Ibid. c.* 3. II. 48. 2.

XII. Qui viduam intra primos XXX. dies viduitatis suae sciens, vel invitam, vel volentem, sibi copulaverit, bannum nostrum, scilicet LX. solid. id est triplum componat. Et si invitam eam duxerit uxorem, legem suam ei componat, illam vero ulterius non attingat. *Ibid. c.* 4. II. 6. 3.

XIII. Qui hominem liberum publicam poenitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum componat in triplo, et widrigild eius ad proximos parentes persolvat *e*). *Ibid. c.* 5. II. 9. 31.

XIV. Si quis suas res pro salute animae suae ad aliquem venerabilem locum, aut ad propinquos suos, aut cuilibet alteri, tradere voluerit; et eo tempore infra ipsum Comitatum fuerit, in quo res illae positae fuerint, legitimam facere traditionem studeat. Et si eodem tempore, quo res illas tradere vult, extra eundem Comitatum fuerit, idest, sive in exercitu, sive in Palatio, sive in alio loco quolibet, adhibeat sibi de suis pagensibus, vel de aliis qui ea lege vivunt, qua ipse vivit, tres testes idoneos. Et si illos habere non potuerit, tunc de aliis, quales meliores sibi invenire potuerit, sibi adhibeat, et coram eis de ipsa re traditionem faciat, et fideiussori investituram donet: ut ei qui illam traditionem acceperit, investituram faciat. Et postquam haec traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de praedictis rebus valeat facere repetitionem. Insuper et ipse fideiussor faciat eidem investituram, ne eius heredibus ulla occasio remaneat hanc traditionem mutandi, sed potius necessitas incumbat, illam perficiendi. Et si nondum res suas cum coheredibus suis divisas habuerit, nec ei hoc sit impedimento, sed coheredes eius, si sponte noluerint dividere, aut per Comitem, aut per Missum eius distringantur, ut cum illo divisionem faciant, ad quem defunctus hereditatem suam voluerit pervenire. Et si cuilibet Ec-

---

e) Un. Cod. *proximis parentibus persolvat, si se defendendo fecit.*

clesiae eam tradere rogaverit, coheres eius eam legem cum illa Ecclesia de praedita hereditate habeat, quam cum alio coherede suo habere debuerat. Et hoc observetur erga patrem, et filium, et neptem usque ad annos legitimos, et postea ipsae res ad immunitatem ipsius Ecclesiae redeant. *Ibid. c.* 6. II. 18. 7.

XV. Quicunque liberum hominem ex levi caussa, aut sine causa interfecerit, widrigild eius his, ad quos legibus pertinet, componat: ipse vero propter talem praesumtionem in exilium mittatur, quantum tempus nobis placuerit; res suas tamen non amittat. *Ibid. c.* 7. I. 9. 32.

XVI. In compositione widrigild volumus, ut ea dentur, quae in lege continentur *f*), excepto accipitre et spata: quia propter illa duo aliquotiens periurium committitur, quando maioris pretii, quam illa sint, esse iurantur. *Ibid. c.* 8. I. 9. 33.

XVII. Si quis alienam sponsam rapuerit aut patri eius, aut ei qui legibus defensor eiusdem esse debet, cum lege sua eam reddat sponso, et defensori suam legem solvat, et quicquid cum ea tulerit, semotim unamquamque rem secundum legem reddat. Et si hoc defensor eius perpetrare consenserit, et ideo raptori nihil quaerere voluerit, Comes singulariter de unaquaque re fredam nostram ab eo exactare faciat; sponso vero legem suam componat, et insuper bannum nostrum, idest LX. solid. persolvat: aut in praesentia nostra Comes venire faciat, et quanto tempore nobis placuerit, in exilio maneat, et illam feminam ei habere non liceat. *Ibid. c.* 9. I. 30. 13.

XVIII. Si duo testimonia de qualibet re testimoniaverint, et inter se discordaverint, tunc Comes eligat unum ex una parte, et alium ex alia parte, ut illi duo decertent cum scutis et fustibus, si flebiliores non fuerint ipsi testes. Nam si flebiliores fuerint ipsi testes, tunc ad crucem examinentur. Quod si maioris aetatis sunt, quod non possunt ad crucem contendere: tunc mittant, aut filios, aut parentes, aut qualescumque homines, qui possunt pro eis hoc contendere. Et ille qui de ipsa falsitate convictus fuerit, dexteram manum perdat *g*). *Capitul. III. Mabillon. c.* 4. II. 51. 10.

XIX. Si quis de statu suo, idest de libertate, vel de hereditate compellandus est, iuxta legis constitutionem manniatur. De ceteris vero caussis, unde quis rationem est

f) Gloss. int. *i. e. Robuaria.*

g) Al. editt. *ex altera: et illi duo decertent cum scutis et fustibus; et illi qui de falsitate convictus fuerit, dextra manus amputetur.*

redditurus, non manniatur, sed per Comitem banniatur. Et si post unam, aut alteram ammonitionem Comitis, aliquis ad mallum venire noluerit, rebus omnibus in bannum missis, venire ad iustitiam facere compellatur. *Capitul I. a.* 819. *c.* 12. II. 43. 4.

XX. Si cuiuscumque hominis proprietas, ob crimen aliquod ab eo commissum, in bannum fuerit missa, et illa re cognita ad iustitiam facere venire distulerit, annoque ac die in eo banno illam esse permiserit, ulterius eam non attingat, sed ipsa Fisco nostro societur *h*). Debitum vero, quod is, cuius ea fuerit, solvere debuit, per Comitem ac Ministros eius, iuxta aestimationem damni, de rebus mobilibus, quae in eadem proprietate inventae fuerint, his quibus debitor fuerit, exsolvatur. Quod si rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compositionem non sufficit, de immobilibus suppleatur, et quod superfuerit, sicut dictum est, Fiscus noster possideat. Si nihil super compositione remanere potuerit, totum in illa compositione expendatur. Si autem homo ille nondum cum suis coheredibus proprium divisum habuerit, convocet eos Comes, et cum eis legitimam divisionem faciat; et tunc, sicut iam dictum est, partem eius fisco nostro adiiciat, et compositionem eius de proprietate, iuxta modum superius comprehensum, his ad quos illa legibus pertinet, exsolvat. Quod si non de aliis rebus, sed de ipsa proprietate, quae in bannum fuerit missa, ac per hoc in nostra potestate redacta est, fuerit interpellatus, Comes, in cuius ministerio eam esse constiterit, hoc ad nostram notitiam perferre curet, ut nos eamdem proprietatem, quae secundum istum modum in nostrum dominium redacta est, per praeceptum nostrae auctoritatis in illius hominis potestate, qui eam quaerebat suam esse, faciamus pervenire. Et si eam quicumque ad suam proprietatem detraxerit *i*), liceat ei per sacramentum suum habere. Et si exinde postea victus *k*) fuerit, dextra manus ei amputetur. *Ibid.* c. 11. II. 43. 5.

Gloss. et form. Seniores: hoc dicit Comes, quod postquam ille tenuit placitum in isto Comitatu, iam per plures vices venit reclamatio ad se de Martino de . . . . . de furto, et de alia malitia. Unde ipse plures per vices sibi mandavit Missos, et Epistolas, ut ad placi-

h) Un. Cod. addit: *Si vero intra id tempus reversus post intimationem suam fuerit defunctus, etsi necdum se purgaverit, tamen ad heredes proprios res transmittat. Si vero intra annum noluerit adesse iudicio, res perdat, nisi innocentiam suam purget. Si vero non potuerit, legalem poenam sustineat, et tamen res perdat. Debitum vero etc.*

i) Un. Cod. *pertraxerit.*

k) Un. Cod. *convictus.*

tum suum veniret, et iustitiam faceret illis, qui super se reclamarent. Et ipse venire noluit. Propter hoc sit vobis cognitum quod omnes suas ipse vult proprietates mittere in bannum. Dicitis vos ita? Domne Comes: sic dico. Per istum fustem et istum wantonem mitto omnes res de Martino in banno. Praecipite fieri notitiam.

Domne Comes: hoc dicit Martinus, quod audivit dicere, quod vos misistis omnes res suas in banno propter hoc, quod per plures vices venit reclamatio de illo ad vos de furto, et de alia malitia. Et vos plures vices ei mandastis, quod ad vestrum placitum veniret, et ille iustitiam faceret, et ille venire noluit. Et non sunt nisi tres menses. Et modo est paratus in vestra praesentia ad faciendam iustitiam omnibus, qui se reclamant super se. Et vult, quod vos propter Deum, et animam Regis mittatis suas res de banno. Tunc per usum dat wadimonium Comiti, ut faciat legem reclamantibus. Et post Comes dicit: Per istum fustem et istum wantum tollo omnes res eius de banno. Praecipite fieri notitiam.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco ad partem Publicam, unde ipse est Advocatus. Ipsa terra mea propria est per successionem mei Patris, et ad partem Publicam quid pertinet? Tuae res fuerunt missae in bannum, et ecce chartula notitiae. Falsa est ipsa notitia. Tunc falsam qui notitiam vocat, interrogetur, quomodo vult, ut clarefacta fiat. Si responderit vel per Capitulum widonis, vel per bellum sit ut dicturi sumus. Si dixerit: ecce notitiam, quomodo meae res fuerunt tractae de banno, tunc Advocatus, aut dicat falsam notitiam, aut taceat. Et si falsam dixerit, sit ut dicturi sumus. Si dixerit: ego non feci ipsum malum, quod legitur in notitia, probet Advocatus. Et si non potuerit, ipse iuret. Si dixerit: non mihi fuit cognitum; probet Advocatus. Si dixerit: non est transactus annus: Iudices videant in notitiam. Si dixerit: me non distuli pervenire per totum annum; probet Advocatus, et si non potuerit, ipse iuret. Et in omnibus istis probationibus si dare adversarius contra voluerit, sit, ut superius diximus.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Et ecce praeceptum, quod fecit mihi Imperator. Quid pertinuit ad Imperium? Meae res fuerunt missae in bannum per crimen. Et tibi quid pertinuerunt anteaquam tuae res fuissent missae in bannum? Per successionem mei patris. Potes tu probare, quod tu postquam Imperator tibi dedit, quod Imperator infra hoc quod tuae res fuerint missae in bannum, et quod pater tuus per XXX. annos habeatis terram ipsam possessam? Possum. Da vadimonium de probare, et tu da vadimonium de placito, et contra, si potes. Et si dicat unusquisque testis ex una parte: Hoc sapio, quod ipse Martinus, postquam Imperator tibi dedit. Et quod Imperator, et quod res Martini fuerunt missae in bannum, et quod Martinus antequam suae res fuissent missae in bannum, et quod pater suus per XXX. annos habet possessam ipsam terram. Et unusquisque testis ex alia parte dicat: Hoc sapio, quod Iohannes fuit investitus ad proprium de illa petia de terra infra illos XXX. annos; ita tamen ut sint laudati, et iurent, et omnis res vadat, ut superius diximus.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Quid tibi pertinet? Imperator mihi fecit praeceptum de ipsa terra. Et quid pertinuit ad Imperium? Res de Petro fuerunt missae in bannum. Quid pertinuerunt ad Petrum? Per successionem sui patris. Potes tu probare, quod tu postquam Imperator tibi dedit, quod Imperator infra hoc, quod res de Petro fuerunt missae in bannum, quod Petrus, antequam

suae res fuissent missae in bannum, et quod pater tuus per XXX. annos possessam habeatis ? Si responderit: possum; probet, et terram habeat. Si vero adversarius dare contra voluerit, det et sit, ut superius diximus. Si vero responderit : non possum probare, tunc interrogetur adversarius, si potuerit probare, se fuisse investitum de illa terra infra XXX. annos ad proprium. Si vero dixerit; non: tunc ille alter iuret cum suis sacramentalibus suam possessionem. Et ita secundum quosdam est Petri.

XXI. Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commiserit, Comes in cuius ministerio res perpetratur, compositionem solvere, et faidam per sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars consentire ei ad hoc noluerit, aut ille qui homicidium commisit, aut is qui compositionem accipere debet; tunc Comes illum, qui contumax fuerit, ad praesentiam nostram venire faciat, ut eum ad tempus, quod nobis placuerit, in exilium mittamus, donec ibi castigetur; ut Comiti suo inobediens esse ultra non audeat, et maius damnum inde non accrescat. *Ibid.* c. 13. I. 9. 34.

XXII. Ibi sacramenta iuranda sunt, ubi antiquitus fuit consuetudo sacramenta arramire, vel iurare, et ibi mallum habeatur. Mallum tamen neque in Ecclesia, neque in atrio eius habeatur. Minora vero placita Comes infra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat. Volumus utique, ut domus a Comite in loco, ubi mallum tenere debeat, constituatur, ut propter calorem solis et pluviam, publica utilitas non remaneat. *Ibid.* c. 14. II. 55. 26. et 27.

XXIII. Si quis liber homo de furto accusatus fuerit, et res proprias habuerit in mallo, ad praesentiam Comitis se aramiet; et si res non habuerit, fideiussorem donet, qui eum aramiet, et in Palatium adduci faciat. Et liceat ei in prima vice per sacramentum secundum legem se idoneare, si potuerit. Et si alia vice duo vel tres eum de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto et fuste in campo contendere. Quod si servus de furto accusatus fuerit, dominus eius pro eo emendet, aut cum sacramento excuset, se tale furtum perpetratum non habere, propter quod ad supplicium tradi debeat. *Ibid.* c. 15. I. 25. 76.

XXIV. Si quis literas nostras despexerit, idest tractorias, quas propter Missos nostros recipiendos dirigimus; aut honorem quem habet amittat; aut in eo loco, ubi missos nostros recipere debuerit, tamdiu resideat, et de suis rebus Legatos illuc venientes suscipiat, quousque animo nostro satisfactum habeat. Qui vero Epistolam nostram quocumque modo despexerit, iussu nostro veniat ad Palatium, et iuxta nostram voluntatem congruam suae stultitiae castigationem accipiat. Et si liber homo, aut Ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem qualemcunque habuerit, sive

beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palum vapuletur, et capili eius tondeantur. *Ibid. c.* 16. III. 7. 1.

FORM. Petre te appellat Domnus noster Imperator, quod tu habuisti suas literas in dispectione, quas propter Missos suos recipiendos tibi mittebat. Petre te appellat Imperator, aut eius Advocatus, quod tu habuisti Epistolam ipsius Domni Imperatoris in dispectione. Non feci. Ergo exdic te solus. Poena est, aut honorem perdat, aut suscipiat legationem ex parte Regis, in loco, ubi praedictos Missos suscipere debuit, aut ad satisfactionem animo eiusdem Regis, aut ad Palatium vadat, et iuxta voluntatem Regis castigationem suscipiat, et ut in Lege est.

XXV. Ut ubi tempore Avi nostri Pipini consuetudo fuit teloneum dare, et ibi in futuro detur. Nam ubi noviter incoeptum est teloneum, ulterius non exigatur. Et ubi necesse non est fluvium transire ad pontem, vel ubi navis per mediam aquam, aut sub pontem pergit, et ad ripam non appropinquaverit, neque ibidem aliquid emtum, vel venditum fuerit, ulterius teloneum non detur. Et nemo cogatur per pontem ire, ubi iuxta pontem aquam transire potest. Et qui ulterius in talibus locis, vel de his, qui ad Palatium sive in hostem pergunt, teloneum exactaverit, cum sua lege ipsum teloneum reddat, et insuper bannum, idest, LX. solid. componat. *Ibid. c.* 17. III. 1. 31.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu malo ordine tulisti sibi soldos VI. toloneum illic, ubi non fuit rectum, aut antiqua consuetudo, aut quod sibi pergenti ad Palatium, vel in hostem, teloneum abstulisti X. soldos. De torto. Da sibi vadimonium si recordatus fueris, ut ei illud teloneum secundum suam legem emendes. Sin autem ut te exdicas secundum tuam legem, cuius placiti sacramenta ita sunt. Appellatoris: de hoc, quod te appellavi de torto, te non appellavi me sciente, si Deus etc. Rei: de hoc, quod tu me appellasti, de torto me appellasti. Si Deus etc. Poena vero est extra toloneum cum sua lege banni solutura.

XXVI. Quicumque liber homo denarium merum et bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, idest, LX. solid. componat. Si vero servi Ecclesiastici, vel Vasallorum nostrorum hoc facere praesumserint, LX. ictus accipiant. Aut si Magister *l*) eorum aut Advocatus, quilibet est, eos vel ad Comitis vel Missorum nostrorum iussum praesentare noluerit *m*), praedictum bannum, idest LX. solid. componat. *Ibid. c.* 18. III. 28. 1.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu noluisti recipere denarium merum et bene pensantem. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publi-

---

l) Un. Cod. *Minister.*

m) Al. Codd. *advocatus qui liberi homines sunt, eos vel Comiti vel Misso nostro praesentare voluerint.*

ca, quod Iohannes servus Ecclesiae Sancti Rufini, unde tu es Advocatus, aut servus tuus, noluit recipere denarium merum et bene pensantem. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu noluisti praesentare ad iussum Comitis servum Ecclesiae Sancti Rufini, unde tu es Advocatus, qui noluit recipere denarium merum et bene pensantem.

XXVII. De falsa moneta iubemus, ut qui eam percusserit, et probatum fuerit, manus eius amputetur. Et qui hoc consenserit, si liber est, LX. solid. componat; si servus est, LX. ictus accipiat. *Ibid. c.* 19. I. 28. 2.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu baptisti falsam monetam, aut consentisti.

XXVIII. Si quis proprium nostrum, quod in vestitura Genitoris nostri fuerit, alicui quaerenti reddiderit sine nostra iussione, aliud tantum nobis de suo proprio cum lege sua componat. Et quicumque se sciente illud per malum ingenium acquirere tentaverit, pro infideli teneatur, quia sacramentum fidelitatis, quod nobis promisit, irritum fecit, et ideo secundum nostram voluntatem et potestatem iudicandus est. *Ibid. c.* 20. I. 34. 3.

XXIX. Si quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, legem suam in triplo componat, aut ipsi puero vel puellae, si iam suae potestatis sunt, aut illi in cuius potestate fuerint. Illi vero potestatem habeant capitis sui, et in tali habitu permaneant, qualis eis placuerit. *Ibid. c.* 21. I. 33. 4.

FORM. Petre Presbyter cum Iohanne tuo Advocato de hoc te appellat Martinus Salicus, quod tu filium suum Iohannem puerum totondisti, aut Aldam puellam suam filiam se invito velasti. De torto. Da sibi vadimonium cum tuo Advocato, si te recordatus fueris, ut emendes. Sin autem, ut tuus Advocatus exdicat se secundum tuam legem.

XXX. Si mancipia a domino suo fugerint in aliam potestatem, volumus, ut propter hoc nullum praemium recipiat ipse, in cuius potestate inventa fuerint, pro eo quod ea reddiderit, vel foris eiecerit. Et non solum hoc, sed etiam si ea nec reddere, nec foras eiicere voluerit, et legitimo domino ea contradixerit, et illa exinde fugerint, secundum legem solvere cogatur ea. *Capitul. IV. a.* 819. *c.* 1. I. 25. 77.

FORM. Petre te appellat Martinus Longobardus, quod unum suum mancipium fugit in tuam potestatem, et tu noluisti illud sibi reddere, nec a tua potestate illud foras eiicere, et in terra fugit de tui potestate, et illud perdidit.

XXXI. Quicumque tributariam terram, unde tributum ad partem nostram exigi solebat, vel ad ecclesiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam suscepit, tributum quod exinde solebat exire, omnibus modis ad partem nostram tribuat; nisi forte talem firmitatem habeat de parte nostra,

per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere. *Ibid.* c. 2. III. 8. 2.

XXXII. Si quis terram censualem habuerit, quam antecessores sui ad aliq[illegible] Ecclesiam, vel ad Villam nostram dederint, nullatenus eam secundum legem tenere potest, nisi ille voluerit, ad cuius potestatem illa Ecclesia vel Villa pertinet, nisi forte filius eius, aut nepos eius sit, qui eam tradiderit, et ei eadem terra nostra ad tenendum placita sit. Sed in hac re considerandum est, utrum ille, qui eam tenet, dives aut pauper sit, et utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium. Et qui eorum neutrum habuerit, erga hunc misericorditer agendum est, ne ex toto exspolietur, ut in egestatem incidat, et ut talem censum inde persolvat, qualis fuerit constitutus ei, vel portionem inde aliquam in beneficio accipiat, unde se substinere valeat. *Ibid.* c. 4. III. 8. 5.

XXXIII. De nonis, et decimis considerandum est, ut de frugibus terrae, et animalium nutrimine persolvantur. *Ibid.* c. 5. III. 3. 5. *ab init.*

XXXIV. De decimis, ut dentur, et dare nolentibus, secundum quod anno praeterito denunciatum est, a Ministris Reipublicae exigantur; et *n*) eligantur quatuor vel octo homines optimi, pro ut si opus *o*) fuerit, de singulis Plebibus iuxta qualitatem uniuscuiusque Plebis, ut ipsi inter Sacerdotes et Plebem testes existant *p*), ubi datae vel non datae fuerint. Hoc autem ideo tantos testes mittendos esse diximus, ne ibi *q*) iuramentum aliquod faciendi necessitas contingat. Non tamen ideo tantos testes mittendos esse dicimus, ut ipsos semper omnes in dandis decimis praesentes esse pariter necesse sit, sed ut dum pluribus comittitur, minus graventur. Duos autem testes, si adfuerint, sufficere credimus. Negligentes autem a Presbyteris Ecclesiarum admoneantur usque ad tertiam vicem, ut ipsi *r*) decimam dent; quod si contemserint, ab introitu Ecclesiae prohibeantur. Et si hoc minime emendaverint, a Ministris Reipublicae districti singuli per caput VI. solid. Ecclesiae componant, et insuper dare decimam cogantur. Nam si iterum contemtores existant, tunc per publicam auctoritatem domus vel casae eorum wifentur *s*), quousque pro ipsa decima, sicut supra dictum est, satisfaciant. Quod si denuo rebelles vel contradictores esse voluerint, et super ipsam wifam *t*) sua auctoritate praesumserint introire, tunc

n) Herold. *id est.*
o) Herold. *vel prout opus.*
p) Herold. *exigant.*
q) Herold. *Hoc ideo, ne ibi etc.*
r) Herold. *ut ipsam.*
s) Herold. *hiufentur.*
t) Herold. *hiufam.*

a Ministris Regis in custodiam *u*) mittantur, usque dum ad iudicium publicum perducantur; et ibi secundum legem ad Comitem vel ad partem *v*) reipublicae componant. Reliquam vero decimam, ut supra dictum est, et VI. solid. *w*) ad Ecclesiam satisfaciant. III. 3. 6.

XXXV. Si cuiuslibet mancipium in Villa nostra confugerit, actor eiusdem Villae quaerenti domino id non contradicat, sed statim eum foras de eadem Villa eiiciat. Et si se putat ad id repetendum iustitiam habere, petat, et secundum legem acquirat. Si vero tempore Domini Karoli genitoris nostri in Villa illa confugerit, et dominus eius id quaerit, actor eiusdem Villae aut legitime id contendat, aut quaerenti domino reddat; et actor propter investituram Domni nostri Karoli genitoris idem mancipium contradicere non audeat *x*), si illius proprium esse cognoverit. *Capitul. IV. a.* 819. *c.* 6. I. 25. 78.

XXXVI. Volumus ut Missi nostri per singulas Civitates, una cum Episcopo, et Comite, vel Misso nostro *y*), vel nostris hominibus, ibidem commanentibus, eligant, quorum cura sit, pontes per diversa loca emendare; et eos, qui illos emendare debent, ex nostra iussione ammoneant, et unusquisque iuxta possibilitatem suam emendare studeat. *Ibid. c.* 8. III. 1. 32.

XXXVII. De iniustis occasionibus et consuetudinibus noviter institutis, sicut tributa sunt, et telonea in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde iuste census exigi possit, vel ubi naves subtus pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum est obstaculum, ut auferatur, antequam ad nostram notitiam deferatur. *Capitul. V. a.* 819. *c.* 4. III. 1. 33.

XXXVIII. Legatio Missorum nostrorum haec est. Primum, ut sicut iam aliis Missis nostris iniunctum est, faciant iustitiam de rebus et libertatibus iniuste ablatis. Et si Episcopus, aut Abbas, vel Vicarius, aut Advocatus, aut quislibet de plebe hoc fecisse inventus fuerit, statim restituatur. Si vero Comes, vel Actor dominicus, vel alter Missus Palatii nostri hoc perpetraverit, et in nostra potestate redierit, res diligenter investigata et descripta ad nostrum revertatur iudicium, quod est ita. Volumus autem de his libertatibus et rebus reddendis, quae in nostra investitura sunt, ut primum quosque per optimos inquirantur; et

---

u) Al. Codd. *ministris reipublicae in custodia.*

v) Herold. *contra comitem vel partem.*

w) Herold. *Reliqua autem ut supra dictum est de decimis et VI. solidis.*

x) Al. Codd. *etsi.*

y) Un. Cod. *Episcopo, et Misso nostro, et Comite.*

si nec per illos rei veritas inveniri possit, tunc per eos, qui post ipsos iam in illa z) vicinia meliores sunt, rei veritas inveniatur. Et si nec per illos rei veritas inveniri possit, tunc liceat litigatoribus ex utraque parte testes adhibere, et si discordaverint, secundum constitutionem a nobis promulgatam examinentur. *Ibid.* c. 1. II. 52. 17.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu tulisti sibi iniuste investituram de uno suo servo, vel bove, aut caballo. Petre te appellat Martinus, quod ipse stabat in sua libertate, et tu iniuste misisti eum in tuum servitium. Petre te appellat Martinus, quod pars monasterii, vel publica, unde tu es Advocatus, tulisti sibi iniuste investituram de uno suo servo vel caballo. Similiter fit appellatio de investitura terrae iniuste ablatae, secundum quosdam. Sed sunt quidam, qui dicunt hoc debere finiri de invéstitura praedii. Si reus dixerit: de torto me appellas; tunc sit inquisitio investiturae publicae per optimos vicinae. Et si per illos invenire non possunt, tunc per eos, qui post illos in illa vicinia sunt meliores, veritas inveniatur. Et si per illos non invenitur, reddatur investitura per hanc legem, et offensa emendentur secundum legem illius, cui malum fecit. Si vero inveniri non possit, tunc appellator probet, et adversarius publicus det contra, si vult. Si vero non potuerit probare, aut rem perdat, vel ad aliam appellationem se volvat secundum quosdam. Si vero privatus fuerit, qui investituram alteri tulit, non debet esse inquisitio per hoc capitulum, sed probatio, vel ita ut perditor appellare voluerit, et post investituram emendetur, bannumque solvatur. Si vero probare voluerit, vel non potuerit, exdicat se reus cum suis sacramentalibus.

XXXIX. De honore ecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur, sicut nuper a nobis cum consensu omnium fidelium nostrorum constitutum est. *Ibid.* c. 5. III. 1. 34.

XL. De nova et falsa moneta diximus, et de despectu nostrarum literarum, et de latronibus cohercendis, et puniendis, et faydis pagandis, et de homicidiis prohibendis, et de periuriis et falsis testibus compescendis; et de his omnibus et ceteris his similibus constituimus, ut omnibus annuncietur, et in futuro observetur. Hoc quoque volumus ut Missi nostri observent, et quicquid de his caussis, vel simul vel singulariter emendare potuerint, emendent, et ea quae emendaverint, diligenter scriptis notent, et hoc sic peragere curent, quatenus iuste reprehendi a quoquam nullatenus possint; et quae facere debent, aut quae possint, nullatenus praetermittant. Imo caveant, ne quod absit, aut gratia alicuius, aut honoris, aut timoris, sive odii caussa illud, quod agere debent, omittant. Et summopere studeant ut hoc, quod per se facere non possunt, nobis

---

z) Un. Cod. *vestitura sunt, ut primum per optimos quosque inquirant, nisi actio per investituram fuerit. Et si per illos rei veritas inveniri non possit, tunc per eos, qui post illos in illa etc.*

notum faciant; et in omnibus praevideant, ut per singula capitula, tam verbis, quam scriptis, de omnibus quae illic peregerint, nobis rationem reddere valeant. *Ibid. c.* 12. *et* 13. III. 7. 2.

XLI. De placitis quidem, quae liberi homines observare debent, constitutio genitoris nostri penitus servanda atque tenenda est: ut videlicet in anno tria solummodo generalia placita observentur. Et nullus eos amplius placita observare compellat, nisi forsitan quilibet aut accusatus fuerit, aut alium accusavit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cetera vero placita, quae Centenarii tenent, non alius venire iubeatur, nisi aut qui litigat, aut iudicat, aut qui testificatur. Et quicumque huius constitutionis transgressor de missis nostris inventus fuerit, bannum nostrum componat. *Ibid. c.* 14. II. 42. 3.

XLII. Ut de debito, quod ad nostrum opus fuerit wadiatum, talis consideratio fiat: ut is qui ignoranter peccaverit, non totum secundum legem componere cogatur, sed iuxta quod visum fuerit possibile. Is vero qui tantum malum voluntarie perpetraverit, totam legis compositionem cogatur exsolvere. *Ibid. c.* 15. I. 2. 11.

XLIII. Ut nullus ad palatium vel in hostem pergens vel de palatio vel de hoste rediens, tributum quod transitorium *a*) vocatur, solvere cogatur. *Ibid. c.* 16. I. 14. 16.

XLIV. Ut pontes publici, qui per bannum fieri solebant, anno praesenti in omni loco restaurentur. *Ibid. c.* 17. III. 1. 35.

XLV. Ut Clerici, et monachi fugitivi, et servi ad loca sua reverti iubeantur. *Ibid. c.* 18. I. 25. 79.

XLVI. Ut nullus Episcopus, nec Abbas, nec Abbatissa, Centenarium Comitis, vel Comitem ad Advocatum habeat. *Ibid. c.* 19. II. 47. 4.

XLVII. Ut Vicarii, et Centenarii, qui fures et latrones celaverint vel defenderint, secundum dictam sibi sententiam iudicentur. *Ibid. c.* 20. I. 25. 80.

XLVIII. Ut Comites, et Vicarii, et Centenarii de constitutione legis admoneantur: et propter iustitiam pervertendam munera non accipiant. *Ibid. c.* 21. II. 52. 18.

XLIX. De forestibus nostris, et ubicumque fuerint, diligentissime inquirantur, quomodo salvae factae sint, et defensae. Et Comitibus denuntietur, ne ullam forestem noviter instituant; et ubi noviter institutas sine nostra iussione invenerint, dimittere praecipiant. *Ibid. c.* 22. III. 35. 1.

L. Ut in illius Comitis ministerio, qui bonas iustitias

a) Un. Cod. *transitura.*

factas habet, Missi nostri diutius non morentur, neque illic multitudinem convenire faciant: sed ibi moras faciant, ubi iustitias vel minus, vel negligenter factas invenerint. *Ibid. c.* 24. II. 52. 19.

LI. Ut in illius Comitis ministerio ibidem Missi nostri placitum non teneant, qui in aliquo missatico directus est, donec reversus fuerit. *Ibid. c.* 25. II. 52. 20.

LII. Ut ubicumque Missi nostri, aut Episcopum aut Comitem, aut Abbatem, vel alium quemlibet quocumque honore praeditum, qui iustitiam facere noluerit, vel prohibuerit, de ipsius rebus vivant, quamdiu in eodem loco iustitiam facere debent. *Ibid. c.* 25. II. 52. 21.

LIII. De observatione praeceptorum nostrorum in immunitate ita observetur, sicut a nobis et ab antecessoribus nostris constitutum est. *Ibid. c.* 8. III. 1. 36.

LIV. Et Missi nostri, qui vel Episcopi, aut Abbates sunt aut Comites, usque quo infra suam Iudiciariam vel terminum fuerint, nihil de aliorum coniectu accipiant. Postquam vero inde longe recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi vero nostri, et ministeriales, qui Missi sunt, ubicumque venerint, inde coniectum accipiant. *Ibid. c.* 26. III. 1. 38.

LV. Ut omnis ordo ecclesiarum Lege Romana vivat, et sic inquirantur et defendantur res ecclesiasticae, ut emphitheoseos contractus, unde ecclesia damnum patitur, non observentur, sed secundum Legem Romanam destruantur, et poena non solvatur. III. 1. 37.

LVI. Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero omnino praecipimus, Vicedominos, Praepositos, Advocatos, seu Defensores bonos habere: non crudeles, nec cupidos, nec periuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, et in omnibus iustitiam facientes, vel diligentes. De iudicibus autem, vel Centenariis, atque Tribunis, vel Vicariis, dignum esse censuimus, ut si mali fuerint reperti, de ministerio suo abiiciantur. II. 47. 5.

LVII. Si servi per contumaciam collecta multitudine vim intulerint alicui, id est aut homicidium, aut qualemcumque rerum direptionem fecerint, domini eorum, quorum negligentia evenerit hoc, pro eo quod constringere noluerint, ut talia facere non audeant, bannum nostrum solvere cogantur; id est, LX. solid. componant, insuper damnum et homicidium *b*). *Capitul. Lib. IV. c.* 1. I. 17. 8.

---

b) Un. Cod. *cogantur: et solidos LX. solvant pro unoquoque, si Longobardi sint domini, Similiter et de aldiis,*

LVIII. Placuit nobis de illis hominibus, qui se per XXX. annos liberos esse dicunt, ut per hanc possessionem liberi non sint, nisi de ingenuo patre aut matre nati sint, aut chartam libertatis ostendant. II. 35. 13.

LIX. Homo de statu suo pulsatus, si is, qui eum pulsat ad vincendum illum procinctos habuerit, adhibeat sibi VIII. legitimos iuratores ex ea parte, unde pulsatur, sive illa paterna, sive materna sit, et quatuor aliunde non minus legitimos, et iurando vindicet libertatem suam. Quod si procincti defuerint, assumat undecumque XII. liberos homines, et iurando ingenuitatem suam defendat. *Capitul. IV. a.* 819. *c.* 10. (*Tom. II. p.* 867.), *Capitul. Lib. IV. c.* 26.

LX. Inter duos fratres ann. curricula non computentur, sed semper aequaliter dividant, quia de uno patre et matre nati sunt. Et haec curricula usque in tertium sequantur gradum.

LXI. Ut pueri adultae feminae non coniungantur. Inventi sunt enim multi maxime de rusticis, qui adultas feminas sub nomine parvulorum suorum filiorum in domos suas induxerint, et post modum ipsi soceri nurus suas adulterasse convicti sunt. Idcirco inhibendum committimus, ut nullus deinceps cum parvulis pueris adultas feminas coniungat. Sed postquam adolescentes in legitimam aetatem venerint, tunc legitime possunt se matrimonio copulare.

LOTHARII I. LEGES.

LOTHARIUS REX.

Lotharii Regis Lector nunc scripta videbis.

I. Si liber homo se ipsum ad servitium implicaverit pro aliquibus causis, et liberam feminam habuerit, aut infantes, ipsi in eorum libertate permaneant. Et si ipsa mulier defuncta fuerit, et aliam liberam feminam sibi copulaverit servienti, ipsa in servitio permaneat. *Capitul. Lothar. I. Tit. III. c.* 1. II. 33. 3.

FORM. Maria cum Donato tuo tutore Petrus te appellat, quod es sua ancilla, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. Libera sum nascendo. Hoc dico ego, quod tu te sciente sociasti te in coniugio cum Martino meo servo, qui mihi fuit traditus per crimen, aut per debitum.

II. Si quis liber homo uxorem alienam adulteraverit, et secundum leges in manus eius traditi fuerint, et postea coniuncti fuerint, a publicis partibus recipiantur, et qui ipsos comparatos habuerint, pretium suum perdant. *Ibid. c.* 2. I. 32. 7.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu comparasti Marcoardum, qui adulteravit mulierem Donisunndam simul cum adultera, et postea sunt convicti. Non Deo placet, hoc sit verum. Da vadimonium, ut te exdicas, aut emendes.

III. Volumus, ut Comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere de ipsa coniunctione adulterii.

IV. Volumus de obligationibus, ut nullus per sacramentum, nec per aliam obligationem, adunationem faciat: et si hoc facere praesumserit, tunc ille qui prius concilium inchoavit, et hoc factum habet, in exilio ab ipso Comite in Corsicam mittatur, et illi alii bannum nostrum id est LX. sol. componant *c*). Et si talis fuerit, qui non habeat unde componat, LX. ictus accipiat. *Ibid. c.* 4. I. 17. 9.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu fecisti adunationem. Et fuisti in capite. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod Paulus fecit adunationem per obligationem, et fuit in capite, et tu fuisti cum ipso.

V. Volumus, ut cum collectis, vel scutis ad placitum Comitis nullus praesumat venire; et si praesumserit, bannum nostrum componat. *Ibid. c.* 5. II. 46. 2.

VI. De sanctimoniali femina statuimus, ut si adulterium fecerit, et inventum fuerit, res quas habeat, in fisco nostro socientur. Persona vero eius sit in potestate Episcopi, in cuius Parochia est, ut in monasterio mittatur. *Ibid. c.* 6. II. 37. 5.

VII. Volumus, ut Episcopi, et Abbates, et Abbatissae suos Advocatos habeant, et pleniter iustitiam faciant ante Comitem suum. *Ibid. c.* 7. II. 47. 6.

VIII. De illis hominibus, qui res suas alienaverint, ubicumque super eas resident, distringat eos Comes per excubias publicas *d*), sicut lex continet *e*). *Ib. c.* 8. III. 9. 2.

---

c) Un. Cod. addit: *nisi obligatio sit facta, vel inemendata per Comitis negligentiam et auctor facti sit praeditus aliqua dignitate.*

d) Un. Cod. *pro excubiis publicis.*

e) Un. Cod. addit: *et tria generalia placita custodiant.*

IX. Placuit nobis de omnibus liberis, ut nihil eis superponatur, nisi sicut lex est, et rectitudo continet *f*). *Ibid. c.* 10. III. 12. 3.

X. Volumus ut Episcopi una cum Comite suos Advocatos eligant. *Ibid. c.* 9. II. 47. 7.

XI. Volumus de excubiis publicis, quae ad utilitatem Regni nostri pertinent, praecepta emunitatum impedimentum non praestent, sed adiutorium. *Ibid. c.* 11. III. 1. 39.

XII. Ut Cancellarii electi boni et veraces chartas publicas conscribant ante Comitem, et Scabinos, et Vicarios eius. Et nullis modis hoc facere praesumant de pecunia vel substantia, antequam legitimum pretium detur. *Ibid. c.* 12. II. 40. 1.

XIII. De Cancellariis, qui veraces electi sunt, ad homines infirmos veniant, et secundum legem instrumenta chartarum scribant, et a testibus roborentur; et statim cum scriptae chartae fuerint, ostendantur ante Episcopum, et Comitem, et Iudicem, vel Vicarios, aut in Plebe, ut veraces esse cognoscantur. *Ibid. c.* 13. II. 40. 2.

XIV. Ut mulieres Romanae, quae viros habuerunt Longobardos, eis defunctis a lege viri sui sint absolutae, et ad suam revertantur legem. Et hoc statuimus, ut simili modo servetur in ceterarum natione mulierum. *Ibid. c.* 14. II. 7. 2.

XV. Placuit nobis, ut si pro quibuslibet culpis atque criminibus quaecumque persona totiens fuerit correpta, ut etiam excommunicatione pro contemtu digna habeatur, Comitem suum Episcopus sibi societ, et per amborum consensum huiuscemodi distringatur contemtor, ut iussioni Episcopi sui obediens existat. Si vero assensum non dederit, bannum nostrum nobis persolvat. Quod si adhuc contumax extiterit, tunc ab Episcopo excommunicetur. Si vero excommunicatus corrigi nequiverit, a Comite in vinculis distringatur, quousque nostrum contemtor suscipiat iudicium. Si vero Comes in talibus causis repertus fuerit noxius, per Episcopum eius nobis nuncietur. Si autem Vassus noster in hac culpa fuerit reptus *g*), sicut supra, a Comite distringatur. Quod si eum non audierit, nobis innotescat, antequam in vinculis mittatur. *Ibid. c.* 15. II. 54. 1.

XVI. Volumus ut omnibus modis emunitates Progenitorum nostrorum praecepto seu nostro *h*) pleniter ac iuste observentur *Ibid. c.* 16. III. 1. 40.

---

f) Un. Cod. addit: *id est ut faciant vias et pontes.*

g) Certe leg. *repertus.*

h) Un. Cod. *emunitates pro iussione genitorum nostrorum, seu nostra.* Alt. *emun. progen. nostrorum seu nostra, pleniter etc.*

XVII. Volumus ut rerum, quae a liberis personis locis Deo dicatis conferuntur, liceat eis sibi usumfructum et ordinationem rerum earundem, si aliter sibi placuerit, reservare. Si aliter eas non ordinaverint, ita maneant, sicut prius datae fuerint. *Ibid. c.* 17. II. 18. 8.

XVIII. Singulis Episcopis, Abbatibus, Abbatissis duos concedimus habere Advocatos: unum qui caussam procuret, alium qui sacramentum deducat; eosque quamdiu advocationem tenuerint, ab hoste relaxamus. *Ibid. c.* 18. II. 47. 8.

XIX. Prohibemus enim, ut nemo usuras facere praesumat post sui Episcopi contestationem. Quod si quis post eius interdictum facere praesumserit, a Comitibus, sicut supra dictum est de contemtoribus, praecipimus ut distringatur. *Ibid. c.* 19. II. 54. 2.

XX. Praecipimus, ut singulae plebes secundum antiquam consuetudinem fiant emendatae. Quod si filii eiusdem Ecclesiae eas restaurare noluerint, a ministris Reipublicae distringantur, ut volentes nolentesque nostram observent praeceptionem. *Ibid. c.* 20. III. 1. 41.

XXI. De precariis quoque, quae a Rectoribus ecclesiarum irrationabiliter fiebant, et se suosque successores poena gravi obligabant, ut facta eius nequirent dissolvere, praecipimus, ut nemo successor in antecessoris sui poena statuta sit obligatus: sed suae providentiae concessum, ut si antecessor eius res ecclesiae irrationabiliter distribuerit, ab eo eidem ecclesiae ad ius tenendum revocentur. *Ibid. c.* 21. III. 10. 2.

XXII. Placuit nobis, ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam Reipublicae utilitatem, fraudulenter ac ingeniose res suas ecclesiis delegant, easque denuo sub censu utendas recipiunt, ut quousque res ipsas possident, et hostes et reliquas publicas functiones faciant. Quod si iussa facere neglexerint, licentiam eos distringendi Comitibus permittimus per ipsas res, nostra non resistente immunitate; ut status et utilitas Regni nostri huiusmodi adinventionibus non infirmetur. *Ibid. c.* 22. III. 9. 3.

XXIII. Volumus ut similiter in Laicali ordine haec servetur mensura *i*) videlicet, ut si quis alterius proprietatem, qui hostem facere possit, emerit, aut quovis modo ad eum pervenerit, eique ad utendum eam dimiserit, si negligens de hoste fuerit, per ipsas res a Comite distringatur, ut quoquomodo publica utilitas non minoretur. III. 9. 4.

---

i) Un. Cod. *ut similis mensura in Laicali ordine de hac reservetur.*

XXIV. Praecipimus ut de his fratribus, qui in nostris et Romanis finibus *k*) in paternam vel maternam *l*) succedunt hereditatem, si contigerit, quod unus eorum ecclesiasticae militiae sit mancipatus, et idcirco is qui seculariter militare debuerat, ut se a defensione Regni subtrahat, in nostris finibus partem substantiae in portionem suscipere dissimulaverit, idcirco ut neque a Comite distringi valeat: ubicunque suus Comes eum invenerit, licentiam distringendi ei concedimus, ita ut primum fideiussorem donet, ut ad placitum veniat, et bannum nostrum persolvat. Si vero fideiussorem non invenerit, tamdiu per Comitem sub custodia teneatur, quousque fideiussorem inveniat, et bannum nostrum persolvat *m*). III. 9. 7.

Gloss. Per hoc exemplum capiuntur, qui fideiussorem non habent, quod stultorum est. Iurare enim debent, se non posse, ut Romani.

XXV. Homo ingenuus, qui multam quamlibet solvere non potuerit, et fideiussorem non habuerit, liceat ei semetipsum in vadia ei, cui debitor est, mittere, usque dum multam, quam debuit, persolvat. *Capitul. IV. a.* 803. c. 5.

XXVI. De liberis vero hominibus, qui in alienam potestatem mobile suum transferunt, ut caussatores eorum pignorare eos non possint, placet nobis, ut eorum res infiscentur, quousque venientes ad audientiam, iustitiam *n*) faciant. Si vero venire contemserint, secundum Capitulare domini ac genitoris nostri, de rebus eorum agatur. Nam et de rebus eorum habita *o*) aestimatione, damnum quaesitori sarciatur. Qui vero illud mobile recipit, si hoc per sacramentum probare non potuerit, quod propter iustitiam alterius differendam illud mobile non recepisset, bannum nostrum persolvat. De fratribus namque, qui simul in paterna seu materna hereditate vivunt communiter, nolentes substantiam eorum dividere, occasione ut unus eorum tantum in hostem vadat, volumus ut si solus est, vadat. Si vero duo, similiter. Si vero tres fuerint, unus remaneat. Si ultra tres numerus creverit, unus semper propter domesticam curam, atque rerum communium excolentiam, remaneat. Si vero inter eos aliqua fuerit orta contentio, quis eorum expeditionem facere debeat, tunc prohibemus, ut nemo eorum remaneat. In aetate quoque illorum lex propria servetur: et in nepotibus haec conditio remaneat *p*) similiter. III. 9. 8.

---

k) Al. Codd. *Romaniae finibus.*

l) Herold. *in patrimam vel matrimam.*

m) Un. Cod. *aut bannum nostrum solutum habeat.*

n) Al. editt: *ad audiendam iustitiam.*

o) Un. Cod: *de ipsis rebus habita.*

p) Un. Cod. *teneatur.*

XXVII. Ut in testimonium non recipiantur de his capitulis, id est de hereditate, de proprietate aut libertate, de mancipiis, vel terris, sive de homicidio, et de incendio, illi qui non habent, si convicti fuerint falsum dixisse testimonium, unde secundum legem compositionem plenam facere possint. II. 51. 13.

XXVIII. Statuimus, ut iuratores omnes singulariter *q*) iurent. Et quicumque sacramentum vel debitum ante solis occasum persolverit, securus inde sit. II. 55. 28.

XXIX. Videtur nobis, ut quicumque liber homo ingeniose in servitium alicuius se tradiderit, is qui eum recipit, hoc quod ille, qui se in servitium tradidit, in publico per antiquam consuetudinem facere debuit, adimpleat. III. 9. 5.

XXX. De his, qui proprietates suas habent, et spontanea voluntate alicui delegaverint, et postea fraudulenter ab aliquo alio ignorante pretium de eisdem rebus venumdatis accipiunt; et cui ipsae res prius traditae fuerint, cognito negotio anno integro silens non contradixerit, sed propter illusionem tacens fuerit, ut emtorem illudere possit: si intra patriam per anni spatium, ut dictum est, tacens fuerit, prior traditio nihil ei valeat. Ille vero qui post primam traditionem res vendiderit, si vivens comprobatus fuerit hanc illusionem fecisse, bannum dominicum, id est LX. solid. componat. Si vero unde bannum componere, non habuerit, verberetur. II. 19. 1.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Et quid tibi pertinet? Per chartam, quam mihi fecit Marquardus. Contra legem est; quia postquam fecit mihi unam traditionem, non potuit tibi facere aliam. Hoc dico ego: quod tibi fuit cognitum, quando mihi vendidit, et tacuisti unum annum per illusionem. Et probet. Si dixerit: non fui infra patriam: probet ipse, qui habet posteriorem chartam. Si dixerit ipse, qui habet priorem chartam: tibi fuit cognitum, quod mihi erat vendita ipsa terra: probet.

XXXI. Quibuscumque per legem, propter aliquam contentionem, pugna fuerit iudicata, praeter de infidelitate *r*), cum fustibus et scutis pugnent, sicut in Capitulare dominico prius constitutum est. II. 55. 29.

XXXII. De fugitivis praecipimus, ut ministri Reipublicae a domino fugitivi nihil accipiant, cum reddiderint eos. I. 25. 81.

XXXIII. Videtur nobis de aldionibus, ut sicut lex habet, ita fiat. I. 25. 82.

Capitula facta a Lothario secus urbem Romam.

XXXIV. Constitutum habemus, ut omnes qui sub speciali defensione nostra, seu Domni Apostolici fuerunt re-

---

q) Un. Cod. *sigillatim*. *r*) Un. Cod. addit: *Regis*.

cepti, impetrata inviolabiliter iusta utantur defensione. Quod si quis contemptorum, in quocumque tempore hoc violare praesumserit, sciat se periculum vitae suae esse incursurum. Nam et hoc decernimus, ut Domno Apostolico in omnibus observent obedientiam, seu Iudicibus ac Ducibus suis, ad iustitiam faciendam. *Capitul. Lothar. I. Tit. I. c.* 1. III. 11. 1.

XXXV. Volumus, ut depraedationes, quae hactenus fieri solebant, ne fiant, neque vivente, neque defuncto Pontifice. Si quis vero hoc ulterius fecerit, sciat se legali sententia esse damnandum. Quae autem retro actae sunt, placet nobis, ut per dispositionem nostram legaliter fiant emendatae. *Ibid. c.* 2. III. 11. 2.

XXXVI. Volumus, ut in electione Pontificis nullus praesumat venire, neque liber, neque servus, qui aliquod impedimentum faciat illi, exceptis solummodo Romanis *s*), quibus antiquitus fuit consuetudo concessa per constitutionem sanctorum Patrum sit facultas eligendi Pontificem. Et si quis contra hanc iussionem facere praesumserit, in exilio tradatur. *Ibid. c.* 3. III. 11. 3.

XXXVII. Volumus, ut cunctus Populus Romanus interrogetur, quali lege vult vivere: ut tali lege, quali vivere professi sunt, vivant. Illisque denuncietur, ut hoc unusquisque, tam Iudices quam Duces, vel reliquus Populus sciat. Quod si offensionem contra eandem legem fecerint, eidem legi, qua profitentur vivere, per dispensationem Pontificis ac nostram subiaceant. *Ibid. c.* 5. II. 57. 1.

XXXVIII. De rebus ecclesiarum iniuste invasis sub occasione, quasi licentia accepta a Pontifice, et de his quae necdum redditae sunt, et tamen fuerunt a potestate Pontificum iniuste invasae, volumus, ut per Missos nostros fiant emendatae. *Ibid. c.* 6. I. 27. 11.

XXXIX. Placuit nobis, ut cuncti Iudices, sive hi, qui cunctis praeesse debent, per quos iudicialis potestas in hac urbe Roma agi debeat, in praesentiam nostram veniant; quoniam volumus nomina et numerum eorum scire, et singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere. *Ibid. c.* 8. III. 36. 1.

XL. Novissime admoneatur omnis homo, ut sicut Dei gratiam, et nostram habere desiderat, ita praestet obedientiam et reverentiam huic Pontifici. *Ibid. c.* 9. III. 11. 3.

XLI. De pontibus vero, vel reliquis his similibus operibus, quae per antiquam consuetudinem ecclesiastici homines, per iustitiam *t)* cum reliquo populo facere debent,

---

s) Un Cod. *et illis solummodo Romanis.*

t) Un. Cod. *quae ecclesiastici homines per antiquam consuetudinem et iustitiam.*

hoc praecipimus, ut ecclesiae Rectores eos interpellent, et eis, secundum quod possibile fuerit, portio deputetur, ut per alium exactorem ecclesiastici homines ad opera non compellantur. Si vero opus suum constituta die adimpletum non habuerint, liceat Comiti pro poena postpositi operis eos pignorare, iuxta aestimationem vel qualitatem *u)* imperfecti operis, quousque perfiniatur. Comes autem si neglexerit, a Rege, vel a Misso Regis est iudicandus. III. 1. 42.

XLII. De opere vero, et *v)* restauratione ecclesiarum Comites, et Episcopi, seu Abbates, una cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum et restaurandum, quantum de rebus ecclesiarum habere dignoscitur. Similiter et Vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant, quantum de rebus ecclesiarum habere videntur, vel unusquisque pro se iuxta qualitatem, quam ipse tenet: aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donet, iuxta aestimationem operis in argento persolvant; et cum pretio Rector ecclesiae ad praedictam restaurationem operarios conducere valeat, et materiam possit emere. Et qui nonas et decimas neglexerit dare, primum quidem illas secundum legem suam restituat, et insuper bannum nostrum persolvat, ut ita castigatus caveat, ne saepius iterando beneficium amittat. *Capitul. IV. Ludov. P. a.* 819. *c.* 5. III. 3. 5.

FORM. Petre te appellat Martinus Episcopus cum Iohanne suo Advocato, quod habuisti negligentiam dare decimam decem modios grani ad ecclesiam Sancti Syri, unde ipse est Episcopus, et ille est Advocatus. De torto me appellasti. Da sibi vadimonium, ut si te recordatus fueris, ut emendes. Sin autem, ut te exdicas. Poena quidem est praeter decimae emendationem secundum legem banni solutura.

XLIII. De his, qui sine consensu Episcopi Presbyteros in ecclesiis suis constituunt, vel de ecclesiis suis eiiciunt, et ab Episcopo, vel a quolibet Misso Dominico ammoniti, obedire noluerint, ut bannum nostrum wadiare cogantur, et per fideiussorem ad Palatium venire iubeantur: et tunc nos decernemus, utrum nobis placuerit, ut aut illud bannum persolvant, aut aliam harmiscaram *w)* sustineant. *Capitul. Ludov. P. a.* 829. *Sect. I. c.* 1 III. 1. 43.

XLIV. De ecclesiis, quae inter coheredes divisae sunt, considerandum est, quatenus si secundum nostram providentiam et ammonitiones Episcopi, ipsi coheredes eas tenere voluerint, et honorare faciant. Si autem hoc con-

u) Un. Cod. *et quantitatem.*
v) Un. Cod. *de opera, vel de.*
w) Al. Codd. *aliam armiscaram; aliam mulctam.* Baluz. *aliam ariscadam.*

tradixerint, iubemus, ut in Episcopi potestate maneat, utrum eas ita custodire permittat, an reliquias exinde auferat. Et ubi ad nostrum beneficium ecclesiae pertinentes ita divisae fuerint, ut describantur, et nobis enuncientur. *Ibid. c.* 2. III. 1. 44.

XLV. De ecclesiis destructis, ut Episcopi nostrique Missi inquisitionem faciant, utrum per negligentiam, aut per impossibilitatem, destructae sint. Et ubi per negligentiam inventae fuerint, quod destructae sint, Episcopi auctoritate emendare cogantur, qui eas debuerunt restaurare. Si vero per impossibilitatem contigerit, ita ut plures sint, quam necesse sit, aut maioris magnitudinis, quam ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat, qualiter emendari congrue et consistere possint. *Ibid. c.* 3. III. 1. 45.

XLVI. Quicumque decimam abstrahit de ecclesia, ad quam per iustitiam dare debet, et eam praesumtive, vel propter munera, aut amicitiam, aut quamlibet aliam occasionem ad alteram ecclesiam dederit, vel per *x*) Comitem, vel per Missum nostrum distringatur, ut eiusdem decimae quantitatem cum sua lege restituat *y*). *Ibid. c.* 6. III. 3. 7.

XLVII. De decimis, quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Et si quis contemtor inventus fuerit ut nec Episcopum vel Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad nostram praesentiam venire compellatur. Ceteri vero distringantur, ut inviti ecclesiae restituant, quae voluntarie dare neglexerint. *Ibid. c.* 7. III. 3. 8.

XLVIII. Ut Missi nostri, ubicumque malos Scabinos invenerint, eiiciant, et cum totius populi consensu in eorum loco bonos eligant, et cum electi fuerint, iurare faciant, ut scienter iniuste iudicare non debeant. *Ibid. Sect. II. c.* 2. II. 40. 3.

XLIX. Ut in omni Comitatu hi, qui meliores et veraces inveniri possunt, eligantur a Missis nostris, ad inquisitiones faciendas, et rei veritatem dicendam, et adiutores Comitum sint, ad iustitiam faciendam. *Ibid. c.* 3. II. 40. 4.

L. Volumus, ut quicumque de Scabinis deprehensus fuerit, quod propter munera, aut amicitiam, vel inimicitiam, iniuste iudicasset, ut per fideiussorem Missus ad nostram praesentiam venire compellatur *z*), et ceteris omnibus

x) Un. Cod. *dederit, post sacerdotum castigationes excommunicetur, et per etc.*

y) Al. Codd. add.: *id est cum sex solidis.*

z) Un. Cod. *ut per fideiussores Missus noster ad praesentiam nostram venire faciat.* Al. *ut per fideiussorem missum ad nostr. praes. ven. comp.*

Scabinis denuntietur, ne quis deinceps etiam iustum iudicium vendere praesumat. *Ibid. c.* 4. II. 40. 5.

LI. Ut ubicumque commutationes, tam tempore nostro, quam genitoris nostri, illegitimae et irrationabiles, atque inutiles in ecclesiis Dei factae sunt, dissolvantur, et recipiat unusquisque quod dedit. Ubi vero mortua manus interiacet, aut alia quaelibet caussa, quae rationabilis esse videtur, inventa fuerit, diligenter perscribatur, et ad nostram notitiam perferatur. *Ibid. c.* 5. III. 10. 3.

LII. Quicumque comprobatus fuerit, quod se sciente testes in periurium produxisset, ad palatium nostrum sub fideiussoribus venire compellatur: et ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit. *Ibid. c.* 6. II. 51. 14.

LIII. Collectam ad malum faciendum omnibus modis prohibemus fieri, et ubicumque huiusmodi praesumtiones factae fuerint, digna emendatione corrigantur, et si per negligentiam Comitis factae sunt, vel non emendatae remanserint, hoc ad nostram notitiam perferatur. Auctor vero facti si fuerit Advocatus, vel Praepositus, sive Sculdais, vel qualibet alia dignitate praeditus, libera persona post legalem emendationem in loco factam, sub fideiussoribus ad nostram praesentiam veniat; multitudo vero, de liberis sive de servis sit, legitima emendatione mulctetur. *Ibid. c.* 10. I. 17. 10.

LIV. De his qui discordiis et contentionibus studere solent, et in pace vivere noluerint, et inde convicti fuerint, similiter volumus, ut per fideiussores ad nostrum palatium veniant, ubi cum nostris fidelibus consideremus, quid de talibus hominibus faciendum sit. *Ibid. c.* 7. I. 37. 3.

LV. Ut examen aquae frigidae, quae hactenus fiebat, a Missis nostris omnibus modis interdicatur, ut non ulterius fiat. *Ibid. c.* 12. II. 55. 31.

LVI. Postquam Comes et Pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex ea die super XL. noctes sit bannum rescissum *a*), quod Teudisca lingua Heriliz *b*), id est armorum depositio vocatur. *Ibid. c.* 13. I. 14. 17.

LVII. De homicidiis in ecclesiis vel in atriis eorum commissis, hoc observetur et teneatur, sicut in priori capitulari constitutum est. Si quis ex levi caussa aut sine caussa hominem in ecclesia interfecerit, de vita componat. Si vero foris rixati sunt, et unus alterum in ecclesiam fugerit, et eum ibi se defendendo interfecerit; si huius facti testes non habuerit, cum XII. iuratoribus legitimis per sacra-

a) Un. Cod. *bandum recisum*, Baluz. *recissum.*

b) Al. Codd. *erischild; eriscild; castlegi.* Leg. *scastlegi.*

mentum affirmet, quod se defendendo eum interfecerit c). Et si ipse auctor commotae rixae inter eos extiterit, leudum interfecti, et insuper bannum nostrum solvere cogatur, et publicam agat poenitentiam. Si autem non ille qui alterum interfecerit, sed is qui interfectus est, eandem rixam commoverit, absque compositione iaceat: et is qui eum interfecerit, secundum Canonum iudicium publicam agat poenitentiam. Si cuiuslibet servus proprius hoc commiserit, iudicio aquae ferventis examinetur, utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus eius exusta fuerit, interficiatur: si autem non fuerit, publica poenitentia mulctetur: nisi forte ipse auctor commotae rixae inter eos fuerit inventus. Tunc enim eius Dominus iuxta quod widrigild illius est, ad ecclesiam persolvat, aut eum si voluerit eidem ecclesiae tradat. *Ibid. Sect. III. c.* 1. I. 9. 35.

LVIII. De Ecclesiastico, et Fiscalino, et Beneficiario servo volumus, ut prima vice widrigild eius pro eo componatur, altera vero vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio ipsius ecclesiae, cuius portae reliquiis Sanctorum sunt consecratae, huiusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo componatur. Si vero portae ecclesiae consecratae non sunt, eo modo componatur, quod in atrio committitur, sicut componi debet, quod in immunitate violenter committitur. *Ibid.* I. 9. 36.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Pandonem suum patrem per levem caussam in ecclesia sancti Petri. De torto me appellas. Si dixerit: nos fuimus rixati foris, et ego fugi illum in ecclesiam, et ibi eum me defendendo, occidi; probet, aut iuret. Petre te appellat Martinus quod tu fuisti auctor de rixa, quae fuit commota inter te, et suum patrem, quem tu occidisti in Ecclesia sancti Petri. Petre te appellat Martinus, quod Donatus tuus servus occidit suum patrem sine caussa in ecclesia sancti Petri. De torto me appellas. Si dixerit: ipsi fuerunt rixati foris, et servus meus fugit in ecclesia, et ibi se defendendo occidit eum: tunc servus mittat manum in aquam ferventem. Petre te appellat Martinus quod tu occidisti patrem suum per levem caussam in atrio sancti Rufini. Occidi ego tuum patrem, sed non debeo mori, quia non fuit consecratum cum reliquiis Sanctorum.

LIX. Quicumque res alienas cuilibet homini vendiderit, et ipse homo easdem res alicui alteri dederit, sive vendiderit, et ipse qui tunc easdem res comparatas habet per malum ingenium, proprio filio suo, aut alteri cuilibet, nec dum legitimos annos habenti, iustitiae tollendae caussa tradiderit, volumus atque praecipimus firmiter, ut si pater

c) Al. edit. addit: *et post hoc de solidis ad partem ipsius ecclesiae componat, quam ille homicidio polluit.*

eiusdem parvuli vixerit, ipse intret in caussam rationem reddere pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus fuerit, tunc legitimus eius propinquus, qui ei tutor iuste ac defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter et de omnibus aliis iustitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate, quae ei per successionem parentum suorum legitime obvenire debeat. Quod si quis hanc nostram iussionem contempserit, vel neglexerit, sicut de ceteris contemtoribus, ita de eo agatur. Is vero qui easdem res primum invaserit, et iniuste vendiderit, nec non et emtor, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiserunt, intra patriam emendare cogantur: et postea sicut contemtores iussionis nostrae, sub fideiussoribus ad nostram praesentiam venire compellantur. *Ibid. c.* 4. II. 25. 4.

LX. et LXI. Volumus, ut Comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere de Vicariis et Centenariis, qui magis per cupiditatem, quam propter iustitiam faciendam saepissime placita tenent, et inde populos nimis affligunt *d*), et ita teneatur, sicut in capitulare Domni Caroli continetur. Id est, ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui caussam suam quaerit, aut si alter ei quaerere debet: exceptis Scabinis septem qui ad omnia placita debent esse. *Ibid. c.* 5. *Capitul. Lothar. I. Tit. III. c.* 3. II. 52. 22.

LXII. De liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, si propter res alterius in testimonium non recipiantur, coniuratores tamen aliorum liberorum hominum ideo esse possunt, quia liberi sunt. Illi vero qui proprium habent, et tamen in terra dominica resident, et propter hoc ad testimonium recipiantur, quia proprium habent. *Capitul. Ludov. P. a.* 829. *Sect. III. c.* 6. II. 51. 15.

LXIII. De Ecclesiis emendandis volumus, ut ita observetur, ut in Capitulari nostro continetur, quod ad Olonam fecimus. Et si in uno loco plures Ecclesiae sint, quam necesse sit, destruantur. Quod si forte in alio loco Ecclesia sit constructa, quae tamen necessaria sit, et nihil dotis habuerit, volumus ut secundum iussionem Domini ac Genitoris nostri unus mansus cum XII. bunuariis *e)* de terra arabili ibi detur, et mancipia duo a liberis hominibus, qui in eadem Ecclesia officium audire debent, ut Sacerdotes ibi possint esse, et divinus cultus fieri. Quod si hoc Populus facere noluerit, destruatur. *Capitul. Lothar. I. Tit. IV. c.* 3. III. 1. 46.

---

d) Un. Cod. *et exinde populum affligunt minorem.*

e) Al. Codd. *bunuriis; bucariis; bichariis.*

LXIV. De reclamatoribus *f*) vel causidicis, qui nec iudicio Scabinorum acquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo eis servetur, idest ut in custodiam recludantur donec unum ex duobus faciant. Et si ad palatium pro hac re reclamaverint, et literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia, et cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum revertantur, et *g*) ibi discutiantur sicut dignum est. *Ibid. c.* 5., *Capitul. II. a.* 805. *c.* 8. II. 52. 23.

LXV. De conspirationibus considerandum est, ut quicumque facere praesumserint, et per sacramentum quamcunque conspirationem confirmaverint, tripliciratione iudicentur. Primo ut ubicumque aliquod malum per hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur, adiutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur, et capillos suos vicissim et nares sibi invicem praecidant. Ubi vero nihil mali perpetratum est, similiter inter se flagellentur, et capillos suos vicissem detundant. Si vero per dexteram aliqua conspiratio firmata fuerit; si liberi sunt, aut iurent cum idoneis iuratoribus, hoc per malum non fecisse, aut si facere non potuerint, suam legem componant. Si vero servi fuerint, flagellentur, ut de cetero in Regno nostro nulla huiusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento. *Ibid. c.* 6. *et* 10. I. 17. 11.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu firmasti conspirationem per sacramentum et fuisti in capite, et est hoc malum factum per ipsam conspirationem. Petro te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod Donatus firmavit conspirationem per sacramentum, et fuit in capite. Et hoc est inde malum factum, et tu fuisti cum co. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu firmasti conspirationem per dexteram.

LXVI. De oppressione pauperum liberorum hominum ut non fiant a potentioribus per aliquod malum ingenium contra iustitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant, aut tradant. Ideo hoc ut supra de liberis hominibus *h*) diximus, ne forte parentes eorum contra iustitiam exheredati fiant; et ut Regale obsequium non minuatur, et ipse heres propter indigentiam mendici, vel latrones, seu malefactores efficiantur. Et ut non saepius fiant banniti *i*) ad placita, nisi sicut in alio Capitulo praecipimus, ita observetur. *Ibid. c.* 7. *et c.* 16. III. 12. 4.

LXVII. Decernimus, si quis aliter testes habere non

---

f) Herold. *conclamatoribus.* Al. *clamatoribus.*
g) Un. Cod. *retrahantur, ut.*
h) Un. Cod. *Ideo et de liberis hominibus hoc etc.* Alt. *Ideo haec insuper, et hic de etc.*
i) Al. Codd. *manniti.*

potuerit, ut per Comitis iussionem testes, quos in suo testimonio necessarios quisque habuerit, veritatem probaturus, in publico conventu *k*) inviti adducantur; ut per ipsos rei veritas cum iuramento valeat inquiri. Quod si non per ipsos rei veritas cognoscatur, et duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco quod nullus eorum possit habere testes, antequam iurent, fiat inquisitio facta. Quod si omnes ad unam partem dixerint testimonium, iurent verum dixisse. Quod si dissenserint, ut una pars testium unum dixerit testimonium, alia aliud: tunc interrogentur, si audent per pugnam illorum testimonium approbare. Quod si nulla pars alteri concesserit, iurent, et per pugnam illorum probetur testimonium. Quod si una pars se subtraxerit, tunc pars illa quae ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium. *Ibid.* c. 9. II. 51. 16.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Quid tibi pertinet? Ego habeo possessam ipsam terram per XXX. annos. Potes probare tuam possessionem? Non possum: sed quaero, quod Comes det mihi tales homines, qui ipsi sciunt veritatem. Et cum testes dati fuerint a Comite, tunc laudati producantur, ut superius diximus. Si vero adversarius interrogetur de oppositione, et ipse dixerit: non possum, sed quaero a Comite: sit similiter: et sit bellum inter utrumque, ut superius diximus, si pars parti dissenserit. Si vero omnes consenserint, sit, ut legitur in lege Si vero unus a quinque, vel duo a quatuor dissenserint, tunc testimonium quinque, vel quatuor recipiatur. Quod a quibusdam aliter sentitur; dicunt enim, ut parti labenti alii subrogentur.

LXVIII. De feminis, quae viros amittunt, placet nobis, ne se sicut hactenus, indiscrete velent *l*), sed ut XXX. dies post decessum viri sui expectent; et post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si Episcopus absens fuerit, cum consilio aliorum religiosorum Sacerdotum, suorumque parentum, atque amicorum, id quod eligere debent, eligant. II. 6. 4.

LXIX. Volumus, ut nullus Cancellarius pro ullo iudicio aut scripto aliquid amplius accipere audeat, nisi dimidiam libram argenti de maioribus scriptis; de minoribus autem intra dimidiam libram, quantum res assimilari possit, et iudicibus rectum videtur. De orphanis autem, vel ceteris pauperibus, qui exsolvere hoc non possunt, in providentia Comitis sit, ut nequaquam inde aliquid accipiant. Notarii autem hoc iurare debent, quod nullum scriptum falsum faciant, nec in occulto, nec de uno Comitatu in alio, nisi per licentiam ipsius Comitis, in cuius Comitatu stare debet.

---

k) Al. Codd. *veritatem prolaturi in publicum conventum.*

l) Un. Cod. *ne sicut hactenus indiscrete velentur.*

Si vero necessitas in itinere aliquem compulerit, aut infirmitas gravis, secundum Capitulare Genitoris nostri fiat. Si Notarius aliter fecerit, illud quod fecerit, appareat inane et vacuum. *Capitul. Lothar. I. Tit. III. c.* 24. II. 40. 6.

LXX. Placuit nobis, ut Capitula quae excerpsimus de Capitulare bonae memoriae Avi nostri Caroli, ac Genitoris nostri Hludoici Imperatoris, ab omnibus sanctae Dei Ecclesiae, seu fidelibus nostris, in Regno Italiae consistentibus, pro lege teneantur et serventur. Et quicunque horum Capitulorum contemtor extiterit, LX. solid. componat. *Ibid. c.* 26. III. 37. 1.

LXXI. Quicumque liber homo a Comite suo fuerit admonitus, aut Ministris eius, ad patriam defendendam, et ire neglexerit, et exercitus supervenerit ad istius Regni vastationem, vel ad contrarietatem fidelium nostrorum, capitali subiaceat sententiae. Similiter observandum est, si vocati fuerint audito inimicorum nostrorum adventu, et ita contigerit, ut hostes (non) supervenerint *m*), hii qui vocati fuerint, et venire noluerint, unusquisque secundum suam legem emendet *n*). *Ibid. c.* 27. III. 13. 1.

LXXII. Iubemus, ut si cuiuscumque *o*) servus liberam feminam sibi, ea consentiente, in coniugio sociaverit, et infra anni spatium secundum legem ad vindictam traditi non fuerint, sicut lex tales personas olim nostro Fisco sociabat, ita nostra liberalitate concedimus, ut in potestate et in servitio domini illius, cuius servus fuerit, ambo revertantur. *Ibid. c.* 28. II. 9. 4.

LXXIII. Concedimus et Gastaldiis nostris, Curtes nostras providentibus, ut si proprio eorum pretio res emerint, aut quolibet iusto contractu acquisierint, sicut lex illas res ad nostram partem concedebat, ita nos eas illis concedimus, si in servitio nostro fideles inventi fuerint. *Ibid. c.* 30. II. 17. 2.

LXXIV. Similiter concedere volumus cunctis liberis personis, ut nullus Iudex publicus, sive Ministri publici, eos contra legem audeant pignorare, scilicet in bubus; quia audivimus multa damna, et afflictiones propter hoc Populum nostrum sustinuisse. Neque cogantur ad placita venire, praeter ter in anno, sicut in Capitulari continetur; exceptis Scabinis et Caussatoribus, et testibus necessariis. Quae omnia auferre volumus, ut Populus noster pacifice sub nostro regimine vivere possit. *Ibid. c.* 29. II. 21. 30.

---

m) Al. Codd. *quod hostis non supervenerit.*

n) Un. Cod. addit: *id est bannum persolvat.*

o) Un. Cod. *Si cuiuscunque Langobardi.*

LXXV. **Si quis aliquem de aliquo negotio mallaverit,** et ille, qui mallatus fuerit, dixerit: *Ideo ei respondere nolo quia servus alterius sit:* Aut si testimonia produxerit, et similiter dixerit, quod ea recipere non debeat, quia aliquis eorum servus sit alterius; nominet dominum eius. Et sic det wadiam de eius domino ad placitum adducendo. Et posito placito in quantum ire, ubi eum invenire crediderit, et reverti possit, Iudices dicant *p*). Et si in placito constituto dominum non adduxerit, praebeat sacramentum, quod pro nulla ratione dilatandae iustitiae eius hoc non dixerit; nisi pro certo ita verum esse crediderit. Quod si iurare ausus non fuerit, quod pro occasione prolongandae iustitiae hoc non dixisset, componat illi bannum nostrum, et iustitiam plenissimam faciat. Si vero aliquem adduxerit, qui se dominum eius dicat esse, et illum qui de servitio appellaverit, replicare ad servitium non potuerit, tunc ille ille, qui dominum se eius dixerit esse, bannum nostrum ei componat; eo quod pro conculcanda iustitia tale ingenium facere ausus fuerit. Crimina vero si super eum pro dilatanda iustitia imponere voluerit, probare cogatur. Et si probare non potuerit, iustitiam faciat, et insuper bannum nostrum, pro tanta calliditate, componere cogatur. *Ibid. c.* 31. II. 50. 1.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Donatum suum patrem. Non tibi respondeo, quia tu es servus de Pandulpho de Cremona. Da sibi vadimonium de illo domino suo ad placitum adducendum in Kalend. Martii. Et posito placito imminente die dic: Domne Comes? hoc dicit Petrus, quod est in tali die appellatus cum Martino, quod ipse habebat occisum suum patrem. Et ipse dixit, quod nolebat ei respondere, quia erat servus de Pandulpho de Cremona, et dedit vadia de adducendum dominum ad placitum. Et ecce dominus. Si non potuerit adducere, iuret, quod per occasionem prolongandae iustitiae non dixit. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsam terram possessam habeo per XXX. annos. Potes probare? Sic possum. Da vadia de probare. Non recipiam ipsum testem, quia est servus de Donato de Mediolano. Et sic fiat, ut dixi. Si dixerit appellatorem, vel testes esse periurum, vel raptorem: probet, aut emendet bannum.

LXXVI. Si quispiam forte aliquem mallaverit, et ille qui mallatus fuit, dixerit eum servum suum esse, vel alius in ipsa altercatione veniens eum ad servitium mallaverit, volumus ut in praesentialiter se wadient, ut ad primum, vel ad secundum, aut tertium placitum caussam ipsam deliberent. Inter placitum et placitum sint dies XII. *q*). Tertio vero, quando Comes placitum habuerit, si infra unum Comitatum est, sint dies XV. *r*). Sin autem in alio, sint dies XX., ne pro tali occasione iustitia eius prolongetur. Quod

---

p) Un. Cod. *ut iudices dixerint.*
q) Al. Codd. *dies XV.*
r) Un. Cod. *dies XII.*

si in his tribus placitis ille, qui quaerit, venire neglexerit, excepto servitio Regis, et inevitabili necessitate, et Comes placitum habuerit, et ille quoque alius ad suam libertatem probandam paratus fuerit, tunc Comes ipsam caussam finiat, veluti si ipse qui quaerit praesens fuisset, et ultra qui quaesierit, facundiam de ipsius servitio dicendi non habeat, et insuper bannum nostrum componat illi, ac iustitiam pleniter faciat. Et sunt aliqui, qui dum aliquos in servitio mallant, et ipsi de sua libertate probanda dant wadiam, eos mutando per placita lacerant *s*), ut vix per suam paupertatem evadere possint; unde tertium Capitulum addere placuit. *Ibid. c.* 32. II. 50. 2.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti sibi unam plagam in capite. Non tibi respondeo, quia tu es servus meus. Liber sum nascendo. Potes probare tuam libertatem? Sic: possum. Da vadia de probare. Et tu da vadia de contra placito, si potes. Et vadiate vos ut ad primum, vel secundum, aut tertium placitum caussam definiatis. Domne Comes: hoc dicit Petrus, quod in Kalend. Augusti appellavit Martinum, quod ipse fecit sibi unam plagam in capite. Et ipse dixit, quod nolebat ei respondere, quia erat suus servus. Et ipse dixit, quod erat liber nascendo, et dedit vadia de probare suam libertatem, et ipse dedit vadiam de contra placito, et vadiaverunt, quod ad primum, vel secundum, et tertium placitum caussam definirent. Et ipse fuit ad omnia tria placita, et ipse noluit venire. Modo est paratus in vestra praesentia ad diffiniendum placitum, sicut dedit vadia. Petre te appellat Martinus, quod tu es suus servus, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. Non tibi respondeo, quod ego appellavi te, quod tu habebas mihi factam unam plagam in capite, et tu dixisti, quod eram tuus servus. Et dedi vadia de probare meam libertatem, et tu dedisti vadia de contra, et vadiavimus ad primum, vel ad secundum, vel ad tertium placitum, ut caussam diffineremus. Et ego fui ad omnia tria placita, et tu neque ad unum. Et Comes recepit meos testes. Non fuit, quod tu dicis inter me et te, aut Comes non habuit placitum. Tunc ille, qui appellatus est ad servitium, probet. Si dixerit ipse, qui appellavit: ego fui paratus ad unum placitum, aut fui infirmus, probet. Sed melius est, ut dicat quod non misit negligentiam.

LXXVII. Si vero alium ad servitium aliquis mallaverit, et ille qui mallatus fuerit, ad probandam libertatem wadiam dederit, iubemus, ut supra, ut ad primum, vel ad secundum, vel ad tertium placitum, caussam deliberent. Inter placitum et placitum sint dies XII. Tertium vero, quando Comes placitum habuerit, si infra unum Comitatum est, sint dies XV. Sin autem in alio est, sint dies XX. Et si in his tribus placitis ipse, qui quaerit, venire contemserit, excepto quod superius anteposuimus, et Comes placitum habuerit, ille autem alius cum suis testibus paratus

---

s) Un. Cod. *qui dum alios in serv. mall., et ipsi de sua libert. prob. vadia dant, in tantum eos mutando placita lacerant.*

fuerit, tunc Comes ipsos testes recipiat, et caussam diffiniat, veluti si ipse qui quaerit praesens fuisset, et ultra ille qui quaesierit, tacitus de servitio illius permaneat. *Ibid. c.* 33. II. 50. 3.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu es servus suus, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. Liber sum nascendo. Det vadia de probanda sua libertate, et dent vadia de finienda intentione ad primum, vel secundum, vel tertium placitum. Et si alterutra persona non venerit, finiatur, ut supra dictum est. Si vero appellatus probare suam libertatem non potuerit, tunc appellator approbet eum suum servum esse. Et si non potuerit probare, tunc appellatus iuret suam libertatem, et ita sit. Sed aliter secundum valentes.

LXXVIII. Volumus, ut si quaelibet persona in finibus Regni nostri ignem in silva comminare *t*) ausa fuerit, diligenter inquiratur; et si servus comprobatus fuerit hoc fecisse, aut dominus eius ad flagellandum et caput tondendum tradat eum, aut pro eo quicquid damni fecerit, emendare cogatur. Si vero libera quaelibet persona hoc fecisse probata fuerit, emendare cogatur, et insuper bannum nostrum componat; et si non habuerit unde componat, flagelletur. Quod si factum fuerit, per meliores illius loci inquiratur. Et si in qualibet persona fuerit suspicio, si servus est, aut dominus eius, mittat eum ad iudicium, aut ipse pro eo sacramentum faciat: quod si libera persona fuerit, proprio sacramento se idoneam reddat. I. 19. 27.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu convivasti focum in unam suam sylvam, et habuit damnum C. solidorum per ipsum focum, aut Martinus tuus servus . . . .

LXXIX. Auditu comperimus, in finibus Tusciae talia scripta esse prolata, quae sunt absque mense, et die mensis, de quibus volumus, ut si deinceps prolata fuerint, nullum habeant vigorem. III. 38. 1.

LXXX. De his personis, quae suas res ideo ad alienam personam *u*) delegant, ut ad placitum venire non compellantur, ut mala quae facta habent, non emendent. Quod si apparuerit ideo delegasse, ne iustitiam facerent, volumus ut ipsae res in bannum mittantur, quo usque ille, qui eas habet, auctorem in placitum adducat, et sic de malefactore *v*) iustitiam faciat. III. 9. 6.

LXXXI. Qui sponsam alienam rapuerit, illa non consentiente, licet cum ea concubuerit, reddatur ei, cuius sponsa est, et ducat eam, si velit; quia vim passa potius, quam violata esse videtur. Quod si eam ducere noluerit, aliam accipiat sibi feminam. Tamen si ipsa nubere voluerit, ex-

---

t) Al. Cod. *convivare; coniurare.*

u) Un. Cod. *in alteram partem.*

v) Un. Cod. *illi, qui eas habent, auctorem ad placitum adducant, et isdem malefactor etc.*

cepto raptore, alteri cui voluerit, legitime copuletur, raptor vero adulterii criminis reus teneatur. Quod si ipsa consenserit, similiter ut raptor, a nuptiis alterius prohibeatur, et is qui eam accepturus erat, aliam qualem voluerit, accipiat. *Capitul. IV. a.* 819. *c.* 9. (*Tom. II. pag.* 867.). I. 30. 14.

LXXXII. De liberis hominibus, qui super alterius terram resident, et usque nunc a Ministris Reipublicae contra legem ad placita trahebantur, et ideo pignorabantur, constituimus, et secundum legem patroni eorum eos ad placitum adducant. Et si quis eos contra hanc nostram auctoritatem, et eorum legem pignorare aut distringere praesumserit, patrono eorum omnia cum lege emendet, et insuper pro praesumtione bannum nostrum componat. *Capitul. Ludov. II. Tit. II. c.* 3. II. 44. 4

LXXXIII. Ut omnes Episcopi, Abbates, et Comites, excepta infirmitate, vel nostra iussione, nullam habeant excusationem; quoniam ad placita Missorum nostrorum veniant, aut tales Vicarios suos mittant, ut in omnibus caussis pro illis rationem reddere possint. II. 45. 2.

LXXXIV. Si quis Episcopus, aut propinquitatis affectu, aut muneris ambitione, aut caussa amicitiae, Xenodochia, aut Monasteria, vel baptismales Ecclesias, suae Ecclesiae pertinentes, cuilibet per emphyteoseos contractus dederit, et se suosque successores poena multandos conscripserit, potestatem talia mutandi Rectoribus Ecclesiarum, absque poenae conscriptae solutione concedimus. III. 10. 4.

LXXXV. Statutum est, ut si quis liber homo *w)* per consensum Episcopi, Ecclesiam in sua construxerit proprietate, fontesque ab Episcopo in ea fuerint consecrati, ideo non perdat suam proprietatem: sed si Episcopus voluerit, officium sacri baptismatis in suam Ecclesiam transferat. Ipsa vero Ecclesia a qua transfertur, in constructoris maneat iure. III. 1. 47.

LXXXVI. Si adulter cum adultera comprehensus fuerit, et secundum Edictum Legis Langobardorum marito adulterae ambo ad vindictam traditi fuerint; si eos quispiam emerit, eosque coniunctos in eodem scelere habere repertus fuerit *x)*, ipsos Fiscus acquirat. I. 32. 8.

LXXXVII. Si quis liber homo uxorem habens liberam, propter aliquod crimen aut debitum vel aliquibus caussis in servitio alterius se subdiderit, et eadem coniux cum ipso manere voluerit, eorum procreatio, quae de

---

w) Un. Cod. *quislibet homo.*

x) Un. Cod. *convictus in eodem scelere habere repertum fuerit.*

tali coniugio nata fuerit, libertatis statum non amittat. Si vero ea defuncta, secunda uxor etiam libera, tali se sciens iunxerit coniugio, liberi eorum servituti subdentur. *Capitul. Lothar. I. Tit. IV. c.* 15. II. 33. 4.

LXXXVIII. Statuimus ut si femina, quae vestem habet mutatam, moecha deprehensa fuerit, non tradatur gynaeceo, sicut usque modo: ne forte quae prius cum uno, postmodum cum pluribus locum habeat moechandi: sed eius possessio Fisco redigatur, et Episcopi ipsa subiaceat iudicio. II. 37. 6.

LXXXIX. De homicida, unde lex pro simplicitate probationem trium testium quaerit, si testes habere non poterit, concedimus, ut cum XII. iuratoribus iuret, et ab eadem simplicitate sit absolutus, proprium tamen non amittat. I. 9. 37.

XC. Sancitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis *y*) facere praesumat, ne Christi Passio, quae glorificata est, cuiuslibet temeritate contemtui habeatur. *Capitul. Ludov. P. a.* 816. *c.* 27. II. 55. 32.

XCI. Ut terminum habeat unaquaeque Ecclesia, de quibus villis decimam accipiat. *Capitul. Lib. I. c.* 149. III. 3. 9.

XCII. Nulli liceat excepta caussa fornicationis, adhibitam sibi uxorem relinquere, et deinde aliam copulare, alioquin transgressori priori convenit sociare coniugio. Sin autem vir et uxor devertere pro sola Religiosa inter se consenserint vita *z*), nullatenus sine conscientia Episcopi fiat, ut ab eo singulariter praeviso constituantur in loco. Nam uxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvatur. II. 13. 6.

XCIII. Nulli liceat in uno tempore duas habere uxores vel uxorem et concubinam: quia cum domui non sit lucrum, animae suae fiat detrimentum. Nam sicut Christus castam observat Ecclesiam, ita vir castum debet custodire coniugium. II. 13. 7.

XCIV. De Iudicibus ut inquirantur, si nobiles *a*) et sapientes, et Deum timentes constituti sint. Et iurent, ut iuxta eorum intelligentiam rectum iudicent, et pro muneribus vel humana gratia iustitiam non pervertant, nec differant; et quod iudicaverint, sua subscriptione *b*) confirmare non dissimulent. Ubi autem tales non sunt, a Missis

---

y) Un. Cod. *cruce.*

z) Un. Cod. *divertere pro sola vitae religione inter se consenserint.*

a) Gloss. marg. *nobiles sunt, quorum maiorum parentum suorum nemo servituti subiectus sit.*

b) Al. Codd. *descriptione; scriptione; discretione.*

nostris constituantur, et idem sacramentum facere cogantur. Quod si viles personae, et minus idoneae, ad hoc constitutae sunt, eiiciantur. Similiter et Notarii legibus eruditi, et bonae opinionis constituantur, et iusiurandum praebeant, ut nullatenus falsitatem vel colludium scribant. Et qui hoc fecisse praeterito tempore inventus fuerit, praesentialiter damnetur *c*). II. 52. 24.

XCV. Ut per XXX. annos servus liber fieri non possit, si pater illius servus, et mater *d*) ancilla fuerit. Similiter et de aldionibus. *Capitul. Lothar. I. Tit. IV. c.* 10. II. 35. 14.

XCVI. Ut Episcopi, universique Sacerdotes, habeant Advocatos. Quia Episcopi, et universi Sacerdotes, ad solam laudem Dei, et bonorum operum actionem constituuntur. Debet ergo unusquisque eorum tam pro Ecclesiasticis causis, quam etiam propriis actionibus suis, excepto publico videlicet crimine habere Advocatum non mala fama suspicatum *e*), sed bonae opinionis et laudabilis artis inventum. Ne dum humana lucra attendunt, aeterna praemia perdant. II. 47. 9.

XCVII. De Notariis, qui chartas recipiunt ad scribendum, si eas non scripserint, aut si eas perdiderint, restaurent ipsas res ei, cuius chartae eis traditae fuissent. Si vero negaverint fuisse traditas, iurent cum suis sacramentalibus.

XCVIII. De incestis coniunctionibus hoc praecipitur, ut nullus deinceps propinquam, nec quam propinquus habuerit uxorem, ducat in coniugio; et uxoris parentela ita sit viro, sicut propria parentela. II. 8. 13.

XCIX. Consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus audeat in coniugio copulare. Si quis huic tali nefario coniugio se coniunxerit, et in eo permanserit, sciat se Episcopali auctoritate anathematis vinculo esse innodatum, et nullus Sacerdos ei tribuat communionem. Si vero conversus divisusque fuerit ab illicita copulatione, dignae poenitentiae submittatur, ut Sacerdos loci consideraverit. II. 8. 11.

C. Praecipimus ut nova conditio Aldioni a domino suo non imponatur. I. 25. 83.

CI. Quamquam Sacerdotis testimonium credibile ha-

---

c) Baluz. addit: *et perdat manum.*
d) Al. Codd. *aut mater eius.*
e) Un. Cod. *crimine, et pro omnibus placitis, in sacramento habere Advocatum non malae famae suspectum.*

beatur, tamen ipsi in Secularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem caussa eventus *f*) aliquid audierint, aut viderint, ubi nullae idoneae seculares personae inveniantur, ne veritas occultetur, et malum in bonum aestimetur, in providentia Episcopi proprii sit, ita ut coram se et competentibus Iudicibus, aut aliter veritatem honorifice tollant. II. 51. 17.

CII. Comperimus, quod ab his, qui secundum mundanam legem Viduarum et Orphanorum tutelam sibi vindicant, non solum negliguntur, sed etiam aliquotiens opprimuntur, quibus Ecclesiastica solicitudine succurrendum esse censemus. Et si huiusmodi oppressores ab Episcopali admonitione corrigi voluerint, gratulandum his est. Sin autem in obstinationis impietate duraverint, suggerendum Clementissimo Imperatori, quatenus ipse efficacem tutorem tribuat; ut et illi remuneratio reddatur a Deo; et de inutili silentio sacerdotalis ordo damnetur. III. 39. 1.

CIII. Quicunque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratrem, aut sororem, vel nepotem, vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat. Interfector vero, ordinante Episcopo, publicae poenitentiae subdetur. *Capit. Ludov. P. a.* 829. *Sect. III. c.* 1.

CIV. De his vero personis, quae absque Senioribus per diversa loca moram, et praedationes faciunt, Ministri Reipublicae eos comprehendere, et ad nostram praesentiam ducere studeant. Si quis se defendere voluerit, et ibidem interfectus fuerit, incompositus iaceat.

CV. Et hoc damus in mandatis, ut quicumque homo ab hac praesenti die Mensis Februarii res vendicare, aut alienare voluerit, in omnibus eorum permaneat potestate. Tantum sic faciat, sicut lex eorum fuerit *g*). *Capitul. III. Mabillon. c.* 10.

CVI. De donatione vel venditione *h*), quae in loca venerabilia factae sunt, suspendi iussimus, dum enim compensaverimus in Synodo cum Episcopis et Comitibus, quomodo fieri debeant. Et hoc iubemus, ut illis partibus iustum procedat *i*) iudicium, ubi nos, aut nostra ostis *k*) fuerimus *l*), per illud quod supra scriptum est. Et hoc statui-

f) Baluz. *eveniente causa.*
g) Murat. *si Iudex eorum fuerit.*
h) Murat. *iurisdictione.*
i) Murat. *praecedat.*
k) Murat. *aut nostri auctores.*
l) Caetera apud Murator. desiderantur.

mus, ut cartulae illae, quae tempore Desiderii factae fuerint per districtionem famis, aut per qualecumque ingenium, ut ista causa non computetur: sed iuxta legem ipsorum exinde procedat iudicium. Unde qualiter nobis placuit praesentem deliberationis notitiam pro amputandis contentionibus fieri iussimus, et nobis legi fecimus, et volumus ut sic procedat iudicium. Facta notitia anno dominorum nostrorum tertio. *Ibid. c.* 10.

LUDOVICI II. AUGUSTI LEGES.

LUDOVICUS SECUNDUS.

Imperat hic Divus nobis alter Ludovicus.

I. Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi et comites ab incestuosis, et ab his, qui decimas non dant, wadias accipiant, et pro Presbyterorum quorundam negligentiis, et inter *m*) se pecunias dividant: quod penitus abolendum esse decernimus, ne forte avaritiae locus detur. Et constituimus ut incestuosi iuxta Canonicam sententiam poenitentia multentur. Qui vero decimam post tertiam admonitionem et praedicationem Sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Iuramento vero eos constringi nolumus, propter periculum periurii. III. 3. 10.

II. De viduis, et pupillis, et orphanis, coecis, et claudis tuitionem atque amminiculum habere praecipimus, iuxta nostram possibilitatem vel vires, sicut in praecepto Domni Regis continetur. II. 48. 3.

III. De raptoribus vero antiquorum Patrum statuta sequentes hoc tenendum censemus, ut si eas rapuerint, quae cum sponso pariter benedictione sacerdotali initiatae sunt, licet eas corruperit, tamen abstrahantur ab his, et propriis sponsis reddantur. Quae vero vel viduae sunt, vel adhuc sponsatae non fuerunt, et absque ipsarum et parentum voluntate rapuerint, nihilominus parentibus vel propinquis restituantur, et alii cui voluerint, nubant. Nam ipsis a qui-

---

m) Sic Baluzius. Murat. habet: *et presbyterorum quorundam negligentiis inter se etc.* Boher. *et presbyteris pro quibusdam negligentiis inter se etc.* Al. Cod. *et a Presbyteris quibusdam negligentibus, et inter se etc.*

bus raptae sunt, legitimae demum uxores nullatenus esse possunt. Ipsos autem raptores, iisque auxilium praebentes quamquam anathematizandos antiqui Canones praecipiant, in ultimo tamen constituti, si devote postulaverint, sacram communionem in viatico non denegamus. *n*) Quod si aliquis de ordine Clericali huiusmodi transgressor aut cooperator extiterit, proprii gradus honore carebit. I. 30. 15.

IV. De iudicio autem iudicis tam frequentur rememoramus, quia omnino consuetudinem iudicandi iniuste Iudicibus auferre volumus. Sed tantum secundum scripturam iudicent, et nullatenus secundum arbitrium suum. Sed discant pleniter legem scriptam. De quo autem non est scripta, hoc nostro consilio habeatur in quibusdam.

V. Sancitum est, ut nullus quislibet Ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere praesumat, quarum liberi aut propinqui hac inconsulta oblatione rerum propriarum exheredari possent. Quod si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, ex hac re a Synodali et Imperiali sententia omnimodis feriatur, et res ad exheredatos redeant. *Capitul Ludov. P. a.* 816. *c.* 7.

VI. Volumus, ut omnis inquisitio de rebus Ecclesiasticis, vel ad ius Fisci nostri pertinentibus, quae facienda est, non per testes, qui producti fuerint, sed qui in eo Comitatu meliores et veraciores esse cognoscuntur, per illorum testimonium inquisitio fiat, et iuxta quod illi testificati fuerint, vel contineantur, vel reddantur ipsae res. *Capitul. Ludov. P. a.* 829. *Sect. V. c.* 6.

VII. Ut Episcopi, qui res Ecclesiae circa propinquos suos expendunt, reprehensionem caveant, et discretionis modum teneant. Quoniam multi Episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis suo aut quolibet amicorum nomine, praedia et mancipia emunt, et ut in suorum propinquorum ius conducantur *o*), statuunt. Et ob hoc iura Ecclesiastica convelluntur, et ministerium Sacerdotale fuscatur, imo ab subditis detrahitur, et contemnitur. Placuit itaque nobis omnibus, ut deinceps hoc avaritiae genus caveatur; fixumque abhinc, et in perpetuum mansurum esse decrevimus, ut Episcopus de rebus sui iuris, quas ante Episcopatum, aut certe in Episcopatu hereditaria successione adquisivit, secundum auctoritatem Canonicam quidquid vult faciat, et cui vult, conferat. Postquam autem Episcopus factus est, quascunque res de Ecclesiae

---

n) Un. Cod. *constitutis, si devote postulaverint, sacrae communionis viaticum non denegamus.*

o) Baluz. *cedant.*

facultatibus aut suo, aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiae, cui praeest, iura deveniant. Similiter de Presbyteris, vel Diaconibus, qui de Ecclesiarum rebus, quibus praesunt, praedia, et mancipia eo modo emunt, faciendum statuimus; quoniam multos Presbyteros occasione taliter emtarum rerum Ecclesias, quibus praesunt, disparasse, et offendisse et spoliasse, et suum ministerium multis modis exorbitasse, et diabolo se mancipasse: et hac occasione multos Laicorum in scandalum damnationis et perditionis deperisse comperimus. Et ideo non debemus ante tempus per suspectionem iudicari, sed patienter exspectari, donec ipsa veritas manifesta fiat, utrum magis audiendi, an improbandi simus. *Capitul. Lib. V. c.* 327.

VIII. De his coniunctionibus, quae secundum Canones Ecclesiae aut Edictum *p*) copulatae esse non possunt, placuit nobis, ut ab invicem separentur: et qui de nostris Iudicibus neglexerit caussam istam ad iudicandum aut distringendum, componat widrigilt suum. II. 8. 12.

GUIDONIS AUGUSTI LEGES.

GUIDO IMPERATOR.

Imperat ista bonis regalis sermo Guidonis.

I. Placuit etiam nobis statuere summopere, ut Episcopi et Comites uniti sint in suis Parochiis, et in Comitatibus, pro pace et salvatione in omnibus hominibus honoribus in suis habitantibus *q*), ita ut nullum praedonem, raptorem, vel incestum in suis sedibus vel concessis honoribus permittant morari. Et si intellexerint, ex aliqua parte per eorum terminos velle aut debere transire exte-

---

p) Al. editt. *et edictum.*

q) Herold. *salvatione in omnibus honoribus suis hominibus habitantibus.* Al. editt. *salv. in honoribus suis habitantibus.*

ros r) ad istius Regni vastationem s), obviam eis missos commonitorios dirigant, ut in pace et sine praeda per eorum transeant terram. Vendere autem eis, quae necessaria sunt faciant, non plus carum, sed secundum usum et consuetudinem terrae. Si vero noluerint acquiescere, sed praedas et rapinas exercuerint, quicquid aliter rapuerint t), legaliter cum banno nostro ab Episcopo et Comite eiusdem loci emendare u) cogantur. Quod si ea exequi noluerint, statim ab Episcopi loci excommunicentur. Postea vero si contigerit, ut Comes loci Populusque terrae super ipsos praedones venerint, et eos impedierint et fuerint mortui, neque faida inde crescat, neque compositio aliqua v) requiratur, pro his qui ibidem occubuerint. Et si Comes eiusdem loci hoc implere neglexerit, proprio honore privetur. Et si oportuerit, et necesse fuerit, in ipso auxilio vicinum suum Comitem advocet; et si ille w) se subtraxerit, similiter proprio privetur honore, et insuper XXX. libras argenti Comiti componat. II. 53. 2.

II. Quicumque igitur ex Laicali ordine, tam liberi quam servi homines in Comitatu manentes a proprio Comite, vel a Publica parte, idest ab his, qui Rempublicam agunt, admoniti fuerint, si se subtraxerint ab adiutorio sui proprii Comitis, et eum non adiuvaverint intra ipsum Comitatum, contra praedones venientes in suo Comitatu x), tertiam partem liberi ex suis mobilibus componant. Servi autem LX. ictus a propriis dominis accipiant, si y) probatum fuerit, quod eis fuisset denuntiatum. III. 13. 2.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti suum patrem. Non occidi, quod legem emendare debeam. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu intellexisti, quod extranei homines debeant transire ad vastationem istius Regni, et habuisti negligentiam de tramittere cum tuo Episcopo obviam eis Missos commonitorios, ut pacifice transirent per vestram terram. Petre Comes te appellat Martinus Comes, quod ipse invitavit te, quod tu adiuvisses eum de extraneis, qui veniebant vastare suum Comitatum, et tu te subtraxisti. Petre te appellat Martinus qui est Advocatus de parte Publica, quod tu fuisti ammonitus a tuo Comite, quod tu adiuvares eum infra Comitatum contra supervenientes praedones, et te subtraxisti.

III. Nemo Comes, neque loco eius positus z), neque Sculdasius ab Arimannis suis aliquid per vim exigat, praeter quod constitutum legibus est. Sed neque per suam for-

---

r) Herold. *extraneos*.

s) Un. Cod. *exterps istius regni vastatores*.

t) Un. Cod. *alteri rapuerint*. Herold. *alter rapuerit*.

u) Herold. *dare*.

v) Un. Cod. *aliquando*.

w) Un. Cod. *nec. fuer., ut in ipso auxilio vic. suum comit. advocet, et ille*.

x) Un. Cod. *supervenientes in suum Comitatum*.

y) Al. Codd. *si tamen*.

z) Al. Codd. *loco positus*.

tiam in mansione Arimanni se applicet *a*), aut placitum teneat, aut aliquam violentiam faciat. Si vero de praedictis personis publicis aliquis hoc irritum fecerit, honore proprio sive ministerio privetur, et secundum legem emendet, quod fecit. III. 12. 5.

FORM. Petre Comes te appellat Martinus tuus Erimannus, quod tu albergasti per virtutem in casam suam, et tulisti per virtutem sibi unum porcum, qui valebat solidos X. De torto me appellas. Da sibi vadimonium, ut si te recordatus fueris, ut emendes; sin, ut te exdicas. Cuius placiti Sacramenta sunt appellatoris. De hoc, unde te appellavi, me sciente de torto te non appellavi. Si Deus. Appellati: De hoc, unde tu me appellasti, de torto me appellasti, si Deus etc. Poena est appellatoris quidem decima pars litis aliquando, et appellati victi: semper honore aut ministerio privetur, ut bannum persolvat, et secundum legem appellatoris emendet malum.

IV. Si igitur ex praecepto Imperiali, Comes loci ad defensionem patriae suos Arimannos hostiliter praeparare *b*) monuerit, aut per se, aut per Missos suos, si aliquis eorum remanserit, exceptis his, quos Episcopus elegerit in sua necessitate, aut Comes dimittere voluerit, nisi aliquibus sumnis, aut ceteris impedimentis, quae legibus continentur, detentus fuerit, widrigild suum componat. Et hoc nullus Comitum, aut Publicus, potestatem habeat *c*) exigendi, nisi cum Misso Palatii Imperatoris. III. 13. 3.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod Comes tuus per praeceptum Imperiale ammonuerit te, quod hostiliter pergeres ad defensionem patriae, et ad casam remansisti. Non placet Deo. Tunc appellatus det vadium, ut si se recordatus fuerit emendet. Sin autem, quod se exdicat. Cuius placiti sacramenta sunt ita: ut Advocatus non iuret, sed tantum appellatus: Comes meus per praeceptum Imperiale non ammonuit me, nec per se, nec per suos Missos, ut hostiliter pergerem ad defensionem patriae. Si Deus etc. Aut, ego ad casam non remansi, si Deus etc. Poena quidem est, ut widrigild suum tribuat.

V. De Chartis vero interdicimus, ut nemini liceat alienas res praesumtive invadere, occasione chartulae ab eo factae, qui investituram legitimam non habens dinoscitur invasisse. Sed si quis acquisitor extiterit, non antea invadere alienas res Ecclesiae, vel cuiuspiam liberi hominis praesumat, antequam auctor chartulae legali et iudiciali diffinitione eas vindicet: et tunc demum cui vult liberam habeat tradendi facultatem. Et si quis ipsas res sine lege invaserit, non solum ipsas res amittat, sed insuper bannum nostrum componat. I. 27. 12.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Quid tibi per-

---

a) Un. Cod. *in mansionem Erimanni applicet.*

b) Un. Cod. *ad defensionem patriae suae Erimannos suos hostiliter properare.*

c) Un Cod. *aut publica potestas habeat licentiam.*

tinet? Ecce charta, quam mihi fecit Donatus. Ipsa charta nihil mihi nocet; quia ipse, qui fecit tibi ipsam chartam, mihi invasit ipsam terram. Probet ipse, qui appellavit: et ipse, qui tenet, perdat terram, et emendet bannum. Si vero appellator probare non potuerit, nisi falsaret, aut adversa probatione superatus fuit, refutet terram, et camphioni ex parte eius dextera manus amputetur. Ceteri vero ex parte eius manus suas redimant; ipse widrigild tribuat. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris. Et quid tibi pertinet? Ecce charta, quam mihi fecit Marculfus Vis dare auctorem? an vis stare loco auctoris? In loco auctoris volo stare. Non debes tu stare in loco auctoris, quia ipse, qui tibi vendidit, invasit mihi ipsam terram. Et ita probet. Si vero probare non potuerit, nisi falsaverit chartam, rem perdat, bannum persolvat. At si probare voluerit, et adversa probatione superatus fuerit, terram perdat, bannum solvat. Camphio eius manu curtetur. Ceteri falsi testes manum redimant. Et ipse, qui duxit falsos testes, widrigild tribuat.

VI. De Chartis etiam vel quibuscunque scriptionibus, quae a quibusdam personis falsae appellantur, statuimus, ut si Notarius supervixerit et testes, ut idem Notarius cum legitimis sacramentalibus suis XII. similiter cum ipsis testibus, qui in eadem charta scripti sunt, ipsam chartam veram et idoneam faciant. Similiter et ostensor chartulae cum XII. sacramentalibus suis, sicut legitime iurare valeat, ipsam chartam veram et idoneam faciat. Interpellator autem primum iuret, quod se sciente nihil aliud, nisi verissimam in omnibus et iustam rationem exquirat. Si autem Notarius se subtraxerit, et chartam suo nomine scriptam idoneam minime confirmare potuerit, nulla redemtio ei concedatur, sed manum propriam amittat, et ostensor ipsius chartulae, post rerum amissionem, widrigild suum componat. Et si Notarius defuerit, et testes supervixerint, ipse ostensor chartulae cum ipsis testibus, et cum XII. sacramentalibus suis, sex suis propinquis, et septimus sit ipse, et quinque aliis idoneis, ostensis primum aliis duabus chartulis manu eiusdem Notarii *d*) scriptis, etiam ipsam suam tertiam chartam per sacramentum veram et idoneam faciant. II. 55. 33.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per chartam, quam mihi fecit Marculfus. Et tibi quid pertinet? Per chartam quam mihi fecit Marculfus. Ipse, qui habet posteriorem chartam, dicat anteriorem falsam. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine unum suum servum. Ipse servus meus proprius est per chartam, quam tu mihi fecisti. Falsa est ipsa charta. Vis ut clare facta fiat per sacramenta? Volo. Da vadia de facere eam veram, secundum Capitulum Widonis, et terminus constituatur. Et

---

d) Al. Codd. *manus collatione ab eodem Notario.*

cum venerit terminus dic: Domne Comes; hoc dicit Petrus, quod in tali die appellavit eum Martinus, quod ipse tenebat sibi malo ordine Marcoardum suum servum. Et ipse dixit, quod suus proprius erat per chartam, quam sibi fecit, et ipse appellavit eam falsam, et ipse dedit vadium de facere veram secundum Capitulum Widonis. Modo est paratus ad implendum, sicut dedit vadium. Dicis tu ita? Sic dico. Et tu recipisti ita vadium? Sic feci. Tunc fiant facta sacramenta ita. Appellator iuret: De hoc, unde chartam hanc falsam appellavit, me sciente nihil aliud, nisi verissimam, et iustam rationem exquiro in omnibus modis. Si Deus etc. Appellatus: Haec carta vera et idonea est. Si Deus etc. Sacramentales: Quod ipse iuravit, verum iuravit. Si Deus etc. Notarius: Haec carta vera et idonea est. Si Deus etc. Sacramentales: Quod ipse iuravit, verum iuravit. Si Deus etc. Testis unus. Haec carta vera et idonea est. Si Deus etc. Ceteri: Quod ipse iuravit, verum iuravit. Si Deus. Si dixerit Notarius, quod non scripsit ipsam chartam, aut testis dixerit, quod non fuit testis, probet ostensor eam Notarium scripsisse, et eos fuisse testes. Si vero probare non potuerit, iuret cum suis sacramentalibus, et quaeratur alter Notarius, et alius testis. At si se subtraxerit Notarius, sit, ut legitur in lege, et sit similiter, si se subtraxerit ostensor. Et si dixerit ipse, qui appellavit falsam chartam: Alius scripsit ipsam chartam, aut alius fuit testis, probet. Poena vero imminet falsatori, si sibi satisfactum fuerit, et rem refutet, et secundum obligationem chartae emendet; si ipse fecit, vel si est eius heredes, qui eam fecit, vel bonorum possessor. Ostensori, si uterque id est Notarius, et ostensor se subtraxerit, Notarii manu abscissa, testibus widrigild multatis, ipse ostensor rem amittat, widrigild tribuat Et si est rogator falsae chartae testis, widrigild tribuat, bannumque persolvat, si est appellatus. Si vero alteruter vel Notarius, vel ostensor se subtraxerit, tunc sapientia Iudicis videatur, quis eorum sit melior, et verus, ut eius sententia praecellat, et malus et mendax constrictus potestate, et boni sententia convictus, aut in sententiam veri vadat, aut bono evadente, vel non, quod iustum videtur, malus et mendax suomet gladio feriatur. Similiter de testibus providendum est. De Collatore, si fuerit altercatio, iuret collator per usum.

VII. Volumus praeterea atque sancimus, ut si quis liber homo *e)* legitimae uxori suae, dum advixerit, res suas per scriptum ad usumfructum dederit, et filios duos vel plures habuerit, et unus ex ipsis, vel duo mortui fuerint, et filios et filias *f)* reliquerit, aequaliter ipsas res, quas usufructuario modo praedicta uxor habuerit, filii defuncti cum patruis, sicut ceteram hereditatem, ita usumfructum dividant. II. 14. 28.

VIII. Concedimus, ut sicut mulieres *g)* cum viris suis res suas donare, aut venumdare possunt, ita et commutare valeant, ac familiam suam liberam facere. II. 10. 4.

IX. Si quis Iudicibus nostris in iudicio residentibus minas aut convicia intulerit, eosque verbis aut factis tur-

---

e) Un. Cod. *quislibet Langobardus homo.*

f) Un Cod. *filios legitimos vel filias.*

g) Un Cod. *Concedimus etiam ut sicut Langobardae mulieres.*

piter dehonestaverit, widrigild illi, quem laeserit, componat. Si vero aliquis ex ipsis Iudicibus nostris pro ipso iudicio falsidicos dixerit, aut pro ipsa intentione ex hac caussa *h)* quemlibet hominem interfecerit, quinquaginta libris auri optimi componat, medietatem Regi, et medietatem heredibus defuncti. *i)* I. 5. 2.

FORM. Petre te appellat Martinus Iudex, quod minatus ei, dum residebat in iudicio, aut tu eum conviciando verbis, aut factis turpiter dehonestasi. De torto me appellas. Da sibi vadimonium, si te recordatus fueris, quod emendes. Si non, ut te exdicas secundum tuam legem. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Donatum suum patrem iudicem in iudicio. Cuius placiti sacramenta sint, Iudicis, vel propinqui sui requirentis eius mortem ita: De hoc, quod ego appellavi, me sciente de torto te non appellavi. Si Deus: Appellati: de hoc unde tu me appellasti, de torto me appellasti. Si Deus: Sacramentalis: hoc quod iuravit, verum iuravit. Si Deus. Poena quidem est appellati. Si confessus fuerit, aut non ausus fuerit iurare, ut Iudici widrigild suum tribuat, et bannum solvat et propinquo Regis Camerae L. libras auri componat, et bannum tribuat potestati.

OTTONIS II. AUGUSTI LEGES. *k)*

OTHO SECUNDUS.

Antiquis est constitutum temporibus, ut si chartarum inscriptio *l)*, quae constabat ex praediis, falsa ab adversario diceretur, sacrosanctis Evangeliis tactis veram esse, ab ostensore chartae probabatur, sicque praedium sine deliberatione Iudicis vendicabat. Qua ex re mos detestabilis in Italia, improbusque non imitandus inolevit, ut sub legum specie iureiurando acquireret, qui Deum non timendo minime formidaret periurare. Tempore ergo, quo piissimus Rex Otto Romae unctionem suscepit Imperii, residente in Synodo summo et universali Papa Domno Iohanne XIII. anno *m)* ab Italiae Proceribus est proclamatum, ut Impe-

---

h) Un Cod. *et pro ipsa intentione et causa.* Alt. *aut pro ipsa int. aut caussa.*

i) Al. Codd. *medium primum heredibus interfecti Iudicis, et alteram medietatem Camerae nostrae.*

k) Istae leges apud Heroldum referuntur ad Ottonem I.

l) Un. Cod. *adscriptio.*

m) Al. Codd. *residentis in Synodo summa et universali Papae Iohannis tertio decimo anno.*

rator Sanctus mutata lege facinus indignum destrueret, per quod, etsi corpore quispiam dives fieret, anima pereunte pauper in aeternum maneret. Iudicio itaque Domini Papae, et piissimi Augusti expectatum est usque ad illam Synodum, quae parva post intercapedine habita est Ravennae. Cumque ibidem ex eadem re proclamatio repeteretur, ob quorundam Procerum absentiam, usque ad id tempus est exspectatum, quo gloriosissimi Ottonis Regis, Otto gloriosissimus filius *n*), et Conradus Burgundiae Rex, Italiam properantes Veronae colloquium cum omnibus Italiae Proceribus habuerint. In hoc itaque cum ab omnibus Imperiales aures magnis quaestionibus *o*) pulsarentur, ut mutata lege fraudem hanc tam diram ab Italia tolleret, convenientibus, ceteris consentientibus *p*), Legem huiusmodi secundum inferiora promulgavit Capitula. II. 55. 34.

Nos belli dono ditat Rex Maximus Otto.

I. De praediis si contentio emerserit, et utraque pars sive *q*) altera cum chartis seu scriptionibus praedium sibi vendicare voluerit; si ille, qui falsam chartam appellaverit, per pugnam declarare voluerit, ut ita fiat, decernatur. Sin aliter, secundum priora capitula determinetur, edicimus. II. 55. 34.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per chartam, quam tu mihi fecisti. Falsa est ipsa charta. Vis ei ardire? Volo. Vadiate pugnam. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per chartam, quam mihi fecit Donatus. Et ecce charta, quam mihi fecit ipse Donatus. Tunc qui habet anteriorem chartam, dicat: Tua charta nihil mihi impedit, quia contra legem est, quia postquam fecit mihi unam traditionem, non potuit tibi facere alteram. Tunc ipse, qui habet posteriorem chartam, dicat anteriorem falsam, et faciat pugnam, si voluerit. Sed secundum Valentes ita. Petre te appellat Martinus, quod terra, quae est in tali loco, sua est, quam tu tenes, sibique contradicis. Quid ad te pertinet? Tu mihi eam vendidisti cum scripto. Ostende scriptum. Ecce. Illud falsum est. Vis ardire? Volo. Et tu vis defendere? Volo. Vadiate pugnam. Petre te appellat Martinus, quod terra, quae in tali loco est, sua est, quam tu tenes, sibique contradicis. Quid ad se pertinet? Martinus, cuius erat, sibi scripto vendidit. Hoc mihi non nocet, quia prius mihi scripto vendidit eam, et alteri eam post tradere non potuit. Illud scriptum mihi non nocet, quia falsum est. Quomodo vis, ut declaretur? Per pugnam. Cuius placiti sacramenta sunt, ita. Falsatoris: De hoc, quod ego appellavi

---

n) Al. Codd. *quo glor. Augusti Ottonis, Rex Otto gloriosus filius.*

o) Al. Codd. *questibus.*

p) Al. Codd. *convenientibus cunctis et consentientibus.*

q) Al. Codd. *sine.*

hanc chartam esse falsam, me sciente nihil aliud nisi verissimam et iustam rationem exquiro in omnibus modis. Ostensoris ita: haec charta vera et idonea est. Si Deus. Poena est utrique falsatori victo, ut rem refutet, manum perdat aut redimat, et secundum obligationem chartae emendet, si ipse fecit, vel eius heres, qui fecit, aut successor. Et si chartae certant inter se et falsator fuit appellatus, et est convictus, tunc rem refutet, manum perdat, aut redimat, bannum persolvat: et etiam aliquando secundum obligationem chartae comprobatae emendet; si forte est heres eius, qui eam fecit. Ostensori vero, si est appellatus, rem perdat, widrigild tribuat, manum perdat, bannum persolvat. Si est appellator, rem refutet, suum widrigild tribuat, manum perdat. Si vero falsator Longobardus noluerit, ut per bellum res agatur, sed tantum per sacramentum lis finiatur, tunc fit, ut supra diximus in capitulo widonis

11. De investitura praedii si contentio fuit, similiter ut per pugnam veritas decernatur, edicimus. II. 55. 34.

FORM. Domne Comes: hoc dicit Petrus, quod de terra quae iacet in tali loco, investitus est ad proprium. Hoc dico ego, quod ego sum investitus ad proprium de ipsa terra, non ipse. Iurent, sicut dicunt, et faciant pugnam, et ut nullus alteri debeat ardire. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de sexta parte unius petiae de terra, quae iacet in tali loco. Et tu malo ordine eum disvestisti. Hoc dicit Petrus: vigesima pars de sexta parte de illa petia de terra, quam tu dicis, sua propria est: Et ipse te malo ordine nec de illa vicesima, nec de aliis partibus illius sextae te non disvestivit. Vis ei ardire? Volo. Et tu vis te defendere? Volo. Vadiate pugnam. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de petia una de terra quae iacet in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. Hoc dicit Petrus, quod de ipsa terra ipse est investitus, et te malo ordine non disvestivit, vel ipsa terra sua propria est, et te malo ordine non disvestivit. Petre te appellat Martinus, quod pars Monasterii sancti Ruffini, unde est Advocatus, fuit investita ad proprium de una petia de terra, quae iacet in tali loco. Et pars Monasterii S. Petri, unde tu es Advocatus, disvestivit eam malo ordine. Ipsa petia de terra, quam tu dicis, propria est monasterii partis S. Petri, unde ego sum Advocatus. Et ipsa malo ordine partem S. Ruffini, unde tu es Advocatus, non disvestivit. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de petia una de terra, quae iacet in tali loco, et tu malo ordine eum divestisti. Terram habeo in ipso loco, sed nescio de quali tu dicis. Det vadium de consignare, et ipse reus in iudicium revertendi. Petre te appellat Martinus, quod de terra, quae iacet in tali loco, fuit ipse investitus ad proprium et malo ordine eum disvestisti. Ipsa terra mihi concessa est per usumfructum, aut per libellum, et ego malo ordine te non disvestivi. Ita tamen ut ostendat, qualiter sibi sit concessa per usumfructum, et postea bellum faciat de malo ordine. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de petia una de terra, quae iacet in tali loco, quae est per mensuram iugera tanta, et habet coherentias tales. Terram habeo in ipso loco, sed nescio de quali tu dicis. Ego dico tibi, mensuras et coherentias non oportet consignare. Ego habeo duas petias de terra in ipso loco, vel quatuor, quae habent ipsas coherentias. Nescio de quali tu dicis, non potest evadere, quod non vadat consignare. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de quanta terra tu tenes in Regaliis, et tu malo ordine eum disvestisti. Terram habeo in ipso loco, sed nescio de quali tu dicis, quia habeo in ipso loco per allodium,

et beneficium, et per libellum. Vadat consignare. Petre te appellat Martinus, quod ipse vel filius suus agendo caussam eius sui filii, vel suae uxoris, quod ipsa sua uxor fuit investita, vel filius suus fuit investitus ad proprium de petia una de terra, quae est in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti, vel uxor tua vel filius tuus, vel servus tuus. Et terra, quam tu dicis, mea propria est, vel uxoris meae, vel filii mei. Et ego te malo ordine non disvestivi, vel uxor mea, vel filius meus, vel servus meus. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de una petia de terra, quae iacet in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. Non tibi respondeo, quia ipsa terra non est mea, sed est de meo barbano. Fac mihi inde finem. Non faciam, quia si ipse fuerit mortuus, ego debeo venire ad successionem. Vel ita: Ipsa terra non est mea, sed est Martini, et ego te malo ordine non disvestivi. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de petiis tribus de terra, quae iacet in tali loco. Et tu malo ordine eum disvestisti. Non tibi respondeo, quia ecce charta, quam tu mihi fecisti, aut pater tuus. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de una petia de terra, quae iacet in tali loco. Et tu malo ordine eum disvestisti. Ego habeo ipsam terram venditam ad Martinum. Probet qui habet venditam, et dicat, quod in ipsa hora, quando vendidit, sua propria erat, et malo ordine eum disvestivit. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de una casa solariata cum area, ubi exstat, cum scala petrea iuxta se habita cum corte et puteo, seu broilo, omnia in uno tenente, quae iacet in tali loco. Et tu malo ordine eum disvestisti. Non tibi respondeo, quia tu fuisti iudicatus ad mortem, aut fecisti raptum, aut furtum, aut incendium, aut periurium, aut es servus de Donato, aut fecisti homicidium, aut mihi inde finem fecisti. Aut probet, aut emendet bannum, et respondeat. De ceteris quidem emtionibus similiter. Cuius placiti vadimonia per usum debent esse cum fideiussoribus taciti poena. Sacramenta quidem ita. Appellator iuret. De hoc unde te appellavi, quod ego fui investitus ad proprium de una petia de terra, quae iacet in tali loco, et tu malo ordine me disvestisti. Me sciente de torto te non appellavi. Si Deus. Appellatus ita. Ea terra, unde tu me appellasti, mea propria est, et ego te malo ordine non disvestivi. Si Deus. Vel ita: De hoc unde Martinus appellavit Iohannem, quod ipse Martinus fuisset investitus ad proprium de petia una de terra, quae iacet in tali loco, et Iohannes eum disvestisset malo ordine, se sciente eum de torto non appellavit. Sic Deus. Ea terra, unde Martinus appellavit Iohannem, propria est Iohannis, et ipse Iohannes eum Martinum malo ordine non disvestivit. Sic Deus. Poena quidem est talis. Appellatoris, si victus fuerit, ut terram refutet, widrigild solvat, et secundum legem victori emendet. Appellati, ut bannum solvat, widrigild donet, et secundum legem appellatoris ostendat.

III. De ecclesiarum rebus, ut per advocatos fiat, similiter iubemus. II. 55. 34.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Rufini, unde tu es Advocatus, tenet sibi terram malo ordine in tali loco. Ipsa terra propria est de monasterio per chartam, quam fecit pater tuus. Et ecce charta. Falsa est ipsa charta. Petre te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Rufini, unde tu es Advocatus, tenet sibi terram malo ordine in tali loco. Ipsa terra propria est de monasterio per chartam, quam fecit Petrus. Et ecce charta. Et quid tibi pertinet per chartam, quam mihi fecit ipse Petrus? Tunc qui

habet anteriorem chartam dicat: Tua charta contra legem est, quia postquam fecit mihi unam traditionem, non potuit facere alteram. Tunc ipse, qui habet posteriorem, dicat de anteriori: falsa est ipsa charta. Petre te appellat Martinus, quod pars monasterii S. Rufini, unde tu es Advocatus, tenet malo ordine terram in tali loco ad partem ecclesiae S. Petri, unde ipse est Advocatus. Ipsa terra propria est de monasterio per chartam, quam fecit Donatus. Et quid pertinet ad ecclesiam S. Petri? Per chartam, quam fecit ipse Donatus. Ipse, qui habet posteriorem chartam, dicat anteriorem falsam. Tunc ille, cuius charta falsa vocata est, dicat: quomodo vis ut clarefacta fiat? Si adversarius responderit: per pugnam; interrogetur. Vis ei adardire, ut illa charta sit falsa? Volo. Et tu vis eam defendere? Volo. Vadiate pugnam. Et quae vadimonia debent esse tacita poena cum fideiussoribus. Cuius placiti sacramenta sunt. Falsatoris, ut ponens chartam supra Missale dicat: De hoc, quod ego appellavi hanc chartam esse falsam, me sciente nihil aliud nisi verissimam et veram rationem exquiro in omnibus modis: Si Deus. Falsati ita quidem. Haec charta vera et idonea est: Si Deus. Poena imminet utrique falsatori victo, ut rem refutet, et secundum obligationem chartae persolvat; nisi aliquando si intentio fuerit inter duas chartas manum perdat, aut redimat. Et si est appellatus bannum tribuat falsato victo, ut rem amittat, widrigild suum componat, bannum solvat, quando est appellatus. Si vero falsator voluerit, ut res per sacramentum finiatur, fit ut superius diximus.

IV. Si quis per se ipsum, aut per suum nuncium, quicquam alicui deposuerit, et depositum, cupiditate victus, negaverit, si XX. solid. pretium fuerit, ut per pugnam veritas decernatur, edicimus. II. 55. 35.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi tanta mobilia quae valebant solidos CLX. Viginti solid. tantum mihi deposuisti, sed non plus. Hoc sciatis, qualiter in hoc, quod dixerit, tantum mihi deposuisti, sed non plus. Si illud, quod negaverit, fuerit pretii XX. solidorum, aut eo amplius, tunc per bellum lis finiatur. Si vero subtus XX. solid. fuerit, tunc per sacramenta res currat. Petre te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi per suum Missum tanta sua mobilia, quae valebant solid. XX. De torto me appellasti. Vis ei adardire? Volo. Vadiate pugnam. Petre te appellat Martinus, quod suus pater Arnaldus, sua uxor Alda, Martinus suus servus, aut Arnulfus suus filius, deposuerint tibi per se ipsos, aut suos Nuncios XX. solidos. De torto me appellasti. Aut X. mihi deposuerunt, plus non. Potes ei probare, ut totos XX. solidos ei deposuisses? Si dixerit: possum; approbet. Si vero: non: tunc appellatus det ei vadimonia, si se recordatus fuerit, quod emendabit, ut rectum est. Si non, ut se exdicat. Quae vadimonia debent esse cum fideiussoribus tacita poena. Cuius placiti sacramenta sunt ita. Appellator: De hoc, unde te appellavi, quod ego deposuissem tibi per me, vel per meum nuntium XX. solidos, vel quod uxor mea, vel filius meus, vel servus meus tibi deposuissent per se ipsos, aut suos nuntios X. solidos, me sciente de torto te non appellavi. Si Deus. Appellatus iuret: de hoc unde appellasti me, quod tu, vel uxor tua, vel filius tuus, vel servus tuus deposuissetis per vos, vel per Missos vestros XX. solidos mihi, de torto me appellasti. Si Deus. Poena vero utrisque imminet. Appellatori victo quidem, si Romanus est appellatus, ut multetur decima parte litis. Ceteri quidem, et idem Romanus Appellator victi widrigild per manus incisionem caussa extante periurio poena feriantur. Appellati quidem si Romanus est victor, ut depositum du-

plicent, si inficiantur dolum ex quatuor casibus depositi. Ceteris item et Romano, ut bannum persolvant, widrigild tribuant, et depositum secundum legem victori emendent.

V. Si quis dixerit, quod per vim de praedio chartam alicui fecerit, per pugnam veritas decernatur, edicimus. II. 55. 36.

FORM. Petre te appellat Martinus quod tu tenes malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per chartam, quam tu mihi fecisti. Et ecce charta. Ego feci ipsam chartam, sed per virtutem. Non fecisti. Vis ei probare? Volo. Vadiate pugnam. Quae vadimonia debent esse cum fideiussoribus tacita poena. Cuius placiti sacramenta sunt ita: Appellator ita iuret. Ponat chartam iuxta Missale, et tangens dicat: Ego hanc chartam per virtutem feci: Si Deus. Appellatus ita: Chartam hanc tu per virtutem non fecisti: Si Deus. Interea donec ipsi bellaverint, charta commendetur Potestati ea conditione, ut si appellator vicerit, charta incidatur. Si vero appellatus, charta ei reddatur, et ostendens chartam in iudicio per notitiam securitatem accipiat, vel per promissionem refutationis. Et si charta perdita apud Potestatem fuerit, tamen uterque iusticiam suam consequatur. Si vero appellatus dixerit: Ecce charta, quam pater tuus mihi fecit; et appellator dixerit: Illa charta nihil mihi impedit, quia pater meus fecit eam per virtutem, approbet appellator hoc ita esse. Si vero approbare non potuerit, et appellatus iuraverit illam chartam per virtutem non esse, vel probare Appellator quidem incipiens, et contraria probatione victus fuerit ipse Appellator, sit, ut superius diximus. At si Appellator dixerit, chartam esse falsam, sit, ut superius diximus. Poena quidem utrisque immineat. Appellatori quidem, ut emendet secundum obligationem chartae, et widrigild poena feriatur pro manus incisione. Appellato vero, ut rem et pretium perdat, bannum persolvat, et widrigild tribuat.

VI. De furto aut schalcho *r*), si ultra VI. *s*), solid. fuerit, similiter ut per pugnam veritas inveniatur, praecipimus. II. 55. 37.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod ipse habeat certam suspicionem, quod tu fuisti fur de tanto suo mobili, quod valebat sol. VI. et I. denarium; aut collega furis. Petre te appellat Martinus, quod tu tulisti sibi ad schacum tanta sua mobilia, quae valebant sol. VI. et I. denarium. De torto me appellasti. Vis ei adardire? Volo. Et tu vis te defendere? Volo. Vadiate pugnam. Quae vadimonia habentur, si fideiussores tacita poena. Cuius placiti sacramenta ita sunt: Appellator ita iuret: De hoc unde ego te appellavi, non quaero te astu animo per pugnam fatigare, sed me sciente habeo certam suspicionem, quod tu tulisti mihi furtive tantum, vel quod fuisti collega furis de tanto. Si Deus. Appellatus: De hoc unde me appellasti, ego tibi furtive non tuli, vel non fui collega. Si Deus. Hoc si Longobardus. Ceteri vero omnes de furto, et schaco, Longobardus de solo schaco iuret: De hoc unde te appellavi, quod tu fuisses fur, aut collega furis de tanta mea substantia, quae valebant XX. sol. aut quod tu tulisses mihi ad schacum tanta mea mobilia, quae valebant X. solid. me sciente, de torto te non appellavi. Si Deus. Appellatus ita: De hoc unde tu me appellasti, quod ego fuissem fur de tanta substantia tua, quae valebant decem solid. aut collega furis, aut ego ad schacum tulissem tibi, de torto me appellasti. Si Deus.

---

r) Al. Codd. *Scacho; schacho.* *s*) Un. Cod. *VII. sol.*

Poena vero talis est: Actoris si victus fuerit widrigild porrigat, et secundum legem appellati se emendet. Appellati, si latro est, ut poenam corporalem sustineat, aut oculi, aut nasi, aut mortis. Uterque et latro, et schacator bannum solvat, widrigild tribuat, et furtum, et schacum secundum legem ipsius, cui negligentiam commisit, emendet.

VII. Si quis equum suum, vel cetera animalia, sive rem suam super aliquem repererit *t*), et ipse se warentem dare dixerit, statim iuret, ut *u*) ad certum warentem eum conducat, et super tertium warentem, et tertium comitatum non procedat *v*). Et si hoc facere noluerit, rem perdat, et secundum legem componat. II. 28. 5.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod ipse intertiavit tibi unum suum caballum, aut aliam rem. Non mihi intertiasti. Si potest, approbet Appellator. Si non, iuret Appellatus, quod ipse sibi non intertiavit. Si dixerit; intertiasti mihi; statim iuret, quod ad certum warentem eum conducat. Interea vadeat ad warentem, et dicat sibi intertiaturam rei, quam sibi tradiderat. Ille tunc warens det ei vadimonia de stando in auctoritate, et reddendo pretio. Hic vero det ei vadimonium de conducendo intertiatorem ad eum ad placitum appellando, et reddendam rem. Et hoc fit, si confessus fuerit warens, se tradidisse. Si vero non fuerit, tamen hic vadat cum intertiatore ad eum cum re. Et cum venerit ad warentem, interroget: tradidisti mihi hanc rem? Si dixerit: non; campo contendat, vel approbet, cui res intertiata est. Et post vadat placitum, veluti si statim confessus fuerit, se esse warentem. Sed campo contendere, vel probare si non potuerit, tunc ille, qui warens dicebatur, iuret se non tradidisse. Tunc ille, cui res intertiata est, componat, ut latro, nisi alium warentem dederit. Si vero dixerit warens: Sum; tunc accipiat rem reddito pretio. Tunc intertiator dicat ad warentem: quid tibi pertinet? Petrus mihi vendidit. Similiter poenae persecutum sit usque ad tertium. Postea interroget tertium, quid tibi pertinet? Habeo warentem Martinum. Hoc dico: non debeo ire super tertium warentem, et tertium Comitatum. Tunc Appellator iuret, quod suus proprius est, nec vendidit, nec donavit, quod per legem perdere debet; sed furtive ei abstractus est. Tunc tertius warens iuret, quod nec latro fuerit, nec collega latronis, sed cum suo proprio pretio comparavit, et reddat rem. Si vero responderit, equum esse natum de suo iumento, approbet et retineat; vel solus iuret et retineat; et hoc per usum. Si vero a probatione ceciderit, vel iurare noluerit, teneatur ut latro, nisi reversus fuerit ad warentem. Et tunc fit, ut supra dixi. Hoc omne fit, secundum quosdam vanos.

VIII. Laicorum vero nullum, praeter Comitem, in solis ecclesiasticis rebus Advocatum habere *w*) permittimus. II. 47. 10.

IX. Si quis alium ad servitium appellaverit, per pugnam veritas inveniatur, edicimus.

X. Quacumque Lege, sive etiam Romana, in omni Regno Italico homo vixerit, haec omnia, ut in his capi-

---

t) Herold. *repetierit.*
u) Herold. *statim ut.*
v) Herold. *comitatum praecedat.*
w) Un. Cod. *nullum, praeter Comes, in solis ecclesiasticis rebus advocatorem haberi.*

tulis, per pugnam decernimus observare; ita tamen, ut si eorum *x*) iuvenilis aut decrepita aetas, seu infirmitas pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnatorem ponere, et alteri similiter facere *y*). II. 55. 38.

XI. Ut ecclesiae, seu Comites, et viduae lites suas de his, quae in suprascriptis capitulis continentur, per consimiles Advocatos *z*) per pugnam dirimant. Ceteri vero natura liberi, secundum legem pristinam, per semetipsos respondeant, et determinent. II. 55. 40.

XII. Si servus propter appetitum libertatis liberum se vocaverit, liceat domino, si sibi *a*) melius visum fuerit, propter difficultatem approbationis insidiosae, aut per se, aut per suum campionem litem dirimere. Liceat autem servo pro se campionem dare, si morbus aut aetas eum pugnare prohibuerit. II. 55. 39.

XIII. Diaconorum *b*), Episcoporum, Presbyterorum filios, Notarios, Sculdasios, Comites, Iudices fieri omnibus modis prohibemus *c*). III. 40. 1.

---

x) Un Cod. *ei omnia, sicut in his capitulis per pugnam decrevimus, servare praecipimus. Ita tamen, ut si eorum unum etc.* Herold. *haec omnia, ut in his Capitulis per pugnam decernimus, observare praecipimus, ita tamen, ut si quem eorum etc.*

y) Herold. *et alter similiter faciat.* Un Cod. addit: *Si dubitatio fuerit de infirmitate, iuret, quod talem infirmitatem habet, propter quam pugnare non valet.*

z) Al. Codd. *Advocatores.*

a) Un. Cod. *sibi ita.*

b) Ista lex a Baluzio ad Lotharium I. refertur.

c) Un. Cod. addit:

Imperator Conradus A. Romanis iudicibus.

Audita controversia, quae hactenus inter vos et Langobardos iudices versabatur nulloque termino quiescebat, sancimus, ut quaecumque admodum negotia mota fuerint, tam inter romanae urbis moenia, quam etiam de foris in romanis pertinentiis actore Langobardo, vel reo, a vobis duntaxat romanis legibus terminentur, nulloque tempore reviviscant.

Explicit Liber III. Legis Langobardorum.

OTTONIS III. AUGUSTI LEX *d)*.

OTTO TERTIUS.

Festorum placito *e)* Rex Tertius invidet Otto.

I. Quotidie contra Leges agitur; quotidie malum mali facere non verentur. Ideo per hanc legem per omne aevum divinitate propitia valituram edicimus *f)*, ut toto anni tempore liceat Iudicibus causas agere, lites dirimere, tumultus quaestionum determinare et diffinire, ut qui quotidie legem offendunt, quotidie legis sententia feriantur. Nec enim tempore messis, vel vindemiarum, legis edictum effugere debent, qui in nullo tempore peccare desierunt. Bene enim facere, verum dicere, iustitiam amare, rectum iudicare, omni tempore licuit, semperque licebit, quia a bonis nunquam, a malis autem operibus semper requiescendum esse, catholice didicimus: et hoc iugiter conservandum Deo auctore, et Imperiali maiestate decernimus. David autem Rex et Propheta dicit: Beati, qui custodient iudicium, et faciunt iustitiam in omni tempore. In natali vero Domini, et in Epiphania, et in statutis ieiuniorum diebus, in diebus quadragesimalibus, in Pascha et in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Dominicis diebus, et in festis praecipuis, iudiciarios motus exequi, publicas quaestiones appeti, ut hae solemnitates, quae sunt christianorum *g)*, cum omni vigilantia celebrentur, penitus prohibemus *h)*. II. 49. 2.

---

d) Et ista lex apud Heroldum tribuitur Ottoni I.

e) Murat. *Romae Sindonico.*

f) Herold. *esse adiicimus.*

g) Al. Codd. *quod christianorum est.*

h) Al. Codd. addunt: *Haec sunt festivitates praecipuae in anno, quae per omnia venerari debent. Natalis Dni, S. Stephani, S. Iohannis Evangelistae, Innocentium, Octavae Domini, Octavae Epiphaniae, Purificationis S. Mariae, Paschae dierum octo, Letaniae maioris, Ascensionis Domini, Pentecostes, S. Iohannis Baptistae, Octavae Apostolorum maxime tamen SS. Petri et Pauli, Dedicationis S. Archangeli Michaelis, S. Martini, Assumtionis S. Mariae.*

tulis, per pugnam decernimus observare; ita tamen ut si eorum *x*) iuvenilis aut decrepita aetas, seu infirmitas pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnatorem ponere, et alteri similiter facere *y*). II. 55. 38.

XI. Ut ecclesiae, seu Comites, et viduae lites suas de his, quae in suprascriptis capitulis continentur, per consimiles Advocatos *z*) per pugnam dirimant. Ceteri vero natura liberi, secundum legem pristinam, per semetipsos respondeant, et determinent. II. 55. 40.

XII. Si servus propter appetitum libertatis liberum se vocaverit, liceat domino, si sibi *a*) melius visum fuerit, propter difficultatem approbationis insidiosae, aut per se, aut per suum campionem litem dirimere. Liceat autem servo pro se campionem dare, si morbus aut aetas eum pugnare prohibuerit. I. 55. 39.

XIII. Diaconorum *b*), Episcoporum, Sresbyterorum filios, Notarios, Sculdasios, Comites, Iudices fieri omnibus modis prohibemus *c*). III. 40. 1.

---

x) Un. Cod. *ei omnia, sicut in his capitulis per pugnam decrevimus, servare praecipimus. Ita tamen, ut si eorum unum etc.* Herold. *haec omnia, ut in his Capitulis per pugnam decernimus, observare praecipimus, ita tamen, ut si quem eorum etc.*

y) Herold. *et alter similiter faciat.* Un. Cod. addit: *Si dubitatio fuerit de infirmitate, iuret, quod talem infirmitatem habet, propter quam pugnare non valet.*

z) Al. Codd. *Advocatores.*

a) Un. Cod. *sibi ita.*

b) Ista lex a Baluzio ad Lotharium I. refertur.

c) Un. Cod. addit: *Imperator Conradus A. Romanis iudicibus.*
Audita controversia, quae hactenus inter vos et Langobardos iudices versabatur nulloque termino quiescebat, sancimus, ut quaecumque admodum negotia mota fuerint, tam inter romanae urbis moenia, quam etiam de foris in romanis pertinentiis actore Langobardo, vel reo, a vobis duntaxat romanis legibus terminentur, nulloque tempore reviviscant.
Explicit Liber III. Legis Langobardorum.

OTTONIS III. AUGUSTI LEX *d*).

OTTO TERTIUS.

Festorum placito *e*) Rex Tertius invidet Otto.

I. Quotidie contra Leges agitur; quotidie malum mali facere non verentur. Ideo per hanc legem per omne aevum divinitate propitia valituram edicimus *f*), ut toto anni tempore liceat Iudicibus caussas agere, lites dirimere, tumultus quaestionum determinare et diffinire, ut qui quotidie legem offendunt, quotidie legis sententia feriantur. Nec enim tempore messis, vel vindemiarum, legis edictum effugere debent, qui in nullo tempore peccare desierunt. Bene enim facere, verum dicere, iustitiam amare, rectum iudicare, omni tempore licuit, semperque licebit quia a bonis nunquam, a malis autem operibus semper requiescendum esse, catholice didicimus: et hoc iugiter conservandum Deo auctore, et Imperiali maiestate decernimus. David autem Rex et Propheta dicit: Beati, qui custodient iudicium, et faciunt iustitiam in omni tempore. In natali vero Domini, et in Epiphania, et in statutis ieiuniorum diebus, in diebus quadragesimalibus, in Pascha, et in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Dominicis diebus, et in festis praecipuis, iudiciarios motus exequi, publicas quaestiones appeti, ut hae solemnitates, quae sunt christianorum *g*), cum omni vigilantia celebrentur, penitus prohibemus *h*). II. 49. 2.

---

d) Et ista Lex apud Heroldum tribuitur Ottoni I.

e) Murat. *Romae Sindonico.*

f) Herold. *esse adiicimus.*

g) Al. Codd. *quod christianorum est.*

h) Al. Codd. addunt: *Hae sunt festivitates praecipuae in anno, quae per omnia venerari debent. Natalis Dni, S. Stephani, S. Iohannis Evangelistae, Innocentium, Octavae Domini, Octavae Epiphaniae, Purificationis S. Mariae, Paschae dierum octo, Letaniae maioris, Ascensionis Domini, Pentecostes, S. Iohannis Baptistae, Octavae Apostolorum maxime tamen SS. Petri et Pauli, Dedicationis S. Archangeli Michaelis, S. Martini, Assumtionis S. Mariae.*

HENRICI I. AUGUSTI LEGES.

HENRICUS I.

Henricus Dei gratiae miseratione *i*) Romanorum Imperator Augustus. Omnibus nostris fidelibus praesentibus etiam et futuris notum fieri volumus, quod semper Reipublicae providentes, quae digna sunt, probabilium personarum nostri imperii fidelium acceptione disponimus. Cum tempore Autumni in parte Erisantiae nostri regni pro utilitate multimoda moraremur in civitate Argentina, quae vulgari nomine Transburg vocatur, multorum prolatum est ad nos *k*), quod plurimi tunc erant, qui sub occasione his periculis laborant, unde etiam digna provisione omnibus succurrentes, attestatione laudis quamplurium nobis adstantium fidelium Archiepiscoporum, Mediolanensis videlicet, et Ravennensis *l*), Episcoporum quoque Transburgensis, Placentini, Cumani, Vercellensis, Parmensis, Aquensis, Lunensis, Vulterensis, Marchionum quoque et Comitum Italiensium, nobilium vero multorum, Vasallorum *m*), Sapientum, et Iudicum inter multa, quae Reipublicae congruebant, tria capitula inseruimus; quae ut ab omnibus nostri Imperii observentur, stabilique observatione teneantur, amodo et deinceps statuimus, iubemus et firmiter praecipimus. Haec sunt, quae inviolabiliter observari iubemus.

Regis Heinrici laetantur lege mariti.

I. Quicumque ex quacumque natione legitimam uxorem acceperit, si eam mori contigerit sine filiis amborum eorum, vir uxori suae succedat, et omnia bona eius percipiat. II. 14. 29.

II. Quicumque propter cupiditatem rerum, patrem aut matrem, aut fratres, aut sorores, vel nepotem, aut aliquem suum propinquum per se aut per alium interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat:

---

i) Un. Cod. *gratia divinae miserationis.*

k) Un. Cod. *disponimus. Cum enim pro excellentia nostri regni et pro utilitate multimoda demoraremur in civitate Argentina, quae vulgari nomine Straburge vocatur, multorum perlatum est ad nos relatione etc.*

l) Un. Cod. *Treverensis.*

m) Un. Cod. *Vavassorum.*

hereditas vero interfectoris in fiscum redigatur, ipse vero ordinante Episcopo publicae poenitentiae subdatur. Quod si ille, cui crimen immittitur, negare voluerit, per se pugnam faciat, nec liceat campionem pro se dare, nisi decrepita aetas aut iuvenilis, aut infirmitas pugnare prohibuerit. *n*) I. 10. 4.

FORM. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte publica, quod tu occidisti Marquardum tuum patrem per cupiditatem, aut interfici fecisti. Non placet Deo. Vis ei adardire? Volo. Vadiate pugnam. Quae vadimonia debent esse cum fideiussoribus tacita poena. Cuius placiti Sacramenta ita esse debent. Advocatus iuret: De hoc unde te appellavi, me sciente de torto te non appellavi. Appellatus ita: De hoc unde tu me appellasti, de torto me appellasti. Et haec responsio debet esse tantum, dum Advocatus adardiat ei bellum. Si vero Advocatus non vult ei adardire, tunc Appellatus iureiurando secundum suam legem se defendat, ita ut Advocatus antea non iuret. Et hoc per usum. Et hoc debet esse in omnibus appellationibus. Ibi utraque esse possunt. Si vero tantum sacramenta esse debent, tunc Appellatus iuret secundum suam legem absque sacramento advocati. Petre te appellat Martinus, quod occidisti Marculphum suum patrem et tuum per cupiditatem, aut interfici fecisti. De torto me appellasti. Vis ei adardire? Volo. Et tu vis te defendere? Volo. Vadiate pugnam. Si vero appellator is noluerit adardire, tunc iuret, ut supra dictum est. Et appellatus similiter, ut supra. Sacramentales vero iurent. Hoc, quod appellatus iuravit, verum iuravit. Si Deus. Poena vero imminet utrisque talis. Advocato victo, ut manum perdat, aut redimat, et propinquo similiter. Appellato, ut non habeat hereditatem interfecti; suam quidem perdat, bannum solvat, manum amittat, aut redimat, idest, ut widrigild tribuat, et ordinante Episcopo publicae poenitentiae subdetur. Si vero lis per sacramenta ab utrisque finiatur, nulla poena eis immineat. Si vero Advocatus, vel parens, iuraverint, et reus se purificare ausus non fuerit, tunc supradictam poenam substineat praeter widrigild.

III. Qui vero infra treugam post datum *o*) osculum pacis, aliquem hominem interfecerit, et negare voluerit, pugnam pro se *p*) faciat, nec campionem pro se dare debet *q*), nisi sicut dictum est supra. Si vero convictus fuerit, manum, quae homicidium fecit, amittat. *r*). I. 9. 38.

FORM. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Donatum suum patrem infra trewam, vel infra datum osculum pacis. De torto me appellasti. Vis ei adardire? Volo. Et tu vis te defendere? Volo. Vadiate pugnam. Cuius placiti sacramenta ita sunt. Appellator iuret: De hoc, unde te appellavi, quod tu occidisti patrem meum Donatum infra trewam, vel infra datum osculum pacis, me sciente de torto te non appellavi: Si Deus. Appellatus ita: De hoc, unde tu me appellasti, quod ego occidissem patrem tuum infra trewam, de

---

o) Al. Codd. *trevam vel datum.*

p) Al. Codd. *per se.*

q) Un. Cod. *nec liceat ei camphionem pro se dare.* Alt. *nec campionem pro se dabit.*

r) Herold. istam legem tribuit Henrico II.

torto me appellasti. Si Deus. Si vero appellator noluerit adardire, tunc lis finiatur per sacramenta, ut superius diximus. Poena vero utrisque imminet. Appellatori vero, si victus fuerit, ut manum perdat, aut redimat. Appellato, ut bannum solvat, manum perdat, et homicidium secundum legem emendet.

CONRADI I. AUGUSTI LEX.

Haec Lex Conradi circumdata milite vadit.

In nomine Sanctae et individuae Trinitatis. Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus salutem omnibus. Sanctae Dei ecclesiae fidelibus, nostrisque tam praesentibus, quam futuris, notum esse volumus, quod ad reconciliandos animos Seniorum et Militum, ut invicem semper inveniantur concordes, et ut fideliter et perseveranter nobis et suis senioribus serviant devote, praecipimus, et firmiter statuimus, ut nullus Miles Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, Marchionum vel Comitum, vel omnium, qui beneficium de nostris publicis bonis, aut de ecclesiarum praediis nunc tenent, aut tenuerint, aut hactenus iniuste perdiderint, tam de nostris maioribus Valvassoribus *s*), quam eorum militibus, sine certa et convicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum consuetudinem Antecessorum nostrorum, et iudicium Parium suorum. Et si contentio emerserit inter eniorem et Militem, quamvis Pares adiudicaverint, illum suo beneficio carere debere, et ille dixerit, hoc iniuste vel odio factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec Senior et ille, quem culpat, cum Paribus ad nostram praesentiam veniant, et ibi caussa iuste determinetur *t*). Si autem Pares eius culpati in iudicio Seniorum *u*) defecerint, ille qui culpatur, suum beneficium teneat, donec ipse cum suo Seniore et Paribus ad nostram praesentiam veniat. Senior vero et miles eius *v*), qui culpatur, qui ad nos venire debuerint *w*), sex hebdomadas ante,

s) Un. Cod. *Vauassoribus.*

t) Un. Cod. *cum paribus suis veniant ante nostram praesentiam et ibi causa iuste terminetur.*

u) Un. Cod. *senioribus.*

v) Un. Cod. *aut miles eius.*

w) Un. Cod. *decreverit.*

quam iter incipiat, ei cum quo litigaverit, innotescant. Hoc autem de maioribus Valvassoribus observetur. De minoribus vero in Regno nostro, aut ante Seniores, aut ante Missum nostrum eorum caussa finiatur. Praecipimus etiam, ut cum aliquis eius miles *x*), sive de maioribus, sive de minoribus, de hoc seculo migraverit, filios eius beneficium tenere. Si vero filios non habuerit, et aviaticum *y*) ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, servato usu maiorum Valvassorum, in dandis equis et armis suis Senioribus. Si vero forte aviaticum *z*) ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris reliquerit, et Seniorem offensum habuerit, et sibi vult satisfacere et miles eius esse *a*), beneficium, quod patris sui fuit, habeat. Insuper et omnibus modis prohibemus, ut nullus senior de beneficio suorum militum cambium, aut precariam, aut libellum sine eorum assensu facere praesumat: illa vero quae tenent proprietario iure, aut per praeceptum suum, sive *b*) per rectum libellum, sive per precariam, nemo eos iniuste devestire audeat. Fodrum *c*) vero de castellis, quod nostri Antecessores habuerunt, habere volumus: illud vero quod non habuerunt, nullo modo exigimus. Si quis autem hanc iussionem nostram infregerit, auri optimi libras C. componat, medium Camerae nostrae, et medium cui damnum illatum fuerit. At si quis aurum non habuerit, nostra sententia feriatur, ut nobis placuerit. III. 8. 4.

HENRICI II. AUGUSTI LEGES.

HENRICUS SECUNDUS.

Ne Clerici iurent, Lex praecipit ista secundi
Henrici Regis: Huic regi Clerus dicto paret.

I. Henricus divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus. Quoniam in legibus *d*) cautum est, ut

---

x) Un. Cod. *cum aliquis miles.*
y) Herold. *habiaticum.* Al. Cod. *Abiaticos — habeant.*
z) Un. Cod. *nepotes.*
a) Un. Cod. *effici.*
b) Un. Cod. *praecepta sive.* Herold. *praeceptum, sive etc.*
c) Al. editt. *frodum.*
d) Un. Cod. *Omnibus in legibus.*

nemo clericorum iurare praesumat; alibi vero reperitur scriptum, ut omnes principales personae in primo litis exordio subeant iusiurandum calumniae; nonnullis legis peritis res venit in dubium, utrum clerici iusiurandum praestare debeant, aut aliae personae hoc officium liceat delegare. Quia enim illius constitutionis edictum, ubi Clerici iurare prohibentur, a Marco Augusto *e*) constitutum est; propterea quia de Constantinopolitanis clericis promulgatum fuisse videtur, idcirco ad alios clericos pertinere non creditur. Ut ergo haec dubietas omnibus penitus auferatur, illam Divi Marci *f*) constitutionem ita interpretari debere decernimus, ut ad omnium ecclesiarum clericos generaliter pertinere iudicetur. Nam cum divus Iustinianus iure decreverit, ut Canones Patrum vim Legum habere oporteat, et in nonnullis Patrum Canonibus reperitur, ut Clerici iurare non audeant *g*), dignum est, ut totus clericalis ordo *h*) a praestando iureiurando immunis esse procul dubio censeatur. Quapropter nos, utriusque videlicet divinae et humanae legis intentione servata, decernimus et imperiali auctoritate inretractabiliter diffinimus, ut nec Episcopi, nec Presbyteri, nec cuiuscunque ordinis clericus, non Abbas, non aliquis Monachus, vel Sanctimonialis, in quacunque controversia, sive criminali, sive civili, iusiurandum qualibet ratione compellatur subire: sed Advocatis suis propriis idoneis hoc officium debeant delegare. II. 47. 11.

II. Henricus divina pietate secundus Romanorum Imp. August. *i*). Decet Imperialem solertiam Reipublicae curam ita agere, ut sic solicitetur erga praesentia, quatenus ea quoque diligenter provideat, quae posteris sint utilia atque profutura. Id autem tunc satis competenter agitur, cum bonis virtutis praemium, impiis autem digna ultio, sibi ad vindictam, aliis ad exemplum recompensatur. Sed quoniam omnia, quae mundus habet, humanum genus excellit, de eius salute tanto praecipue curandum est, quanto manifestius constat, quod omnipotens quoque Deus pro redemtione eius Unigenitum suum filium ab aeterna sede divinitatis suae in terram misit. Quapropter quoniam plerosque, proh dolor! veneficio ac diverso genere furtivae mortis perire audivimus, super hoc dum in Regni universali *k*) conventu Longobardorum sederemus, huiusmodi

e) Al. Codd. *a Theodosio Augusto Tauro Praefecto Praetorio.*

f) Al. Codd. *Theodosii.*

g) Al. Codd. *et in nullis Patrum canon. reper., ut clerici iurare audeant.*

h) Herold. *catholicus ordo.*

i) Al. Codd. *Augustus, omnibus Langobardis.*

k) Al. Codd. *dum Turegi in universali.*

legem Episcoporum, Marchionum, Comitum, aliorumque multorum nostrorum fidelium consensu, et auctoritate nostra adprobatam sancimus. Quicumque veneficio, seu quolibet modo furtivae mortis aliquem *l*) peremerit, aut inde consentiens fuerit, mortis sententiam incurrat, omniumque suarum rerum mobilium et immobilium facultatem amittat: ita tamen, ut pretium X. librarum auri pro legitimo widrigild propinquis parentibus peremti primum inde detur *m*): reliqua rursus medietas eius *n*) propinquis veniat, altera autem medietas ad Fiscum accedat. Si quis vero praedicti criminis aut de facto, aut de consensu accusatus negare voluerit, aut per duellum, si liber est, si vero servus, per iudicium ferventis aquae defendat se, aut in similem sententiam incurrat. Ad hoc autem volumus, nostraque Imperiali auctoritate sancimus, ut quicumque hominibus praedicti reatus noxiis refugium, aut subsidium aliquod praebuerit, omnis possessio eius in publicum perveniat: ipse vero nostram omniumque nostrorum indignationem incurrat *o*).

I. 9. 39.

III. Henricus divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus omnibus hominibus. Quoniam nobis divinae pietatis providentia imperialis officii curam commissam credimus, nos quoque erga ea, quae ad Christianas religiones pertinent, et ad cultum iustitiae iugiter solicitari debemus. Quapropter cum in Regni *p*) universali conventu nostrorum fidelium principum Italicorum sederemus, orta quaestione de illicitis coniugiis, consilio nostrorum Principum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Marchionum, Comitum, ac iudicio Iudicum, seu consensu omnium iudicantium huiusmodi sententiam diffinivimus, omnia scilicet, quae sancti Canones, et sacrae leges nostrorum praedecessorum inde statuerunt, summa auctoritate confirmamus, et insuper nostro Imperiali iure addimus, ut quicunque seu in legitima aetate, sive infra legitimam aetatem uxorem duxerit, vel desponsaverit, si morte praeventus fuerit, nulli propinquorum suorum liceat viduam, vel desponsatam illius uxorem ducere. Quod si quis hoc fecerit, tam mulier, quam vir, ex hac lege exhereditati sint, omniumque bonorum eorum amittant facultatem, et medietas propinquis parentibus legitimis hereditario iure, et altera *q*) medietas ad fiscum deve-

---

l) Herold. *modo furtive aliquem.*

m) Al. editt. *peremti, praemium detur.*

n) Al. Codd. *eisdem propinquis.*

o) Un. Cod. addit: *nisi se defenderit, ut diximus.*

p) Al. Codd. *cum Turegi in etc.*

q) Herold. *prop. parentibus et altera.*

niat: et quicumque ex huiusmodi coniugio natus fuerit, ipse quoque sicut parentes sui, ex hac lege exheredatus sit. II. 8. 14.

Editio Heroldi duo, quae sequuntur, capitula addit.

De spreta Maiestate.

VI. Henrichus divina pietate II. Romanorum Imperator, Augustus. Omnem decoris ac solertiae Imperialis ac praesentiae contemptorem, capitali damnare sententia convenit *r*). II. 54. 3.

Quando liceat alterius clericum accipere vel non.

VII. Ut nulli Episcopo liceat, alterius clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu sine dimissoria Episcopi sui de cuius parrochia est.

LOTHARII II. AUGUSTI LEX *s*).

LOTHARIUS II. IMPERATOR.

Divina favente clementia Imperator Hlotharius Romanorum, pius, felix, inclytus, triumphator semper Augustus cum universo populo. Imperialis benevolentiae proprium indicamus, commoda subiectorum investigare, et eorum diligenti cura mederi calamitatibus, simul publicum bonum et statum ac dignitatem Imperii omnibus privatis commodis praeponere. Quocirca omnium fidelium nostrorum, tam futurorum, quam praesentium noverit universitas, qualiter dum apud Roncalias secundum Imperatorum antiquorum consuetudinem, pro iustitia ac pace Regni componenda consederemus, omnia, quae ad honorem Imperii Romani spectare videntur, solicite indagantes, perniciosissimam pes-

---

r) Un. Cod. *Augustus omnibus. Decet imperialem solertiam contemtorem suae praesentiae capitali damnare sententia.*

s) Ista lex tam apud Heroldum quam in pluribus Codicibus desideratur. Eam quoque habes II. F. 52.

tem, et Reipublicae non mediocre detrimentum inferentem, resecare proposuimus. Permultas enim interpellationes factas ad nos didicimus, milites beneficia sua passim distrahere, ac ita omnibus exhaustis suorum Seniorum servitia subterfugere: per quod vires Imperii maxime attenuatas esse cognovimus, dum proceres nostri milites suos omnibus beneficiis suis exutos ad felicem nostri nominis expeditionem minime transducere valeant. Hortatu itaque et consilio Archiepiscoporum, Ducum, Marchionum, Comitum Palatinorum, ceterorumque Nobilium simul et Iudicum, hac edictali lege in omne aevum Deo propitio valitura decernimus, nemini licere beneficia, quae a suis Senioribus habet, absque ipsorum permissione distrahere, vel aliquod commercium adversus tenorem nostrae constitutionis excogitare, per quod Imperii, vel Dominorum minuatur utilitas. Si quis vero contra saluberrima nostrae legis praecepta ad huiusmodi illicitum commercium accesserit, vel aliquid in fraudem legis machinari tentaverit, pretio ac beneficio se cariturum agnoscat. Notarium vero, qui super hoc tali contractu libellum, vel aliud instrumentum conscripserit, post amissionem officii, infamiae periculum sustinere sancimus. Datum VI. die mensis Novembris Indict. XV. Anno MCXXXVI. III. 9. 9.

APPENDIX
VARIORUM MONUMENTORUM.

CAPITULARIA TRIA
A IOHANNE MABILLONIO EDITA
EX VETERI CODICE
BIBLIOTHECAE CHIGIANAE.

CAPITULARE PRIMUM.

Incipit Capitulare.

Qualiter Domnus Rex ad placitum suum fidelibus suis ammonuit.

I. Volumus atque ammonemus, ut Episcopi suum in omnibus iuxta vires suas peragere studeant ministerium in Parrochiis earum: et ut praedicationes et confirmationes ibidem expleant. Et ut monasteriis, quae infra eorum Parochiam sunt, vigilanter curent, ut Canonici secundum Canones, et Regulares secundum regulam vivant: et ubi aliter, quam ordo poposcit, invenerit, emendare faciant; et si emendare nequiverint, nobis nuncietur.

II. Ut Abbates, qui Monasteriis regularibus praesunt, volumus atque iubemus, ut secundum regulam vivant et doceant, et de subiectis de hoc, quotquot illis et carnaliter et spiritaliter ministrare curent, et vigilantiam habeant.

III. Ut Abbates, qui canonicam debent normam illis, similiter suis provideant clericis, sicut Ordo Canonicus docet, et iuxta vires certent, qualiter ipse Ordo ibidem servetur et officium debitum ipsi explere queant, et ubi opus est, sua monasteria emendare procurent: et ut Abbates monasteria sibi commissa magis frequentare delectent, et suos clericos instruant, ut Dei servitium expleant, et Ordinem suum custodiant, quos per cetera delectamenta pro voluntate saecularium vacare non sinant, nisi forte contingat eos in servitio domni Imperatoris nostroque esse occupatos; et hoc ad tempus erit, non semper.

IV. Ut vassi et austaldi nostri in ministeriis vestris, sicut decet,

honorem et plenam iustitiam habeant: et si praesentes esse non possunt, suos advocatos habeant, qui eorum res ante Comitem defendere possint: et quicquid eis quaeritur, iustitiam habeant.

V. Volumus atque iubemus, ut Advocati in praesentia Comitis eligantur non habentes famam malam: sed tales eligantur, quales lex iubet eligere.

VI. Volumus etiam atque iubemus, ut Comites et eorum iudices non dimittant testes habentes malam famam testimonium perhibere: sed tales eligantur, qui testimonium bonum habeant inter suos pagenses. Et primum per ipsos iudices inquirantur, et sicut ab aliis rectius inquirere potuerint, ita faciant, non voluntati malorum hominum assensum praebentes: ut et ipsi Comites vel eorum iudices, quos noverunt, causam, de qua inter eos agitur, compertam esse, sine blandimento ipsius, qui causam habet, faciant ad eandem causam venire, et per eorum inquisitionem definita fiant. Et iubemus ut testimonia ab invicem separentur, sicut lex iubet: quia si ita agant, multi falsi testes possunt convinci.

VII. Sed et hoc volumus, ut Comites plenam iustitiam de latronibus faciant per eorum ministeria, et ut malefactores et fures non patiantur quietos residere, sed per eos, in quantum valent, infestent.

VIII. Ut ante Vicarios nulla criminalis actio definiatur, nisi tantum leviores causae, quae facile possunt diiudicari. Et nullus in eorum iudicio aliquos in servitio homines conquirat, sed per fidem remittantur usque in praesentiam Comitis: et ingenuos homines nulla placita faciant custodire, postquam illa tria custodiant placita, quae instructa sunt, nisi forte contingat, ut aliquis aliquem accuset: exceptis illis scabinis, qui cum iudicibus residere debent.

IX Volumus ut sicut nos omnibus legem conservamus, ita et omnes legem nobis conservare faciant, et plenam iustitiam in eorum ministeriis, quidquid ad nos pertinet, facere studeant.

X. Inhibemus ut propter ullam districtionem, quam nos facere iubemus, aut pro quibuslibet causis servi non mittantur in districtionem, sed per Missos nostros vel domini eorum, aut illorum advocati, ipsos servos distringant, et ipsi, sicut lex iubet, rationem per servos reddant, utrum culpabiles sint, an non: ipsi vero domini distringant et inquirant servos suos, sicut ipsi amant.

XI. Ut nemo forcapium de mancipiis aut de qualibet causa recipere praesumat, sicut saepius domnus Imperator commendavit.

XII. Ut mancipia adventitia et fugitiva nullus recipere praesumat.

XIII. De mannire vero, nisi de ingenuitate aut de hereditate non sint, aperte observandum: de ceteris vero inquisitionibus per districtionem Comitis ad mallum veniant, et iuste examinentur ad iustitiam faciendum. Comites vero non semper pauperes per placita premere debent.

Si quis Langobardus faciem Dei, et statum humanae fragilitatis recogitans, pro salute animae suae de rebus suis voluerit iudicare, vel chartam donationis cuilibet facere, non sicut hactenus fieri solebat, ius sibi vendendi, donandi, commutandi, et per aliam chartam easdem res alienandi reservet; sed absolute faciat unusquisque de rebus suis quod velit, et noscat sibi a nostra auctoritate penitus interdictum esse, duas de eadem re facere traditiones. Sed postquam unam de

rebus suis traditionem fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam habeat potestatem. Ita tamen, si usumfructum voluerit habere, per precariam res traditas usque in tempus definitum possidendi, sit concessa facultas.

XIV. Si quislibet contempta iussione nostra, ceteris in exercitum pergentibus, domi residere praesumpserit, plenum haribannum secundum Legem Francorum, idest sexaginta solidos, sciat se debere componere. Similiter et pro contemptu singulorum capitulorum, quibus per nostram regalem auctoritatem bannum promulgavimus, id est, qui pacem Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, et pupillorum ac minus potentium irruperit, aut raptum intra patriam fecerit, aut alienas domos incenderit, vel cum collecta multitudine vim cuilibet intulerit, sexaginta solidorum multam exsolvat.

CAPITULARE SECUNDUM.

Capitula Placiti Mantuani.

I. De singulis Capitulis, qualiter Mantua ad placitum generale . . . . . omnibus notum fecimus.

II. De iustitiis ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum minus potentium volumus atque omnimodis praecipimus, ut omnes Episcopi, et Abbates, et Comites secundum legem pleniter iustitiam faciant, et recipiant.

III. Hoc statuimus, ut unusquisque clamator tertiam vicem ad Comitem suum se proclamet, et inde idoneos homines habeat, qui hoc veraciter sciant quod proclamasset, et nullam exinde iustitiam habere potuisset: et si qualiter fecerit, et antea ad placitum se proclamaverit, legem suam componat.

IV. Comites vero de illorum parte per testes affirment, quod ei iustitiam facere voluissent, et omnia notarium suum scribere faciant quanti ad se proclamassent, vel quantas iustitias factas habent: ut nullam excusationem habere possint: nisi veritas clara sit, et iustitiam facere voluisset, et hoc ipse Comes aut eius advocatus per sacramentum firmare possit, quod de illorum iustitia nullam negligentiam habeat, et per ipsa brevia cognoscere valeamus, utrum ad se proclamasset, an non.

V. Hoc omnibus notum sit, si quislibet post causam legibus finitam pro se clamaverit, aut XV. accipiat gamatos, aut solidos XV. componere cogatur.

VI. Ut nullus alterius presbyterum recipiat, antequam ab Episcopo loci illius examinatus vel inquisitus sit: neque liceat ibi Missas celebrare.

VII. Ut quando Episcopus pro sua parochia cercata fecerit, Comes vel Sculdais ei adiutorium praebeat, qualiter ministerium suum pleniter perficere valeat secundum canonicam institutionem.

VIII. Ut nullus mancipia christiana vel pagana, nec quaelibet arma, vel armissos foras regno nostro vendat: et qui hoc fecerit, bannum dominicum componere cogatur: et si ea mancipia minime revocare potuerit, widringum suum componat.

IX. Ut nullus alteri teloneum praesumat tollere, nisi secundum antiquam consuetudinem; et alibi non tollat, nisi in locis antiquis et legitimis: et cui iniuste tollitur, secundum legem componatur, et insuper bannum nostrum Missis nostris componat.

X. Ut nullus post calendas Augusti istos denarios, quos modo habemus, et usi sumus, dare audeat, aut recipere: si quis hoc fecerit, bannum nostrum componat.

XI. De latronibus, qui ante Missos nostros minime venerunt, ut Comites eos perquirant, et ipsos, aut fideiussores, sub custodia servent, donec Missi ibidem revertantur.

XII. Ut nullus quemlibet hominem Langobardum cum in vassatico vel casa sua recipere audeat, antequam sciat unde sit, vel quomodo natus est: et qui aliter fecerit, bannum nostrum componat.

XIII. De synodochiis volumus atque praecipimus ut restaurata fiant.

XIV. De vassis regalibus et de iustitiis illorum, ut ante Comitem suum recipiant et reddant.

CAPITULARE TERTIUM.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Hludwicus nutu divino a Deo coronatus serenissimus Augustus, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, seu cunctis fidelibus nostris. Capitula, quae nobis addere placuit, haec sunt.

I. Si quis cum altero de qualibet causa contentionem habuerit, et testes contra eum per iudicium producti fuerint, si ille falsos eos esse suspicatur, liceat ei alios testes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambae partes testium ita inter se dissenserint, ut nullatenus una pars alteri cedere velit, eligantur duo ex ipsis, id est, ex utraque parte unus, qui cum scutis et fustibus in campo decertent utra pars falsitatem, utra veritatem suo testimonio sequatur. Et campioni qui victus fuerit, propter periurium quod ante pugnam commisit, dextera manus amputetur. Caeteri vero eiusdem partis testes, quia falsi apparuerint, manus suas redimant: cuius compositionis duae partes ei contra quem testati sunt, dentur, tertia pro fredo solvatur.

II. Et in seculari quidem causa huiuscemodi testium diversitas campo comprobetur. In ecclesiasticis vero negotiis Crucis iudicio rei veritas inquiratur. Hoc de timidis atque imbecillibus sive infirmis, qui pugnare non valent, ut nullatenus propter hoc iustitia sua careant, censemus faciendum.

III. Testes vero de qualibet re non aliunde quaerantur nisi de ipso comitatu in quo res, unde causa agitur, positae sunt; quia non est credibile, ut vel de statu hominis, vel de possessione cuiuslibet per alios melius rei veritas cognosci valeat, quam per illos qui viciniores sunt. Si autem contentio quae inter eos exorta est, in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adiacentis comitatus ad causam suam testes habere.

IV. Si duo testimonia *a)* de qualibet re fuerint *b)*, et inter se discordent, tunc Comes eligat unum ex una parte, et alium ex altera parte: ut illi duo decertent cum scutis et fustibus *c)*. Nam si flebiliores fuerint ipsi testes *d)*, tunc ad Crucem examinentur. Quod si *e)* maioris aetatis sunt, et non possunt ad Crucem stare; tunc mittant aut filios, aut qualemcunque hominem *f)* possunt, qui pro eis hoc contendat *g)*: et ille qui de illa falsitate *h)* convictus fuerit, dextram manum perdat.

V. De omnibus debitis *i)* solvendis, sicut antiquitus fuit constitutum, per XII denarios solidus solvatur per totam Salicam, excepto leudes. Si Saxo aut Friso aliquem occiderit, per XL. denarios solidus solvatur. Infra Salicos vero ex utraque parte de omnibus debitis, sicut diximus, XII. denarii pro solido solvantur, sive de homicidiis, sive de rebus.

VI. De mannire vero, nisi de ingenuitate, aut de hereditate, non sit opus observare. De caeteris vero causis per districtionem Comitis ad mallum veniant, et iuste examinentur ad iustitiam faciendam. Comites vero non semper pauperes ad placita opprimant.

Item alia Capitula.

VII. Primum omnium placuit nobis, ut cartulae obligationis de singulis hominibus factae, qui se aut uxores eorum, aut filios, vel filias in servitio tradiderint, ubi inventae fuerint, frangantur, et sint liberi, sicut primitus fuerint.

VIII. Qui pulsat quod res venumdasset, et non iusto pretio; accedant ambae partes super res quas venumdavit, et existimatores cum ipsis, et rememorent et appretient res ipsas, sicut tunc valebant, quando res ipsae bene restauratae fuerunt, antequam nos huc cum exercitu nostro issemus. Et si res ipsa sic appretiata fuerit iusto pretio, sicut in ipsa cartula legitur, quod res ipsae iusto legitimo pretio venumdassent, sicut tunc valuerunt, ut dictum est; venditio ipsa firma permaneat. Nam si res ipsas amplius aestimaverint quod tunc valuissent, quam pretium ipsum quod accepit: et ipse qui venumdaverit ostendere potuerit, ut ex necessitate famis venditionem ipsam fecisset; aut in cartula ipsa manifestaverit tempore necessitatis famis: cartula ipsa frangatur, et pretium iuxta ut in ipsa cartula legitur, reddat, et recipiat res suas, sicut modo invenit eas: ante posito aedificio

---

a) Eccardus hoc et sequentia duo Capitula ex Codice Guelpherbitano edidit, ubi inscriptio eorum haec est: *Incipiunt Capitula, quae domnus Hludovvicus Imp. anno III. addere iussit.*

b) Eccard. *testimoniaverint.*

c) Eccard. *decertent cum fustibus.*

d) Eccard. *Namque si debiliores ipsi testes fuerint.*

e) Eccard. *Nam si.*

f) Eccard. *filios, aut parentes, aut qualescumque homines.*

g) Eccard. *hoc tendunt.*

h) Eccard. *de ipsa falsitate hoc convictus.*

i) Eccard. *De omnibus debitis solvendis, sicut antiquitus fuit consuetudo, per duodecim denarios solidi solvantur per totam legem Salicam, excepto leudis, si Saxo aut Friso Salicum occiderit, per XL. denarios solvant solidum. Infra Salicum vero ex utraque parte de omnibus debitis, sicut diximus, XII. denariis solidi solvantur, sive de homicidiis sive de omnibus rebus.*

aut labore, qui postea ibi factus est, ipse qui fecit tollat, aut sicut inter eos convenerit: et de ista venditione ipsa persona agat quae venumdavit, aut filius eius non alter propinquus.

IX. Cartulae illae, quae leguntur de donatione, similiter volumus ut appretientur. Si amplius valuerint res ipsae, quando restauratae fuerunt, quam ipse launegild fuisset, quando accepit; et ipsam donationem similiter strictus ex necessitate famis fecisset, et si probare potuerit, reddat launegild, et recipiat res suas, et cartula ipsa frangatur.

X. De donatione vel venditione, quae in loca venerabilia facta sunt, suspendi iussimus, dum enim compensaverimus in Synodo cum Episcopis et Comitibus, quomodo fieri debeant: et hoc iubemus, ut illis partibus iustum procedat iudicium, ubi nos aut nostra ostis fuerimus per illud quod supra scriptum est. Et hoc statuimus, ut cartulae illae, quae tempore Desiderii factae fuerint per districtionem famis, aut per qualecumque ingenium, ut ista causa non computetur: sed iuxta legem ipsorum exinde procedat iudicium. Et hoc damus in mandatis, ut quicumque homo ab hac praesenti die XX. mensis Februarii suas vendere res voluerit, in omnibus eorum pertineat potestatem: tantum sic faciant, sicut eorum fuerit lex. Unde qualiter nobis placuit praesentem deliberationis notitiam pro amputandis contentionibus fieri iussimus, et nobis legi fecimus, et volumus ut sic procedat iudicium. Facta notitia anno dominorum nostrorum tertio.

LEX ROMANA

EX CODICE UTINENSI.

IN NOMINE SANCTAE TRINITATIS INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI LEGIS.

Incipit Teudosiani Legis Liber Primus.

I. *De Constitutionibus Principum et Edicti.* Impr. Constantinus Augustus ad Lusidanus. Data VII. Kl. Augs. *Interpretatio.* Quaecunque leges sine die et consules fuerint prolatae, non valeant.

Item alia. Impr. Valentinianus et Teodosius et Archadius Augustus. Data VI. Kl. Iulias. *Interpretacio.* Lege nescire nulli homini liceat, et quae secundum legem iudicatum est, omnis homo sciat, ut haec custodire debeat.

Item alia. Augustus Theodosius Aureliano Prefecto. Data III. Kl. Mart. *Interpr.* Haec lex anteriores leges non vetat, sed in perpetuo in futuro confirmet.

Item Augustus Victorio. Data XI. Kl. Sept. *Interpr.* Legis quae omnes tenere debent, nec propter unum hominem, nec propter unam causam non inmutetur.

II. *De diversis rescriptis.* Impr. Constantinus Augustus ad populum. *Intpr.* Quicumque homo qui de qualecumque causa ad Iudicem contra legem inpetraverit, non valeat firmitatem.

Item alia. Quicumque homo beneficio de qualecumque rem ad Principem per servitium suum reciperit, si mortuus fuerit antequam ipsa causa consequat, heredes eius ipso beneficio per Principe habere liceat.

Item alia Intpr. Quicumque de aliqua causa per fraudulentia suggestione homo ad Principem aut indutias aut concessionem reciperet, inducias aliquantum concedi potest. Nam talis concessio non valeat.

Item alia intpr. Omnis Iudex, qui haec non custodierit quod Principes per legem iudicant, ad stimatione Principis ipso Iudice damno condempnetur.

Item alia interp. Quicumque alicui aliqua rem debet, et per Principem, aut per Iudicem eum dilatare voluerit et ipsum debitum non reddat, et nec si Iudex ei exinde licentiam dederit, talis suggestio secundum lege non obtineat firmitatem.

Item alia intpr. Si duo heredes de sua facultatem ante Iudicem causa habuerint, et dum ipsa causa inter se habuerant mortui fuerint, ipsorum heredes ipsa causa de presente inter se agere debeant; quod si ea tacere voluerint, ut de presente ea inter se non diliverint, post longum tempus secundum legem ipsa causa agere non possunt.

III. *De mandatis Principum.* Impr. Gratianus et Valentinianus et Teudosius. Data X. Kl. Iulias. *Intpr.* Quicumque homo se con mandatis Principum in secreto aut de puelle sponsalias vel nuptias vel qualecumque se per iussionem Principis accipere dicere, non sit ei credendum, nisi specialiter aut cum litteras aut cum tale iussionem de suo Principe venerit, ut omnes sciant; sed si sic fecerit, postea ei credendum est.

IV. *De responsis Prudentium.* Impr. Theudosius. Data VII. Id. Novemb. Urbis Rome. *Intpr.* Haec causa sicut Papiani, Pauli, Gagii, Vulpiani, Modestini et Scifola, Savini, Iuliani, atque Marcelli: Isti vero clemens consilium in suis corporibus melius esse non cognoverint, et in his libris sic continent, ubi de accionem iudiciarie contenditur, vel ubi inter duos heredes de ipsorum facultatem intentione inter se habuerint: si unus de illis habuerit amplius homines, qui ejus causam teneant, quam ille alius; qui maiorem numerum habuerit de bonos homines, ipse in iudicio secundum legem suam causam vincat: et si forsitan de homines equalem numerum habuerint, praecedat eius auctoritas, qui in lege Papiani pro se alicum titulum invenerit, ipsa causa vincat.

V. *De officio Prefectorum pretorio.* Impr. Constantinus. Data XVI. Kl. Novemb. *Intpr.* Quicumque ingenuus homo ante Iudicem qualecumque causa habuerit, et ante ipsum Iudicem de illa ipsa causa convictus fuerit, si postea ante alium Iudicem venire voluerit, non eum vetetur venire; si forsitan ante illum suam causam per lege recuperare potuerit, suam iustitiam habeat; et quod si ibidem iterum de ipsa causa convictus fuerit, si bona persona est, duos annos in exilio mittatur, et medietatem de sua facultatem fiscus adquirat; et quod si minor persona fuerit, duos annos in metallo teneatur.

VI. *De officio Rectorum Provincie.* Impr. Constant. Data Kl. Novemb. *Intpr.* Si iudices contra rationem de qualecumque hominem ipsorum pecunia in sportulo tollere voluerint, secundum legem gladio puniantur.

Item alia intpr. Quicumque Iudex sciat se cum causas iudicaverit non se abscondat in remoto loco, neque solus iudicium donet; sed cum bonos homines et in aperto domo ut quicumque intrare voluerit, licentiam habeant, et ante plures homines suum iudicium donet, et quod rectum est iudicet.

Item alia intpr. Iudex provinciarum hoc scire debent ut de omne homine causas tale cura habere debeant, ut nullus hominem per suam potentiam et pro gratia de suo seniore pauperes opprimere

non presumant, sed ipse iudex inter potentem et pauperem equaliter inter eos iustum iudicium donet.

Item alia intepr. Iudices provinciarum opera dare debent, ut per singulos agros et loca tales ordinet actores ut sicut de puplica causa cura habeant, si de omnes pauperes sine omni iniquitate et premium agere debeant. Si hoc facere neglexerint, poenas Iudicis et civium in se noverint esse vindicandam.

Item alia intpr. Iudex provinciarum hoc sciant, ut summa sollicitudinem habeant per omni loca, ne actores potentum aliquid circa pauperes homines inlicite aut iniuste faciant.

VII. *De officio Iudicum civilium.* Impr. Archadius. Data III. Non. Febr. Rome. *Intpr.* Si quicumque persona de qualecumque actum aut dignitatem per Principe honoratus fuerit, sed cum altero hominem de quacumque homine causa habuerit, et ante Iudicem venerit, ille honoratus dum ipsa causam agit cum Iudice non resedeat, sed ipso ordine iudicetur, sicut et alias personas qui in illa patria manent: Et nec post meridie non liceat causas ante Iudices reclamare. Qui contra hoc praeceptum fecerit, quinque pondus auri solvat.

VIII. *De officio Iudicum militarium.* Impr. Theudosius. Data III. Id. Febr. *Intpr.* Nulli penitus in cibilibus causis militaris vel tuitio et executio tribuatur; similiter omnes Iudices aut fescales sint, aut privati, hoc sciant, ut ad nullum hominem non liceat aliud facere, nisi inter ipsos de recta iustitia iudicare.

IX. *De officio Iudicum omnium.* Impr. Const. Data III. Kl. Ian. *Intpr.* Nullus Iudex nec nullo homini liceat nulla puella ad raptu protrahere, nec nullam mulierem in domo sua sedente pro nullo puplico, nec pro nulla causa inquietare non presumat; sed si aliquid ei requirere voluerit, ad actores eius requirat, et illa femina pro reverentiae sexus eius non inquietet, sed summa honore ad eam servare precipimus. Si quis contra hoc fecerit, sciat se summum supplicium affaciendus esse.

Item alia intpr. Si quicumque homo pupillos, aut viduas, et egrotos, aut orfanos, vel quod haec lex conservat, foras patria eos de suas causas ante Iudices non tradant, nisi in illa loca cum eos suas causas agant, ubi in suo placito testimoniales de presentem invenire possent: et si forsitam in ipsam patriam, ubi cummanent, suas causas finire non possint, licentiam habeant, si voluerint, ubi sui Principes fuerint, ambulare, et ipsorum causatores ante ipsos Principes cum eos ambulare faciant.

X. *De Defensoribus civitatum.* Impr. Valentinianus. Data Kl. Febr. *Intpr.* Quicumque Iudex, qui in patria constituitur, per consensu eorum qui in ipsa patria sunt ipsa iudiciaria recipere debent; quod sub se Iudex illa iudiciaria sine consensu bonorum hominum de ipsa patria per sua cupiditate prendere presumpserit, secundum legem V. libras auri fisco solvere cogatur.

Item alia Intpr. Omnes Iudices qui patriam habent commissa, nullum hominem sine culpam aut damnare aut verberare presumant.

Item alia Intpr. In omni loca tales Iudices elegantur, ut ubi malefactores et latrones invenerint, nullum hominem patrocinium reverfiscant, sed ubi ipsos reos invenerint, de presente de illos iustitiam faciant.

XI. *De Assessoribus et Domesticis vel Cancellariis.* Impr. Honorius. Data X. Kl. Apr. *Intpr.* Si filius ante quam ad patrem mancipetur, cuiuscumque iudices consiliarius adheserit, quicquid pro suo servitio, aut ex iustis et bonis causis adquesierit, hoc sibi vindicet, sicut et ille filius, si aliquid vivo patre in armis positus acceperit, aut adquesierit.

Item alia Intpr. Omnes Iudices sciant, ut de alia ragione nec domesticum, nec consiliarium, nec cancellarium peculiare sine consensu de suos patrianos recipere debeat; ut si ipsum Iudicem de illa iudiciaria tollerent, aut si forsitan mortuus fuerit, et alium Iudicem in suo loco miserit, ipse cancellarius vel consiliarius apud illum alium Iudicem III. annos conversare debet, ut si quicumque homo ante illum alium Iudicem de suam causam mendatium reclamaverit, ille cancellarius hoc dismentire debet; quod si forsitan et ille cancellarius ad ipsum hominem consentire voluerit, ut rectum non dicat, Iudex eum diligenter inquirere debet.

Explicit Theodosi Liber Primus.

CAPITULA DE LIBRO SECUNDO.

1. *De Iuresdictione et ubi quis convenire debeat.*
2. *Ne in sua causa quis iudicet.*
3. *De amissa accionem impetraciones.*
4. *De denunciatione et edictione rescripti.*
5. *De dominio res qui poscitur, vel consortibus ab eo cum denunciatum fuerit nominandis, et de temporum cursu et reparacionibus denunciacionum.*
6. *De dilationibus.*
7. *De feriis.*
8. *De pactis et transaccionibus.*
10. *De postolandum.*
11. *De erroribus advocatorum.*
12. *De cognitoribus et procuratoribus.*
13. *De revendicatione.*
14. *De his qui potentum nomina in lite pertendunt, vel titulos predii adfigunt.*
15. *De dolo malo.*
16. *De integris restitutionibus.*
17. *De his qui venia aetatis inpetraverunt.*
18. *De iudiciis.*
19. *De inofficioso testamento.*
20. *De inofficiosis donationibus.*
21. *De inofficiosis dotibus.*
22. *De hereditatis pedicionibus.*
23. *De rei vindicationem.*
24. *De familia hercisconde.*
25. *De commune devitendum.*
26. *De finio regendorum.*
27. *Si certum petitur de cyrograffis.*
28. *Si certu petitur de suffragiis.*
29. *De donatione, si possit sine carta.*
30. *De pignoribus.*
31. *De quod iusso et de peculio.*
32. *De usuris.*

Incipit Liber Secundus.

I. *De iuresdictionum ut ubi quis convenire debeant.* Impr. Constant. Data VIII. Id. Mart. *Intpr.* Omnis Iudex in illa provintia, ubi constitutus est et colonus et servus ipso ordine proprius de principes, mala sua facta et distringere et ponere faciat, sicut et de alteros homines servus; nec de eorum patronus non reputent, si secundum lege eos distringant, ut eorum patricinio illos qui rei sunt non liberentur.

Item alia intpr. Si inter patrianum privatum, et militem qui cotidie in servitium principes adstat, si inter eos de qualecumque rem causam advenerit, si ille milex illum privatum patrianum ammallaverit, Iudex de ipsa patria exinde inter eos iustitiam faciat; et si forsitan ille privatus homo illum militem accusaverit, ille, cui militat, ipse de eo iustitiam faciat.

Item alia intpr. Quicumque homo qualecumque feminam pudicitia per fortia violaverit, poena instatuta suscipiat; et quicumque alicui per violentiam qualecumque rem tulerit sine culpam, in duplo restituat.

Item alia intpr. Si inter duos homines, qui in duas patrias conversant, aut inhabitant, si inter eos de qualecumque causa contentio fuerit, ille qui ipse causa accusat, ad illum iudicem petat iustitiam, ubi suus debitor commanet.

Item alia intpr. Ad nullum hominem liceat ad extraneum Iudicem suam causam agere, nisi forsitan si ei suus iudex suam causam dilatare voluerit, postea liceat eis suas causas ad Principem reclamare.

Item alia intpr. Minores causas inter privatos Iudices ipsi privati discutiant, et iudicent, de furtivo cavallo, aut de modice terre, aut de vaso domi; de istas aut de alios minores causas, mediocres Iudices definiant: maiores vero causas inter altas personas, qui per scripta in accusationem veniunt, ante seniores Principes definiantur: et si forsitan privati Iudices alciores causas ad Principes fraudare voluerint, quinque libras auri solvant.

Item alia intpr. Quicumque homo, qui suos Iudices, qui in sua provincia commanent, postposuerint, et ad milites, qui in obsequio Principum sunt, suas causas agere presumpserint; ipse qui eam causam inquirit, in exilio deputetur; et ille milex, qui ipsam causam iudicat, X. libras auri solvat.

Item alia intpr. Iudei qui apud Romanos conversant inhabitandum, suam legem inter se ipsos custodiant. Nam omnia alteras causas, quae apud Christianos habuerint, Iudices Christianorum inter eos iudicent.

Item alia intpr. In domos Principum si Iudex provincialis qualecumque malefactorem ibidem invenire potuerit, nec actore nec nullum hominem expectet, sed de presente ipsum comprehendat, et de eo secundum legem iustitiam faciat.

II. *Ne in sua causa quis iudicet.* Impr. Valens. Data Kl. Decemb. *Intpr.* Nullus homo sua propria causa Iudex esse non debet, quia sicut testimonium pro se dare non potest, sic nec pro se sua causa iudicare non potest.

III. *De amissa actione impetrationis.* Impr. Theudosius. Data X. Kl. Mar. *Intpr.* Quicumque homo ante Iudices causam habuerit, si iustitiam habet, et ipse Iudex ei suam iustitiam non fecerit, exinde periudicium qui sua causa quaerit non habeat, sed videat ut veritatem prosequatur.

IV. *De adnunciationem et editionem rescripti.* Impr. Constant. Data II. Non. Febr. *Intpr.* Si cuicumque homini qualiscumque persona facultatem suam contra rationem tulerit, ille qui ipsam facultatem perdidit, infra annum ipsa causa requirere debet; et ipse vero qui eam tulit, et nec si ipse Princeps ipsam facultatem illi concessisset, per lege ea habere non debet.

Item alia intpr. In hac lege constituit, ut qui aliorum facultatem malo ordinem perinvaserit, atque ad illius, qui in minore aetate sunt, aliquid requirere voluerint, et que contra testamentum aliquid dicere voluerint, de tales causas, qui infra C. solidorum esse potest, infra anni spacium illas consequere, et definire debet.

Item alia intpr. De res ecclesiarum, ubi ad ante Iudices fuerint, exinde qualiscumque accusatio pro reverentia de ipsa loca sanctorum sine omnem dilatationem debent esse definitas.

V. *De dominio res que poscitur, vel consortibus ab eo cum denuntiatum fuerit nominandis, et de temporum cursum et reparationibus denunciationum.* Data II. Non. Mad *Intpr.* Quicunque homo tales causas habuerit, que infra anni spatio peragere debeat aut finire, si ad iudice super annum impetrare spatium quattuor menses super annum Iudex ei licentiam dare potest, nam in amplius secundum legem ad nullum Principem ei nullam licentiam detur.

Item alia intpr. Si quicumque Iudex aut per neglegentia aut per dilatacionem aut per qualecumque premium qualecumque homine de sua causa dilataverit, infra legitimum tempus ipsius causa non definiat; quodquid ille homo de ipsa causa damnum habuerit, omnia de ipsius iudicis facultatem illi redatur qui apud eum iustitiam non potuit invenire.

Item alia intpr. Si quicumque homo dum sua causa prosequid mortuus fuerit, heredes eius de illa die quod ipsa causa agere coeperit prosequent; nam non de ipsa die quod eorum heredes mortuus est; et ipsa causa infra legitimo tempus prosequant et definiant. Similiter et de minoribus agendum est, ut tutores ipsorum, de ipsa die de quod ipsorum tutilla reciperint in antea, ipsorum causas agant; nam ipsi minores aetatibus quascumque causas ante habuissent, illi tutores de ipsas ratione addere non debent.

Item alia intpr. Si de qualecumque rem causationes fuerint inter actores fiscales et privatos homines, si privatus homo illum fiscale admallaverit, ille fiscales quattuor menses ad suam causam respondendum indutias recipere potest. Nam ille privatus, si fiscales actor eum admallaverit, in sex menses ad respondendum recipere spatium potest.

VI. *De dilutionibus.* Impr. Archadius. Data XII. Kl. Decemb. *Intpr.* Qui ad ingenuum hominem de suo statu aliquid dicere voluerit, et de patrimonii causam habuerit, si ipse dicit qui se ingenuum docere voluerit, ad suam causam confirmandum ut ante quam ultra mare ambulet hoc facere non possit, novem menses ei licentiam detur.

VII. *De feriis.* Impr. Constant. Data VIII. Id. Augusti. *Intpr.* Die dominico nulla alia causa huc agere debet, nisi emancipare, et libertare, et manummittere licentiam habeat.

VIII. *De pactis et transactionibus.* Impr. Archadius. Data V. Id. Octob. *Intpr.* Minoribus aetatibus post XXV. annum qualecumque carta aut convenientiam firmaverint, si postea se exinde immutare voluerint, nullam exinde habeant potestatem, et de qualecumque causa qui fecit et contra sua convenientia agere voluerint, infamia deputetur, et ipsa causa agendi in antea non habeat potestatem, et poena quem in ipso pactu posuit, solvat. Similiter et illi qui sacramenta dant per nomina dominorum suorum, et ipsa sacramenta minime custodiunt, sicut superius de minoribus diximus, simili ratione custodiant.

X. *De postulandum.* Impr. Const. Data VIII. Id. Mar. *Intpr.* Plures sunt qui in suas causas quod ipse agere non possunt, advocati inquirunt, qui causas suas agant, ipsi vero advocati per iniqua cupiditate de eorum res, cuius causam agent, quia ipsi per meliorem rem habent aut de terris aut de mancipiis, cartas ad eos querunt, si ut ipsi ipsa causa ante Iudicem vindicant, pro mala cupiditatem ipsius qui in suas causas eos habere voluerint, damnant se; secundum lege nec hoc quod eos quesierint habere debent, nec inter bonos homines, nec inter alios Iudices locum habere debent.

Item alia intpr. Si cuiuscumque filius ante quam mancipatus sit, si in sua causam eum aliquis advocatum mittere voluerit, et exinde aliquid adquirere potuerint, ipso modo suis iuribus vindicet, qualiter et hoc vendicare potest, quod in armis, hoc est in hoste, adquirere potuerit. Nam alia causa quod adquesierit aut habuerit, omnia in potestate patris permanebit.

Item alia intpr. De feriis. Intpr. Causas in anni spatium omnes dies secundum legem directum iudicare precipimus; nisi tantum quatuor menses ad fructos colendos indulgimus, hoc est a die VIII. Kl. Iul. usque in Kl. Augs. mensesive *a)* ferie sunt; et da Kl. Augs. usque in X. Kl. Septembris ad agendas causas licentia damus; ad X. Kl. Septembris usque in Id. Octob. vindimie fieri concedimus. Nam die sancto dominico, et sanctus dies Pasche, idest octo ante ea et octo qui secuntur, et dies Natalis Domini, et Ephifania, et natalis Principum, vel initium regni; haec dies sine omnes causationes celebrare precipimus.

XI. *De erroribus advocatorum.* Impr. Constant. Data V. Kl. Augs. *Intpr.* Quicumque homo ingenuus ante Iudicem causa de suo herede agere potest si ipse suus heres hoc eum amittere voluerit, postea de ipsa causa nec Iudex, nec ipse contra quem causationem habet, deiectare eum non potest, sed in quantum melius potest causa de herede suo agat.

Item alia Intpr. Quicumque causa alterius minare voluerit, in primis in ipsa causa eius persona requiratur si ingenuus est, aut non; postea vero cuius causa minare voluerit, ipsius mandatum presentet cuius causa minat, et sic in causationem intret.

Item alia Intpr. Milites non permittitur nec advocatos, nec procuratores in causas aliorum fieri non possunt.

XII. *De cognitoribus et procuratoribus.* Impr. Iulianus. Data II. Non. Febr. *Intpr.* Procurator est, cui causa per mandatum committitur: cognitor est, cui sine mandatum causa sua ad agendo presente Iudicem ille qui causam habet et altero homine commendat. Si forsitam cognitor et procurator mortui fuerint, ipsa causa ipse homo in denuo agat, ad quem legitime pertinent. Si vero ille mortuus fuerit, qui alium hominem cognitore aut procuratorem rogavit in suam causam, ipse procurator vel cognitor tantum post mortem illius de ipsius rem recipiat, quantum ille ei et ante ea promisit, qui eos in sua causa procuratorem aut cognitorem recepit.

XIV. *De his qui potentum nomina in lite pertendunt et titulos predii adfigunt.* Impr. Archadius. Data V. Kl. Decemb. *Intpr.* Quicumque homines cum aliis causam habent, aut alii apud ipsos, si forsitan aliquas scripturas falsas de potentorum, et de iudicum in iudi-

---

a) Mensesive. Hoc est: *messivae.*

cium presentaverint, ut per talem occasionem homines qui suam iustitiam habent nocuerint, si ipsas personas aut Iudicem, quorum nomina in ipsa scripta continent, si tale fraudem consentire voluerint, omnem dignitatem suam perdant. Si vero sine ipsorum voluntatem hoc scripturas illi accusatores protulerint, plumbatis cedi et in metallo deputentur, et causam perdant, et ipsa facultatem, unde causant, admittant.

XV. *De dolo malo.* Impr. Constant. Data VIII. Kl. Aug. *Intpr.* Dolus malus est, si quicumque homines post causas inter se finitas, si postea aut per aliquas scripturas, aut pro qualecumque fraudem, postea ipsa causa removere voluerint. Qui illi, qui eas agere volunt, infra duos annos hoc faciant; nam post duos annos, si illas causas agere voluerint, non valebunt, praeter si ipsi litigantes aut per infirmitatem, aut per forasticas ambascias ipsas causas agere non potuerint.

Item alia intpr. Ad parvulis, hoc est, qui in minore etate sunt, si aliquis aut tutor aut quicumque homo aut per qualecumque ingenio eis damnum de eorum res intulerint, sciant se in antea omnia ei redditurum.

XVI. *De integris restitutionibus.* Impr. Constant. Data Id. Mar. *Intpr.* Qui tutillam ad res *b*) parvulorum recepit ad gubernandum, si ea forsitan ab integritatem in tempore expleto ad ipsos parvulos non reddiderint, licet ei usque ad XXVIII. annos hoc se reparare, unde eis ipsorum debitum reddat.

XVII. *De his qui veniam aetatis impetraverunt.* Impr. Const. Data IV. Kl. Iun. Roma. *Intpr.* Pupilli, hoc est, qui in minore aetate sunt, quamvis a XXV. anno pupillares annos impleant, tamen licet eis, si voluerint, in vicesimo aetatis sue annum ad Principes se Ipsum commendare, et res suas cuicumque voluerint ad gubernandum dare possunt. Similiter et puellae post XVIII. *c*) annos, si voluerint, ipsam rationem facere possunt, sicut superius de pupillis diximus.

XVIII. *De Iudiciis.* Impr. Constant. Data II. Kl. Ian. *Intpr.* Si qualescumque homines, qui inter se causas habuerint, si ante Iudicem venerint, per singulas causas eos Iudex descutere, et eorum causas inquirire debet, ne forte tales causas inter illos remaneant, ut postea ille Iudex exinde corruptione non habeat, quae ipsa causa bene non exquisisset; et postea quomodo ipsorum causa bene habet exquisita, sic suo iudicio inter eos donet; et forsitan ipsi causatores postea antea ante Iudices ambulare voluerint, ille Iudex per ordine exinde ad suum Principem rationem donet, quomodo inter eos iudicavit.

Item alia. Si quicumque homo ad duos Iudices, ad puplicum, et ad privatum, (hoc est privatus, qui actor ecclesiarum est); si ille homo de una facultatem ad ambos illos Iudices causa habere voluerit, ut ad unum de illos Iudices, iuvenior silicet *d*), fretu componat, et ad illum

---

b) *Res.* Huc, alibique non semel in hoc codice pro *res* scribitur *hores*, forte ex incuria scribae.

c) *XVIII.* In codice est *XXVIII.* sed perperam.

d) *Scilicet.* In codice scriptum videtur *sit et*; sed legendum *scilicet.* Sensus enim legis esse innuitur, ne causa apud unum Iudicem fredo composita, apud alium requiratur. Primus Iudex dicitur hic *iuvenior*, hoc est, *inferior.* V. Cangius in Glossar. V. *Iuniores.*

alterum Iudicem actu querit; ille homo qui istum fecerit, ipsam rem et actum, quem querit non accipiat, et insuper quinque partes facultatis suae de illas res, que sub illo Iudicem habet, ad illam civitatem det, in cuius finibus res, de quo agitur, fuerit constituta.

XIX. *De inofficioso testamento.* Impr. Constant. Data Id. Apl. *Intpr.* Si mulier carta de sua facultate fecerit et forsitan aliquis de suos infantes exheredare voluerit, hoc facere non potest, si ipsi filii contra suam matrem graves culpas non habuerint factas.

Item alia intpr. Si quicumque homo testamentum fecerit, et in omnibus suos filios ibidem heredes constituat, et suam uxorem in ipsum testamentum pretermittat, si illa mulier docere potuerit, ut ad filios suos nec per se, neque per alios homines per nullum malum inienium eis alicum malum fecisset; si hoc non fecit, ea de res mariti sui illa exeredare non potest.

Item alia. Si filii aliquid contra testamentum parentum suorum causa revolverint, infra quinque annos ipsa causa minare debent, ut postea usque XIII. annos ipsa causa agere possent. Nam si infra quinque annos contra ipsum testamentum nulla causaverint, sciant se, ut postea contra ipsum testamentum nulla pulsare possunt.

XX. *De inofficiosis donationibus.* Impr. Const. Data XIV. Kl. Iul. *Intpr.* Cuicumque homini si ei aliquid donatur; si aliquid exinde agere voluerit, ut dispectionoso testamentum, sed qui quartam portionem vete *e)* dimittatur, sicut superius diximus, infra quinque annos hoc agere debent. Nam post quinque annos exinde nulla agere potest.

XXI. *De inofficiosis dotibus.* Impr. Constant. Data IV. Kl. Ian. *Intpr.* Dotibus, quid est inter virum et uxorem, si quarta porcio ad heredes servata non fuerit, ipsa dotes firma stare non potest.

Item alia. Si mulier ad secundum maritum dote fecerit, et de primario maritum filios habuerint, si quarta parte de res suas ad illos non reservaverit, ipsas dotes firma non permanebit.

XXII. *De hereditates petitiones.* Impr. Constant. Data III. Kl. Febr. *Intrpr.* Si quis homo libertum civencum romanum fecerit, et postea per sua culpa ad hoc venerit qui latinus libertus fiat, si in ipsa culpa mortuus fuerit, suas quam habuit ipsi domni recipiant qui virili sexu pertinent; et forsitan si ipsi liberti filios habuerint qui contra hoc aliquid dicere voluerint, ut dum pater eorum cive romanum fuisset, sic ipsos generasse, secundum legem exinde nihil agere possunt; quia in quale causa pater eorum mortuus fuerit, hoc requiritur, nam non in illa libertatem quando illos filios generabit.

XXIII. *De re vendicationem.* Impr. Honorius. Data V. Kl. Mar. *Intpr.* Quicumque milex in terram dominicalem aedificium fecerit, idest, si ipsa terra alter homo antea propressa non habet, postea ipsum aedificium nullus homo ei tollere potest. Similiter et de agro ubicumque laborare potuerint, si ipsum agrum antea alter non habuit, nullus homo ei tollere potest. Quod si quiscumque Princeps vel Iudex per sua fortia ei ipsum tollere voluerit, aut alii homini illum dederit, pro ipsa causa eo quod ei illum iniuste tollit, XX. libras auri componat.

XXIV. *De familia hercisconde.* Impr. Constant. Data IV. Kl.

---

e) Vete. Scriptura luculenta est, quam nec corrigere valeo, nec explicare.

Septb. *Intpr.* Quicumque faciens testamentum, et postea heredes sui dixerint quod ipse testamentus non sit legitime firmatus, nec iesta legatus *f*); ipse vero qui illum testamentum fecit, si voluerit, per qualescumque cartas ad suos filios et ad suas filias et ad suos nepotes de filio natos, quodquot eis donare voluerit, libera habeat potestatem. Et si per qualecumque scripta ad unum dare voluerit plus quam ad alium, hoc in sua est potestate facere sicut volet.

Item alia. Quicumque mulier post mortem mariti sui vivens, si suas res inter suos filios dividere voluerit, ipsas res postea dum vivit tenere potest, et ipsa divisio post mortem eius firma permaneat.

XXV. *De commune dividendum.* Impr. Constant. Data III. Kl. Mad. *Intpr.* Cum post mortem parentum inter heredes familie dividuntur, ille heres, cui talem servum in porcionem venit qui uxorem et filios parvulòs habet, ipsa uxor da marito suo, nec ipsi infantes non separentur, et pro eis vegarius *g*) detur, ut qui ipsum coniugium recepit, integrum eam habeat.

XXVI. *De finium regendorum.* Impr. Constant. Data XII. Kl. Iul. *Intpr.* Quicumque homo alterius terram malo ordine invaserit, ipsam rem, quam male invasit, in duplum restituat.

XXVII. *Si certum petitur de cyrograffis.* Impr. Honorius. Data V. Kl. Iun. *Intpr.* Quicumque homo ad alterum hominem de sua rem aliquid dederit, et exinde cautionem acciperit, si ille homo mortuus fuerit qui illa cautionem fecit, si propinqui vicini fuerint, ille qui ipsa caucione habet, infra duos annos ipsa causa ante Iudicem mittat: si vero unus da altero longe commanserint, ille qui ipsam cautionem habet, infra quinque annos ipsa causa ante Iudice agat. Si vero ambo vixerint *h*), oportet ei qui ipsa cautionem recepit, ut infra XII. annos ipsa caucionem refirmet. Quod si ille qui ipsam cautionem fecit, in captivitate ambulaverit, ille, qui ipsam caucionem habet, ad suam domum veniat, et ante suos heredes et familia ipsa caucione in suos postes de sua causa infigat; et forsitan ille, qui ipsam caucionem fecit, de illa captivitatem revertit, ut se bene debeat de ipsa caucionem rememorare, et ipsum debitum creditori suo secundum legem solvat.

XXVIII. *Si certum petitur de suffragiis.* Impr. Iulianus. Data Kl. Febr. *Intpr.* Si quis homo dum in parva potestatem est positus, si aliquid alicui homini donaverit, et postea forsitan ad miliciam in maiore potestatem venerit, et si hoc quod donavit, per suam audaciam iterum ipsa rem retollere voluerit, hoc ei facere non liceat; et si hoc ei tulerit ipsam rem reddat, et alterum tantum in fisco componat.

XXIX. Impr. Constant. Data Kl. Iul. *Intpr.* Omnis pecunia quicumque homo ad alterum hominem sine carta donare potest. Nam mancipia et terram qui alteri donaverit, si carta exinde non feccrit, firmum stare non potest. Et quod si hoc dicit possidere et infra XXX. annos carta non ostendit, sic hoc reddat qualiter et de violentia lex precipit solvere.

---

f) *Iesta legatus*, h. e. *gestis alligatus.*

g) *Vegarius*, h. e. *vicarius*; alter pro illo.

h) *Vixerint.* Errate scriptum: *dixerint.*

XXX. *De pignoribus.* Impr. Constant. ad universos provinciales. *Intersessores ad Rectoribus.* Data IV. Non. Iun. *Intpr.* Quicumque actor pro fescale debitum aut servus cultores aut boves araturicius pignorum *i)*, secundum legem ad Iudicem puniatur.

XXXI. *De quòd iusso et de peculio.* Impr. Honorius. Data VI. Id. Iul. *Intpr.* Quicumque homo ad servum, vel ad colonum conductum, procuratori, et actori alterius, non rogante dominum, aliquid eis dederit, et si de ipsum servum fideiussorem non acceperit, si ille servus ipsum debitum reddere noluerit, quamvis eum ille qui rem suam ei dedit ante suum dominum accuset eum, exinde per lege nullam recipere non debet; preter tantum si ille servus ad suum dominum nulla de suis rationibus non debuerit in compositione, postea de peculio suo pro ipsa rem quam accepit ipsum debitum a creditori suo solvat.

XXXII. *De usuribus.* Impr. Constant. Data XII. Kl. Mad. *Intpr.* Quicumque homo ad alterum hominem aliquid de qualecumque fructu terra prestaverit, non amplius ab eo usuras recipiat quam tercia porcionem; duos licet dare, et secundum legem tertia superrecipere. Nam de alia pecunia quod unus alteri prestat, non plus exinde recipiat usuras, nisi centesimam porcionem; et si amplius exinde exire voluerit, omnem rem, quod dedit, perdat.

EXPLICIT THEODOSI LIBER SECUNDUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

INCIPIT LIBER TERCIUS.

I. *De contrahenda emptione.* Impr. Constant. Data Id. Aug. *Intpr.* Cum inter ementem et vendentem de qualecumque rem fuerit inter eos orta causatio, ille qui ipsam rem vendiderit, si exinde minus pretium preserit quam ipsa rem valebit, sit difinitum ipsa rem convenientiae precium sicut inter eos convenit, postea in precium ipse, qui compara, nullam rem venditori addere debet; nisi solum quod convenientia habuerunt det, et ipsa permaneat.

---

i) Pignorum. Legendum reor: *pignoraverit.*

Item alia intpr. Quicumque homo de res puplicas, unde fiscus exit aut villam aut qualecumque terra comparare voluerit, non potest ipsam facultatem emere sine tributum, aut sine censu, quod de ipsa terra exit. Quod si presumpserit, ille qui emet precium perdat, et ille qui vendit ipsam villam perdat, aut qualis terra fuerit. Nam quicumque homo in qualecumque loco terram comparare voluerit, vicinus loci illius in suo testimonio roget esse, ne alterius facultatem aut terra comparet.

Item alia intpr. Ad pupillos qui minore aetate sunt, sive masculos sive feminas, de sua facultate non liceat alteri homini nec vindere, nec donare, dum infra annis sunt, nisi ante Iudices puplicos aut curiales publicos; nam aliter nec ipsorum liceat dare, nec de alios recipere.

Item alia intpr. Quicumque homo iam in plena etatem est qui sua causa agere potest, si forsitan aut agrum aut villam aut qualecumque causam vendiderit, et postea dixerit, quod precium minus recipisset, quam ipsam rem valebat; et forsitan dicit: *illa rem aut illum agrum longe habui da me, non nescibam quantum valeret*: per tales occasiones nec vindicio cadit, nec ipsam rem tollere non potest.

Item alia intpr. A Christiano homine non licet Christianum mancipium ad Iudeos vendere, nec Iudeum non licet ipsum mancipium comparare, qui adveniente peccatum ne forte ipse Iudeus illum Christianum hominem ad suam legem convertat, et fiet exinde grandis peccatus. Quod si hoc Iudeus illum facere presumpserit, ipsum precium perdat ille ipse Iudeus, et ipsum mancipium a Christiana lege convertat.

Item alia intpr. Quicumque homo ad qualecumque hominem qualecumque rem suam vindere voluerit, liberam habeat potestatem, nec eis sui heredes exinde impetire non possunt.

Item alia intpr. Omnem rem, quod homo ad alterum vendiderit, quamvis vilius fuerit comparata, si postea dicit ille qui ipsam rem suam vendidit quod minus precium presisset quam ipsa res valebat, pro hoc ipsa rem nullatenus retollere potest.

Item alia intpr. Quicumque curiales qui fiscum dare debet, si propter ipsum fiscum aut puplicum debitum forsitan fugire voluerit, et rem suam occulte vindiderit, hoc factum stare non potest; sed ipsum ad servitia puplica revocetur, et ille qui comparavit ipsum precium perdat.

Item alia intpr. Quicumque homines, qui personas potentes sunt, et per sua fortia pauperes oppremunt, et suas res eos sibi vendere aut donare fecerunt, ipsa vinditio et donatio stabiles non sit, sed ad illos ipsas res revertant, qui eas inviti vendiderunt, vel donaverunt.

II. *De commissoria recendenda.* Impr. Constant. Data III. Kl. Febr. *Intpr.* Omnis homo qui suum debitorem pro suum debitum pignoraverit et eum distrinxerit, et per eius necessitatem de ipso pignus sibi strumentum faciat *k*); sed ille qui oppressus debitum, pecunia reddat, et rem suam recipiat.

III. Impr. Valentinus. Data VI. Id. Mar. *Intpr.* Quicumque homo ingenuus filium suum per necessitate vendiderit, et eum non ha-

k) *Faciat.* Quaedam desunt; ex. gr. *hoc non valebit.*

buerit, commoto *l)* illo postea redimere possit; ille dominus eius qui eum comparaverit, usque ad legitimum tempus servitutis eum teneat, et postea sine redemptionem precii sui ad suam ingenuitatem revertat.

IV. *De hedelicis accionibus.* Impr. Valentinus. Data III. Id. Iul. *Intpr.* Si quis homo de alterum hominem mancipium comparaverit, ipsum mancipium ei reddere nullatenus non potest; nisi cum fugitivum probare potuerit, postea et precium recipere, et mancipium reddere licet.

V. *De sponsalibus ante nuptias donationis.* Impr. Cost. Data III. Id. Mad. *Intpr.* Donationes vero nec dotes nuptiales firmas esse non possunt, nisi gestas adligatas non fuerint, et traditionis non habuerit; et curiales eam firmare debent.

Item alia intpr. Cum inter sponso et sponsa de nuptias fuerit conventum factum, et sponsus aut per conventum parentorum suorum, aut ipse per suam voluntatem, ad suam sponsam dote scripserit, et gestis ligata fecerit, et cum legitimos testes eam firmaverit, et res ad sponsa tractas fuerint, et postea ipse sponsus eam in coniugium prendere noluerit, quidquid ad sponsa sua dedit non requiratur, et si aliquid de sua sponsa recepit, sine dilacionem reddatur.

Item alia intpr.. Feminas si in minore aetate se ad maritum iuncxerint, sed dote firma non acceperit, proinde quod infra annos est, dotes eius non rumpitur; et si legitimos testes non habuerit, proinde quia infra annos est, firma permanebit.

Item alia intpr. Si quis homo aut privatus aut militans, postquam se spondiderit, et cum patre aut tutorem et curatorem puelle et propinqui de puelle coniunctiones definiret, post difinitionem intra biennium debet nuptias celebrare. Quod si per negligentiam sponsi biennie tempus transierit, et puella se alio viro coniuncxerit, nulla culpa exinde non habeat nec ipsa nec nullus de suos qui eam tradidit, quia culpa illius est, quia ea in coniugio tardavit copulare. Nam si infra biennium data fuerit, secundum legem exinde iudicetur.

Item alia intpr. Si sponsus ad sponsa sua aliquid donaverit, quod eam osculaverit et ipse sponsus antequam eam prehendat mortuus fuerit, medietatem de ipsam rem quod ad sponsam suam donavit, ad parentes sponsi reddatur. Et si aliquid quod ad sponsam suam dedit, antequam eam osculasset, totum ad integritatem ad parentes sponsi revertatur. Et quod sponsa ad suum sponsum ante nuptias, aut cum osculata fuerit, aut non osculata, si aliquid ad sponsum suum dedit, et ipsa mortua fuerit antequam eam prehendat, totum ab integritatem ad puella *m)* de ipsa puella revertatur.

Item alia intpr. Si pater, et mater puella, quod pater non fuerit, et tutor, et procurator puelle infra X. et XI. annos cuique ea sponsaverit, et postea forsitan ipsum placitum adimplere noluerit, quantum in sponsalia reciperunt, hoc ad ipsum sponsum reddat; et si ipsa puella mortua fuerit, similiter et hoc reddant. Et si puella XI. annos plenos habuerit, et sponsa de sponso suo, quando eam sponsavit, si aliquid ad eam dedit, et postea eius parentes exinde aliquid inmutare voluerit, hoc quod in sponsalias acciperunt, in quadruplum reddant Similiter et mulier viduam si alicum hominem sponsaverit, et de illo aliquid acciperit, et postea se inmutare voluerit ut eum non

l) Commoto, h. e. *quomodo.*

m) Ad puella. Lege: *ad parentes.*

accipiat, illum quod de eum accepit in quadruplum reddat. Similiter et puella post XII. aetatis suae annos et si aliquid de sponso suo in sponsalias recipit, et si ipsa puella se mutare voluerit ut eum non accipiat, illum quod de eum accipit, in quadruplum reddat. Si forsitan ei aut sui parentes aut sui tutores sine causa voluntatis ipsum sponsum dederint, si hoc ipsa puella probare potuerit quod sine sua voluntate ipsum sponsum recepisset; de illum quod dedit, nihil ei exinde in antea exsolvere debeat.

Item alia intpr. Quicumque pater suam filiam sponsaverit, et mortuus fuerit, non licet nec ad illam puellam, nec ad suos tutores, ad alium sponsum illa iungere; nisi illum habeat, cui pater suus illam sponsavit.

Item alia intpr. Si donatio sponsalicia, aut dotes ante nuptias factas fuerint, et donatio de villas, quod CC. solidi valunt, ipsas in se precium habuerint, et forsitan res donata tradita non fuerit, proindeque iestis ligata non est, non rumpitur. Similiter femina qui in minore aetate sunt, et sine patrem fuerint, nec si de quantum libet dotem ante nuptias acciperit, si forsitan gestis ligata non fuerit, pro hoc non rumpitur.

VI. *Si provintiae Rector, vel ad eum pertinentes sponsalia dederit.* Impr. Gratianus. Data XV. Kl. Iul. *Intpr.* Quicumque Iudex si forsitan aut suos filios aut alios iuvenes quem ipsi secum habent cui bene volunt, si forsitan ad aliquos homines de illorum filios aut per menacias, aut per sua potentia, fortia eis facere voluerint, aut arras deiceret *n)*, ut eos coniugium socient, hoc non habeant licentia faciendi, nec ad parentes eorum nec ad tutores, nec ad ipsas puellas. Quod si fortia hoc factum fuerit, illum quod arras dant, ipsas puellas suo iure vindicabunt. Et si postea forsitan iterum per bona voluntatem reconvenerint cum illarum parentes et tutores, et ipsa puella, si in coniugio, directa coniunctio sit.

VII. *De nuptias.* Impr. Valentinus. Data XVII. Kl. Augs. *Intpr.* Si quicumque vidua intra XXV. annos aetatis suae fuerit, si parentes vivos habuerit, non est in sua potestatem se ad alium maritum iungere, nisi ad suos parentes permanet potestas. Quod si patrem non habuerit, ne sic non est in sua potestate se ad alium maritum iungere, sed alii sui parentes et propinqui una cum Iudicem veniant, et pro honestatem sicut rationem iuxta legem ipsa ad matrimonio iungant, ad quem per legem sponsata fuerit.

Item alia intpr. Lege huius ut veritas sit, ut nullus Iudeus Christiana mulierem in coniugio habere debeat, nec Christiana mulier Iudeo maritum habere presumat: quod si fecerit, tales poenas prosequendi sunt sicut et alii adulteri. Et non solum propinqui sparentes eos exinde acusent, sed omnibus licentiam damus eos persequendi, et Iudices de eos sic faciant, sicut et de alios adulteros.

Item alia intpr. Qui se in matrimonium coniungunt, forsitan nec dotes nec donacio nec alia scripta inter se non fecerint, licet ipsorum, si se ambo voluerint, inter parentes et Iudices et bonos vicinos coniunctione facere: si hoc fecerint, talis coniugius stabilis est, et filii legitimi habentur.

---

n) Deiceret. Legendum reor: *dederint.*

VIII. *De secundis nuptiis.* Data IV. Kl. Ian. *Intpr.* Impr. Valentinus. Mulierem, qui post mortem mariti sui ante expletum annum se ad alium maritum iuncxerit, sciens se infamatam esse et notata, et qualecumque rem de priore maritum aut per dotem, aut per testamentum, aliquid acciperit, ipsa mulier exinde nihil habeat, sed hoc totum ad filiis, qui de priore maritum sunt, revertant; et si filios non habet, heredes qui propinquiores sunt ad suo priorem maritum, ipsi hoc recipiant.

IX. *Si secundo nupserit mulier, cui maritus usufructum reliquit.* Impr. Theudosius. Data V. Kl. Ian. *Intpr.* Mulier mortuo marito suo, si post expletum annum alium maritum prehendere voluerit, hoc licentia habeat, et illud quod sponsalicias recepit de priore maritum, et illum quantum de sua dote continet, dum vivit, usumfructum exinde habeat, et postea ad filios, qui de priore maritum sunt, totum ab integritatem recipiant; et si aliqui ei prior maritus de sua facultate per alias cartas dederit, exinde ad suos infantes quem de priore maritum habet, quem de illius voluerit, meliorare potest. Nam nec si per qualemcumque scriptura suus prior maritus illi aliquid dedit, hoc ad aliam personam ipsa mulier non habet potestatem nullo modo exinde dandi, nisi ad suos filios quod de priore maritum habet. Quod si filios non habuerit, nisi tantum filias, ut una de filias suas mortua fuerit, porcionem de ipsa mortua filia medietatem mater eius recipiat, et illa alia medietatem sorores eius, quantas fuerint, aequaliter inter se dividant. Nam et ipsam portionem de ipsa mortua filia eius mater post suam mortem ad suas filias, qui de priore maritum sunt, dimittat. Similiter quod si de ipsa facultate de prioris mariti aliquid exinde ad extraneos homines dederit, de suis propriis rebus reddat.

X. *Si nuptie ex rescripto petatur.* Impr. Honorius Data Kls. Febr. *Intpr.* Quicumque homo ad Principem aut ad Iudicem suggesserit, et mentit ad ipsum Iudicem, ut aliquis homo suam filiam in matrimonio ei dare voluerit, et dicit quod ipsa puella hoc suam voluntatem consentiat; si postea ea in tale falsitatem in matrimonium sibi coniuncserit; si nec de ipsos parentes, si nec de ipsa puella voluntas non fuit; si ipse homo ad suum Principem sic falsum suggessit, suam facultatem omnia perdat, et ipsum in exilio mittatur; et si filii exinde nati fuerint, legitimi non sunt. Similis condicio et de illos est, qui se in tercio et usque in quarto ienuculo se parentes in coniugio iuncxerint. Nam si hoc cum parentorum consensu fecerint, aut ipsas puellas consenserint, veniam consequantur, et da Principe preceptum tollant, et postea filii legitimi sunt.

XI. *Si quacumque preditus potestatem nuptias petat invidie.* Impr. Gratianus. Data XV. Kls. Iul. *Intpr.* Si aliquis Iudex qui provintia, aut civitates, vel loca regent, si forsitan per suam potentiam, aut per fortiam qualescumque pulliclas *o)*, aut viduas, aut orfanas, per suarum necessitatem eas traxerint, aut si eas preserint, decem libras auri conponant, et per duos annos ipsa iudiciaria amittant, et in exilio mittantur. Nam parentes illarum et ipsas puellas et ad alios Iudices, si in ipsa civitatem et loca sunt; et si ibidem non fuerint alii Iudices, postea in alias civitates et loca ad illos Iudices qui ibidem sunt, et testimonium et defensionem habeant.

XII. *De incestis nuptiis.* Impr. Constant. Data III. Kl. Mar-

---

o) Pulliclas. Italice: *pulcelle.*

Rom. *Intpr.* Quicumque homo cum sui patris filiam quem de altera uxorem habet, aut cum filiam matris suae quem de altero marito habet, si se in coniugio acciperint, capitale iudicium se esse incursurum cognoscat.

Item alia intpr. Si duas sorores unum maritum preserint, aut duo fratres una uxore preserint, aut qui uxorem fratri sui preserit, aut uxor si frater mariti sui preserit, hoc facere licentiam non damus. Nam ex tale coniugium filii legitimi non habeantur.

Item alia intpr. Quicumque homo aut fratris filiam, aut sororis filiam, aut suam consobrinam, aut certe fratris uxorem, qui se in tam scelerato coniugium iuncxerint, secundum legem de presente separentur, et filii eorum non sint legitimi, sed ipsi debunt esse notati; et de parentorum facultatem nihil habeant; sed post eorum morte alii propinqui heredes ipsas facultates recipiant; nam ad suos infantes testamentum exinde facere nullo modo potest; nisi tantum ad suum propinquum heredem, si voluerint, carta ei de sua facultatem facere potest. Nam si propincos heredes non habuerit, hoc totum fiscus adquirat.

Item alia intpr. Quicumque mulier sororis suae maritum post eius morte acciperit, et quicumque vir, mortuam suam uxorem, si eius sororem in coniugium priserit, sciat se tale coniugium esse notabiles, et filii qui ex eis nati fuerint et ad successione excludantur, nec inter filios habeantur.

XIII. *De dotibus.* Impr. Constant. Data XII. Id. Octob. *Intpr.* Si maritus uxorem suam de mores qualescumque capitanium crimen accusaverit, et in ipsa accusatione eius maritus mortuus fuerit, heredes mariti ipsa muliere accusare non possunt. Similiter et si ipsa mulier mortua fuerit, eius heredes *p)* exinde accusare non possunt, quia crimina cum actore deficiunt.

Item alia intpr. Qualescumque cartas qui inter virum et uxorem factas fuerint, aut per dotem, aut per alias legitimas scripturas, hoc sibi et maritus et mulier, dum advivunt, in usumfructum sibi vindicent, et ad nullum alterum hominem exinde licentia non habeant qualecumque carta facere, nec per nullum ingenium donare: nisi tota ipsa facultas post eorum discessu ad communes filios revertatur.

XIV. *De nuptiis Gentilium.* Impr. Valentinus. Data V. Non. Iun. *Intpr.* Nullus Romanus Barbara cuiuslibet gentes uxorem habere presumat, nec Barbarus Romana sibi in coniugio accipere presumat; quod si fecerint, capitalem sententiam feriantur.

XV. *De fideiussoribus docium.* Impr. Valen. Data IV. Kl. Nov. *Intpr.* Muliere pro dote causam potest hominem fidemiussorem dare.

Item alia intpr. Si quis impliendam dotem quid mulier maritum ante nuptias dat, si aliquis fidemiussor exierit, per illum fideiussore *q)* non teneatur obnoxius.

---

p) Eius heredes etc. Corrige: *eius heredes exinde accusari non possunt, quia crimina cum auctore deficiunt.* Vide Interpr. Aniani ad Cod. Theod.

q) Per illum fideiussore. Lege: *per illam fideiussionem;* seu, *pro illa fideiussione.*

XVI. *De repudiis.* Impr. Constan. Data. *Intpr.* Si contingerit lites inter virum et uxorem, si mulier maritum suum dimittere voluerit, non eum potest dimittere, nisi per trea crimina; hoc est si ei probare potuerit ut sit homicida, aut malificus, aut sepulchrorum violator; si una de istas culpas ei probare potuerit, nec dotem nec aliquid quem ad ipsum adquisivit non perdat, et alium maritum si prendere voluerit, licentiam habeat. Et quod si hoc super suum maritum probare non potuerit, omnia bona sua perdat, et ipsa in exilio *r*). Maritus vero si sua uxorem dimittere voluerit, hoc facere non liceat, nisi trea crimina ei adprobare potuerit, hoc est, adultera, aut malifica, aut consiliatricem; si unum de ista crimina ei adprobare non potuerit, secundum legem ipsa dimittere non potest; et si eam dimiserit, aliam uxorem ei ducere non liceat; et omnia quicquid ad ipsam mulierem aut per dotem, aut per qualecumque ingenio ei ante dedit, ipsa mulier sibi vindicet, et si voluerit post biennium alium maritum prendere, licentiam habeat: et si suus maritus aliam uxorem duxerit, omnem eius substantiam, et eius posterioris mulieris dote, illa mulier sibi vindicet. Si vero maritus ipsa capitanea crimina ad suam uxorem probare potuerit, sicut superius diximus, ipsa in exilio mittatur; et amplius in patria non revertatur, et omnia sua bona perdat, et quidquid de suo maritum recepit, ipse maritus in sua revocet potestatem, et de presente si voluerit aliam uxorem ducere, licentiam habeat. Nam ut superius diximus, si mulier suum maritum dimiserit, si ei suas istas culpas probare non potuerit, si postea in adulterio deprehensa fuerit, licet ad suum maritum exinde ea persequere.

XVII. *De tutoribus et curatoribus.* Impr. Const. Data IV. Id. Octob. *Intpr.* Si qualiscumque causa ad parvulos qui in annis minoribus sunt, aut de actum, aut quemlibet causa, eos provocare aliquis voluerit, hoc antea, quamvis utilis sint, agere non possunt, nisi si ante curiales testes etas eorum plene fuerit, qui illorum causam respondeat. Nam feminas sub patria, hoc est, frater patris, sub ipsius tutilla ipsas minores feminas esse debeatur.

Item alia Intpr. Si quicumque homo mortuus fuerit, si filios infra annis dimiserit, seniores civitates ipsius una cum alios Iudices consilium inter se habere debent, quod ad ipsos infantes tutores mittere debeant, qui ipsorum res gubernent.

Item alia intpr. Mulier si post mortem mariti sui tutilla de res filiorum suorum recipere voluerit ad gubernandum, si alterum maritum prehendere voluerit, aut in iuvenilem aetate non fuerit, ipsa tutilla recipere potest. Quod si ipsa tutilla recipere, si alium maritum duxerit, ille maritus qui ipsam mulierem ducit ad uxorem, sciat se suas res aligatus habere, et in omnibus paratus sit ad ipsas res de ipsos parvulos ad gubernandum, ut si aliquid exinde damnatum fuerit, de sua facultate sciat se hoc esse redditurum. Nam quod si illam mulierem seniores loci illius nam elegunt *s*) ad ipsorum res gubernandum; postea ipsi seniores et Iudices tale homine de ipsos heredes elegant qui eorum propincus est, qui et bonus sit et suas facultates habeat, ut nec per ipsius insipientia, et paupertatem, res de ipsius minores in damnum non ambulent. Quod si nec talis de eorum heredes inventus non fuerit, postea ipsi seniores et Iudices alterum hominem de ipsa provintia ele-

---

r) In exilio: h. e. *in exilio mittatur.*

s) *Nam elegunt.* Lege: *non eligunt.*

gant, qui iustus et bonus sit, et suas facultates habeat, quid ad ipsos parvulos tutore dent, qui eorum res gubernent.

XVIII. *De qui petant.* Impr. Costant. Data Id. Iul. *Intpr.* Quod avus paternum, aut avus maternum, aut avia paterna, aut avia materna, ipsas res parvulorum noluerint recipere ad gubernandum, postea inquirant testamentariis, hoc sunt, qui civi romani liberti dimissi sunt, sic ipsos iurare faciant, quod ipsas res parvulorum perfecte eis gubernent. Quod si et ipsi non fuerint, sciant se ipsi heredes quod superius scripti sunt, ut si eis aliquid de illa facultatem de illos parvulos venire debuerat, nulla exinde non habeant, et insuper damnandi sint, si res de ipsos nepotes suos noluerint recipere ad gubernandum.

XIX. *De administrationum et periculum tutorum et cura.* Impr. Costant. Data VI. Kl. Apr. *Intpr.* Quicumque homo res parvulorum reciperit ad gubernandum, si exinde in omnibus eis salvum et integra ratione sine ipsorum damnum ad expletum tempus tutilla eis non rediderit, sciat se de sua facultatem in quantum eis de ipsorum res damnum fecit, omnia ad ipsos parvulos redditurum, aut tantum eis de suas res in locum pignori dimittat, ad contra quantum illum fuit, quod per sua negligentia de ipsorum parvulorum facultatem perdiderint, usque dum ad ipsos parvulos omnia ab integritatem restituat.

Item alia intpr. Si forsitan parentes de ipsos parvulos aliquid per suo servitio a Principem de fisco habuerint concessum, et hoc postea ipsi parvuli per negligentiam de suos tutores perdiderint, sciant se ipsi tutores hoc totum de suo proprio ad ipsos parvulos redituri.

Item alia intpr. Si ad alios qui minore aetatem sunt, aliquid de facultatem, aut quod eorum parentes habere debuerant, si per negligentiam de suos tutores perdiderint, hoc totum sui tutores et curatores de suo proprio eis reddat.

Item alia intpr. Ubi tutores res parvulorum receperint ad gubernandum, de omnem illorum facultatem scripta facta et salva ambas partes habere debent, quantum ipsi tutores reciperint; et alia tale scripta rectores loci illius facere debent ad illos tutores, ut si talis res est, qui non peret, quod homo plurimum tempus servare possit, hoc est, quomodo de auro aut argento, talis pecunia omnia in unum collegatur et reponatur, et de annulos ipsorum bonorum hominum segelletur; ut nulla talis necessitas, nec talis causa veniat, quod de hoc ipsi tutores expendere debeant; sed omnia salvum sit ut *t*) ad legitimum tempus etatis parvulorum. Nam quod si alia talis pecuniam mobilis est, quod sic servare homo non possit, ipsi tutores eam vendant, et agros exinde ad ipsos parvulos comparent. Et quod si talis pecuniam non est, unde hoc facere possint, in quantum est illud laborent, et ipsos parvulos nutricant; et sic eos gubernent, ut omnia, sine ipsorum parvulorum damnum. Sed nec ipsi parvuli postea ad suos tutores de ipsa parva pecuniam, unde eos vix nutrire possunt, usuras non requirant.

EXPLICIT THEUDOSI LIBER TERCIUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

t) *Ut*; h. e. *usque*.

Incipit Liber Quartus.

I. *De credicionem et possessionem.* Impr. Theudosius. Data VII. Id. Nov. Si mortuo patre talis eius infans remanserit, qui adhuc loqui non possit, ipse infans inter suos heredes in omnibus in hereditatem parentorum suorum succedit.

II. *Unde liberi.* Impr. Archadius. Data II. Non. Octob. Si pater mortuus fuerit, et filias suas maritatas dimiserit, et ad illas in tempore nuptiarum dote fecerit, et quod ad eas dedit; si pater earum sic fuerit mortuus qui testamentum non faciat, si ipsas filias alias res cum fratres suos dividere voluerint, omnia, quod pater earum ad illas dedit, ad fratres suos, cum ad dividendum venerint, presentent, et sic postea secundum legem cum fratribus suis omnia equaliter dividant: quod si hoc non fecerint, quantum in tempore nuptiarum reciperint, hoc pro sua porcione reteneant, et ab alia hereditate parentorum suorum excludantur.

III. *De carboniano edicto.* Impr. Valent. Data III. Kl. Octob. *Intpr.* Si quis homo mortuus fuerit, et legitima uxorem prignante dimiserit, iubet ipsa lex ipsam mulierem ad suos propinquos ad custodiendum recipere, ut cum legitimum tempus infans natus fuerit, ut ipsi propinqui testimonium dent, ut ne forte postea ei dicatur, quia non sit de legitimum patrem ingeneratus: sic ipse infans postea in omnibus legitimam suam portionem de hereditate parentum suorum recipiat, et usque XV. etatis sue annos cum venerit, sine omnium repeticionem, qui a suo patre derelicta sunt, possideat, et postea suas res per curatore exsequat actiones.

IV. *De testamentis et codecellis.* Impr. Constant. Data XI. Kl. Ian. *Intpr.* Quicumque homo si non facit testamentum, sed fecerit codicellum (hoc est codicellus, alia cartam in vicem de testamento) hoc facere potest, et sic ipsum codicellum firmare roget cum legitimos testes, sicut et testamentum, idest per VII. aut per V. legitimos testes; quia per minorem numerum de testes carta firma esse non potest. Et si forsitan testamentum fecerit, et postea iterum alia carta tale fecerit, ubi qualecumque hominem contra suum testamentum heredem instituat, ipsa carta firma esse non potest.

Item alia intpr. Si quis homo moriens et testamentum fecerit, et forsitan postea, aut per proprias premias, aut per quale et modo, si Iudici, aut ad Iudices propincos, aut per qualecumque suum amicum, si per codicellum aut per qualecumque libet epistola eis aliquid de

res suas donaverit; talis donatio, qui tale modo in secreto fuerit tractata, non valeat.

Item alia intpr. Si cum in morte est homo, et scribit, aut dictaberit cartula testamenti, si V. aut VII. testes eam firmaverint, valet testamentus: quod si plus de VII. testes fuerint, non nocebit: nam si minus de V. fuerint, non valebit.

Item alia intpr. Omnis testamenta et alias cartas in urbem Rome apud curiales viros volumus presentare; ut in omnem regionem omnes scripturas qui scribitur, placuit voluntas mortuorum, ut legitimos testes impleantur; nam si per legitimos testes non fuerit firmata, non valebit.

Item alia intpr. Voluntas mortuorum sic placuit, ut si aliquis mortuus fuerit, et non fecerit testamentum, neque alia carta legitima, nisi forsitan ad verbum demandaverit; et si aliquis homo dicat: *Ego audivi mortuum dicentem, ut voluerit aliquid aut Iudici aut ad potentes homines de rem suam dare:* sed nos vero talem vocem non permittimus audire, nec non valeat; nisi forte si legitimas cartas fuerint protultas, illas valebunt; nam alia id de mandato valere non potest.

Item alia intpr. Si quis homo fecerit testamentum, et postea X. annos supervixerit, si ipsum testamentum non remutaverit, vacuus erit. Nam per X. annos *u)* si ipsum testamentum voluerit ut firmus permaneat, mutare eum debet.

Item alia intpr. Si quis homo fecerit testamentum, et postea sine testamentum quod remansit, si exinde alicui, aut per testamentum, aut per codicellum, et per donatione, alicum heredem sibi iniungere voluerit, licentiam habeat facere.

V. *De letigiosis.* Impr. Costant. Data Kl. Aug. *Intpr.* De illas res, qui in contentione sunt, non potest aliquis de illos nulla carta exinde facere, ante quam ipsas res per legem possit vindicare.

VI. *De naturalibus filiis et matribus eorum.* Impr. Valent. Data VI. Kl. Sept. *Intpr.* Quicumque homo de ingenua muliere legitimos filios, aut filias habuerit, aut nepotes, et alios filios de non legitima muliere, qui naturales filios dicunt, id est, de concubina, qui nos *ornongus* diximus; potest eis, et ad matres eorum, pater ipsorum de sua facultate eis una uncia, hoc est, XII. porcionem de suas res eis dare. Et quod si legitimos infantes et nepotes non habuerit; ad illos naturales filios, et ad matribus eorum, III. uncias de sua facultate secundum legem eis dare potest. Nam nec per parentorum arbitrium, nec per nulla carta, amplius dare non potest, nisi quantum superius scriptum est.

VII. *De manumissionibus in ecclesia.* Imp. Constant. Data IV. Kl. Mai. *Intpr.* Quicumque homo servos suos ingenuos dimiserint, in Bassilica presente sacerdotes et plebem dimittat: si hoc fecerint, plenam libertatem habeant. Nam si clericus suam mancipiam inienuam dimittere voluerit sine alio sacerdote et sine alia scripta, tantum solum cum verbo, si hoc in ecclesiam faceret, eorum libertas firma permaneat.

VIII. *De liberali causa.* Impr. Cost. Data XIV. Kl. Aug. *Intpr.* Quicumque homo qui libertus factus et dimissus est, si eum iterum aliquis alter homo ad servitium declinare voluerit, hoc ei de presentem facere non liceat, sed ad ipsos libertos inducias detur, et suum

---

u) Per X. annos. Lege: *post X. annos.*

benefactorem inquirat, qui eos cum eorum libertates defendant. Quod si ipsum defensorem invenire potuerint, ille qui eos in servitio inclinare voluerit, quanta familia voluit inservire, alios tantos de sua mancipia ad eorum defensore det, et ipsi liberti, qui pulsabant, liberti permaneant. Similiter quod si pupilli qui in minore etate tempus sunt, forsitan tutores eorum aliquos libertos in servitio voluerint, si per legem hoc facere si potuerint *v*), sciant ipsi tutores, sicut superius de illos alios diximus, tanta mancipia de suo proprium dent, quantos libertos in servitium inclinare voluerint. Et quod si illi homines, qui illos libertos persequebant, forsitan dum illos libertos in servitutem inclinare volebat, sed si mortui fuerint, et ipsi liberti se de servitio liberare potuerint, licet postea ad ipsos libertos eorum heredes, qui eas persequebant, ante Iudicem mittere, et ipsum tenore, sicut et parentes eorum, ut tanta mancipia de suo dent, quantos in servitio inclinare voluerint.

Quod si illi liberti ipsa causa persequere noluerint, ad suos persecutores nullum fretum pro tale causam non requiratur. Et quod si forsitan ipsi liberti defensores non invenerint, nec ipsi se per nullo modo defendere non poterint, per pactionem Iudices et bonorum hominum, non ad supplicii poenas, sed per pacientia, in servitio ad suum dominum revertatur.

Item alia intpr. Infans qui in minore actatem si venditus fuerit, licet ei post XXV. annos aetatis suae de sua ingenuitatem reclamare debet, ut ante XXX. annos se de servitio liberet: et si hoc fecerit, sine omne pretio se de servitio liberare potest. Nam post XXX. annos hoc facere non potest. Et si forsitan ille qui eum comparavit, alium acto, aut in publico, aut in suas res ei dederit, proinde sua inienuitatem non perdit. Et si forsitan alii quod ei ille qui eum comparavit sine carta donaverit, totum ipse recipiat, cui antea servus fuit: nam si ei aliquod per cartam donavit, quantum in ipsa carta continet, hoc sibi vindicavit. Similiter et libertus, si infra XIV. annos inienuus fuerit dimissus, et cum in plena aetatem venerit, si aliquo acto patronorum suorum fecerit, proinde suam libertatem non perdat, sed quando voluerit, ad suam libertatem revertat. Similiter si aliquis infantem inienuum nutrierit, et ipse infans se inienuum esse non saperet; et si ille, qui eum nutrivit, ipsum infantem vendiderit, et si forsitan ille, qui eum comparavit, alio acto illi dederit; si voluerit ipse infans, ante XXX. annos de suam inienuitatem reclamare potest.

Item alia intpr. Lex aliquando fuerat, ut qui XVI. annos sine omne inquietudine inienuus permansit, postea ad servitium non veniret; sed nos hoc valere non permittimus. Si inienuus homo in alterius colona, aut in cottidiana ancilla infantes generaverit, licet pater eorum inienuus, sed ipsos infantes ad inienuitatem traere non potest, nec illa colona, nec illa ancilla, quem de illas in coniugio prese, unde illos infantes generavit, nisi si pro illos alia mancipia vecaria dederit, aut si cum precium status eorum reddimere. Si hoc non fecerint, et ipsi infantes et matres eorum, servi eorum permanebunt, cuius ancillas ante fuerunt. Similiter et si proprii domini in suas ipsorum ancillas infantes inieneraverint, nec ipsi, nec matres eorum inienui esse non possunt, nisi per libertatem dimissi fuerint.

---

v) *Si potuerint*. Legendum videtur: *non potuerint.*

Item alia intpr. Qui per XX. annos non occulte, sed presentem omnibus, liber fuerit, si forsitan aliquo acto publicum fecerit, aut militiae locum habuerit; si hoc tacente patrono sic permansit, postea ad servitium non adicatur. Similiter et illi, qui nescientes patronos suos latuerunt.

IX. *Qui non a domino suo manummissi sunt.* Impr. Constan. *De his.* Data prid. Id. Iul. *Intpr.* Si quis homo qui alterius mancipium aut in ecclesia, aut ante Principe, inienuum dimiserit, ille libertus ad servitium revertatur, et ille qui eum per suam presumtionem inienuum dimisit, II. alios tales mancipios, qualis ille fuit, et cum tale opera quale ille facere potuit quem inienuum dimisit, ad suum dominum reddat. Et quod si ipse mancipius, quem inienuum dimisit, si se ipse de suo domino, aut per longum servitium, aut per qualecumque alia causa, liberare potuerit, ille qui eum inienuum dimisit, pro tale causa nihil componat.

X. *De libertis et eorum liberis.* Impr. Constant. Data VI. Kl. Aug. *Intpr.* Si quiscumque homo, qui libertus dimissus est, si forsitan postea contra suum patronem superbus factus fuerit, aut si eum aliquid suam malitia leserit, amissa libertatem ad servitium revertatur.

XI. *De victualibus et commissis.* Impr. Constant. Data Kl. Iul. *Intrp.* Quicumque homo in qualecumque utilitatem publica, si homines aut carra aut caballus pro se, aut qualecumque rem conduxerit, ille quicumque conduxit, quicquid ei in locationem promisit, omnia ei solvat; quod si non fecerit, per districtionem Iudicis hoc solvat. Similiter et quicumque actor, si ad illos homines qui aliquid vegere debetur, aut per se, aut cum carra, aut cum caballos, aut navigium facere, aut qualecumque rem qui vegere debent; si ipse actor eis plus superinposuerit, aut plus eos minaverit quam consuetudinem habent; et si aliquas premias exinde preserit, ut unum plus minet, et alterum parcat; qui hoc fecerit capite puniatur. Et ipsi suprascripti actores non plus quam triennium in ipsa actionem perdurent. *w)*

XII. *De quinquennii superscriptionem.* Impr. Honor. Data VIII. Kl. Iul. *Intpr.* Si quis homo qualecumque rem fescalem per quinque annos inter presentes sine omnem censum reddito sine omne inquietudinem possidere, liceat ei si ipsas res sine fisco possidere; et iuxta legem ipsi fiscales iudices pro hoc ei in adiutorium esse debent.

XIII. *De rem iudicatam.* Impr. Grat. Data XI. Kl. Octub. *Intpr.* In causas inter privatos homines, quod publice actiones non sunt, nemini liceat ad extraneum Iudicem ipsa causa in iudicio mittere; nisi ante suum privatum Iudicem eam liberet.

XIV. *De sententiis ex periculis recidandis.* Impr. Val. Data XV. Kl. Ian. *Intpr.* Omnes specialiter sciant, ut sic inter duos causatores ipsorum causas inquirere debent, ut ipsi causatores tota sua causa per ordinem dicant; et postea Iudex sic inter eos directum iudicium det; postea vero, quod de ipsa causa inter eos fuerit iudicatum, secundum legem, nullus de ipsos se exinde mutare non potest.

XV. *De fructibus et litis spensis.* Impr. Valent. Data VII. Kl. Mad. *Intpr.* Si aliquis homo res alienas rapuerit malo ordine, aut iniuste invaserit, si exinde in iudicium convictus fuerit, tam res quam in-

---

w) *Perdurent.* Mendose in codice: *perducerent.*

iuste tenuit, tam et fructum de ipsas res per singulos annos, in quantum tempus eas tenuit, et usque quo in iudicium victus fuerit, quales si ipse colexit, si quales ante ipsi homines, cui *x)* ipsas res esse debent, per bona tempora super ipsa terra habuerint, excepto sumpto lites, hoc est, in quantum ipsi homines, cui ipsa facultas esse debet, per placitum cum ipsos homines causandum in suum victum spendiderint, aut quantum pro hoc ad Iudicem conducendum pro sua iustitiam dederint. Quod si illi homines, qui ipsam facultatem querunt, ipsa causa vincere non potuerint, simili modo ad illos homines, contra quem causaverint, quantum ipsi in sumptum lites spensaverint, ipsi hoc ei reddant.

Nam quicumque homo, qui simpliciter nesciendo res alienas tenuerit, et si de presente, quo ammallatus fuerit, ipsas res reddere; de illa die de quo in iudicium venerint, de tunc sicut superius diximus solvant, nam non de tunc quando ipsas res tenuit.

Item alia intpr. Si postea cum inter illos directum iudicium fuerit iudicatum, et iudices fretum et res fuerint redditas, nullos de ipsos postea de ipsas res recausare non possunt.

XVI. *De usuris rei iudicate.* Impr. Valent. Data XV. Kl. Iul. *Intpr.* Quicumque homo si ante Iudicem pro qualecumque debitum ammallatus fuerit, si ibidem convictus fuerit, quod si ipsum debitum solvere debeat; si ipsum debitum in placitum iuxtam legem infra duos menses, aut quomodo inter eos convenit, dupla non solverit *y)*, centesima partem cum ipsum debitum solvat. Quod si ei iudicatum fuerit, quod si ipsum debitum, quod contra rationem tenuit, ut exinde usuras reddere debeat, simpla centesima porcionem cum ipsum debitum solvat. Quod si ille qui debitor est, ipsa rem quam debet, in placitum parata habuerint, ut eam reddere debeant; et quod ille, cui debitor est, prehendere noluerit propter dubitatem de illas usuras, aut de illa centesima; si hoc ipse, qui debitor est, bonos homines in testimonium suum ducat, qui hoc adfirment, quod ipse debitor ipsam rem, quam debuerat, in placitum paratum habuisset; si hoc fecerit et postea ille debltor de illa centesima nihil solvat, nisi tantum illum debitum, quod debebat.

XVII. *Qui bonis ex lege Iulia cedere possunt.* Impr. Gracian. Data Id. Octob. Roma. *Intpr.* Nullus homo, qui aut fiscale aut privatum debitum, aut de aurum, aut de argentum, aut de qualecumque re mobilem habet ad solvendum, dicat; pro nulla occasionem dicat: *Si de res meas non fecero cessionem, non habeo reddere:* per hoc si de ipsum debitum liberare non possunt, ut cum non solvat; nisi si eum aut incendium, aut hostes, aut latrocinium, aut cuiuslibet maior violentiam potuerit se adprobare, ut de omnem rem suam ab integro fuisset devastatus: si istas causas non potuerit adprobare, ipsum debitum ab integrum reddat.

XVIII. *Quorum bonorum.* Impr. Archad. Data VI. Kl. Aug. Mediolano. *Intpr.* Hoc iustum esse dicimus, ut quicumque homo omnia quae habuit, et usque in die vitae suae tenuerit, querentibus eum he-

---

x) Cui, idest, *quibus.* Scriptum errate videtur *cum.*

y) Dupla non solverit etc. Sic corrigo: *non solverit, dupla centesimam partem etc.*

redibus suis debeat eis consignare, et ille postea, qui adpertinet, teneat. Verumtamen uxoris sue res, si sine infantes mortua fuerit, ad propintiis eius qui illi legitimi sunt, eius res adsignare precipimus; nam suus maritus exinde habere non potest.

Item alia intpr. Si quis homo ad alterum hominem aliqua *z)* rem cesserit, videat si per scriptura, aut per testes, qualiter ipsam rem cedatur, ut illud quod per voluntatem cesserat, legitime adfirmet.

XIX. *De vim Iudicum.* Impr. Cost. Data X. Kl. Novemb. *Intpr.* Nullus Iudex alienas res nec per fortia, nec per nullo malo inienio, absente illo cuius res sunt, nullus homo eas invadere non presumat, nisi si eas si per iudicium Iudices potuerint vindicare, salvum Iudices fretum. Quod si ille inienuus homo, cui res sic invasas fuerint, forsitan in captivitatem ductus fuerit, et res suas in patria dimiserit, liceat ipsas res ad suos parentes, et ad suos amicos, aut ad suos libertos, vel ad suos servos, prosequere, et salvare. Quod si forsitan ad illos qualescumque homines violentiam facere voluerint, ut ipsas res illi salvare non possint; si ipse homo, qui in captivitatem ductus fuit, si post XXX. annos revertat, suas res qui in ipsius potestatem erant, quando in illa captivitatem ductus fuit, tam de illos qui eos invaserat, quam et de illos rectores, si ipsas res reciperint ad salvandum, si forsitan exinde aliquid per negligentiam perdiderint, sine omnem dilationem ille qui de ipsa captivitatem reversus est, de presente suas res de ab integro precipiat *a)*.

Item alia intpr. Quicumque homo suam causam in absconso per malo ingenio agere voluerit, et ipsa causa ante Iudicem dicere noluerit, ut causatorem suum absconse noceat, aut illum rixa turbaverit; ille qui sic fecit, si in ipsa causa iustitiam habere debuisset, tota eam perdat. Similiter si parvuli qui in minore aetate sunt, per tale neglegentia res suas perdiderint, cum ad legitimam aetatem pervenerint, res suas ab integro recipiant: et si forsitan tutores et curatores de ipsos parvulos, per sua negligentia ipsorum res desperatas fuerint, de suam facultatem tantum solvere debeant.

Item alia intpr. Quicumque homo aut fiscalem aut privatam rem malo ordine invaserit, si exinde in iudicium convictus fuerit, ipsam rem quam male invasit, et alium tantum, ad eum cui ipsas res esse debuerant, reddat. Quod si ille homo, cuius ipsas res fuerint, per suam presumptionem, ante quam eas in iudicio convincere possat, presumpserat prehendere, ipsam causam perdat.

Item alia intpr. Propter absentes legem volumus iterare, ut si alicui homini ad quamlibet hominem aliquid tultum fuerit, hoc totum ad amicis et proximis, aut ad suos libertos et servos, quem ille dominus in suas res misit, cum Iudices notitiam, sine omni morem eis reddatur; ut quando ille homo, qui aut in militia fuerit, aut in qualecumque necessitatem, et captivitatem ductus fuerit, cuius ipsa res fuerint, ut quando reversus fuerit, omnia ab integro recipiat.

Item alia intpr. Quicumque homo contra alterum hominem ante Iudicem undecumque causa miserit, nullus Iudex presumat de nulla causa sine eius causatore ad unum hominem iudicium dare. Nisi illi qui inter se causam habent, ambe partes ante Iudicem veniant, et

---

z) *Aliqua.* Mendose in codice: *aut qua.*

a) *Precipiat:* h. e. *percipiat.*

ipse Iudex inter eos diligenter inquirat; et quam ipsos de eorum causas bene exquisitas habuerit, sic inter eos directum iudicium iudicet.

XX. *Utrum vim.* Impr. Archad. Data V. Id Iul. *Intpr. De causas momentaneas.* Omnes causas momentaneas tam de facultate et quam et de colonaria familiam, qui exinde causa cum altero habuerit, infra annus prosequat, cuius essere debeat, et de presente, hoc est de momento, sit revestitus. Et sic postea qui exinde ei aliquid dicere voluerit, sic cum eo ille qui revestitus est causas suas agat.

Explicit Liber IV.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI V.

Incipit Liber V.

I. *De legitimis hereditatibus.* Impr. Costant. Data XIV. Kl. Iun. Rom. *Intpr.* Si mater ius liberorum non habuerit; hoc est ius liberorum si ingenua mulier III. partos non habuerit, et libertina IV., ius liberorum habere non possunt.

Si qua ingenua mulier post mortem mariti sui, si ius liberorum non habuerit, nisi unicum filium, et ipse filius emancipatus fuerit mortuus, mater in eius portione, quod ipse habere debuerat, in III. parte succedat, et illas duas partes heredes eius legitimi inter se dividant; hoc est, si fratres non habet, sui patrui, hoc sunt fratres patris, si unus aut plures sunt, hoc ea recipiant; et si patrui mortui, fuerint, filii patrui omnes hoc recipiant; et si filii patruorum mortui fuerint, si nepotes fuerint, ipsi nepotes hoc recipiant. Quod si mulier ius liberorum habuerit, et si unus, aut toti mortui fuerint, II. porciones de ipsorum hereditatem mater eorum recipiat, et illa III. porcione supra scripti parentes inter se dividant.

Item alia intpr. Si aliquis mortuus fuerit, et dimiserit matrem et fratrem consanguineum, hoc est qui de uno patre nati sunt, adoptivum, hoc est qui ante curiales vel plebe gistis fuerit adfiliatus, totum matrem de mortui filii hereditate illi excludunt.

Intpr. Si qua femina dotata aut inmancipata mortua fuerit, et patrem aut matrem super se vivos dimittit, et si filios super suam mortem dimiserit, ipsa mater suam porcionem non ad suos parentes, nisi ad suos filios dimittat.

Item alia intpr. Si quis pater aut mater mortui fuerint, et divisi non fuerint, si filios aut filias super se dimiserint, et forsitan una filia eorum

mortua fuerit, et de ipsa mortua filia nepotes dimiserint; filii, qui vivi sunt, suam porcionem in integrum succedat, nepotes de filia mortua de porcione ad heres duas partes recipiant, III. vero fratres matris suae recipiant. Similiter si aliqui sine divisione mortua fuerit, et dimittit ex filia nepotes, et alios filios non dimittit, et si forsitan fratres, aut et sorores, super se vivos dimiserit; III. partes hereditatis avi materni nepotes et neptias et vel neptiis ex filia sibi vindicabunt; IV. vero fratres et soror avi defuncti recipiunt.

Similiter maternam, et paternam, et si ata *b)* sine divisione mortuas fuerit, et dimittit filios vivos, et forsitan de alio mortuo filio aut filia dimittit nepotes de patris vel matris, ipsi nepotes vel neptias III. perdunt. Nam in atonis de patris hereditate nepotes, vel neptias nihil perdunt.

Item alia intpr. Haec lex similis est superiore; sed hoc amplius habet, quod dote pro filia in genero facta, vel quodquod ipsa filia in tempore nuptiarum accepit, postea post mortem atonis intestati, ipsi nepotes omnia insimul commiscere iussimus, et de dotem in hereditatem mixta duas partes exinde, quam mater eorum venire debuerat, precipiant; et si forsitan commiscere noluerint, sint ipsi nepotes cum illa contempti, quem mater eorum in tempore nuptiarum accepit, vel cum hoc solum quod in eius dotem continet.

Item alia intpr. Sicut superius iam superiorem legem inseruimus, ut si mater ius liberorum habet, ut unus de filiis suis mortuus fuerit, de ipsi mortui filii porcionem II. partes mater recipiat, et III. sui filii qui vivi sunt, inter se dividant. Sed in hac legem constitutum est, ut si mater ius liberorum habens, ut unus ex filiis suis, aut filias, mortuas fuerint, de ipsius mortui filii, vel filie, hereditatem medietatem ex eo mater eorum recipiat, et illa alia medietatem suas filias inter se dividant; et ipsa mulier *c)* alium maritum non preserit, de ipsa porcione potestatem habeat facere quod voluerit. Si vero alium maritum acciperit, quodque filius vel filia mortua aliunde adquesierit, mater eorum in perpetuo sibi vindicent. Nam de alia hereditatem prioris mariti ipsam porcionem, quam ex mortuo filio et filia fuerat consecuta, sorores de illos mortuos fratres post obitum matris suae sibi vindicent. Quod si filius aut filia illi qui morientur dimiserint, et mater eorum ius liberorum habentem super se dimiserint, et sorores, et si forsitan filios habeant illi qui moriuntur, ipsi filii eorum in integra facultatem patris et matris suae succedunt; et mater et sorores mortuorum postea ab ipsa facultate habeantur extranei. Haec lex de nepotibus et pronepotibus filiorum constituit.

Item alia intpr. Si quis homo ingenuus intestatus sine filios mortuus fuerit, suam facultatem post morte ipsius sui parentes recipiant. Similiter mulier si intestata sine filios mortua fuerit, suam hereditatem sui parentes recipiant. Quod si nec maritus, nec uxor, nullum propinquum heredem non habuerint, tunc postea et maritus et uxor sibi unus alter invicem in hereditatem succedunt.

II. *Decurionum, idest curialium.* Impr. Costant. Data Kl. Decemb. *Intpr.* Si curiales aut fiscales causas per . . . t, si forsitan in-

---

b) Maternam et paternam et si ata: h. e. *materna, et paterna avia.*

c) Et ipsa mulier. Lege: *et si ipsa mulier.*

testatus mortuus fuerit, et neque proximos super se demiserit, suam facultatem, quam ipse habuit, ad nullum alterum hominem prendere licet, nisi ad ipsos curiales de ipsa linia, unde fuit, qui ipsam curam, quam ille fecit, agere debeat. Nam curalibus testamentum facere lex ista tribuit potestatem.

III. *De Clericorum et Monachorum.* Impr. Theud. Data XVIII. Kl. Ian. *Intpr.* Si quis Episcopus, aut Clericus, vel Monachus, aut quicumque religiosus, vel religiosa femina, si isti supra scripti suam facultatem habuerint, et intestati sine filios, aut sine uxores mortui fuerint et heredes non dimiserint, quodquod nec curie aliquid debuerat, nec patronum quodquod relinquerint; postea ipsas ecclesias, cui servierunt, illorum facultatem adquirant. Et si testamentum facere voluerint, libera potestatem habeant faciendi.

IV. *De bonis militum.* Impr. Costant. Data II. Mar. *Intpr.* Si milites intestati, et sine heredes mortui fuerint, et proximos non habuerint, eorum bona illi, qui in ipso officio militant, sibi vindicabunt.

V. *De post liminio, idest de captivitatem.* Impr. Valent. Data XVII. Kl. Iul. *Intpr.* Quicumque homo ingenuus de captivitatem sine sua voluntate, aut per hoste captivum ductus est, post quantumcumque tempus in patriam suam reversus fuerit, liceat ei omnia suam facultatem quod dimiserit, in integrum recipere. Et si forsitan eam aut fiscus, aut privati homines tenuerint, aut Iudex alicui dederit, omnia ad integritate ei ipsam facultatem reddat. Et si forsitan ipse homo qui eum captivum habuit *d*), redemptione pretii sui de eum prendere voluerit, et si ille ipsa redemptionem non habuerit unde dare, pro ipsa redemptione V. annos serviat qui eum captivum habuit, et post quinque annos sine omnia alia redemptionem liber ad suam provintia revertatur. Et si forsitan quando revertere voluerit, aliquis eum pro suum victum aut vestimentum, quod ei in sua necessitate dedisset, si pro hoc ei exinde aliquid quesierit, pro hoc ei exinde licentiam nullam habeat requirendi. Et cum reversus fuerit. si aliquis homo ei de facultatem, quod habuit, aliquid contradicere voluerit, pro tale presumptionem sciat se in exilium missurum; si vero possessor homo fuerit, suam facultatem fiscus adquirat. Et Iudex vero puplici, qui hac lege neglexerit, vel se ab integritatem ei suam facultatem non restituerint, secundum legem, sciant se X. libras auri fisci parcere *e*) se esse daturum.

VI. *De ingenuis qui tempore tyranni servierunt.* Impr. Constantinus. Data VIII. Kl. Mar. *Intpr.* Ingenuus, qui tempore tyranni servi facti sunt, ad libertatem revertant. Similiter quicumque malus homo, si per potestatem, aut per fortiam, ingenuum hominem sciendum ad servitium inclinaverit, sciat se in legibus esse vindicandum; et ille homo de presente ad suam ingenuitatem revertat.

VII. *De expositis.* Impr. Costant. Data XV. Kl. Mad. *Intpr.* Quicumque expositum recenti partum, hoc est infanti parvulum, quod sui parentes aut in ecclesiam aut in platea ecclesiarum iactaverint; si quis eum sciente patrem, aut matrem, et domino, exinde eum collexerint, et suo labore eum nutricaverint, in illius potestatem permanebit qui ipsum infante collexerat. Et quod si nec patrem, nec matrem, nec

---

d) *Qui eum captivum habuit:* ut puto, *redemptum.*

e) *Parcere.* Lege: *partibus,* vel quid simile.

dominum non saperet, et exinde ipso infante collegere voluerit, sic ante Pontificem, vel ipsos Clericos, qui ad ipsa ecclesia deserviunt, ipsum infantem presentet, et exinde epistolam collectionis de manu ipsius Episcopi, et Clericorum accipiat; et postea ipsum infantem aut ienuum dimittere, aut servum habere in perpetuum habeat potestatem.

VIII. *De his qui sanguilentus emptus et nutriendus acciperint.* Impr. Costant. Data XV. Kl. Sept. *Intpr.* Si quis infantem parvulum a partu acciperit ad nutricandum, in ipsius dominium permanebit qui eum nutricaverit; et si postea de quo nutritus fuerit, si ipsum infantem aut dominus aut pater suus recipere voluerit, sic aut alterum tale mancipium, aut precium pro eo nutritori dent, et sic ipsum infantem recipiant.

IX. *De fugitivis et colonis inquilinis et servis.* Impr. Cost. Data VI. Kl. Nov. *Intpr.* Si quis sciendum alienum colonum in suam casam retenuerit, de presente ipsum colonum, quando eum requisierit, domino suo reddat, et mercedes eius cum eo de quamdiu eum post se habuit; et ipse colonus, qui noluit esse quod natus est, ad servitium revertatur.

Item alia intpr. Quicumque colonum, aut mancipium alterius, sive fiscalem, sive privatum, aut samardecaverit *f)* aut celaverit, pro privatum colonum VI. uncias auri solvat, pro fescale vero libra auri solvatur.

X. *De inquilinis et colonis.* Impr. Honorius. Data V. Kl. Iul. *Intpr.* Si quis homo alienum colonum in rem suam, vel fugitivum, et per suam voluntatem migrante, si eum ille homo XXX. annos habuit, si habuerit, postea sicut suum proprium eum vindicavit: qui si infra XXX. annos inventus fuerit, a primarium dominum, et cum filiis suis, et cum omne suum debitum, et cum suum peculium revocetur. Quod si ipse colonus mortuus fuerit, filii eius et cum suas mercedes, et cum patres sui mercedes, ad suum dominum revocetur. Colona vero si XX. annos in alieno dominio permanserit, ad priorem dominum non requiratur. Nam si infra XX. annos inventa fuerit, si iam de alieno colono filios habuerit, cum agnitiones, hoc est cum III. parte de ipsos filios, ad primarium dominum revocetur; quia colonus duae partes agnitio sequitur, et colona tertia. Tamen ne separatio coniugii fiat, ille, cuius colonus est, vegariam mulierem det, et pro illa tertia agnitionem, hoc est tertia de eius filios, aut vegarius, aut in quale rem potuerit, ad priorem dominum solvat Nam si aliena colona, aut ancilla, ingenuum hominem maritum preserit, omnis agnitio mulieris ad eius dominum pertinebit.

XI. *Ne colonus inscio domino suo alienet peculium et litem et inferat civilem.* Impr. Valens. Data VI. Kl. Febr. *Intpr.* Coloni in tantum teneantur ad dominos suos constrictos, ut nec de terra, nec de peculium suum, sine voluntatem dominorum suorum nec vendere, nec donare, nullo modo non habeat potestatem.

XII. *De longa consuetudinem.* Impr. Costant. Data IV. Id. Mar. *Intpr.* Longa consuetudo, qui utilitatibus publicis non impedit, pro lege servetur.

EXPLICIT THEODOSI LIBER V.

---

f) Samardecaverit. Mala arte sollicitaverit.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRORUM VI.

Incipit Liber VI.

Ut dignitatis ordo servetur. Impr. Valent. Data Kl. Ian. *Intpr.* Si quis homo qualecumque honorem, et dignitatem sine Principes ordinationem per se ipsum persumpserit prehendere ad regendum, sacrilegii reus habeatur; quia sicut dignitas est illorum, qui beneficium Principis aliquid habere merentur, ita et illorum sic est gravissima confusio, qui per semetipsos aliquid presumserit, aut per Principes non fuerint honorati. Hii vero qui sic presumunt, et excommunicatus sit inter homines, et de suas res exiet.

Explicit Liber VI.

INCIPIT LIBER VII.

I. *De rem militari* Impr Cost. Data IV. Kl. Mad *Intpr.* Si quis homo cum qualescumque homines sine causa preda fecerit, tam ille qui fecit, quam et ille qui cum predonibus preda diviserit, ad incendium concrementur.

Explicit Liber VII.

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

I. *De tabulariis locograffis censualibus idest scribis.* Impr. Honor. Data VI. Kl. Apr. *Intpr.* Tam in provintiam quam et per singulas civitates tabularii et alios Iudices publicos ad omnes et causas publicas tractandas, non colonos, nec servos, sed ingenuos, et cum bona fide, secundum legem constituant, qui hoc agere debeant.

Nam quod si colonos aut servos elegerint, qui ipsum actum faciant, et domini eorum hoc consenserint; in quantum ipse colonus vel servus decepta fecerit, aut alicui sine causa damnum intulerit, omnia domini eorum de suo proprio conponant, et ipsi coloni et servi flagellati ad fiscum perveniant.

II. *De cursu publico, angariis et parangariis.* Impr. Cost. Data XIII. Kl. Dec. *Intpr.* Si quis homo et actor, palavaretum aut angaria, non ostensa vectionem publicam, qui per legem facere debet; nam si super inposita per fortiam, aut in suam propriam vectionem

menaverit, per singulos palavaretos, et per singulas angarias, singulas libras auri fisci viribus solvat. Quod si Rector provintie, aut aliqui de ipsius officio aliquo conludio exinde facere voluerit, duplum ex suis bonis noverit exigendum.

III. *De executoribus et exactionibus.* Impr. Grat. Data IV. Non. Nov. *Intpr.* De die dominico omnis homo de omni causatione requiem habeant, ut nec privatum debitum, nec publicum nullus ausus sit requirere; nec nulla indicta publica, nec privata non indicetur: qui hoc non observaverit, reus sacrilegii teneatur.

IV. *Necquid publice letitiae ex discriptione et ab invitis accipiat.* Impr. Grat. Data IV. Kl. Mad. *Intpr.* Quando aliqua publica gaudia nunciantur, hoc est, aut elevatio Regis, aut nuptias, aut barbatoria, aut aliqua alia gaudia, quod ad Iudices pertinet, nihil invidum *g)* ad populum nec dona, nec nulla expendia exequantur.

V. *De donationibus.* Impr. Costan. Data VI. Non. Febr. *Intpr.* Donatio aut directa est, aut mortis causa conscribitur. Donatio directa est, ut res quod donat homo, de presente tradatur cui donat, et ipsa die possideat Donatio mortis causa scripta est, si ille qui donat, dum advivit, illam rem quam donat ipse possideat, scribat et illi cui donat: *Si ego ante fuero mortuus, quantum istas res in donationem scripsi, post meam mortem ad te perveniant, nam non ad alios heredes meos*: Postea si ille antea fuerit mortuus, ipsas res ad illum perveniant, cui eas in donationem scripsit. Nam si ille ante fuerit mortuus cui eas donavit, quam suus donator; ipsa donatio ad donatorem revertat. Alia donatio est: Ubi donator scripsit illi cui donat ipsam donationem aliquas causas, quia inpossibile est, quod ille postea nullum modo facere potest; si eas postea facere non potuerit, talis donatio vana est, stare non potest. Nam si ipsas conditiones doctas *h)* fuerant, cui donant adimplere potuerit, aut forsitan donator eas redimittere voluerit, ut non fiat, donatio illa firma permaneat. Omnes donationes superius nominatas, si legitimos testes non fuerint firmatas, aut si Falcidia, hoc est quartam partem, donator non reservaverit de res suas, ipsas donationes firmas non sunt. Nam si quarta reservata fuerit, et legitimos testes firmata fuerit, ipsas donationes firmas permaneant. Nam tamen omnem rem, que incontentionosa est, antequam eam homo deliberet, nulla donationem exinde facere non potest. Item si ad parvulos, idest qui minore etate sunt, si forsitan eis aliqua donatio facta fuerit, tutores eorum ipsam donationem bene gubernent, ut per suas negligentias ex ipsa parvulorum donatione nihil perdat: nam si exinde per suas negligentias aliquid perdiderint, sciant se ipsi tutores de suo proprio restaurandum.

Nam, sicut superius diximus, in omnes donationes primis nomen donatoris scribat, sic postea ipsius cui donat, postea ipsam facultatem quam donat, si in terris, aut domo, et in mancipiis, quia inmobilia sunt, et gestis ligare debet; et de ipsa re traditionem faciat non absconse, sed presente bonos homines; et ipsam donationem aut in tabula aut in carta scribat; et si donator litteras scit, ipsam donationem scribat, et si litteras non scit, presente plurimos homines roget, qui pro eo scribat. De mobile re, si donat homo, presente testes do-

---

g) *Invidum:* h. e. *invitum.*

h) *Conditiones doctas:* h. e. *conditiones bonas, honestas.* Nempe si conditiones honestae fuerint, et donatarius illas adimplere potuerit.

nationem faciat. Nam de illa re quam homo movere non potest, hoc est in terris et casas, si homo alicui donaverit, si ususfructus reservatus non fuerit, gesta apud bonos homines vel curiales testes firmatas esse debent.

Item alia intpr. Qui alicui de res suas donationes fecerit, aut in dotem dederit, si usufructum reservaverit, si stipulatio inserta non fuerit, pro traditione teneatur.

VI. *De revocandis donationibus* Impr. Cost. Data XII. Kl. Oct. *Intpr.* Si pater ad filium suum ininmancipatum donationem fecerit, et ipse filius postea patri suo aliquam gravem iniuriam fecerit; ipsam donationem, si voluerit pater suus, potestatem habeat ad se revocandi.

Item alia intpr. Si quicumque ingenuus homo filios non habuerit, et forsitan suos libertos de suas res donationem fecerit; si postea forsitan filios habuerit, donatio ad libertum facta omnibus vacua permanebunt.

Item alia intpr. Si mater filio suo donationem fecerit, si postea ipse filius matri suae graves iniurias intulerit, si ipsas iniurias mater in iudicium probare potuerit, si voluerit, ipsa mater potestatem habet ipsam donacionem ad se revocandi. Es si post mortem mariti sui ad secundas nuptias venerit, pro nulla occasione donacio filio facta non poterit rumpere, servatis scriptis legibus cui sub titulo secundis nuptiis continetur. Si quis homo filio aut filiae, aut nepoti ex filio, vel pronepoti ex neptie, si ei aliquid in tempore inmancipationis donaverit, nisi probatas in iudicium graves iniurias, quod ei ille cui donavit factas habeat, nam pro alia causa ipsa donatio rumpere non potest iterum.

VII. *De revocandis liberis.* Impr. Valent. Data XI. Kl. Sept. *Intpr.* Si pater filium suum mancipaverit, et ipse filius patri suo postea graves iniurias intulerit; si exinde in iudicium convictus a patre suo fuerit, amissa mancipatione in familiam revertatur.

VIII. *De his, qui administrantibus et publicum officium gerentibus detracta sunt vel donata.* Impr. Costant. Data XIII. Kl. Iul. *Intpr.* Si quis homo, qui Iudicem vel actorem publicum obsecunt, si forsitan aut per fortiam, aut per suam timam, qualemcumque hominem sibi aut strumenta, aut aliquam aliam cartam preciperit facere, tales cartas, si factas fuerint, vacuas permaneant; similiter et male vendutas res ad venditorem revertant, et precium non recipiant, si iustum non dederit.

IX. *De maternis bonis et paternis generis et creationis sublata.* Impr. Const. Data V. Kl. Aug. *Intpr.* Patres, qui res filiorum suorum iussi sunt gubernari, in quantum melius possunt, sic eas gubernent. Nam nec vendere nec donare alteri homini licentiam non habeat; quod si fecerit, videat ille cui vendiderat, aut donaverit, non filiorum res accipissent aut scientes aut nescientes; sed interrogent patrem et filios, si filiorum res in sua retinet potestatem, ut probet suum esse quod tradidit, ut postea filii exinde suspicionem non habeant; et ad patrem fideiussorem venditorem *i*) percipiant, ut patre vivo damnum emptori non faciant. Quia si hoc non fecerint, mortuo pa-

---

i) *Venditorem.* Lege: *venditionis.* Confer cum Interpret. Aniani.

tre licet fillos res suas de qualecumque homine, si venditas aut donatas a patre fuerint, ipsi filii in suo dominio revocare.

Item alia intpr. Matres res, quem filii debent habere, mortua uxorem lex novella constituit, quantum aut quamdiu pater usufructum exinde habere debeat; nam nec vendere nec donare pater non habeat potestatem. Nisi in tantum si mortua mater, et pater postea filium suum emancipaverit, ipse filius de res matris suae tercia parte quod ei advenerit patri suo pro dono exinde dare debet ipsius gratiam querendum.

Item alia intpr. Pater uxorem mortuam filios habuerit, et unus de filios emancipatus mortuus fuerit, omnem porcionem eius, quod de matrem suam habere debuerat, omnia sua porcionem pater suus recipiat. Si forsitan ipse pater alia uxorem duxerit, ipsa filii mortui porcionem ad fratres mortui reddat: Nisi in tantum si aliquid ipse mortuus filius de foras adquesivit, hoc pater in perpetuum sibi vindicavit.

Item alia intpr. Uxore mortua, si maritum super se dimiserit, et omnes filios in potestatem patris relinquerit, pater de filiorum res, quod mater eorum dimisit, usufructum exinde sibi habeat usque ad illum tempus, quod lex novella constituit. Quod si post matris obitum, aut plures aut unum filium pater emancipaverit, de illorum porcionem triante accipiat pater eorum, et in perpetuo habeat. Quod si viva matrem, pater unum et plures filios inmancipaverit, aut filias, quia non potest, mater vivam, filiorum porcionem pater vindicare; nam post matris mortem, si pater supervixerit, tertia partem vindicavit; idest per singulos filios de matris hereditatem de ipsi emancipati filii, de unum medium, de duos tercia, de tres quarta porcione, dum intervixerit pater, in usufructu possideat. Quod si alteri filii vivam matrem aut patrem mancipati fuerint, et alteri non emancipati, tam demancipatis, et non demancipatis, sicut superius scriptum est, a patre servetur. Quod si mortua uxorem filii non fuerint, et nepotes et neptiae ex filiis avos paternos habuerint, quia in avi potestatem consistunt; si vero ex ipsis nepotibus avus eorum emancipare voluerit, tertia similiter sicut et pater de filiorum similiter portionem accipiat; hoc vero et pronepotibus lex ista constitui.

X. *De bonis qui filiis familias ex matrimonium adquirantur.* Impr. Theud. Data VI. Id. Novemb. *Intpr.* Quicquid attus, vel avus, et ata, aut amita materna ad nepotes vel pronepotes suos per testamentum, aut per qualecumque causam firmum eis donaverint, hoc patri non adquirunt, sed omnia in eorum maneat dominationem, ut exinde libera habeant potestate facere quod voluerit.

EXPLICIT THEUDOSI LIBER VIII.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO IX.

Incipit Liber IX.

I. *De accusationibus et subscriptoribus.* Impr. Costant. Data II. Non. Dec. *Intpr.* In qualecumque provintia si homo capitanium crimen, aut unde homo mori debeat, super alicum miserit, ab ipsos Iudices, qui in ea provintia, aut in illo loco sunt, iudicetur, ubi ipsum crimen admissum est. Nam non apud eos, non ubi ipse homo inhabitat, qui illum crimen fecit.

Item alia intpr. Femina sua propria causa agere potest. Nam extraneam causam nullo modo agere potest.

Item alia intpr. Quicumque homo ad alterum hominem iratus aliquo crimen inposuerit, habeat spacium post crimen dictum, post tres dies, si ille in ipsa causa perduraverit, ut dicat: *Ego quae dixi, hoc probare possum*; ut ipsum crimen super illum hominem alium vincat: si postea ipsum crimen, cui dixit probare, non poterit, reus criminis adesse debeat, et tale poena habeat, quales ille debuerat habere, super quem ipse crimen dixit. Quod si forsitam se ipsum penituerit, et dixerit: *Hanc crimen iratus dixi, nam hoc cumprobare non possum:* exinde det sacramentum; si hoc fecerit, postea pro hoc non teneatur in culpa.

Item alia intpr. Quicumque homo ad alterum hominem de homicidium, aut de capitaneum crimine reputaverit, si inienuus est, et ad alium ingenuum talem causam reputat, si per ei sacramentum non crediderit, Iudex non eum ante discutiat, nisi prius subscribat se ipsum ille qui eum accusat, aut de suam facultatem, aut qui tale poena sustineat, qualem voluerit ei facere quam accusat. Sic postea Iudex illum qui accusatur *k)*, in traballio mittat; si ibidem ipsum crimen non fuerit confessus, postea ille qui eum accusavit sciat, se aut suam facultatem amittere, aut poe-

k) Qui accusatur. In codice legitur: *qui accusat*: sed perperam.

nam quam posuerat solvidurum, aut in ipso treballio dupla poena sustinere. Similiter si quicumque homo alienum servum de capitale crimine ammallaverit, et ei ad sacramentum non crediderit, nisi subscribere eum vult; de presente plebat *l*), hoc est subscribat suum servum alterum talem quales ille est, cui reputat: sic Iudex illum, cui de ipsa culpa reputat, in treballio mittatur; si in ipso trebalio ipsa culpa confessus non fuerit et illum flagellatum servum dominus suus recipiat, et illum alium servum, qui contra illum subscriptus est, habeat.

Item alia intpr. Ubi homines culpabiles in carcere missi fuerint, non multum tempore eos ibidem tenere debent; nisi de presente expellantur foras, et si culpabiles sunt, secundum suam culpam eos iudicentur; et si culpa non habuerint, liberi abscedant.

Item alia intpr. Barones hac mulieres, si crimen equale habunt, non in una carcere mittatur.

II. *De custodiam reorum.* Impr. Costant. Data Non. Apr. *Intpr.* Qualecumque culpam, vel hominem, si Iudex eum in carcere mittere iusserit, si exinde reus per neglegentiam de ipso custode fugiret, sciat se ipse custor, ut ipsum reum presentare debeat; et si eum presentare non potuerit, tale poena sustineat, sicut ille reus patire debuerat.

Item alia intpr. Omnes dominicis diebus, qui in carceribus sunt constricti, Iudex eas foras sub custodiam expellere faciat; et forsitan si aliquis Christianus pro reverentiam Christi aliqua substantia eis porrigant; et iusta quomodo eis oportet, Iudex eos sub custodiam in balneo lavare faciat. Si quis Iudex hoc non fecerit, poena qui lex ipsa constituit, solvat.

III. *Ne preter crimen magestatis servus dominum suum, vel patronum libertus seu familiares acuset.* Impr. Valentinus. Data Id. Mar. *Intpr.* Si quis servus dominum suum, aut libertus patronum suum acusare voluerit, nisi forsitan probare potuerit, quid ipse dominus aut ipse patronus contra dominum blasphemasset, aut paganos eos probare potuerit, de tale accusationem licentiam habeant. Et si vero dixerit, ipse libertus aut servus sine omnem iniuriam liberi abscedant: Nam si de hoc mentierint, aut si forsitan de alia qualecumque causa libertus patronum, aut servus dominum suum, ad qualecumque Iudicem accusaverint, de presente in ipsa hora accusacionis Iudex eos capite punire faciat.

IV. *Ad lege Iuliam de adulteris.* Impr. Costant. Data III. Non Febr. *Intpr.* Si quacumque femina habuerit taberna in domum suam si sua ancilla miserit qui ipsum vinum vendere debeat, si ipsa domina sua in adulterium fuerit deprehensa, maritus suus exinde eam accusare non potest *m*). Nam si ipsa ancilla, qui ipsum vinum vendit in adulterium fuerit deprehensa, pro hoc eam dominus suus eam accusare non potest. Nam quod si ipsa domina mulier, cuius vinus est illa taberna per se ipsa vendiderit, et in adulterium fuerit deprehensa, pro hoc exinde eam accusare non potest maritus suus.

---

l) *Plebat:* in vadimonium spondeat: quod Italice est *pieggiare.*

m) *Accusare non potest.* Luculente legitur in codice particula negativa, quam tamen irrepsisse credo ex errore amanuensium.

Item alia intpr. De adulterio extranea muliere nullus accuset, nisi propinqui ad quem pertinet: hoc est, frater germanus, et frater patruelis, patervos *n*), et conubrinos; et tamen, si antequam eam homo accusat, criminaverit, potest ei veniam impetrare: Nam alteri, qui ante subscriptionem non criminaverit, veniam non accipiant. Nam maritus ex suspictionem uxorem suam accusare licet.

Item alia intpr. Si contigerit, ut per suspicionem homo ad suam mulierem de adulterium reputat, vel de tale accusat, quod suum maritum occidere voluisset; similiter si maritus suam mulierem sine culpa occidere voluerit, aut forsitan fecerit; pro tale causa debet Iudex cotidiana familiam, qui semper in casa cum ipsos suos dominos conversant, districtos discutere, ut quodquod exinde sciunt, verum dicere debeant, pro quale causa aut uxor maritum, aut maritus uxorem occidisset.

Item alia intpr. Ne Iudeus Christiana, ne Christianus Iudea ducat uxorem; quod si duxerit, quicumque homo potest exinde accusare; et sicut de adulterio, sic de eos vindicetur.

Item alia intpr. Quicumque masculus cum masculum concubuerit, ignibus conburentur.

Item alia intpr. Qui in adulterio accusati sunt, si propinqui aut amici eos excusaverint, si postea forsitan post aliquo tempore ipsam causam, qui ante celata aut excusata fuerat, foras proierit, velut manifestus adulterius punire placuit.

V. *Si quis ea, cuius tutor fuerit, corruperit.* Impr. Costant. Data II. Kl. Apr. *Intpr.* Ubi primum puella annus nuptialis venerit, qui maritum prehendere possat, si patrem aut matrem non habuerit, nisi sub tutore viventem fuerit, et si aliquis eam in coniugium prendere voluerit, non antea se ad illa coniugat, quam eius ingenuitas ab ipso tutore fuerit adprobata. Nam si ab ipso tutore eius virginitas violata fuerit, ipse tutor in exilio mittatur, et eius facultates fiscus adquirat.

VI. *Intpr.* Quicumque mulier ingenua suum servum ad maritum preserit, ipsa mulier occidatur, et illum servum ignibus concremetur. Licet ad familiam de tale crimine sua domina accusare; si hoc probare ipsa familia potuerint, libertatem accipiant; nam si hoc probare non potuerint, puniantur. Et ipsa mulier si hoc fecerit, eius facultas, si de alio legitimo maritum infantes habuerit, ab ipsos infantes perveniant; et si infantes non habuerit, ad propinquos revertat.

VII. *Ad lege Iulia de via publica et privata.* Impr. Costant. Data XV. Kl. Mad. *Intpr.* Si quis ingenuus homo convictus fuerit ante Iudicem, quod alicui evidente violentia sine culpa intulisset, capite puniatur; et quod si ibidem ambe partes homicidium factum fuerit, in illum vindicetur, qui ipsam violentiam intulit.

Similiter si aliquis super alterum violentiam dicit, si hoc ante Iudicem probare non potuerit super eum, quod ei aliqua violentiam fecisset, talem poenam sustineat, quale ille debuerat sustinere, quem violentum esse dixit.

Item alia intpr. Servi, si nescientibus dominis suis alicui violentiam fecerint, puniantur; et si domini eorum hoc consenserint, digni-

---

n) *Patervos*; h. e. *patruos*.

tatem suam amissa notati infamiae deputentur, servi vero qui talem causam ad suos dominos consentierint, in metallo deputentur.

VIII. *De privati carcere custodia.* Impr. Theud. Data II. Id. Mad. *Intpr.* Si quis Iudex, qui violentes homines scienter aut de carcere, aut sic loco dimittunt, ut ipsa causa diligenter non inquirant; tale poena exinde habeant ipsi Iudices, sicut in superiore lege scriptum est.

IX. *De emendationem servorum.* Impr. Costant. Data X. Kl. Mad. *Intpr.* Si quis homo dum suum servum pro homicidii culpa in custodiam habuerit, et ipse servus ibidem mortuus fuerit; dominus eius pro ipsa culpa homicidii non teneatur obnoxius.

X. *De emendacione propinquorum.* Impr. Valentinus. Data II. Kl. Novemb. *Intpr.* Si aduliscentes infantes aliquid minutas culpas fecerit, dimittant eos in potestatem dominorum suorum, vel ad patrem suum, aut ad propinquos, ut ipsi eos in private per verbum discutiant, ut forsitan per blanda verba eis veritatem dicant. Quod si per verba non potuerint, mittant eos in trabalio; quod nec sic per hoc non potuerint veritatem cognoscere, postea si graves culpas fuerint, ad discussionem Iudicis tradatur.

XI. *Ad legem Cornilia. De sicariis.* Impr. Valentin. Data V. Kl. Febr. *Intpr.* Si vir aut mulier sua voluntate infante negaverit, rei homicidii teneatur.

Item alia. Si quiscumque homo aut nocturnis horis, aut diurnis, armatus forsitan alios homines, aut de terra ambulantes, aut in sua casa, asalire voluerit, et si ipsi homines, suas causas, aut se ipsos defendendos, illum, qui eum adsalierit, occiserint, nullam malam exinde habeant, et illum qui occisus est pro rei latrone morte habeantur.

XII. *De parricidio.* Impr. Costan. Data XVII. Kl. Decemb. Si aliquis patrem, aut matrem, aut fratrem, aut sororem, aut filium, aut filiam, aut alium suum propinquum occiserit, factum de corio saccum, quod colleus dicitur, et ibidem ipsum homicidam mittantur, et cum ipso serpentes includantur, et si prope est mare, in ipsum mare eum dimergantur: si mare prope non est, in laco, aut in profundo gurgo dimergantur, ut nullo tempore eius corpore non obtineat sepultura.

XIII. *De malificis et mathimaticis et ceteris similibus.* Impr. Constant. Data XV. Kl. Iul. *Intpr.* Malifici, vel incantatores, et missores tempestatum, vel his, qui per invocationem demonum mentes hominum turbant, hii vero omne poenarum genere puniantur.

Item alia intpr. Quicumque sacrificia demonum celebraverint, vel incantacionum demones invocaverint, capite puniantur. Similiter quicumque invocationem demonum, vel in divinos ariolos appellant, vel in aruspices qui aguria cablant *o*), crediderint, capite puniantur.

XIV. *A lege Favia, hoc est, qui filios involant alienos.* Impr. Costant. Data Kl. Aug. *Intpr.* Quicumque homo filium alienum involaverit. *p*)

---

o) *Aguria cablant:* auguria fabulantur. Rudi Italico dicimus: *cabalare*, uti et fabulatores *cabaloni*.

p) *Involaverit.* Post haec desunt aliqua; ex. gr. *morte puniatur.* Vide Aniani interpretationem.

XV. *Ad legem Cornilia', de falso.* Impr. Costant. Data IV. Kl. Feb. *Intpr.* Si Curialis de alicuius morientis voluntate aliquid scripserit, aut quaelibet de publico documento scripserit, si falsum fecerit et accusatus fuerit, prius ipsam culpam componat; et si postea convictus fuerit, honorem perdat; nam de curia sua non exeat.

Item alia intpr. Si aliquis homo in cuiuslibet scripturis tam in civile quam in criminali, non falsum crimen dixisset, si ipsa carta vera esse dicatur, si ante Iudicem venerint, et ille, qui accusat, falso crimen in carta dixerit, det Iudex accusatori spatium ut deliberet; si postea revenire voluerit ad Iudicem, et causam, quem dixit, recausare voluerit, in potestatem Iudicis erit, aut de cum subscriptionem facere, aut si locum discutere, ut probet ille qui querit; et si probare non potuerit, tale damnum sustineat, quale ille, si convictus fuisset, debuerat sustinere.

XVI. *Victu civiliter agere et criminaliter possit.* Impr. Valentinus. Data Prid. Kl. Iun. *Intpr.* Sunt cause permixte civiles et criminales, et possunt ipsas causas dividere, ut primos civiles, et postea criminales agantur. Quicumque homo de re sua per violentiam fuerit deiectus, et rem tultam habuerit; si primis voluerit de ipsa causa ante Iudicem accusare, de presenti eum de ipsa re revestire faciat; et postea secundum legem inter eos directum iudicium det, ut suam rem quam perdiderat, per legem per ipsius beneficium habeat; et si forsitan ipse accusator alienam rem malo ordine tulerit, cum lege reddatur.

XVII. *De falsa moneta.* Impr. Costant. Data XII. Kl. Mart. Quicumque adulterum monetarium protulerit, si ipse monetarius, qui accusatus est de ipsa moneta, convictus fuerit ut eam adulterasset, igne incendatur.

Item alia. Quicumque soldum minorem fecerit, aut circinaverit, aut adulterum monetam fecerit, capite puniatur.

XVIII. *De raptu virginum vel viduarum.* Impr. Costant. Data II. Kl. Apr. *Intpr.* Si quiscumque homo cum parentibus puelle de eius coniugio nihil firmaverit, et si forsitam aliquis presumpserit, et cuiuscumque filiam, vel viduam, ad raptum traxerit, si ei ipsa puella consenserit, ambo pariter puniantur: si verò aliquis de amicis, vel familia, aut de vicinis ipsorum, vel nutrices eius, ad hoc raptum consilium dederit, aut locum ad rapiendum fecerint, aut oportunitatem necessarie eis dederint, remissum plumbum in buccas eorum mittatur.

Si vero puella invita tracta fuerit, et si vocem non fecerit, aut non clamaverit, ut vicini aut parentes eam liberare possint, ipsa puella de parentum facultate nihil habeat: et raptore convicto Iudex eum occidere faciat. Quod si raptor cum parentes puelle absconse peccaverit, aut conpositionem acceperint; si quiscumque de ipsorum familiam hoc ad Iudicem dixerit, si servus est, latina accipiat libertatem, et si latinus est, civemqum romanum accipiat libertatem; parentes vero puelle, qui raptori in tali causa consenserint, in exilio deputentur; alii vero qui raptori consenserint, aut solacium prebuerint, sive viri, sive feminae sunt, si exinde convicti fuerint, ignibus concrementur.

Item alia intpr. Si accusationem de raptu ante V. annos nemo fecerit, si V. anni quedam ordinem transierint, post V. annos exinde accusandi non habeant causam, et postea ipse coniugius firmus permaneat, et filii ex eis legitimi sint.

XX. *De raptu, vel matrimonio santimonialis et virginum, vel viduarum.* Impr. Costant. Data XII. Kl. Sept. *Intpr.* Si quiscumque homo sacratam Deo, aut virginem, vel viduam, forsitan rapuerit, si postea eos convenerit, ut in coniugium coniuncti sint, ambo pariter puniantur. Nam si aliquis ad sacratam Deo de matrimonio vel dicere ausus fuerit, aut eam in coniugium prehendere voluerit, capitali sententia feriatur.

XXI. *A lege Iulia de repetendorum.* Impr. Gratianus. Data XVIII. Kl. Febr. *Intpr.* Omnes Iudices sciant, ut quid quod alicui malo ordinem tulerint, si ipsi hoc non reddiderint, ipsorum heredes hoc reddere debeunt.

XXII. *De his qui latrones, vel malis criminibus reos occultaverint.* Impr. Constant. Data Kl. Mar. *Intpr.* Quicumque homo sciendum in domum suam latrones, aut furones susciperit, aut celare voluerit, et si hoc Iudici dicere neglexerit; si ingenuus aut pauper homo est fustigetur; si vero melior homo est, ad arbitrium Iudicis damnetur; sive publicus aut privatus actor nesciente dominum suum hoc fecerit, incendium concrementur.

XXIII. *De his, qui plebe audent contra publicum collegere disciplinam.* Impr. Cost. Data III. Kl. Ian. Si quis populum ad seditionem concitaverit, damnis gravissimis subdantur tormentis.

XXIV. *De famosis libellis.* Impr. Constant. Data IV. Kl. Apr. *Intpr.* Si quis homo falsam cartam, aut qualecumque scripturam ad cuiuscumque damnum in secreto scripserit, si eam in publicum, aut ante Iudicem, aduxerit, illum vero contra quam scripta est non nocebit; et si eum invenire potuerit, qui talem cartam fecit, si ipsa causa probare non potuerit quod scripserat, fustigetur.

XXV. *De questionibus.* Impr. Grat. Data VI. Kl. Apr. *Intpr.* In diebus quadragesime pro reverentia religionis omnes criminales causas conquiescant.

XXVI. *Ut intra annum criminales actio terminetur.* Impr. Archad. Data III. Kl. Iul. *Intpr.* Omnes criminales causas, qui per scriptam amallantur, infra anni spatium finiantur. Et quod si inter ipsos causatores ante Iudicem convenerint, ut ipsa causa prolongare debeant, hoc facere per iussionem Iudices possunt: nam secundum legem non possunt, ut infra anno ipsa causa non terminentur. Et si forsitan ille qui querit ipsa causa, vel crimen, infra anni spacium quae dixit si probare non potuerit, ille absolutus est quem appelavit; et ille qui ipsam causam accusavit, in infamia deputentur, et quarta parte bonorum suorum amittat: et si talis persona est, quem infamare aut notare non possint, in exilio mittatur.

XXVII. *De ablutionibus.* Impr. Costant. Data VI. Kl. Sept. *Intpr.* Si quiscumque homo alterum hominem de qualecumque causa ad Iudicem acusaverit, si exinde se postea poenituerit ille qui accusavit, et dixerat: *Ego scriptionem feci, nec illa causa, quae super eum dixi, probare non possum:* si ipsa causa dimittere voluerint, hoc facere potest. Si forsitan postea Iudex illum hominem, qui accusatus fuit, de ipsam causam culpabilem invenerit, si criminalis causa est, si exinde convictus fuerit, Iudex eum licentiam habeat exinde persequendi.

XXVIII. *De indulgentiis criminum.* Impr. Archadius. Data V. Kl. Mar. Mediolano. *Intpr.* Sacrilegus, adulter, monete reus, raptor, sepulchri violator, adulter incesti, venificus, malificus, homicida, diebus

Pasche nullatenus absolvantur. Alii, qui in minore crimine fuerint detenti, venerabilis dies Pasche in omnibus absolvantur.

XXIX. *De calumniatoribus.* Impr. Grat. Data III. Kl. Ian. *Intpr.* Calumniatores sunt, qui causas a se non pertinentes sine mandato causare presumunt; calumniatores sunt, qui cum iusto iudicio de quacumque causa ante Iudicem convictus fuerit, et ipsam causam iterum recausare temptaverit; calumniatores sunt, quod ad illos non pertinet et petunt, aut in iudicio proponunt; calumniatores sunt, qui sub nomine fisci facultates querent alienas, et innocentes quietos esse non permittunt; calumniatores sunt, qui falsa deferentes contra cuiuscumque innocentes personas Principum animus ad iracundiam commovere presumunt. Hii omnes, qui tales causas minant, infamiaes vel notati in exilio deputentur.

XXX. *De poenis.* Impr. Const. Data V. Non. Novembr. *Intpr.* Cum Iudex qualecumque hominem de qualecumque crimine discutere voluerit, non antea iudicium det, quam omni veritatem, aut de homicidio, aut de adulterio, aut de maleficium, de ipso malefactore si commisisset, cognoscat.

Item alia intpr. Cum Iudex qualecumque hominem in culpa invenerit, non antea eum iudicet, quam hoc ad suum dominum, vel ad suum seniorem nuntiet.

Item alia intpr. Si Princeps aut qualecumque hominem pro quacumque culpa morire, aut occidere preciperet; illi qui facere debent, non statim hoc faciant, quod irati domini ordinant, sed XXX. dies ipsum hominem in occulto reservent; forsitan subvenit pietas domini sui vel iustissima amica.

Item alia intpr. Si aliquis qualecumque hominem ad Iudicem de qualecumque crimine accusaverit, si ille qui acusatus est, convictus fuerit, secundum legem ipsum iudicetur; nam heredes ipsius, qui culpabiles exinde non sunt, nulla calumnia pro illo crimine non incurrant.

XXXI. *Ne sine iusso Principis certis Iudicibus liceat confiscari.* Impr. The. Data X. Kl. Febr. *Intpr.* Nullus Iudex presumat de qualecumque privatum hominem suas res pro fiscale hominem scribere, aut occupare; sed secundum culpa, quale ipse homo habuit, det super eum iudicium. Nam et fiscale occasione eum damnare non debet.

XXXII. *De bonis prefrescriptorum, seu damnatorum.* Impr. Valent. Data. VII. Kl. Dec. *Intpr* Si quis homo pro qualecumque crimine damnatus fuerit, bona ipsius, quod habuit, sui filii accipiant, nisi tantum si de crimen magistatis accusatus fuerit et convictus, postea sui filii ipsius facultatem habere non possunt.

Item alia intpr. Si quicumque homo per sua culpa de aliquo crimine damnatus fuerit, aut occisus, si uxorem pregnante dimiserit, ipsa mulier de presente ad Iudices vel curiales, de suo concepto dicat, ut postea hereditates patris damnati ipse infans recipere possit.

Item alia intpr. Si quicumque homo inienuus pro sua culpa damnatus fuerit, uxor eius suam facultatem da sui mariti facultate separet, et dotem, quam ei suus maritus, vel eius parentes dederunt, et quod ei ante nuptias in donationem pro coniunctionem dedit, ipsa sibi vindicet, nec in mariti crimine uxor non oblicetur.

XXXIII. *De sententiis passis et prestitutis et liberis.* Impr. Constant. Data XVIII. Kl. Oct. *Intpr.* Si quiscumque homo inienuus per sua culpa in exilio missus fuerit, et si filium mancipatum in plenam aetatem ad domum suam dimiserit, liceat ad ipsum filium res patris sui gubernare. Quod si exinde ipse filius aut per testamentum, aut per alia cartam, per qualecumque necessitatem aliquid expendiderit de ipsa facultatem, secundum sententiam Papiani, hoc pater, si reversus fuerit, requirere ei non potest: Nam alias suas res, si reversus fuerit, in integro recipiat. Nam quod si parvulos infantes, qui infra annis sunt, ad domum dimiserit, quando in exilio missus fuerit, si postea exinde reversus fuerit, omnia facultatem suam ab integritatem recipiat. Et quod si ipsi filii parvuli cuicumque exinde aliquid dederint, ipse pater omnia in suo dominio revocetur. Quod si pater aut prodicus, hoc est, sine suam mentem, aut negligens, aut evetsor, aut libidinosus, esse convincitur, et per hoc res filiorum devastare debet; postea ipsi filii, tamquam mortuo patre, sub tutorem vel curatorem, cum res suas regantur.

XXXIV. *De his, qui ad ecclesiam confugiunt..* Impr. Costant. Data X. Kl. Apr. *Intpr.* Quicumque culpavilis ad ecclesiam confugium fecerit, liceat ei, sive in ecclesiam, sive in portica ecclesiae, sive per tota atria, salvi esse debeant; et nullus presumat per suam fortiam, quomodo de ecclesiam nec trahere non debet, sic nec de ipsa atria; ut ne forsitan per timorem in ipsas ecclesias non faciunt causas inlicitas, aut sordidas; sed liceat eis ipsa atria pro sua necessitatem securus ambulare, ut nulla arma secum habere non debeant. Et quod ei se in sua arma confidere voluerint, aut defensare, et ipsa arma ad ipsos custodes non comendaverit, sed super se ipsa arma habere voluerint, liceat ab aliis armatis eos de ipsa ecclesiam foras extrahere. Nam si simpliciter sine sua arma secum non habuerint, et iuxta altare manere voluerint, si quis eos postea per sua fortia de ipsa ecclesia trahere voluerit, sciat se capitale supplicium esse damnandus.

EXPLICIT THE. LIBER IX.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO X.

1. *De iure fisci.*
2. *De conlocationem fundorum.*
3. *De actoribus, procuratoribus, et conductoribus reipublice.*
4. *De petitionibus et ultro datis et dilatoribus, et qui crimen maiestatis inventus fuerit.*
5. *Si petitiones socius sine hereditatem defecerint.*
6. *De avocatus fisci.*
7. *De fesci debitoribus.*
8. *De debitum non habentibus unde reddere.*
9. *De thesauris.*
10. *De quirendis thesauris.*

INCIPIT LIBER X.

I. *De iuris fisci.* Impr. Constantinus. Data XV. Kl. Iul. *Intpr.* Agros, vel mancipia, aut quodquod de fescale causa per verbum Regis ad qualecumque hominem donatum fuerit, liceat ei in perpetuum possidere ipsam rem.

II. *De conlocationem fundorum iures enfecivoce q) et reipublice*

q) *Enfecivoce*: h. e. *emphyteuseos.*

et temporum. Impr. Valent. Data V. Kl. Iul. *Intpr.* Omnes curiales hoc sciant, ut nullus presumat de extraneas civitates, aut de altera loca, terra prendere, aut conducere, ut forsitam per illa occasionem servitia vel publica non faciant; nam qui per qualecumque modo sic preserit, aut conduxerit, non valebit.

III. *De actoribus procuratoribus vel conductoribus reipublice.* Impr. Costant. Data III. Non. Febr. *Intpr.* Si quis Iudex et actor alicui homini res per fortiam, aut per malo ingenio tulerit, aut cum aliquis sine culpa predaverit, si ille homo hoc ad Principem sugesserit, Princeps postea illum, qui tale ordinem ipsum hominem condemnavit, ignibus concrementur.

Item alia intpr. Hoc constitutum est, ut actores de domos dominicis nullis necessitatibus turbetur, nec nullis iniuribus fatigentur ab eos, qui ante publicum actum fecerint, in tantum ut rationabilem aut necessarium est; nam alio modo Rectores provinciarum oppremere eos non presumant.

IV. *De petitionibus et ultro datis, et dilatoribus.* Impr. Constant. Data Kl. Sept. *Intpr.* Dilatores sunt, qui absconse ad Principem de aliorum facultates male favellant, ut ipsi homines sine legem suas res perdant; dilatores sunt, qui absconse ad Principem de alteros homines tales causas supermittent, ut ipsi homines, qui culpas non habent, poenas habeant. Princeps a tales delatores qui hoc faciunt, secundum legem linguas ipsorum per secutores *r)* capulentur; et si exinde convicti fuerint, capite puniantur.

Item alia intpr. Si quis homo in crimen magistatis inventus fuerit, secundum legem puniantur, et eius facultatem fiscus adquirat; et nemo presumat de ipsa facultate a Principe querere; quod si postulaverit, nihil accipiat et violator legis teneatur. Nam tamen si Princeps nullum poetentem de ipsam facultatem aliquid cui donaverit, in perpetuo ipsa donatio firma obteneat firmitatem.

V. *Si petitionibus socius sine hereditatem defecerint.* Impr. Costant. Data XII. Kl. Aprl. *Intpr.* Si ad quemcumque duo homines Rex unam rem ad ambos commune de fisco dederit, si unus de ipsis mortuus fuerit, nec filios nec proximos non dimiserit, nec testamentum fecerit, postea ille qui cum eo in commune fescale beneficium habuit, porcionem mortui de ipsa rem sibi recipiant.

VI. *De avocato fisci.* Impr. Costant. Data Id. Novbr. *Intpr.* Illi qui fiscum Regis exigunt, tales esse debent, ut per suam negligentiam de ipso fisco minus non exigant, nisi quod iustum est, nec plus exigere non presumant, nisi quod iustum est.

VII. *De fisci debitoribus.* Impr. Valent. Data II. Non. Iul. *Intpr.* Si quis homo mortuus fuerit, et brevis scriptus aut de fisco, aut alios debitores suos dimiserit, si testes non fuerint, qui de hoc ipsos debitores convincant, aut cautiones scriptas de hoc inventas non fuerint; per illos breves qui sic locum fecit, ipsa debita nec sui heredes, nec nullus homo inquirere non potest.

VIII. *De fidem et iure aste.* Impr. Valentinus. Data III. Kl. Iul. *Intpr.* Si quis homo ad alterum hominem, aut de fisco aut aliquo alium debito debet, et forsitan alia pecunia non habet unde

---

r) Per secutores: vel forte *persecutores.*

ipsum debitum reddat, nisi terra sua vendiderit; per tale occasionem ille, qui debitor est, ipsa terra a minore precium non presumat recipere, nisi quantum ipsa terra valet, nec per tale ingenium ille qui alterum debet, damnum de facultatem suam habeat.

IX. *De thesauris.* Impr. Grac. Data VI. Kl. Feb. *Intpr.* Si quis homo aut aurum, aut aliqua alia robusta re in sua propria terra invenerit, ad nullum hominem exinde dare non debet; nisi ipse sibi in integro vindicetur. Nam si quis homo in alterius terra aut aurum, aut aliqua robustura invenerit, quarta portionem illi, cuius terra est, exinde reddat.

X. De metallis et metellariis; hoo est; ut nullus presumat sub alterius fundamentum, ubi ipse homo edificium habet, nec aurum, nec nulla rebustura querere, nisi per eius convenientiam, cuius hedificium est, nec propter ipsa rebustura illum edificium alterius destruat.

EXPLICIT THEUDOSI LIBER X.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XI.

INCIPIT LIBER XI.

I. *De anona et tributis.* Impr. Valent. Data VI. Kl. Iul. *Intpr.* Si quis homo de facultatem suam quam habet, si forsitan exinde aut fiscum aut alium publicum aut laboratum a parentes reddere debet, si ipse tributus ei gravis est ad solvendum, ipsa facultatem, unde illum tributum reddere debuit, dimittat ad alios suos heredes, qui ipsum tributum de ipsa facultatem reddere debeat.

II. *Sine censum vel reliqui terra conparare non possint.* Impr. Iul. Data XIV. Kl. Mar. *Intpr.* Si quis homo de altero hominem fundum, hoc est terra, conparaverit, aut ei donatum fuerit, nullo modo eam sine censum, quod de ipsa terra exire debet, conparare potest.

Item alia intpr. Si quis homo per aliquo tenore terram adquisierit, de presente de hoc exactores fiscales notitia faciat, et promittat se, ut omnem tributum de ipsa terra reddere debeat, sicut et ille qui eam antea tenuit. Si hoc fecerit, illum, qui ea antea tenuit, ipsum tributum non requiratur.

III. *De exactionibus.* Impr. Costant. Data XV. Kl. Iun. Quicumque homo terra habuerit, unde fiscum solvere debeat, si ipsum censum dare non potuerit, ille exactor qui ipsum fiscum tollere de-

bet, ipsa terra, unde ipse census exire debet, vendat, et ille qui ipsa terra conparaverat, in perpetuo firma possideat.

Item alia intpr. Si exactores publici a populo acusati fuerint, ut eorum aliquid capitanea mala fecissent, aut aliquid de publico plus quam debuerant exegissent; si exinde convicti fuerint, in eorum loco alios meliores mittantur, et secundum legem illi moriantur, et de eorum res quadruplum ad ipsos, cui male fecerint, reddantur. Iudices vero provinciarum, si hoc sapuerint, et ipsos exactores bene non inquisierint, ut de eos, sicut iussum est, iustitiam faciant, XXX. libras auri illi solvatur.

IV. *Ne damna provincialibus infligantur.* Impr. Valent. Data II. Kl. Oct. *Intpr.* Si quiscumque homo in qualecumque iudiciariam positus est, similiter et illi qui Iudices provinciarum obsecunt, aut illorum actum agunt, nisi forsitan rusticiis homines per qualecumque malum ingenium contra rationem damnaverit, aut si eorum mancipium, aut caballum, aut bovem in sua propria utilitatem pro fortia minaverit, ut aliqua exenia eos sine culpa sibi dare extorserit; si ipse Iudex hoc fecerit, et ipsa exenia preserit, optimo exilio deputetur, et si hoc non reddiderit, facultatem rerum suarum amissionem damnabitur.

V. *Item alia intpr.* Nullus Iudex, vel exactor, a provintiales homines plus exactare non debent, nisi quantum ipsi per rationem dare debent aut quod in pollitico scriptum habent. Nam si plus exigerit, poena superiore subiaciat, et hoc, quod super tulit, in quadruplum conponat.

VI. *De appellationem et poenis eorum et conlationem.* Impr. Costant. Data IV. Non. Nov. *Intpr.* Quicumque homo alterum hominem de capitale culpa a Iudicem accusaverit, Iudex vero et illum quem accusat, et illum quem accusavit, ambos sub custodiam mittantur; dum ante Iudicem ambo pariter veniant, ut diligenter inquirat, si ipse qui accusatus est, culpa habeat, aut non habeat. Quod si de ipsa culpa convictus fuerit, quale iudicium Iudex ei dare voluerit secundum legem, talem adtendat. Et si de ipsa culpa convictus non fuerit, ille qui eum ad Iudicem acusavit, simile poenam accipiat. Nam hoc observandum est, ut antequam Iudex veritatem cognoscat, quod ipse homo qui acusatus est, dum eum culpabilem non invenerit, sub liberam custodiam ambulet, ut nec in carcere, nec in custodiam mittatur, sed ad agendam causam suam liber observet.

Item alia intpr. Lex ista hoc precepit, ut qui in criminalibus causis, ob de victa *s*) ambe partis in dubio devocatur, licet unum alterum apellare, nec apellandi vox non denegetur, et quae in supplicii sententiae advenerit, eum teneatur obnoxius.

Item alia intpr. Si alicui homini videtur, ut de sua causa iniustae convictus fuisset, de ipsa causa iterum ante tercium mensem adversario suo noticia faciat, et infra ipsos tres menses ante Iudicem ipsam causam deliberent. Nam si tres menses tacuerit, poena quam in lege ei data fuerit, adimpleat.

VII. *Si pendente apellationem mors intervenerit.* Impr. Costant. Data XIII. Kl. Iun. *Intpr.* Si quis homo ad alterum hominem de aliqua iure causa ammallaverit, et ille qui ammalatus est mortuus fuerit,

---

s) *Ob de victa:* h. e. *ubi de vita.*

si postea ipsius heredes exinde acusati fuerint, quattuor menses ad ipsa causa inquirendum spatium ei detur, ut ne forte per negligentia damnu paciatur.

VIII. *Quorum apellationes non decipiantur.* Impr. Cost. Data XV. Kl. Mad. *Intpr.* Si quicumque persona de criminale causa acusatus fuerit, aut de homicidio, aut de magnis criminibus, de ipso crimine a Principem dicendum est *t*), ut bonorum personarum iudicia ante Principe finiatur.

IX. *Item alia intpr.* De publicas causas, qui fiscales sunt, ubi exinde causatio orta fuerit, nulla dilatatio exinde non proponatur, quia dominicas causas sine omne dilatationem finitas esse debent.

X. *Item alia intpr.* Si quis homo ad unum iudicem de sua causa iudicium acciperit, et si postea de ipsa causam ad alium Iudicem simile iudicium reciperit; si ipsum iudicium aptare noluerint, si iterum ante tertium Iudice ipsa causam prosequere voluerit, ipsa causa amittat, et ille suus adversarius ipsa rem, unde ipsa causa agitur, recipiat.

XI. *Item alia intpr.* Si aliquis contra hunc factum testamentum appellare vedare voluerit, ut non debeat scriptum heredem ad hereditatem venire; si in tale parte Iudex appellatoribus consentire voluerit; si hoc fecerit, tam ipse Iudex, quam ipse qui appellaverit, XX. libras auri in fisco exolvat.

XII. *De fidem testium et cartarum, idest strumentorum.* Impr. Constant. Data IV. Non. Mad. *Intpr.* De una rem haec lex vetat, ut nullus homo presumat de unam rem plures cartas facere, aut venditionem, aut donationem, aut censionem; sed de unam rem una carta homo facere debet. Nam si de una rem plures cartas factas fuerint, omnia rumpantur, quia inpugnantes cartolas hec lex vetat.

XIII. Quicumque homines ad sacramenta danda ante Iudices venerint, ante quam de ipsa causa interrogentur, iurati dicant ut in nulla falsitatem non iurent, sed quod rectum sciunt dicant. Sic postea Iudex, quem honestiores, et meliores, et plus iustas personas viderit; nisi si minor numerus sit, ipsa pars iuvare debet. Nam si unius hominis sacramentum, quamvis alta persona sit, non ei credatur.

XIV. *Item alia intpr.* Si quis homo qualecumque carta in iudicio presentaverit, si ei iudicatum fuerit, ipse eam per sacramentum firmare debet, que legitima carta sit. Quod si eam firmare non potuerit, ipsa carta pro falsitatem teneatur.

XV. *Intpr.* Si aliquis homo alterum hominem de qualecumque causa ante Iudicem absconse accusaverit, ad illum solum non credatur; nisi ambe partes inter se conprobationem faciant.

Item alia intpr. Si contra Presbiterum maior crimen dictum fuerit, ad ipsum Presbiterum sine aliquo suplicium corporis credatur: nam si postea cum ei creditum fuerit super ipsa causa, fuerit conprobata, pro ipso mendatio reus criminis teneatur. Nam alii clerici, si de qualecumque maiore causa acusati fuerint et convicti, sicut alii seculares iudicentur.

Item alia intpr. Lex hoc precepit, ut probatio non a possessore qui

---

t) *Dicendum est.* In codice: *licendum est;* quod male scriptum videtur

rem possedit, sed ad illum qui querit, ille debet probationem obtinere: nisi tantum interrogare debent antea possidentem, si ex sua persona, aut ex successionem coeperit possidere.

Item alia intpr. Omnis homo in iudicio pro causa sua tales testes presentare debet, cui fidem reprobata non est, sed idoneas personas in sua causa quilibet homo presentare debet.

EXPLICIT THEUD. LIBER XI.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XII.

INCIPIT LIBER XII.

I. *Decurionibus.* Impr. Costant. Data Id. Mar. *Intpr.* Iudices publici alios curiales, quae sub se habent, non eos dimittant per malo ingenio in alias operas vacare, nisi sua curam faciant. Nam si facultatem parva habuerit, et illa cura agere non potuerint, a Principe suum exinde noticia faciant.

Item alia intpr. A curialem hominem non licet suam civitatem dimittere, in qua natus est, et in alia civitatem habitare, aut curam agere: Nam si hoc fecerit, in ambas civitates serviant; in una pro curiae sue debitum, et in alia pro quare ibidem habitet, aut pro qualecumque honorem quod ibi recipit.

Item alia intpr. Minores etates, hoc sunt pupilli qui infra annos sunt, ante XVIII. annos in cura publica nullus eos presumat mittere: nisi necessitas fuerit, pro ea causa utilitatem publica facere debeant.

Item alia intpr. Si curialis in culpa inventus fuerit, Iudices super eum pacientiam habeant, ne in ipsa tormenta deficiant. Quod si sic ipsi Iudices non fecerint, pro illo curiale ipse Iudex V. libras auri conponat, et pro illa curia, quam ipse agebat, X. libras auri in fisco conponant.

Item alia intpr. Curiales homo, qui X. filios *u)* legitimos habuerit, et ipse pater fuerit XIII., omnem curiam ei vel publicum ei concedatur, ut non ea agat; et insuper coram bonos homines honoratus esse debeat.

Item alia intpr. Si quis homo, qui filia curialis a coniugium preserit, si de eius facultatem aliquid aut per testamentum, aut per qualecumque carta habuerit, post morte uxoris suae, ad ipsa curia agendo teneatur obnoxius.

Item alia intpr. Gesta, hoc est, omnis carta sic firma esse potest, si cum aliis testes III. curiales eo firmaverint.

Item alia intpr. De susceptores prepositis et arcariis. Impr. Gratianus. Data VI. Kl. Sept. Curiales, qui fiscum aut publicum actum exigent, non in occulto eos elegantur, sed ad electionem multorum bonorum hominum, vel de alios curiales ipsum ministerium accipiant.

---

u) X. filios. Ex iis quae sequuntur, colligo legendum esse, *XII. filios.*

Quod si infideles exinde fuerint, ad eorum dispensationem pertinebit, qui eos ante Iudicem elegerint.

Item alia intpr. Quicumque curiales non facta servitia officii quam debeant, si se ad ipso officio declinaverit, ac civitate, unde discessit, in suo officio irevocetur.

Item alia intpr. Iudices publicos, qui fescales causas iudicant, vel exigunt, per singulos annos eos mudentur: excepto si in tale civitate sunt, ut per consuetudinem, aut per necessitatem, duos annos ipsa iudiciaria, et cura agant. Et postea in altero annos alteros Iudices, vel actoribus mittantur. Nam si Iudex hoc non impleverit, et ipsum Iudicem, et officium suum, graves poenas constringantur.

EXPLICIT THEUDOSIANI LIBER XII.

CAPITULA DE LIBRO XIII.

1. *De lustrali conlationem.*
2. *De censum, sive adscriptionem.*

INCIPIT LIBER XIII.

I. *De lustrali conlationem.* Impr. Gratianus. Data Kl. Novemb. *Intpr.* Si aliqui quicumque rem, qui non est donata, aut qui non emit, et vindet, ad solutionem auri non teneatur; si vero empta aut vendita probabit hoc illucque discurrere, solutione auri teneatur.

II. *De censu sive adscriptionem.* Impr. Cost. Data XV. Kl. Febr. *Intpr.* Si tabularii, aut alii, cui actiones publicas traduntur, si forsitan potentes homines voluerint scusare, et ad minores homines aliquo publici super inponere, ipsi pauperes non amplius solvant, nisi quantum per lege censitum habent.

Item alia intpr. Si aliquis homo in causa publica occupatus fuerit, et non fuerit ad presente quando fiscus exigitur, si aliqui gravatus fuerit, infra annum exinde ad Iudicem reclamet. Nam si ad presente fuit, infra V. menses ipsa causa reclamet, unde gravatus est: Nam si infra V. menses de ipsa causa non reclamaverit, postea ea retinere non potest.

EXPLICIT LIBER THEUD. XIII.

CAPITULA DE LIBRO XIV.

I. *De collegatos.* Impr. Archadius. Data VIII. Kl. Ian. *Intpr.* Si colligatus de civitatem suam cum rebus suis ad aliam civitatem ambulaverit, et ibidem de colonam, aut de ancillam, filios habuerit, totos ipsos infantes mater ad sua parte vindicet. Nam si colligatus de inienua muliere infantes habuerit, toti ipsi infantes colligati nascuntur.

EXPLICIT THEUD. LIB. XIV.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XV.

1. *De operibus publicis. Item alia eiusdem.*
2. *De infirmandis his, qui sub tyrrannis aut barbaris gesta sunt.*

INCIPIT LIBER XV.

I. *De operibus publicis.* Impr. Cost. Data IV. Non. Decemb. *Intpr.* Illi qui in civitatem inhabitant, licet ei in terra publica sibi domum hedificare, et postea in perpetuo securus possidere.

Item alia intpr. Si aliquis Iudex antiqua publici habitationem in civitatem renovare voluerit, tercia parte cum adiutore fisci ipsum aedificium renovet.

II. *De infirmandis his, qui sub tyrrannis aut barbaris gesta sunt.* Impr. Costant. Data Kl. Mar. *Intpr.* Quicumque homo, dum hostes in qualecumque patria ad depredandum vadit, si cum eos ipse homo pro sua morte timendo, et pro salvando vitam suam, coniunxerit, et aliqua preda preserit ipsè homo, proinde eum non teneatur in culpa; et si forsitan ad reddere ipsa causa venerit, ille homo non plus reddat, nisi simpliciter in quantum veritatem cognoscitur, quin *v*) de ipsa preda adobtivum venisset.

EXPLICIT THEUD. LIB. XV.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XVI.

1. *De Episcopos ecclesiae et clericos.*
2. *De apostatis.*
3. *Ne Christianum mancipium Iudeus habeat.*
4. *De religionem.*

INCIPIT LIBER XVI.

I. *De Episcopos ecclesiae et clericos.* Impr. Costantinus. Data XII. Kl. Decemb. *Intpr.* Clerici nulla alia cura officii agere non debent, nisi tantum ecclesiasticas causas agant, ut non per alias vacàtiones ecclesias suas derelinquant.

Item alia intpr. Nullus homo presumat Episcopum per nulla causa ad alium Iudicem acusare, nisi tantum ad alios Episcopos, et ipsi eum iudicare debeant: et postea ubi ipsum Episcopum emendatum conspexerint, auxiliante domino recuperare eum debeant.

Item alia intpr. Omnes causas privatas, hoc sunt minores, qui inter clericos aguntur, ad Episcopum cum aliis Presbiteris iudicentur. Nam si criminales causas clerici comiserint, ante provinciales Iudices finiantur.

Item alia intpr. Si quis Episcopus clericum suum, qui inienuus est, si ipsum clericum in seculares causas conversare viderit, et eum de ipsa malitia emendare non potuerit, et si eum pro malitia sua de gradum suum eiecerit, et si ipse clericus pro sua voluntate officium clericati dimiserit; si taliter aliqui clericus fecerit, a fescales Iudices ipsi coniungantur; et si ipse clericus de bona gente est, vel sua res habuerit, aut idoneus apparuerit, inter ipsos curiales officium publicum faciat. Si autem ipse clericus inferior persona est, inter collegiatos officium faciat. Ad tales clericos fescales actio non necetur. Si quicumque Iudex hoc eis denegare voluerit, duas libras auri in fisco solvat.

v) *Quin.* Lege, *quid.*

Item alia intpr. Clerici, vel Presbiteri, qui ad ecclesias deserviunt, in domu sua non debeant alias mulieres habere, nisi matrem suam, et filiam suam, et germana sororis suae, et muliere quam ante in matrimonio habuit, quam honore recepisse ecclesiastice.

II. *De apostatis.* Impr. Gratianus. Data XII. Kl. Iun. *Intpr.* Christiani si ad idola sacrificia offerunt, testamentum facere non pote t, et ipsi puniendi sunt.

Item alia intpr. Si de Christianis Iudeus aliquis factus fuerit, facultate ipsius fiscus adquirat.

Intpr. Si de Iudeo Christianus factus fuerit, postea non licet ad alios Iudeos ipsum inquietare.

III. *Ne Christianum mancipium Iudeus habeat.* Impr. Data VIII. Id. Mad. *Intpr.* Si Iudeus Christianum mancipium habuerit, et eum forsitam circumcidere, et ille Judeus ipsum mancipium perdat, et postea ipse mancipius libertus permaneat.

IV. *De religione.* Impr. Archadius. Data IV. Kl. Septemb. *Intpr.* Omnis causas, quod ad religionem ecclesiasticam pertinet, Episcopus eas debet iudicare. Nam omnes causas criminales ante publicos Iudices finiantur.

Item alia intpr. Principes terrarum omnes antiquas leges eorum clementia roboravit, idest confirmavit; et Novellas vero titulum legum per omnia sacratissime custodire precipimus.

EXPLICIT THEUD. LIBER XVI.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XVII.

INCIPIT THEUDOSI LEGUM NOVELLARUM DI. VII. THEUDOSII. AG.

I. Impr. Theudosius. Data VI. Kl. Mar. *Intpr.* Haec lex omnem legem Theudosianum libros XVI. confirmat.

II. *De confirmatione legum Novellarum. Di VII. Theudosi.* Data Kl. Octobr. *Intpr.* Haec lex Novellarum libros omnes firmiter precipimus recipere.

III. *De Iudeis, Samaritanis, Hereticis, Paganis.* Impr. Theudosius. Data XII. Kl. Febr. *Intpr.* Nullus Christianus presumat Iudeum vel Samaritanum nec Iudice nec actore mittere; nec causas Christianorum Iudeos iudicare nullo modo debeat. Quod si aliquis fece-

rit, ille qui eum actore mittere presumpserit, L. pondus auri conponat. Similiter nullus Iudeus Christianum servum ad sua lege ducere presumat; nam si hoc fecerit, capite puniatur.

IV. *Nec curiales precium w) alterius conducat, nec fideiussor conductores exiat.* Impr. Theodosius. Data III. Id. Apr. *Intpr.* Nullus curialis presumat de fescale, vel de privatum, agrum conducere, nec per alterum conductore fideiussor exire; nam quod si aliquid in agro suo curiale reciperit conductore, curialem fidemiussorem acciperit, sciat se ipse curialis, accionem suam esse vacuata, et ipsum agrum que conduxit, fisci viribus conducetur.

V. *De tutoribus.* Impr. Theeod. Data VI. Id. Iul. *Intpr.* Si mater tutilla de res filiorum suorum post morte mariti sui recipere voluerit ad gubernandum, promissione pro sacramentum faciat, ut alium maritum prehendere non debeat. Quod si postea suum sacramentum non custodierit, et ad secundas nuptias venerit, antea quam maritum prehendat, ad suos filios reddat omnia, quod de facultates patris eorum ad gubernandum recepit. Quod si antea ab integritate eis non reddiderit, et alium maritum preserit; sciat se ipse maritus qui eam in coniugium presit, res suas ad ipsos parvulos inpignorare debeat, donec ipsorum res de sui patris que habuerint ab integritate restituat.

VI. *Contra sententia Perfectorum preter iniustos successiones intra biennium supplicandum.* Impr. Valent. Data VI. Id. Aug. *Intpr.* Si quis homo aliqua iudiciaria habuerit, et si forsitan alicui contra legem aut rationem aliquid fecerit; si postea alius Iudex in eius locum introierit, et ille Iudex qui antea fuit, qui ipsum damnum ad ipsum parvulum fecit, ille pauper postea infra duos annos ante illum alium Iudicem, qui in eius locum intravit, sua causa prosequere debeat: nam si infra annos sua causa non requisierit, postea requirere non potest.

VII. *De paternis sive maternis bonis.* Impr. Theod. Data IV. Id. Sept. *Intpr.* Quicumque homo post mortem uxoris sue si filios habuerit, quodquod de facultate uxoris suae habuerit, it post mortem suam omnia ad filios suos dimittat; nam si exinde alicui dare voluerit, hoc facere non habeat potestate; sed ipsa facultatem sui filii in suam potestatem ab integritatem recipiant. Et quod si facultate uxoris suae inter se et filios suos divisa habuerit, si forsitan aliqui de filios suos ante patris obitum mortuus fuerit, ipsam portionem filii mortui pater suus recipere debet. Nam tamen ipsam portionem alienare nullo modo potest; nisi ad filios suos post sua morte ipsa portio revertat. Similiter et mulier post morte mariti sui ad filios suos ipsa conditionem exigere debeant.

VIII. *Ne decurio a senatoria dignitatem et aliquid honore adsperet.* Impr. Theod. Data II. Id. Septb. *Intpr.* Quicumque curiales qui fiscales est constitutus, ad nulla alia causa suus senior eum non debet promovere ad agendum; nisi tantum in sola fiscale et curiale causa permanere debet.

IX. *De testamento.* Impr. Theod. Data II. Id. Sept. *Intpr.* Quicumque homo testamentum facere voluerit, oportet ei VII. personas eum subscribere debeant, et ipse qui illum testamentum facit, si literas scit, octavum se subscribat; et si litteras nescit, roget alium qui pro se subscribat, et ipse signum + faciat.

---

w) Precium, h. e. *praedium.*

X. *De aluvionibus et palutibus.* Impr. Theud. Data XI. Kl. Octub. *Intpr.* Si fluvium de aluvio suo exierit in alia parte, aut propter palutem, aut sic locum ambulaverit, terra illi adquirant, de cuius fines cessat, nec postea de ipsa terra qui de talem adquisitionem est, nec fiscus nec trivutus exinde non exeat. Similiter et qui palute potuerit exsicare, et exinde aut agrum, aut pradum, aut qualecumque perfectum ibidem sibi facere potuerit, et illum verum sine omne censum in perpetuum possidere precipimus.

XI. *De bonis decurionum et naturalibus filiis eorum in curia mittendis, heretibusque adscribendis.* Impr. Theud. Data VI. Kl. Ian. *Intpr.* Si quis homo habuerit legitimos filios, et naturales, si voluerit, de facultatem suam octavam porcionem ad naturales filios dare potest: et forsitan legitimos filios non habuerit, nisi tantum naturales, si forsitan eos curiales, aut in fiscale actione mittere voluerit, tota facultatem suam, si voluerit, eis dare potest; nam quarta ad alios heredes suos reservare debeat.

DE LIBRO XVIII.

1. *De maritum et uxores spensis.*
2. *De homicidiis casu an voluntate factis.*
3. *De testamentis de marito et muliere sine filiis.*
4. *Hoc de testamento.*
5. *De sepulchris violatoribus.*
6. *De libertis et successionibus eorum.*
7. *De XXX. annorum perscriptionibus causis obponenda.*
8. *De colonis vagiis et de vagationem eorum et avenas.*
9. *De confirmandis his, qui administrantibus vel publicum officium gerentibus distracte sunt, vel donata, et de advocatis, vel ceteris negotiis.*
10. *De parentibus, qui filios suos per necessitatem destraunt, et ne inienibus barbaris venundentur, neque mare vendant.*
11. *De Episcopale iudicio, vel de diversis negotiis.*

Incipit Novella Di. VII. Valentin.

I. *De fructibus inter maritum et uxorem spensis.* Data VIII. Id. Sept. *Intpr.* Quicumque homo inienuus si uxorem suam supervixerit, aut uxor maritum, quodquod de mobilia habuerint, et commune voluntatem expendiderint, excepto de terra aut de mancipia, anteponimus. Nam de movilia fructibus libera habeat potestatem, nec hoc sui heredes postea requirere non debeant.

II. *De homicidiis casu an voluntate factis.* Impr. Theud. Data II. Id. Decemb. *Intpr.* Quicumque homo homicidium sine sua voluntate fecerit et ipse homo, qui hoc fecit, a Principe suggesserit, quod per sua voluntate hoc non fecisset; si probatum fuerit quod verum dicat, veniam consequatur. Nam si vero sine alterius culpa homicidium fecerit, taliter exinde paciatur, sicut reliqui homicidas, quod in superiore lege conscriptum est.

III. *De testamentis.* Impr. Theud. Data XII. Kl. Nov. *Intpr.* Si quis homo inienuus habens uxorem, et filios non habuerint, si maritus uxorem suam per cartam voluerit heredem dimittere, aut uxor maritum, ambo unus alii parii cartas faciant inter se, salva Falcidia

ad alios heredes suos, hoc est, quartam porcionem, nam de alia facultate sua liberam habeant potestatem faciendi inter se, sicut voluerint.

IV. *Item alia intpr.* Si quis homo testamentum carta alicui facere voluerit, si testes non fuerint, ille qui ipsa carta facere voluerit, propria manum suam ipsa carta subscribat. Qui hoc per suam voluntatem fecerit, hoc quod facit integram obtineat firmitatem.

V. *De sepulchris violatoribus.* Impr. Theud. Data III. Id. Mar. *Intpr.* Si quiscumque homo tumbas mortuorum de Christianos homines per fraude expoliaverit, secundum legem moriatur.

VI. *De libertos et successionibus eorum.* Impr. Theud. Data III. Non. Ian. *Intpr.* Si liberti, qui cives romani dimissi sunt, aliqua leve culpa ad filios patronorum suorum fecerint, pro hoc non cadant in servitio. Similiter vero si ipsi liberti, sive baro, sive mulier, mortui fuerint, et unum filium aut plures dimiserint, facultatem suam quod habent ipsi liberti, liceat ei ab integritatem suam ad filios suos dimittere. Et quod si filios non habuerint, tercia parte facultate sua ad patronos suos dimittant, idest ad masculos; nam ad feminas de tale facultate venire non potest, nisi si ipsi liberti suam propriam voluntatem ad suas patronas dimittere exinde voluerint. Et quod si ipsi liberti nec filios nec nepotes dimittunt, postea medietatem facultatis suae ad suos alios heredes, si inienui fuerint, dimittere potest, et medietatem ad suos patronos dimittant. Et quod si illi inienui, qui liberti dimissi sunt, vivo ipso homine qui eius libertatem habet, forsitan cuicumque de sua facultate carta facere voluerit, hoc sine permisso patroni sui non habeant licentiam facere. Et quod si forsitan ipse libertus contra filios et nepotes patroni sui forsitan aliqua greve culpa dicere voluerit, quod probare non potest, secundum lege moriatur.

VII. *De XXX. annorum perscriptione omnibus causis opponenda.* Impr. Theud. Data XV. Kl. Iul. *Intpr.* Omnes causas, preter qui de post liminum, hoc est, qui de captivitate revertunt, vel de minoribus qui infra annis sunt; nam omnes alias causas quid unus ad alterum requirere vult, infra XXX. annos inter se deliberentur; nam post XXX. annos eas requirendi homines non habeant potestatem.

VIII. *De colonis vagiis, et agnatione eorum, et de avenas.* Impr. Theud. Data II. Kl. Feb. *Intpr.* Si colonus dominum suum fugerit, aut per qualecumque modo ubicumque XXX. annos quieto ordine latuerit, postea post XXX. annos dominus suus eum requirere, nec vindicare non potest. Et quod si ipse colonus per ipsos XXX. annos apud duos, vel tres homines conversaverit, et unusquisque eum X. annos habuerit, ipse eum vindicet, qui posteriores annos eum habuerit. Et quod si unus de ipsos homines plures annos eum habuerit, quam illi alii, ille qui eum maiore numerum eum habuit, ipse eum vindicet. Iterum de colona vero, qui per XXX. *x*) annos ubicumque quieta ordine latere potuit, postea post XXX. annos dominus suus eam requirere non potest. Et si ipse colonus, aut colona filios habuerint; quantoscumque filios ille colonus infra XXX. annos habuerit, si inventi fuerint, ille suus prior dominus, quem ille colonus fugivit, ipsos infantes ille vindicet. Similiter et illa colona quantoscumque filios infra

---

x) *Qui per XXX.* et infra: *postea post XXX.* In ambobus legendum arbitror *XX.* Vide infra in hac lege, ubi pariter de colona sermo est.

XX. annos ei nati fuerint, si inventi fuerint, similiter sicut et de colono, ille dominus, quem fugit, ipsos infantes ille vindicet.

IX. *De confirmandis his, qui administrantibus, vel publicum officium gerentibus, distracte sunt vel donata; et de avocatis vel ceteris negotiis.* Impr. Valent. Data II. Kl. Feb. *Intpr.* Anterior lex fuerat, ut qui militia agebat, vel qualecumque officium publicum gerebat, ut dum in ipsa militia vel officio erat, nec comparandi, nec conmotandi, nec donatum recipere, de altero hominem licentia non habere. Sed in hoc presente legem veraciter constituimus, ut et conparare et conmutare et donativum per qualecumque carta recipere, hoc quod legitimum est, libera habeat potestatem. Sed tamen cavere debeat, ut per nullum malum inienium ad qualecumque homine suam rem tollere non debeat. Et quod forsitan de qualecumque hominem, dum in ipso officio est, de qualecumque sua fortia, aut per suam tema, aut ei alicum supplicium faciant, aut per qualecumque inienio malo, si aliqua facultatem per tam mala fraudem comparaverit, aut commutaverit, aut donativum extorserit, et carta reciperit, et precium non dederit, ipsa carta reddat, et insuper ipsum precium quem pro illa facultatem placuit ut det, et postea nec ipsum precium, nec facultatem non habeat. Similiter curiales vero pro fescale debita suam facultate vendere possunt; sed sicut in superiore legem scriptum est, terra sine suo censu conparare nullo modo nullus homo debet.

X. *De parentibus, qui filios suos per necessitate distrahunt, et ne ingenui barbaris venundetur, neque trans mare vendantur.* Impr. Val. Data V. Kl. Feb. *Intpr.* Quicumque ingenuus homo filios suos aut per fame, aut per qualecumque necessitate, vendiderit, si V. solidos filium suum vendiderit, quando eum redimere voluerit, VI. solidos reddat, et filium suum recipiat; et si X. solidos presit, XII. reddat; si vero amplius receperit, secundum istum numerum pro filio suo reddat. Et quod si ille homo, qui eum comparavit, aut ultra mare, aut in longa regionem vendiderit, unde eum revocare non possit, VI. uncias aurum in fisco componat.

XI. *De episcopale iudicio, et de diversis negotiis.* Impr. Valent. Data XVI. Kl. Mar. *Intpr.* Clericus si de criminale causa ante publicum Iudicem accusatus fuerit, sine omne dilatationem ipsam causam respondeat. Episcopi vero vel Presbiteri si de criminale causa accusati fuerint, advocatos rogent, qui pro se ipsa causa in iudicio respondere debeant. Nam alii seculares homines per se ipsos in iudicio suas causas respondeant. Quod si forsitan tercia vicem amalati fuerint, et ante Iudicem venire noluerint, sicut alii contumaces poene feriundi sunt. Similiter vero nullus inquillinus, nec colonus, et servus, ad officium clericati et monachati venire non debent. Nam clerici vero nec negotia, nec alias curas publicas agere non debent. Similiter nec curiales publici, qui fescales acciones habent, ipsas acciones dimittere non possunt, ut ecclesiarum causas agant. Diaconus vero, qui ex curiales parentes natus est, aut ipse ipsas curias agat, quod sui parentes agerent, aut pro se vegarium det, qui ipsas agere debeat. Nam Episcopum vel Presbiterum non teneatur in tale legem constricti. Originarii vero, et servi, qui infra XXX. annos in clericati officio inventi fuerint, a dominos suos in servitio revertantur. Diaconus vero aut pro se vecarium det, aut ipse ad dominum suum revertat. Similiter vero nullum clericum liceat alias curas agere, nisi ecclesiarum. Nam seu clericorum, seu Diaconorum pecunia, qui urienarii *y*), vel servi, fuerint, si hoc in-

y) *Urienarii*; h. e. *originarii*.

fra XXX. annos inventi fuerint, ad dominos suos revertantur. Nam sicut in superiore tituli legum Constan. scriptum est, omnes causas post XXX. annos eas homo requirere non potest, nisi tantum de postliminio, hoc est, qui de captivitate reversi sunt, et de minoribus qui infra annis sunt. Illi vero, qui de captivitatem revertunt super XXX. annos, III. annos causas suas inquirere possunt. Minores vero parvuli super XXX. annos V. annos causas suas inquirere possunt. Nam super istum numerum causas nullo modo insequere non possunt. Similiter vero quicumque homo de sua causa Iudicem in suspicionem habuerit, ut ea per rationem non iudicasset, licet ipsui homini ad alium Iudicem sua iustitiam inquirere. Similiter vero de colono et colona dicendum est, quomodo filii eorum inter dominos suos dividantur. Ille dominus, cuius colonus est, de filiis eius duas portiones recipiat; et ille dominus, cuius colona est, de filiis eius tertia parte recipiat porcionem.

EXPLICIT DI. VII. VALENTIN.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XIX.

1. *De eos qui in duas provintias conversantur.*
2. *De indulgentiis relicorum, et de pretiis civitatum omnium.*
3. *De matrimoniis Senatorum.*
4. *De testamentis clericorum, vel sanctaemoniales.*

INCIP. NOVELLI DI. VII. MARCIANI.

I. *Nemine exibere de provintia a comitatum, nisi a relatione Judicis, a quo fuerat apellatus.* Impr. Valent. Data II. Kl. Octub. *Intpr.* Quicumque homo cum alio homine causam habuerit, et unus de ipsos homines fuerint de una patria, et ille inter eos alter de alia, in illa patria ipsa causa iudicentur, ubi ille homo inhabitat, quem de ipsa causa amallatur.

II. *De indulgentiis reliquorum; de pretii civitatum omnium.* Impr. Valent. Data V. Kl. Febr. *Intpr.* Quicumque homo aut per comparationem, aut per qualecumque modo de fescale causam aliqua facultatem habuerit, censum, quod exinde exire debet, reddat; et si ipsum redderit, tam ille, quam et sui heredes, ipsa causa in perpetuo securi possideant.

III. *De matrimoniis Senatorum.* Impr. Valent. Data Non. April. *Intpr.* Omnes Senatores, excepto de vilioribus personas, vel qui infamia deputati sunt, uxores ei de tales homines ducere non liceat. Nam quamvis de pauperes parentes sit ienenua persona, est et cum bona fama, Senator ad uxorem eam prendere potest.

IV. *De testamentis clericorum, vel sanctemoniales.* Impr. Marcianus. Data X. Kl. Mad. *Intpr.* Haec lex precepit, ut sanctaemoniales, et viduas, et qualescumque sanctemoniales feminas, liceat eis per qualecumque scriptura et ad Episcopos, et ad Presbiteros, et ad qualescumque clericos, qui ad ecclesias deserviunt, de suas qualecumque cartas, si voluerint, facere eis possunt.

DI. VII. MAR.

CAPITULA DE LIBRO XX.

1. *De curialibus et de actionibus preciorum eorum, et de diversis negociis.*
2. *De Epis. cler. iud. et ne quis invitus clericus ordinetur.*

INCIP. NOVELLI DI. VII. MAIORIANI.

I. *De curialibus, et de agnationibus preciorum z) eorum, et de diversis negotiis.* Impr. Leo. Data VIII. Id. Novemb. *Intpr.* Si quis curiales filiam habuerit, ipsa filia non habet potestatem se ad alium hominem in matrimonio iungere, nisi ad alium curialem. Et quod si in alia civitate ad maritum ambulaverit, quartam porcionem de facultatem suam perdat. Nam clerici vero, omnes clerici qui de curiales nati sunt, si honore non habent, a curiale officium revertantur; et si ad ecclesiam confugerint, Archidiacones eos ad Iudices curie presentet. Nam Episcopus vero, vel Presbiter, aut Diaconus, si de curiales nati sunt, ipsorum res non licet de ipsa curia extrahere, et si filios habuerint, ad ipsam curialem actionem revertant.

II. *De Epis. vel Iud., et ne quis invictus clericus ordinetur.* Impr. Leo. Data II. Kl. Apr. *Intpr.* Nullus presumat inienuo hominem sine suam voluntatem clericum facere.

EXPL. DI. VII. MAIORIANI.

CAPITULA DE LIBRO XXI.

De abrogatis capitibus iniustis legi.

INCIP. NOVELLI DI. VII. SEVERI.

I. *De abrogatis capitibus iniustis.* Impr. Leo. Data X. Kl. Mar. *Intpr.* In hac lege similiter dicit sicut in anteriore legem scripsimus.

Mulier post mortem mariti sui nec de sua dote, quod ei suus maritus fecit, nec de alia facultatem, quod ei suus maritus dimisit, nulla licentia exinde habet alienare, nisi tantum usufructum exinde habeat; et postea si ad secundas nuptias venerit, aut si mortua fuerit, omnem facultatem mariti sui ad filios suos dimittat.

EXPL. DI. VII. SEVERI.

CAPITULA DE LIBRO XXII.

1. *De generibus ingenuorum.*
2. *De numero servorum testamentum manummittendorum.*
3. *De iure personarum.*
4. *De incestis matremoniis.*
5. *De adobtionibus.*
6. *Quibus modis exeunt filii de potestate patris.*

---

z) *Preciorum*; h. e. *praediorum.*

INCIPIT LIBER GAGII.

I. *Intpr.* Ingenuorum statum unum est. Nam libertorum vero trea genera sunt. Inienui vero sunt, qui de inienuos parentes nascuntur. Liberti sunt, sicut iam diximus, trea genera; hoc est, cive romanum, et latini, et divicicii. Cive romani inienui per tres modis facere potest; idest per testamentum; alium vero in ecclesiam ante plebem; tertia vero ante Principem. Latino ingenuo vero per tres modis facere potest; idest, per minutas cartas; alia est, ante amicos; tertia est, si cum in convivio libertum dimittit. Didicius vero libertus per tres modis facere potest; id est, si quicumque servus in culpa ceciderit, et pro ipsa culpa multas poenas reciperit, postea vero pro ipsas poenas dominus eius pro sua mercede ingenuum eum esse dimittere debet; alia est, si dominus suus ei de ferro calido qualecumque nota in suo membro fecerit, quem non posset delere; tercia est, si per qualecumque causam dominus suus et tale signum in suo corpore miserit, qui semper parere possit. Nam civem romanum libertus meliorem quam illi aliqua, et testamentum facere potest, et omnia, quae habet, per comiatum patroni sui, cui voluerit, condonare potest. Latinus vero libertus cum gratia domini sui potest ad haec pervenire, ut cives romanus libertus fiat. Didicicius vero libertus ad hoc pervenire nullo modo potest.

II. *De numero servorum testamentum manummittendorum. Intpr.* Quantos servos homo per suo testamento liberos dimittere potest; idest, qui duos servos habet, ambos liberos dimittere potest; qui tres habet, duos dimittere potest; qui quattuor habet, duos dimittere potest; qui sex habet, tres dimittere potest; qui VIII. habet, IV.; qui X. habet, V. dimittat; qui usque ad XVII. habet, V. dimittat; qui XVIII. *a)* habet, VI.; qui plus habet, usque ad XXX, tertia parte dimittere potest; qui plus usque ad C. servos habet, quarta parte liberos dimittat; postea vero quamvis plures servos habet homo, C. ex ipsi per testamentum libertare potest. Per minutas vero cartas totos suos servos et ancillas libertare non potest; nisi si fuerit ante Principe, vel ante amicos suos, omnes suos servos vel ancillas libertare potest. Quod si ipse homo in egritudinem fuerit, qui ingenuos dimittere volet, et prope fuerit ad morte, per tale inienio per minutas cartes totos suos servos et ancillas libertare non potest; nisi quam legitime superius per testamentum continet, illum numerum liberos dimittere potest.

III. *De iure personarum. Intpr.* Nullus ingenuus homo pro nulla culpa suum servum per se occidere non debeat; sed ipsum servum culpabilem ad Iudicem tradat, qui ipsum iusta culpa sua punire debeat. Nisi cum antea suus dominus pro ipsa culpa in trabalio miserit, et forsitan occasio evenerit, et ibidem ipse servus mortuus fuerit, per hoc dominum eius non teneatur in culpa. Similiter filii personarum,

a) XVIII. Male in codice, *XIX.*

qui legitimi sunt, vel de legitimo matrimonio procreati, ante quam mancipetur, in potestate parentorum suorum permanebunt.

IV. *De incestis matrimoniis. Intpr.* Haec lex exspecialiter precoepit, ut ad nullum hominem liceat cum suam propriam parente, nec in adulterio se miscere, nec in coniugio accipere, nec illa femina in matrimonio non liceat habere uxorem. Nam si quis hoc fecerit, poenas superiores legis feriantur.

Similiter vero si inienua mulier in adulterio de servo conceperit, infans qui ex ea de hoc natus fuerit, servus esse debet. Nam si liberta, antequam libertatem percipiat, pregnans fuerit, et dum ipsum partu n infra se habuerit et sic fuerit libera dimissa, ille infans qui tunc ex ea natus fuerit, liber permanebit.

V. *De adobtionibus. Intpr.* Quicumque ingenuus homo alienum filium adoptivum collegere voluerit, ut eo pro filio habeat, hoc facere potest. Nam duobus modis est ita conditio: Illum dicitur adoptivum, qui patrem habet vivum, et ad alium patrem se commandare voluerit: et illum dicitur adrogatum, qui patrem vivum non habet, et ad alium patrem se commendat; et adhuc si ipse qui eum recepit, rogat eum, ut secum pro filio conversare debeat. Similiter vero et de filias ipsa conditio agendum est.

VI. *Quibus modis filii exeunt de potestate patris. Intpr.* Si pater eorum ab ostibus in captivitatem ductus fuerit, aut in exilio missus fuerit, aut in peregrinationem ambulaverit, dum ad proprium suum non revenerit, filii adulti in potestatem suam remaneant. Et alio modo filii mancipantur; hoc est inmancipatio, si pater eorum eos per manum dat ad alium seniorem, et eos ei commendaverit, aut si ad ipsos filios uxores dederint, ut in sua potestatem eos dimittat vivere. Postea vero si duo fratres fuerint, et filios habuerint, si ipsorum pater mortuus fuerit, ipsi infantes in avii paterni potestatem remanebunt.

VII. *De tutores.* Tutores aut legitimi sunt, aut testamentarii. Legitimi sunt. *Intpr* Si ingenuus homo mortuus fuerit, et filios parvulos, qui infra annis sunt, dimiserit, si heredes legitimos non dimiserit, aut testamentarius libertus qui res de ipsos parvulos gubernare debeant, tunc Iudex ipsius loci tales homines iustos inquirere debeant, qui eorum res sine omne damnum de ipsos parvulos gubernare debeant.

VIII. *De curationem.* Peractis pupillaribus annis. *Intpr.* Parvuli, hoc est, qui in minore etate sunt, post XXV. annos etate suae de tutorum potestatem exeunt. Et eo si *b)* forsitan aliquid ipsi parvuli tale infirmitate habuerint, ut suas res gubernare non possint, diebus vitae suae ipsi parvuli in tutorum potestate debeant.

IX. *De testamentis. Intpr.* Hii sunt, qui testamentum facere non possunt, idest infans qui infra annis est, et adobtivus filius, nec furiosus, hoc est furiosus, qui sanam mentem non habet; si testes cum inter impetus a propria mente revenerit, testamentum facere potest.

X. *De exeretatione liberorum. Intpr.* Si quis testamentum fecerit, si filium masculum habuerit, aut de presente illum in ipso testamento heredem scribat, aut de presente illum exeredet; nam si sic non fecerit, ipse testamentus stare non potest. Et quod si filias habuerit,

---

b) Co si: h. e. *quod si.*

et illas in suo testamento heredes scribere noluerint, pro ipsas filias testamentus cadere non potest. Nam postomi vero duobus modis dicuntur; hoc est infans, qui post testamentum factum nascitur; et qui post mortem patris natus est. Ille homo, qui testamentum facit, in ipso testamento scribere debet, et dicat: *si mihi filius aut filia nati fuerint, heredes mei sint;* aut dicat; *exheredes.* Nam si sic non fecerit, illi infantes, qui postea nascuntur, rumpunt testamentum.

XI. *De lege Falcidia. Intpr.* Nullus homo nec testamentum nec alia carta, de sua facultate facere potest, ubi Falcidia, hoc est quarta parte, non reservaverit.

XII. *De fidei commissis. Intpr.* Si quis homo pro fidemiussorem acceperit, si se ad ipsum fidemiussorum vult, fide quod fecit, solvat. Et quod si illum fidemiussorem dimittere vult, ad suum debitorem se tenere debet, ut suum debitum ei reddat.

XIII. *De quibus modis obligatio tollatur. Intpr.* De furto. Furtorum genera sunt IV., idest, manifesta, et ne manifesti, vel concepti, et oblati. Manifestus furtus est, si quicumque homo furtum fecerit, et super ipsum furtum conprehensus fuerit. Ne manifestus furtus est, si aliquis furtum fecerit, et eum super ipsum furtum non conprehenditur, sed tamen ipsum furtum factum habet. Concepti furtus est, qui rem quod homo involat, et apud alium hominem invenitur, et non apud illum, qui ipsum furtum fecit. Oblati actio furtus est, ut si aliqui homo alterius rem sine commiatum domini sui tetigerit. Oblati actio furtus est, ut si aliquis alterius caballum super convenientiam ipsius longius minaverit, quam inter eos convenerit. Oblati actio furtus est, si quicumque furtum faciat. Oblati actio furtus est, si quicumque homo alicui consilium dederit, ut quicumque furtum faciat. Oblati actio furtus est, si quicumque homo rem suam in manum suam tenit eam, alter homo si ipsam rem de manum suam excoserit, ut ea perdere debeat. Istas tales causas omnis homo eas pro furtu tenere potest.

EXPLICIT LIBER GAGII FELICITER.

CAPITULA DE LIBRO XXIII.

Incipit Pauli Sententiarum Liber Primus.

I. *De omne pactu, que inter duos homines agitur,* Si primus pactus que inter se feccrunt, et possessum non fuerit, ille posterior valebit.

II. *Item alia.* De qualecumque causa, unde inter duos homines agitur, et ante Iudicem venerint; et qualecumque carta ipse Iudex per aliqua forcia, aut per aliquas premias super eum qui iustitia habuerit, ei iniuste fecerit, ipsa carta non obteneat firmitatem.

III. *De ipsa causa. Intpr.* Subtutor *c)* homo, qui de sua causa iustitiam habet, qualecumque cartulam exinde scribere voluerit, integra obteneat firmitatem.

IV. *Item alia. De procuratoribus et cognitoribus.* Omnes infamatus, hoc est omnes, qui in falso crimine detentus fuerit, testimonium portare non potest; et Iudex ipsum inquirere faciat, et sine nullum hominem accusantem de omne culpa discutiat.

Item alia intpr. Si eum aliquis accusaverit, et in falso crimine inventus fuerit, nec in sacramento, nec in nullo testimonio amittatur.

Item alia. Ad feminam de nullam rem procurationem non licet recipere, nisi in proprias suas ipsius res, et illum ipsum, si inienuam, aut bona persona, fuerit, in suas ipsius res, aut in filiorum suorum res, sic recipiat procurationem ad gubernandum illum.

Item alia. Nullus servus in causa domini sui, sine censum *d)* ad propriam causam procurator esse non potest.

V. *Item alia intpr.* De omnem rem, unde unus ad alterum hominem debitor est, et si ipse debitor mortuus fuerit, aut forsitan de patria migraverit, omnem ipsius debitum sui heredes, qui eius facultatem habuerit, solvantur.

Item alia. Procurator illas res gubernare aut defendere potest, vel et quas ei ante testes commissas fuerit; nam in alias res procurator esse non potest, vel quas ei ante testes non fuerint consignatas. Aut si per iussione Principis aut qualecumque actum agit, per nullam rem, nec per nullum sportulum causa alteri homini errare non debet, nisi directum iudicium iudicare. Nam si hoc fecerit, quid alterius causam per hoc errare debeat, non valebit.

Item alia. De tutoribus, hoc est, qui res orfanorum se promittit gubernare, si post finitam tutillam legitimum annorum completus, et ipse homo in ipsa gubernationem ipse tutor stare voluerit, ille homo, cuius res sunt, pro actorem suum ipsum tutore tenere potest.

VI. Qui res alienas recipit ad usuras, sicut inter ipsos convenerit,

---

c) *Subtutor.* Verbum non intelligo, sed superfluum videtur, cum eo deleto stet sensus legis.

d) *Sine censum.* Quid haec sibi velint, non assequor.

ad illum, cuius res sunt, solvat; si ille quesierit, cuius res sunt, quod inter eos convenit, iuratus dicat ille qui ipsas res recepit

Patrem mortuum *e*) voluerit suscipere ad gubernandum, non ei necetur; et ipsa vero similem exinde rationem daturam est, sicut et alter homo, qui res orfanorum recepit ad gubernandum.

VII. *Item alia.* De filios familie, hoc est si filius sine uxorem fuerit, aut si ad Rege, vel ad alterum patronum commendatum non fuerit, nisi adhoc in solam potestatem patris permanserit, sic est ille filius, sicut et servus. Si talis filius, vel servus pecuniam aut qualecumque rem de altero homine reciperint nesciente patrem, aut domino suo, et ipsa rem perdiderint; et postea ille, qui ad illos ipsam rem commendavit, si ea requirere voluerit, et ipsi non habuerint ei unde reddere; dominus vel pater eorum amplius ei non reddat, nisi quantum de ipsorum peculiare invenire potuerit.

Item alia. Si pater duos filios habuerit, et unus de illos uxorem habuerit, aut ad Regem et alterum patronum commendatum fuerit, et pater eorum ad illum plus fecerit, quam legitimum est ad illum, qui sine uxorem est, aut ad Regem, aut ad patronum commendatum non est; pater eius de suum proprium ad illum ipsas res adimpleatur, et ille, cui plus fecit, integra obtineat firmitatem.

VIII. *Item alia. De calumniatoribus.* Ille non est calumniatus *f*), qui inter duos homines contendentes de qualecumque rem iustitiam dicit; sed ille est calumniatus, qui rogitus, aut per primias, alterius causa desertat.

Item alia. Si quis alterum hominem per fortiam aut in domo, aut in carcere, aut in catenis miserit, aut per qualecumque inienio illum extorserit, ut illi de res suas qualecumque cartola facere debeat, ipsa cartula nullam obtineat firmitatem.

IX. *Item alia. De minoribus etatibus.* Si quis infra legitimis annis sunt, si aliqua graviora culpa commiserit, sicut lex continet, solvat, sicut et ille, qui in maiore etate est.

Item alia. Quicumque in minore etate sunt *g*), rem suam alicui commendaverit, et exinde damnum evenerit, totum requirere illum non potest, nisi si ipse propriam suam voluntatem illi reddere voluerit. Similiter et ille, qui in minore etate est, et ad alterum tale, qui in minore aetate est, sua negotia commendaverit, similiter, ut supra diximus, in integro ei requirere non potest, nisi si ipse minor propria sua voluntatem ei reddere voluerit.

Item alia. Si duo parvuli consubrini, qui infra annis sunt, et sine parentes remanserint, et unus de illos mortuos fuerit, ille qui vivit, amborum hereditatem vindicet.

---

e) *Patrem mortuum.* Desunt aliqua ad legis intelligentiam necessaria. Sensus esse deberet; *Mater si res filiorum patre mortuo voluerit suscipere ad gubernandum etc.*

f) *Calumniatus:* h. e. *calumniator;* et sic infra in hac lege.

g) *Quicumque in minore etate sunt etc.* Legis sensus est de iis, qui minoribus res suas commendant; sed scriptor misellus adeo male sese exprimit, ut contrarium efferre videatur.

Item alia. Si minor fuerit infans, qui infra annis est, et fideiussor alicui accesserit, qualem fidem fecerit, solvat.

Item alia. Si aliquis homo pro alterum, qui infra annis est, fidemiussor exierit, ille qui ipsam fidem fecit, ille solvat, et ille qui infra annis est, illi nihil conponat.

Item alia. Quicunque homo, qui per aliquo inienio pro parvulum, qui infra annis est, fideiussor exierit, ut illum parvulum per malum inienium aliquid ledere possit; ille qui fideiussor exivit, de suo proprio conponat, et sicut superius diximus, illum parvulum, pro quem fidemiussor exivit, nihil requirat.

Item alia. Si quicumque homo de illos, qui infra annis sunt, terra conparaverit, et postea, ubi ipse parvulus ad legitima aetatem pervenerit, si voluerit precium reddere illi, cui suam terram vendidit, precium reddat, et terra recipiat; et fructum de ipsa terra, illum tenuit de illum qui ibidem laborabat, ad illum nihil requiratur.

X. Quicumque homo inienuus mancipia, aut terra sua inpignoraverit, aut insiduciaverit, et ille mortuus fuerit qui ea inpignoravit; post suam mortem liceat filium suum, quod pater eius placuit, dare, et rem suam recipere.

Item alia. Quicumque homo ad alterum hominem rem suam prestaverit, et ipsa rem antea requisierit, quae *h)* inter eos convenit, aut forte meliore, aut plusquam ei dederat, ipsa rem ille qui querit perdat.

XI. *De satisdandis. Intpr.* Quicumque homo inienuus de facultatem suam alicui carta fecerit, et mortuus fuerit; ille qui ipsa carta recepit, ad heredes mortui legitimam porcionem docere debet; et pro hoc ambe partes fideiussores dent, ut ante Iudicem se presentare debent; et ille qui illam cartam habet, ante ipsum Iudicem ad illos heredes legitimam portionem consignet, quae eis pater eorum pro ipsa carta dimississet. Si ille, qui carta habet, hoc consignare potest, sua carta integra obteneat firmitatem.

XII. *Item alia. De falsariis.* Quicumque homo, qui sciente falsa carta in iudicio protulerit, iusta lege puniatur; et qui nesciendo in iudicio falsa carta protulerit, scusandum se dicat, ut ipsa carta falsa non saupisset. Si hoc scusare potest, minime comdamnetur.

XIII. *Item alia. De libertis vel de servis. Intpr.* Nec libertus de patronum suum, nec servus dominum suum se excutere non potest, nisi si illius incredulus, et paganus probare potuerit.

Item alia. Nulla femina pregnante pro nulla causa nec torquere, nec in nullum vinculum mittere licentiam non damus, ante quam ad partum veniat.

Item alia. Ille homo, qui de qualecumque crimine convictus fuerit, et si Iudex ei aliquas poenas fecerit, aut in trabalium miserit nec si de qualecumque hominem illa hora male loquatur, credendum ei non est.

XIV. *Item alia.* Filius antequam mancipetur, iussionem patris in omnibus adimpleatur; de quo matres vero iussione in omnibus non adimpleatur, nisi ea, quae possibile est, faciat.

---

h) Quae. Lege, *quam.*

Item alia. Si quis qualecumque cartam alterius per malo animo, quid ei ad damnum esse debeat, aut raserit, aut incendaverit, aut per qualecumque modo fraudaverit, secundum legem puniatur.

XV. *De venditionibus. Intpr.* Quicumque ad alterum hominem legitimam vinditionem fecerit, et precium acceperit; et ipsa rem tradere noluerit, Iudex eum invitum ipsam rem tradere faciat.

XVI. *Item alia intpr.* Quicumque homo alienum servum fugire docuerit, aut furtum facere, aut aliena ancilla per fortiam virginem conruerit *i*), secundum legem Aquiliense iudicentur.

XVII. *Item alia intpr.* Quicumque homo, qui alterius terra malo ordine aut per fortiam tulerit, in quantum tempus eam tenuerit, omnia ab integro reddatur.

XVIII. Si duo heredes facultatem, aut terram insimul habuerint, qui equale dividere debeant, et unus de illos maiore portionem habuerit, et si ille, qui minus habuerit, illum qui plus habet non requisierit; ille, qui amplius habet, nullum damnum exinde paciatur, nisi quando eum quesierit, de presente per rationem dividant; et si ille, qui minus habet, illum qui plus habet, semper quaesivit, et ille qui plus tenet, denegaverit, si ante Iudicem convictus fuerit, per tempus ei reddatur.

XIX. *Item alia.* Si quicumque peculium ad alterum hominem damnum fecerit, si ipse homo, cuius peculius est, damnum qui fecit conponere noluerit, ipsum peculium, qui ipsum damnum fecit, perdat. Similiter si pecus alium pecus occiserit, aut si canes qualecumque alterius peculium occiserit, dominus eius, cuius ipse peculius est, aut canis, qui illum alterum occisit; aut alterum tale peculium reddat, qualis ille fuit, quem intrigavit, aut ipsum peculium, qui illum damnum fecit, reddat.

Item alia. Qualecumque fera, quod homo habuerit, et eam in illo loco ligaverit, ubi alicui de qualecumque rem damnum fecerit; ille qui ibidem ligare iussit, ipsum damnum quem ipsa fera fecit, conponat. Et si ipse homo, qui ipsa fera custodire debet, et sine iussionem domini sui ibidem eam ligaverat, ubi alicui damnum faciat, de suo proprio ille qui ibidem ea ligavit, damnum quod ipsa fera fecit, conponat.

Item alia. Si quicumque homo aut fera, aut quadrupedem, si ea per sua presumptionem inritaverit, ut ei aliquid nocere debeat; si hoc fecerit, nulla compositionem exinde non requiratur.

XX. De aqueducto et via publica privata (hoc est via privata, qui non est strata publica), ille qui per duos annos aqueductum, aut viam privata dimiserit, postea eos requirere non potest. Et qui eos per duos annos quieto ordine possiderit, alter homo ille postea eos requirere non potest.

XXI. Si duo heredes ad dividendum res suas venerint, et exinde aliqua intentionem inter se habuerint; Iudex inter eos alterum hominem iustum arbitratore mittat, qui inter illos deliberet. Et si aliquid inter illos non divisum remanserit, ipsi heredes inter se illum, quod non divisum remansit, sine arbitratorem dividant.

XXII. *Item alia.* Quicumque homo alteri debitor fuerit, et ip-

i) *Conruerit.* Lege *corruperit.*

sum debitum negare voluerit, et postea exinde convictus fuerit, ipsum debitum in duplo solvatur. Similiter et ille quicumque homo, qui rem suam vendiderit et exinde cartam fecerit, si minus dederit quam in ipsa carta scriptum fuerit, in quantum exinde minus invenitur, in duplum persolvat.

XXIII. *De fideiussores.* Si de una causa plures fideiussores fuerint dati, et si aliquid de ipsos fideiussores mortuus fuerit, proinde causa non perdit, sed per eos, qui de illos fideiussores vivit, quod promisit solvat.

XXIV. *Item alia.* Quicumque homo alienum mortuum sepelierit, et si qualecumque causa de suum proprium ibidem expendiderit ille qui illum seppellivit; parentes mortui, quantum ille ausire iuratus dicere, quid ibidem de suo proprio expendedisset, de illius mortui facultatem ei reddantur.

Explicit Liber Primus Sententiarum Pauli.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XXIV.

Incipit Liber Secundus.

I. *Intpr.* De qualecumque causa, aut de qualecumque rem, unde inter duos homines intentio fuerit, et in iudicio ante Iudicem venerint, ambe partes in placito iuratores presentare debent; et qui meliores, aut plus iustos persona habuerit, ipse iuret.

Item alia. Si aliquis homo pro alterum, qui debitum alicui habet, et si promiserit illius debitum reddere, illum qui promisit reddat, et illum alterum, pro quam promisit, non condamnetur.

II. *Item alia. De stipulatione.* Stipulatio est inter duos homi-

nes, de qualecumque rem intencio est, possunt inter se ipsa ca sa sine scripta, et sine fideiussores per stipula finere. Stipula hoc est, ut unus de ipsos levet festucum de terra, et ipsum festucum in terra reiactet, et dicat: *per ista stipula omne ista causa dimitto*: et sic ille alter prendat ipsum illum festucum, et eum salvum faciat; et iterum ille alius similiter faciat. Si hoc fecerint, et aliqui de illos aut de heredes eorum, ipsa causa removere voluerit, ipsum festucum in iudicio coram testes presentetur, ambo duo qui contendunt, et si hoc fecerint, ipsa causa removere non possunt.

III. *Item alia.* Si cuicumque servus alterius rem quale libet susciperet, et ipsa rem in pugna dux . . ., aut ubi mortis periculum incurrat, et ipsa perdiderit; reddat ei, cuius res fuit, alteram talem, quales illa fuit, quem perdidit.

Item alia. Quicumque homo ad alterum hominem qualecumque rem suam dederit ad vendendum, et si ipse homo, qui ipsam rem se vindere promisit, si ipsam rem perdiderit; ipsum precium, que inter eos convenit, ad quantum ipsam rem vendere debuerat, reddat; aut altera tale rem, qualis illa fuit quod vendere debuerat, reddat.

IV. *Item alia intpr.* Si quicumque homo pro qualemcumque debitum pignus suum dederit, et in die placito, quod inter eos convenerat, pignus suum non dispignoraverit; sic postea ille, qui illos pignus habet, per tres vices ad suum debitorem dicat, ut pignus suum recipiat, et suas res reddat . . . . accessiones suum pignus . . . . pignoraverit, ille post . . . . ipsos pignos habet libera . . . de habeat potestatem facere, quod voluerit.

V. *Item alia.* Qui ancilla, aut iumentum, aut vacca, aut qualecumque peculium pregnante inpignoraverit, ille qui illos pignos recepit, illum caput habeat, sicut superius diximus, si ipse debitor suum pignus non dispignoraverit; nam illum nutrimentum ad dominum suum revertatur, qui ipsum pignus posuit.

VI. *Item alia.* Quicumque homo ad alterum debet solidos X., et ille, cui illos solidos X. debet, forsitan illi debet solidos V., et si ille illos X. quesierit, et illos V. non rememoraverit, quod ille illi debeat, totos X. illos solidos perdat pro hoc, quod illos quinque non rememoraverat, quod ille illi quinque debeat. Similiter et de omne specie sic debet homo facere.

VII. *Intpr.* Si naves in flumen, aut in lacum, aut in mare pereclita . . ., quicumque homo qui de ipsa rem, quod ibidem cum ipsa nave perierat, aliqua exinde ipsa rem, aut si ipsa naves liberare potuerit, iuxta legem ille qui exinde de ipsa rem liberaverit, mercedes accipiet.

VIII. *Intpr.* Si inmancipatus filius, hoc est inmancipatum, qui adhuc sine uxorem est, aut qui nec ad Regem, nec ad nullum patronum commendatum non est, nisi adhuc in sola voluntatem patris permanet; talis filius sic habet potestatem, sicut et servus. Si talis filius, aut servus, cuicumque homini rem susciperit, et ipsa rem de suo patre, aut de suo domino, expendiderit, ipsa rem pater, aut dominus suus reddat.

Item alia. Si quicumque homo ad alterius filium, qui inmancipatus est, qualecumque rem suam commendaverit nesciente pater eius, et si ipse filius mortuus fuerit, aut de ipsa patria migraverit, ad patrem suum illi qui comm. . . . it, nulla ex . . . . ssunt.

IX. *Intpr.* Mulier pro nulla causa fideiussor exire non potest, nisi in tantum si tutilla filiorum suorum mortuo patre receperit ad gubernandum, de illas res fideiussorem et dare et recipere potest.

X. *Item alia.* Quicumque homo alteri debet solidos X., et ille debitor ponit ei alterum pignus, qui valet ei solidos XV., et ipse debitor ipsos X. solidos minime reddere; ille homo qui ipsos pignos habet, quantum plus preserit precium de ipsos pignos, quod illi X. solidi valeant, ad suum debitorem hoc reddat.

Item alia. Quicumque homo, qui aliqua rem suam inpignoraverit alicui pro qualecumque debitum, ipsam rem ille qui inpignoraverit, ad alterum hominem ipsa rem vendere non potest, antequam ea retollat de illo hominem, qui ea habuit inpignorata.

Item alia. Null . . . . quod in pignus rec . . . . parare non potest, ni . . . debitum recipiat, et ipsum pignus reddat.

Item alia. Quicumque homo ad suum debitorem pignus reciperit, et ille, qui ipsum pignus recipit, eum meliorare potuerit, in quantum illum meliorem facit, ille debitor illi conponat, quantum suus pignus melior fuerit.

Item alia. Quicumque homo unam rem ad duos homines inpignoraverit, et illum non redderit quod ad illos debet, illi qui ipsos pignos habent, unus ad alterum ipsos pignos vendere.

Item alia. Qui aliqua pecuniam suam alicui dederit ad usuras, in quantum ipse caput est, reddat, et centesima portionem, in quantum ipsa pecunia est, usuras requirat; nam si plus tollerit, ad debitorem reddatur.

Item alia. Quicumque homo qui alterius pec. . . . aut quale . . . . t ad usuras si . . . a grandis tribula . . . t peregrinatio aut op. . . . ssus fuerit de iudice, vel . . . malos homines, ipsas usuras reddere non iudicetur.

XI. *Item alia.* Si aliquis homo rogaverit alterum hominem, ut de seu *k)* ipsius precium qualecumque causa ei conparare debeat, et ille qui rogitus est, ei comparaverit, et ille postea, qui rogavit conparare, ipsam rem recipere noluerit; non solum tantum precium pro hoc conponat, sed usuras pro eum ille det, qui pro suum precium ille conparavit.

XII. *Item alia.* Si duo homines rem suam in commune habuerint, si eum aliquid exinde perdiderint, ambo insimul perdant; excepto si unus de ipsis aut per negligentiam suam perdiderit, aut furaverit; qui de illos hoc fecerit, inter se solvere debeant.

XIII. *Item alia.* Quicumque homo alteri . . . . . volunta . . . . ipsa rem, quam vendidit, in duplo conponat.

Item alia. Si duos homines terra . . . . habuerint, et unus de illos alteri de sua portionem mentierit, ille, qui mentitus est, ad illum, cui mentivit, in duplo reddat.

Item alia. Quicumque homo alicui mancipium suum vendiderit peculium habente, liceat ipsum servum aut de peculium suum, aut de arteficio suo, de illum qui eum conparavit, redimere se potest;

---

k) Seu. Lege, *sui.*

et si dum in ipso servitio est, filium generaverit, ipsum filium emptor vindicavit.

Item alia. Mutus homo et emere et vindere potest; nam furiosus hoc est furiosus, qui multum senex est, qui ille qui in nimiam etatem est, iam nec emere nec vendere non potest.

XIV. *Intpr.* Quicumque homo . . . servum suum . . . hominem . . . qui eum . . . . testimoniaverit esse, si postea . . . . servus eum fugerit, qui eum . . . ravit, ille qui ipsum ser. . . . didit, et precium empto. . . . eddat, et si aliquid ipse . . . . vus de ipsius rem secum portaverit, ille qui eum vendidit, omnia emptori reddere cogatur.

Item alia. Terra quae homo comparat, aut qualecumque rem, ipsius esse debet, ad cuius nomen carta scripta fuerit; nam non ipsius, qui pro alterum precium dedit; et si ille qui precium dat, ipsum precium ei requirere voluerit, ad cuius nomen carta tulit, suum precium recipiat.

XV. *Item alia.* Qui pro qualecumque causa fideiussore receperit, si se ad ipsum fideiussorem tenere noluerit, illum si teneat ille qui ei debitor est; et postea nec illum fideiusso . . . . ., nec ipsius heredes exin . . . . nullatenus po . . . . .

XIV. *Item alia* . . . . state . . . . rentum voluntate . . . . nium se iungere non p. . . .

Item alia. Quicumque vir et mulier, qui in coniugium iuncti sunt, si ali. . de illis mentem suam perdiderit, aut furibundus fuerit, aut alias tales his similia causa; per hoc se dimittere non possunt, nisi tantum per illas causas se dimittere possunt, quae in superiori lege scriptae sunt.

Item alia. Si libertus suam patronam, aut patroni filiam in coniugium prehendere presumpserit, in carcere mittatur, aut in metallo deputetur.

XVII. *Item alia.* Quicumque homo, qui puella ad uxorem prehendere debet, et ad ipsum sponsum aliqua occasio talis advenerit, ut ipsa die ad ipsas nuptias esse non possint; sui parentes, vel sui amici . . . uella ad domum . . . . .

Cetera desunt.

QUAESTIONES AC MONITA

VETERUM IURISPERITORUM IN LEGES LANGOBARDICAS

Ex Codicibus Mss. Ambrosianae Bibliothecae.

Monitum. Cl. Muratorii.

In geminis Ambrosianis Codicibus Mss., Langobardicas Leges complectentibus, quos una cum editis contulere consilio meo coniunctissimi Palatini Socii, *et una cum eis* Philippus Argelatus, *praeponebantur Iuridica quaedam fragmenta, quorum pars aspectu primo e Legibus nunquam antea editis conflata videbatur. Ut illa sub oculis habui, innumeris, paene dixi, intermixta mendis, quibus Codices ii abundabant, intellexi non Leges illic haberi, sed Legum interpretationes, quaestiunculas, et monita, quae in suum, aut tironum usum Iurisperiti rudium seculorum scripta reliquerant. Neque haec abiicienda sum ratus. Nimia nobis dederunt, et adhuc dant e suo penu recentiores Legum periti; adeo vero pauca ex antiquis illis supersunt, ut vel eorum quisquilias servare, cunctorumque oculis supponere irridendum minime sit. En ergo, quae ex corruptis iis fragmentis secernere potui, atque intellexisse quodammodo mihi visus sum, emendatis dumtaxat manifestioribus erratis. Reliqua pro suo arbitrio corrigat Lector.*

Quaestio de Lege Romana.

Homo, qui ad Placitum wadiam dederit, et non habet fideiussores paratos, Comes comprehendat, et faciat mittere in carcerem, quia Lex Romana praecepit.

Si quis fideiussores non habuerit, sic debet iurare iuxta iudicatum: Post decessum ill. genitricis meae meum proprium esse debet, et malo ordine non devestivi. Tunc vadat ad certamen. Quod si utile fuerit, quod ipsa femina advestita fuerit, et alter ad captionem venerit, et sacramentum facere debeat: tunc dicta femina dicat, quia iuxta istud iudicatum investita fuit. Tamen non debet dicere proprium.

Supercessio *l)* Lege Salica. Si olim homo decesserit, et reliquerit filium et filiam, aequaliter succedant. Et si reliquerit filium et filiam,

l) Pro *Successio*, sive ordine succedendi. Vox insueta, et librario indoctissimo tribuenda.

et neptum filium de suo filio, aequaliter succedant. Si vero isti non fuerint, et reliquerit patrem, et matrem, ipsi succedant. Si autem non habuerit, et ille moriens reliquerit fratrem, vel sororem, sive sint germani, sive non, ipsi succedant. Si vero istos praedictos non habuerit, et habuerit amitam sororem de suo patre, ipsa succedat. Et si istam non habuerit, et habuerit sororem de sua matre, ipsa succedat. Quod si nullus de istis personis fuerint, tunc quicumque propinquus fuerit, masculus paterna generatione, ipse succedat. Sed alias feminas non vocamus ad supercessionem de homine Salico, nisi illas, quas supradiximus.

Supercessio Lege Romana. Si homo decesserit, et reliquerit filium, vel filiam, et neptum filium de suo filio, vel filiae, aequaliter succedant. Similiter omnes supercedant illi, qui de inferiori linea venerint, sive sint pronepotes, vel pronepotae, vel inde incoeperint, sive sint nati, antequam parens fuerit mortuus, sive sint posthumi, qui fuerint nati post decessum parentis. Quod si nulli de superiori linea fuerint, et habuerit patrem, et matrem, et fratrem germanum, et sororem germanam, omnes aequaliter supercedant. Et si habuerit tantum matrem, vel patrem, vel fratrem germanum, vel sororem germanam, et filium, vel filiam de alio fratre, vel sorore germana, similiter aequaliter succedant. Si vero reliquerit fratrem, vel sororem germanam, et frater, et soror germana, et frater, vel soror qui non sunt germani, supercedant. Si autem reliquerit fratrem, vel sororem, qui non sunt germani, et filium, vel filiam dicti fratris, aut dictae sororis, qui fuerint germani, frater vel soror germana succedant. Quod si reliquerit fratrem vel sororem germanam, aut filios, vel filias dicti fratris, vel sororis, qui fuerint similiter germani, aequaliter supercedant. Et si istos non habuerit, et habuerit avum, vel aviam, et patrem vel matrem, pater, vel mater supercedant, quia proximiores avo sunt. Quod si nullus de personis supradictis fuerit, tunc quicumque proximior fuerit, sive masculus, sive femina, sive de paterna generatione, sive de materna, ipse supercedat. Si vero fuerint parentes aequali gradu de paterna, et de materna generatione, aequaliter supercedant. Si autem fuerit plus propinquus de paterna, vel de materna generatione, is, qui fuerit proximior gradu, ipse supercedat, quia sic praecepit Lex Romana in Libro, qui nominatur *Novella*, quem egit Iustinianus Imperator temporibus suis.

Intentiones, unde per Leges potest haberi pugna.

Prima est, si alicui fuerit missum crimen, quod ipse infidelis Regi sit. Secunda, si homo clamaverit fornicari a muliere, quae in alterius mundio est, et perseveraverit in ipso malo. Tertia, si homo miserit crimen suae uxoris, quod tractasset in morte sua. IV. si homo miserit crimen alii de sua uxore, quod fornicasset cum ea. V. si quis miserit crimen suae mulieris, quod fornicasset cum alio. VI. si quis in alium miserit crimen de sua uxore, quod conversasset cum . . . . VII. si homo appellaverit alium argam, et perseveraverit in ipso malo. VIII. si quis appellaverit filium, quod pater eius fuisset debitor suus. IX. si surrexerit intentio inter creditorem, et debitorem, atque fideiussorem. X. si quis mallaverit alium de incendio, quasi ipse fecisset. XI. si homo mallaverit alium, quod ipse occidisset suum proprium Aldium per venenum. XII. si homo noluerit recipere rem intertiatam. XIII. si duo testimonia ad quamlibet rem dant testimonium, et discordant inter se. XIV. De charta falsa appellata, si voluerit ipse, qui appellavit falsam eam. XV. si quis appellaverit alium,

quod deposuisset ei aut ipse, aut per suum nuntium, valentem xx. solidos, aut amplius. XVI. si aliquis appellaverit alium, quod ipse devestisset eumdem re immobile. XVII. si homo venerit in iudicium, et dixerit: Habeo et teneo ad meam proprietatem petiam unam de terra in loco tali et tali. Homo similiter dicat: Ipsa terra, quam tu dicis, ego habeo eam, et teneo ad meam proprietatem. XVIII. si quis dixerit de charta facta de pretio, quod fecit eam per virtutem. XIX. si homo miserit crimen alii, quod tulisset ei furto valentia plus aliquid de vi. solidis. XXI. (*Vigesimum omittit*) Si homo appellaverit alium de scacho valente ultra vi. sol. XXII. si homo mallaverit alium, quod ipse fuisset collega furis de aliqua re furata. XXIII. si homo mallaverit, quod in sua potestate venisset aliqua res furtiva, se sciente, quod ea fuisset furata. XXIV. si quis mallaverit alium, quod suum servum fecisset, et ei furatus uxorem sit, vel filium ipsius, qui in eius potestate est.

Possessiones ex Lege Langobardica tales sunt per xxx. annos; tales sunt per xl., tales sunt per lx. Per xxx. sunt inter duos homines extraneos, aut inter hominem et Ecclesiam. Per xl. sunt inter duos fratres, aut inter barbam et nepotem, vel inter consobrinos, vel inter duas Ecclesias. Et si aliquid habuerit . . . unus ex istis parentibus, aut de una Ecclesia, et intentionat cum alio de ipsis parentibus, vel cum alia Ecclesia, et vult stare in locum Warentis. Per lx. sunt illae, si aliquis habuerit intentionem de rebus mobilibus cum pars publica.

Si homo commendaverit servo aliquas res, et postea ipse servus fuerit dimissus liber, et veniens ille, qui ipsas res commendavit, requirere, respondeat ille: Ab illo die, quando tu mihi commendasti, servus eram, et ipse dominus meus mihi tulit. Quomodo possim contradicere, quia dominus meus erat ille? Lex est, ut postquam ipse manifestat quod commendasset, reddat ei quod dicit Lex ad res alienas commendatas.

Si ille homo aliqua mala fecerit, ... servus dominum appellat, quando ad sacramentum venerit, si debeat iurare iuxta istud iudicatum eius praedecessum, illa genetrix mea meum proprium esse debet, et malo ordine non devestivi, et sacramentum facere debet: dicta femina dicat iuxta istud iudicatum investita fuerat, tamen non debet dicere proprium.

Si infans intra aetatem sit, et habuerit avium de patre, tutor sit, de matre non.

Si homo invenerit *m*) Scazo in terra aliena, medietatem habeat qui invenerit, et medietatem cuius terra est, quia Lex Romana dicit.

Recordare. Si Episcopus commutaverit terram, et prius appellaverit ipse, cum quo commutaverit, et ipse monstraverit chartam, et ipse Episcopus dixerit: nihil impediat, quia contra Legem facta est, et ipse dixerit non, ut si existimatores fuissent, veniant et ipsorum testimonium firment. Si ipsi noluerint firmare, et dixerint, quia nescimus, quando commutatio facta fuerit, nec si peioratam rem receperit Casa Dei, ut iustum est, utrinque componat suum Widrigild. Et liceat ipsi alios testes contra eos apponere, si potuerit, et veraci testimonio dicere. Et si non potuerit approbare per se ipsum, perdat rem.

---

m) Id est, thesaurum. *Scatz* vox Germanica.

Si non potuerit Episcopus probare, ipse homo iuret tunc, quando commutatio facta fuerit, ut secundum legem facta fuerit, et melioratam receperit Casa Dei.

Si quis commendaverit aliquas res cuilibet, et ipse perdiderit postea aut per incendium, aut per . . . . . iustum est nihil reddat. Aut si fuerit tultum per ipsius forfactum, a quo commendatum est, nihil reddat. Et si per ipsum, qui recepit, iustum est, ut reddat, caput tantum.

Recordare de damnoso debito, debet dicere, a quali causa fuit damnosum.

Recordare, quod si frater unus refutaverit ad duos suam portionem, et manifestaverit in ipsa promissione, quod fuisset iure suorum parentum: iustum est, ut ipsi fratres nihil molestent ipsum fratrem, qui refutavit de sua portione. Et si manifestaverit ipsam promissionem, quod iuris sui fratris fuisset, iustum est ut de illa portione permaneat tacitus, et de sua; et si ipse suus frater voluerit, dividat cum ipsis suis fratribus.

Recordare: Si homo mallaverit alium, quod ipse tulisset ad furtum chartam, quae continebat de tanta re, quae valebat supra VI. solidos, iustum est nihil respondeat, si non appellaverit quod charta ipsa valebat super VI. sol., et homo Romanus . . . . . Lex est, ut si perdiderit res, quas aliter charta ipsa reddere debet, caput tantum, res.

Si quis fideiussores non habuerit, non despicitur carcere; nam de Langobardo non posuimus, quia Lex praecipit, ut habeat III. dies sine culpa, quando ad sacramentum venerit.

Ille Notarius, qui caput scripsit, et exemplavit, sic debet firmare: *Ego ille Notarius autentico huius exemplar manibus meis scripsi, et sic inibi continebatur, sicut hic legitur exemplar, littera plus minusve, et hoc exemplar manibus meis exemplavi.* Ille Notarius, qui non scripsit caput, et exemplavit: *Ego ille Notarius autentico huius exemplar vidi, legi, et sic inibi continebatur, sicut hic legitur, et exemplar manibus meis exemplavi.* Testes sic debent firmare: *Ille autentico huius exemplar vidi, legi, et sic inibi continebatur, sicut hic legitur exemplar, et me in ipso autentico secundum quod subscripsi.* Ille Notarius, qui scripsit caput, et non exemplavit, sed exempla firmavit: *Ego ille Notarius autentico huius exemplar manibus meis scripsi: et sic inibi continebatur, sicut hic legitur exemplar litera plus minusve.*

Incipit de Aetate.

Prima aetas est infantia, quae est VII. annis; secunda pueritia, similiter VII. annis; tertia adolescentia, quae est XIV. annis; quarta iuventus, quae est XXVIII. annis; quinta senectus; sexta decrepita aetas. Sed secundum Libros Divinos infantia, et pueritia pro una reputabitur, iuxta quod dicitur de Christo in Praefatio: *Qui natus est infans, et Deus est;* et Evangelia dicunt: *Octava dies venerat, ut circumcideretur puer.* Similiter adolescentia, vel iuventus iuxta auctoritatem Sacri . . . Postea venit senectus, quae incipit ad completos LVIII. annos. Et de aetate dicitur, secundum hic declaratur, et iuxta illud, quod dicitur in Lege Romana in libro, qui nominatur *Instituta* in Lege, quae inchoat sic: *Nunc transeam fideicommissa.* Et in ipsa Lege, quae sic praecipit, ut supra dictum est, antiquis temporibus firmum esse aestimo, ut homo postquam pervenerit ad ae-

tatem, qua vocatur senectus, quae incipit LVIII. annis, per se pugnam facere non debeat, sed suum pugnatorem pro se mittere, ideo quia tantis viribus deficit. Ergo si virtus, id est firmitas corporis deficit, infirmus est.

Recordare: Si quis appellaverit aliud ad servitium, et ipse dixerit non servum esse, quod libera matre natus sit: iustum est, ut probet quod dicit. Et si ipse non potuerit probare, probet ipsum qui appellat. Et si non potuerit, laxet ipsum, et faciat finem. Et si ipse servus dedit wadia de probare, et non potuerit facere, quod liber sit, Comes debeat dare pro servo illius, qui appellat. Et si produxerit probare, et inter se discordaverint, unusquisque componat suum Widrigild, et ipse pro servo similiter fiat datus. Et si ipse, qui dicit esse suum dominum, non potuerit probare, nihil componat.

Si quis commendaverit aliquas res cuilibet servo, nesciente suo domino, et eos dominus libertaverit postea, et voluerit ipse, cuius res fuerint, appellare, dominus nihil ei reddat; nam ipse, cui res commendiderat, ipse rendat. Et si per consensum domini sui commendaverit, dominus respondeat.

Recordare, quoniam si servus ambulaverit a mansione alterius, et dixerit: *Homo ille mandat vobis domino meo, praesta talem rem*; et praestaverit, et ipse servus fugierit, et ipse qui servo res dederit, pulsaverit dominum: iustum est, dominus nihil ei rendat, nisi praebeat sacramentum, nec suae voluntatis, nec suae conscientiae eius fuisset, quod servus suus hoc malum fecisset, et fiat solutus. Et si voluerit, habet spatium ad requirendum eum habere.

Recordare. Si homo mundiaverit suam mundoaldam, et si avenerit ipsa moriens, iustum est, ita maritus succedat in totum, quod ei pertinuerit.

Recordare, quoniam si homo appellaverit alium, quod ipse devestisset de res immobiles, et ipse dixerit, quod de propinquo meo parente sint, si ipse decesserit absque filiis, filiabus, eo volo succedere: iustum est, nec refudat, nec pugnam facere inde, nec intromittat, nec intromisit. Et si dixerit, quod devestisset, et ipse dixerit, quod pertinet mihi per libellum, et ego tibi malo ordine non devestivi: iustum est, ut faciat pugnam.

Recordare. Si homo vendiderit suas res ad Presbyterum in eo tenore, ut ipse debeat usumfructum habere, et post eius decessum ad eius proprietatem debeat venire; et fuerit mortuus sine filiis et filiabus, aut non fecerit aliquid de ipsis rebus; iustum est, ita ipse Presbyter veniat ad proprietatem, quia non dederit aliis, et ipse in se retineat.

Iustum est, ut homo de adulterio natus, vivat qualem legem voluerit. Et si ipse mortuus fuerit sine filiis, et filiabus, aut sine testamento, iustum est, ut ipse qui plus propinquus fuerit, sive parte patris, sive parte matris, ipsi succedat. Quod si aequales parentes fuerint, similiter succedant.

HINCMARI REMENSIS

AD EPISCOPOS QUOSDAM FRANCIAE

EPISTOLA DE ORDINE PALATII.

HINCMARUS EPISCOPUS

AC PLEBIS DEI FAMULUS.

I. Pro aetatis et sacri Ordinis antiquitate, posteriores tempore, boni et sapientes viri, rogatis exiguitatem meam, ut qui negotiis Ecclesiasticis et Palatinis, quando in amplitudine, et unitate regni prospere agebantur, interfui, et consilia, doctrinamque illorum, qui sanctam Ecclesiam in sanctitate et iustitia rexerunt, sed et eorum, qui soliditatem regni tempore superiore prosperius disposuerunt, audivi; quorum magisterio traditionem maiorum suorum didici: post obitum etiam Domini Hludouvici Imperatoris in eorum obsequio, qui pro filiorum eius tunc temporis Regum nostrorum concordia sategerunt, pro modulo meo frequentibus itineribus, verbis, et scriptis laboravi, ad institutionem istius iuvenis et moderni Regis nostri, et ad reerectionem honoris et pacis Ecclesiae, ac regni ordinem ecclesiasticum, et dispositionem domus regiae in sacro palatio, sicut audivi et vidi, demonstrem, quatenus in novitate sua ea doctrina imbuatur, ut in regimine regni Deo placere, et in hoc saeculo feliciter regnare, et de presenti regno ad aeternum valeat pervenire. Experimento quippe cognoscimus, quia vas novum, quo prius sapore et odore imbutum fuerit, illud in posterum diu retinebit, sicut et quidam sapiens dicit: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.* Et legimus, quomodo Alexander in pueritia sua habuit baiulum nomine Leonidem, citatis moribus, et incomposito incessu notabilem, quae puer, quasi lac adulterinum sugens, ab eo sumpsit. Unde in adulta aetate sapiens et rex fortis se ipsum reprehendebat, et vitare volebat: sed, ut legitur, cum omnia regna vicerit, in hoc se ipsum vincere non potuit.

II. Intellegat igitur Dominus Rex, ad quod officium est provectus, et obaudiat commonitionem atque comminationem Regis Regum dicentis ei cum aliis regibus: *Et nunc reges*, inquit, *intellegite, erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore: et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta*: sicut multos hanc commonitio-

nem et comminationem neglegentes perisse legimus, audivimus, et etiam nostro tempore scimus. Obaudiat etiam sanctam scripturam sibi praecipientem: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum, quia in malivolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

III. Ego autem, et pro imposito ministerio, et pro bona et rationabili vestra iussione aggrediar exequi quod rogatis: non meo sensu, neque verbis meis, sed, ut praemisi, maiorum traditione, attendens dicentem Dominum ad prophetam. *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me. Ex me*, inquit, et non ex te; quia, sicut ipse dicit: *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit.* Sancta scriptura in omni ordine et professione unicuique administratori praecipit, ut intellegat cuncta, quae ait. Quoniam si intellegit, administratio, quam gerit, unde exordium caepit, sollicitius satagit, ut de administrationis talento sibi credito rationem redditurus. *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unus, quisque quae per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* Non audiat a iusto iudice, quod Dominus in Evangelio servo malo et pigro responsurum se fatetur, sed audire mereatur: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.*

IV. Legimus in sancta Scriptura veteris testamenti, quia David rex simul et propheta praefigurans Dominum nostrum Iesum Christum, qui solus rex simul et sacerdos fieri potuit, duos in sacerdotibus Ordines constituit: in summis, videlicet, Pontificibus, et in minoris ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio: ea videlicet provisione, ut dum quilibet Pontificum vita decederet, quicunque sacerdotum optimus putaretur ei in Pontificatum succederet. Et in novo testamento Dominus noster Iesus Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in Evangelio legimus, duodecim elegit, quos et Apostolos nominavit. Horum in Ecclesia locum tenent Episcopi, sicut sacra Scriptura, et Catholici Doctores ostendunt. Designavit etiam et alios LXXII. qui sub duodecim Apostolis figuram presbyterorum, idest, secundi ordinis sacerdotum praemonstraverunt, ut decedentibus Episcopis, de his secundi et inferiores ordinis sacerdotibus secundum sacros canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos ad summi sacerdotii apicem loco decessorum Episcoporum provehantur, sicut sacra Scriptura Actuum Apostolorum patenter ostendit, dicente Petro ad confratres suos, quando Iudas, qui connumeratus fuerat in ordine Apostolorum, et sortitus sortem ministerii Apostolatus, abiit in locum suum, *Oportet*, inquiens, *ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus* Iesus *testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis.* Et venit electio divina super Mathiam, qui annumeratus est cum undecim Apostolis.

V. Et in sacra Regum historia legimus, quia Principes sacerdotum quando sacra unctione reges in regnum sacrabant, coronam significantem victoriam ponentes super capita eorum, legem in manum eius dabant, ut scirent, qualiter seipsos regere, et pravos corrigere, et bonos in viam rectam deberent dirigere. Unde sicut B. Papa Gelasius ad Anastasium Imperatorem ex sacris Scripturis demonstrat: et in his, quae nuper apud martyrium sanctae Macrae in Synodo gesta sunt, continetur: duo sunt, quibus principaliter, una cum specialiter cuiusque

curae subiectis, mundus hic regitur; auctoritas sacra Pontificum, et Regalis potestas: in quibus personis, sicut ordinum sunt divisa vocabula, ita sunt et divisa in unoquoque ordine ac professione ordinationum officia. Diligenter igitur quisque debet in ordine et professione sua, quo nomine censetur, attendere, et magnopere providere, ne a nomine discordet officio. *Primum namque,* ut B. Cyprianus dicit, *ab Episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur: quoniam Episcopus, cum graecum nomen sit, speculator interpretatur. Quare vero speculator ponitur, et quid a speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetae persona Episcopo officii sui rationem denunciat, ita inquiens. Speculatorem dedite domui Israhel.* Speculatoris officium est, ut commisso sibi populo, exemplo et verbo, qualiter vivere debeat, incessanter annuntiet: sicut de Christo, qui sequi se, id est, imitari praecipit, scriptum est: *Quae capit* Iesus *facere et docere*: et sic vitam ac mores sibi commissorum speculetur, attendere: et postquam attenderit, sermone, si poterit, et actu corrigere: et si non poterit, iuxta Evangelicam regulam scelerum operarios debet declinare.

VI. Et Rex in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam iustitia Regis exaltatur solium, et veritate solidantur gubernacula populorum. Quae vero sit iustitia regis, idem B. Cyprianus in nono abusionis gradu sufficientissime monstrat.

VII. Habet quippe Ordo sacerdotalis leges divinitus promulgatas, qualiter quisque ad culmen regiminis, videlicet, Episcopatus venire debeat, atque ad hoc recte perveniens, qualiter vivat; et bene vivens, qualiter doceat, et recte docens infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: qualiter etiam ministros sibi subpositos regere debeat; quam pura etiam intentione sacros Ecclesiasticos ordines dispensare: et qua discretione ligare vel solvere subditos debeat. De quibus legibus in eisdem scriptum est ita. *Nulli sacerdoti suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obviare. Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* Quod tale est, quia, ut sacra monstrat auctoritas, cognata sunt Schisma et heresis, ac si aliis verbis dicatur. Non minus Schismaticus delinquit, cum praevaricatione sanctarum regularum per contemptum se ab unitate sanctae Ecclesiae, quae corpus Christi est, dividit, quam haereticus, qui de Deo, capite videlicet ipsius Ecclesiae, male sentit.

VIII. Et sicut dictum est de legibus Ecclesiasticis, quod nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare: ita legibus sacris decretum est, ut leges nescire nulli liceat, aut quae sunt statuta, contemnere. Cum enim dicitur, nulli liceat leges nescire, vel quae sunt statuta, contemnere, nulla persona in quocunque ordine mundano excipitur, quae hac sententia non constringatur. Habent enim Reges et Reipublicae ministri leges, quibus in quacumque provincia degentes regere debent. Habent capitula Christianorum Regum ac progenitorum suorum, quae generali consensu fidelium suorum tenere legaliter promulgaverunt. De quibus B. Augustinus dicit, quia *licet homines de his iudicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutae atque firmatae, non licebit iudicibus de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.*

IX. Multo minus autem Regi vel cuilibet in quocunque ordine contra leges divinas licet agere per contemptum. Unde Principi terrae magnopere providendum atque cavendum est, ne in his Deus offendatur, per quos religio Christiana consistere debet, et caeteri ab offensione salvari. Et ideo, quia res Ecclesiasticas divino iudicio tuendas et defensandas suscepit consensu eius electione Cleri ac plebis, et approbatione Episcoporum provinciae, quisque ad Ecclesiasticum regimen absque ulla venalitate provehi debet: quia, sicut Dominus in Evangelio dicit: *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Ecclesiasticis regulis sine difficultate omnimodis debet favere, si non vult Regem regum offendere. Et sicut Episcopi ac Rex providere debent, ut nullius rei intuitu eligatur Episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere dationis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitia, vel servitio temporali, aut aliqua occasione, quae contraria esse possit veritati, aut divinae auctoritati: ita Rex custodire debet, sicut S. Augustinus demonstrat, ne muneribus, vel blanditiis cuiusquam scelerati pelliciatur, et adulationibus decipiatur: nec quibuscunque propinquitatis necessitudinibus coniunctis contra Deum, sanctamque Ecclesiam atque Rempublicam perverse agentibus affectu carnali parcat, dicente Dei spiritu per David prophetam: *Nonne eos, qui oderunt te Deus oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Inimicos enim Dei perfecto odio odisse est, *ad quod facti sunt diligere et quod faciunt increpare, mores pravorum premere, vitae prodesse.*

X. Tales etiam Comites, et sub se iudices constituere debet, qui avaritiam oderint, et iustitiam diligant: et sub hac conditione suam administrationem peragant, et sub se huiusmodi ministeriales substituant. Et quicunque in omni ordine et professione in dominatione constituuntur, et Domini appellantur, sicut S. Cyprianus in sexto abusionis gradu demonstrat, *dominationis virtutem auctore et cooperatore Domino teneant: quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si Dominus ipse non habeat et virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor non tam exteriori fortitudine, quae in ipsa saecularibus Dominis necessaria est, indiget, quam animi interiori fortitudine bonis moribus exerceri debet: saepe enim dominandi per animi neglegentiam perditur fortitudo: Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet: terrorem scilicet, et ordinationem, et amorem. Nisi enim ametur Dominus pariter et metuatur, ordinatio minime constare illius potest. Per beneficia ergo et affabilitatem procuret ut diligatur, et per iustas vindictas, non propriae iniuriae, sed legis Dei, studeat ut metuatur. Propterea quoque, dum multi pendent in eo, ipse Deo adhaerere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera ipsum veluti fortiorem solidavit. Paxillus enim nisi bene forte firmetur, et alicui fortiori adhaereat, omne quod in eo pendet, cito labitur, et ipse solutus a rigore suae firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic et Princeps nisi suo conditori pertinaciter adhaeserit, et ipse, et omne quod continet, cito deperit. Et sciat, quod sicut in principatu hominum primus constitutus est, ita quoscunque peccatores sub se in praesenti habuit, nisi se et illos correxerit, supra se modo implacabili in illa futura poena habebit.*

XI. In memoratis namque gestis apud Martyrum S. Macrae, et de his, quae ad sanctae Ecclesiae, ac rectorum ipsius honorem et vigorem, et de his quae ad Regis et Regni soliditatem atque curam pertinent; nec non et de domus regiae dispositione ex Catholicorum,

secundum sanctarum scriptuarum tramitem, promulgationibus, atque ex Christianorum Regum constitutionibus per capitula breviter ac salubriter, si teneantur et exequantur, collecta continentur. Veruntamen quia Samaritanus, verus videlicet custos humani generis stabulario, id est, Pontificali ordini, cuius curae vulneratum quemque commiserat, ad sanandum dans duos denarios, vetus scilicet ac novum testamentum, dixit, *Quod super erogaveris, ego cum rediero reddam tibi:* eisdem gestis velut ex supererogatione, quae praemissa sunt in hoc opusculo, et quae sequentur adiicere studeo.

XII. Adalhardum senem et sapientem Domni Caroli Magni Imperatoris propinquum, et monasterii Corbeiae abbatem inter primos consiliarios primum in adolescentia mea vidi. Cuius libellum de ordine Palatii legi, et scripsi, in quo inter caetera continetur: duabus principaliter divisionibus totius regni statum constare, anteposito semper et ubique omnipotentis Dei iudicio. Primam videlicet divisionem esse dicens, qua assidue et indeficienter Regis Palatium regebatur et ordinabatur. Alteram vero, qua totius regni status secundum suam qualitatem studiosissime providendo servabatur.

XIII. In prima igitur dispositione Regis palatium in ornamento totius palatii ita ordinandum erat. Anteposito ergo Rege et Regina cum nobilissima prole sua, tam in spiritalibus, quam et in secularibus, atque corporalibus rebus per hos ministros omni tempore gubernabatur, videlicet per Apocrisiarium, id est, responsalem negotiorum Ecclesiasticorum; cuius ministerium ex eo tempore sumpsit exordium, quando Constantinus Magnus Imperator Christianus effectus propter amorem et honorem sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum doctrina ac ministerio ad Christi gratiam baptismatis Sacramenti pervenit, locum et sedem suam, urbem scilicet Romanam, Papae Silvestro edicto privilegii tradidit, et sedem suam in civitate sua, quae antea Byzantium vocabatur, nominis sui civitatem ampliando aedificavit: et sic responsales tam Romanae sedis, quam et aliarum praecipuarum sedium in palatio pro Ecclesiasticis negotiis excubabant.

XIV. Aliquando per Episcopos, aliquando vero per Diaconos Apostolica sedes hoc officio fungebatur. Quo officio B. Gregorius in Diaconi Ordine functus fuit, et ex aliis praecipuis sedibus per Diaconos id officium exequebatur, sicut sacri canones iubent. Et in his cisalpinis regionibus postquam Hludowicus praedicatione B. Remigii ad Christum conversus, et ab ipso cum tribus millibus Francorum in vigilia sancti Pascha baptizatus extitit, per successiones Regum sancti Episcopi ex suis sedibus, et tempore competenti palatium visitantes vicissim hanc administrationem disposuerunt. A tempore vero Pippini et Caroli interdum per presbyteros, interdum per Episcopos regia voluntate, atque Episcopali consensu per Diaconos, vel Presbyteros magis, quam per Episcopos hoc officium executum extitit: quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assidue exemplo et verbo vigilare, et non diutius secundum sacros canones a suis abesse parrochiis.

XV. Neque iuxta decreta ex sacris canonibus promulgata B. Gregorii, praetoria, quae nunc regia, et usitatius palatia nominantur, debent inutiliter observare ne incurrant iudicium, ut contra placita canonum sibi in ordinatione sua tradita facientes ipsi sibi honore privent ecclesiastico. Et, ut de licitis exemplo ponamus, et de inlicite usurpatis non taceamus: tempore Pippini et Caroli hoc ministerium consensu episcoporum per Fulradum presbyterum; tempore etiam Caroli per Engelramnum et Hildiboldum episcopos; tempore denique Hludo-

wici per Hilduinum presbyterum, et post eum per Fulconem item presbyterum, deinde per Diogonem episcopum extitit hoc ministerium executum.

XVI. Apocrisiarius autem quem nostrates Capellanum vel Palatii Custodem appellant, omnem clerum Palatii sub cura et dispositione sua regebat. Cui sociabatur summus Cancellarius, qui a secretis olim appellabatur, erantque illi subiecti prudentes et intelligentes ac fideles viri, qui praecepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, et secreta illis fideliter custodirent. Post eos vero sacrum Palatium per hos ministros disponebatur: per Camerarium videlicet et comitem Palatii, Senescalcum, Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium unum.

XVII. Et quamvis sub ipsis aut ex latere eorum alii ministeriales fuissent, et ostiarius, sacellarius, dispensator, scapoardus, et quorumcunque ex eis iuniores, aut Decani fuissent, vel etiam alii ex latere, sicut bersarii, veltrarii, beverarii, vel si qui adhuc supererant: veruntamen, quamvis et ipsi singuli iuxta suam qualitatem ad hoc intenti essent, non tamen ad eos, sicut ad caeteros principaliter, ut subter insertum est, totius regni confaederatio in maioribus vel minoribus, singulis quibusque quotidianis necessitatibus occurrentibus cum Palatio conglutinabantur: sed nec ipsi superiores omnes aequaliter propter ministeriorum diversitatem, qualitatem, vel convenientiam prodesse poterant: cum tamen nullus se propter fidei servandam veritatem regis et regni, ut praedictum est, subtrahere potuisset, vel etiam voluisset. De quorum personis vel ministeriis, quamquam plura sint, quae dicantur, haec tamen praecipue habebantur.

XVIII. Inprimis, ut iuxta cuiuscunque ministerii qualitatem vel quantitatem minister, nobili corde et corpore constans, rationabilis, discretus, et sobrius eligeretur: sed nec illa sollicitudo deerat, ut, si fieri potuisset, sicut hoc regnum Deo auctore ex pluribus regionibus constat, ex diversis etiam eisdem regionibus, aut in primo, aut in secundo, aut etiam in quolibet loco idem ministri eligerentur, qualiter familiarius quaeque regiones palatium adire possent, dum suae genealogiae vel regionis consortes in palatio locum tenere cognoscerent.

XIX. His ita breviter de eligendis et constituendis ministris praedictis: nunc ad eorundem ministrorum et ministrationum ordinem qualiter currebant, veniendum est. Nam quamvis praefati ministri, unusquisque de suo ministerio, non sub alio vel per alium, nisi per se ipsum, solum Regem, vel quantum ad Reginam, vel gloriosam prolem Regis respiciebant, caput ponerent: non tamen omnes aequaliter de caeteris rebus, vel caeterorum necessitatibus Regem adibant, sed mensura sua quisque contentus erat, et ubi, vel ubi ratio poscebat, solatium alterius requirebat. E quibus praecipue duo, id est, Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis, vel ministris Ecclesiae; et comes Palatii de omnibus saecularibus causis, vel iudiciis suscipiendi curam instanter habebant: ut nec Ecclesiastici, nec saeculares prius Domnum Regem, absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi praeviderent, si necessitas esset, ut causa ante Regem merito venire deberet. Si vero secreta esset causa, quamprius congrueret Regi, quam cuiquam alteri dicere, eundem dicendi locum eidem ipsi praepararent introducto prius Rege, ut hoc iuxta modum personae, vel honorabiliter, vel patienter, vel etiam misericorditer susciperet

XX. Apocrisiarius quidem de omni Ecclesiastica religione vel ordine, nec non etiam de Canonicae vel Monasticae altercatione, seu quaecunque Palatium adibant pro Ecclesiasticis necessitatibus sollicitudinem haberet: et ea tantummodo de externis Regem adirent, quae sine illo plenius definiri non potuissent. Caeterum, ut non solum de his, quae ad eos specialiter de omni ornamento vel officio Ecclesiastico infra palatium agenda pertinebant, verum quoque et omnem consolationem spiritalem, sive consilium totius Palatii quicunque quaereret, apud eum, ut necesse erat, fideliter inveniret: et qui non quaereret et tamen ipse apud aliquem necessarium esse sentiret, iuxta personae qualitatem, et a perverso sensu vel opere retrahere, et ad viam salutis convertere studeret. Et caetera spiritualia, quaecunque palatio, tam ab assidue conversantibus, quamque et a supervenientibus, sive secundum Deum, sive secundum saeculum, ut providerentur, et praeviderentur, erant necessaria, quae enumerare longum est, ad eius specialiter curam pertinebant. Non ita, ut aliter ullus, sive Palatinus, sive externus superveniens, sapientia et vera devotione per Dei gratiam illuminatus, tale aliquid minime ageret: sed maxime consuetudo erat, ut aut cum eodem Apocrisiario pariter aut certe per eius consilium quod erat agendum ageret, ne forte quid minus utile aut indignum Regi subriperet.

XXI. Comitis autem Palatii, inter caetera paene innumerabilia, in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quae alibi ortae propter aequitatis iudicium Palatium aggrediebantur, iuste ac rationabiliter determinaret; seu perverse iudicata ad aequitatis tramitem reduceret, ut et coram Deo propter iustitiam, et coram hominibus propter legum observationem cunctis placeret. Si quid vero tale esset, quod leges mundanae hoc in suis diffinitionibus statutum non haberent, aut secundum gentilium consuetudinem crudelius sancitum esset, quam Christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas merito non consentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur, ut ipse cum his, qui utramque legem nossent, et Dei magis, quam humanarum legum statuta metuerent, ita decerneret, ita statueret, ut ubi utrumque servari posset, utrumque servaretur: sin autem lex saeculi merito comprimeretur, iustitia Dei conservaretur.

XXII. De honestate vero Palatii, seu specialiter ornamento regali, nec non et de donis annuis militum, absque cibo et potu, vel equis, ad Reginam praecipue, et sub ipsa ad Camerarium pertinebat: et secundum cuiusque rei qualitatem ipsorum sollicitudo erat, ut tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid, dum opus esset, ullatenus opportuno tempore defuisset. De donis vero diversarum Legationum ad Camerarium aspiciebat; nisi forte iubente Rege tale aliquid esset, quod Reginae ad tractandum cum ipso congrueret. Haec autem omnia, et his similia eo intendebant, ut ab omni sollicitudine domestica vel Palatina, in quantum rationabiliter et honeste esse poterat, Domnus Rex omnipotenti Deo spem suam indesinenter committens ad totius regni statum ordinandum, vel conservandum animum semper suum promptum haberet.

XXIII. Ad tres autem ministeriales, Senescalcum, Buticularium et Comitem stabuli secundum uniuscuiusque ministerii qualitatem vel quantitatem pertinebat, ut cum communi consensu de suo quisque ministerio admonendi non essent segnes, ut quanto eius esse potuisset, omnes actores Regis praescirent, ubi vel ubi Rex illo vel illo tempore, tanto vel tanto spacio manere debuisset, propter adductionem

vel praeparationem: ne forte tarde scientes, dum inopportuno tempore, vel cum nimia festinatione exigeretur, familia regalis per neglegentiam sine necessitate opprimeretur. Quae videlicet cura, quanquam ad Buticularium, vel ad Comitem stabuli pertineret, maxima tamen cura ad Senescalcum respiciebat, eo quod omnia caetera, praeter potus vel victus caballorum ad eundem Senescalcum respiceret. Inter quos etiam et Mansionarius intererat, super cuius ministerium incumbebat, sicut et nomen eius indicat, ut in hoc maxime sollicitudo eius intenta esset, ut tam supradicti Actores, quamque et susceptores, quo tempore ad eos illo vel illo in loco Rex venturus esset, propter mansionum praeparationem, ut opportuno tempore praescire potuissent: ne aut inde, tarde scientes, propter afflictionem familiae importuno tempore peccatum, aut hi propter non condignam susceptionem, ac si bene noluissent, cum certe non volendo, sed non valendo offensionem incurrerent.

XXIV. Similiter quoque Venatores, et quintus Falconarius cum eadem unanimitate secundum temporis qualitatem admonere studebant, qualiter ea, quae ad singulorum ministeriorum curam pertinebant, ut opportuno tempore, et non tarde consideraretur, quando tanti vel quando tanti, quando toti, et quando nulli, aut in palatio retinerentur, aut more solito foris nutriendi usque ad tempus mitterentur, aut tempore congruo per denominata loca venandi causa pariter et nutriendi disponerentur. Sed et hoc et illud, id est, et intra et extra palatium, ita semper cum mensura et ratione ordinaretur, ut quantum prodesset, esset, et quantum non prodèsset, non esset; quia in ipsis ministeriis non sic facile certus numerus, aut hominum, aut canum, aut avium diffiniri potest: ideo in ipsorum arbitrio manebat, quanti et quales essent. Sensus autem in his omnibus talis erat, ut nunquam Palatio tales vel tanti deessent ministri, propter has praecipue inter caeteras necessitates, vel honestates.

XXV. Primo, ut, sive generaliter maioribus, sive specialiter vel singulariter quibusque minoribus recedentibus omni tempore et multitudine congrua, sine qua rationabiliter et honeste esse non posset, semper esset ornatum palatium, et consiliariis condignis nunquam destitutum fuisset. Et, ut qualiscunque Legatio, sive speculandi, sive etiam subdendi gratia veniret, qualiter omnes quidem honeste suscipi potuissent. Deinde primus consilii rectitudinem, secundus misericordiae et benignitatis consolationem, tertius vero versutiae seu temeritatis sermo referret medicinam. Et ut ex quacumque parte totius Regni, quicumque desolatus, orbatus, alieno aere oppressus, iniuste calumnia cuiusque suffocatus, seu caetera his similia, quae nunc enumerare perlongum est; maxime tamen de viduis, et orphanis, tam seniorum quamque et mediocrium, uniuscuiusque secundum suam indigentiam, vel qualitatem, Dominorum vero misericordiam et pietatem semper ad manum haberet, per quem singuli ad pias aures Principis perferre potuissent.

XXVI. Similiter, qui propter diutinum servitium digni erant, ut remunerari debuissent, et locus talis occurrebat, ubi ex praedictis indigentibus nemo sine mensura destitueretur, similiter secundum eorum qualitatem ad memoriam Principum revocarentur; non tam ipsis urgentibus, quam eorum, de quibus supra dictum est, fidem et debitum exigentibus, ut in eis id fieret. Primo propter quod cum iustitia et misericordia Deo placeret. Deinde in militia remanentibus certissimam fideliter serviendi fidem et constantiam ministrarent. Deinde ut etiam

longe positis per totius Regni ambitum laetitiam et gaudium demonstrarent. Et si aliquis ex ministerialibus vel consiliariis decedebat, loco eius congruus et utilis restituebatur.

XXVII. Et ut illa multitudo, quae in palatio semper esse debet, indeficienter persistere posset, his tribus ordinibus fovebatur. Uno videlicet, ut absque ministeriis expediti milites, anteposita Dominorum benignitate et sollicitudine, qua nunc victu, nunc vestitu, nunc auro, nunc argento, modo equis, vel caeteris ornamentis, interdum specialiter, aliquando prout tempus, ratio, et ordo condignam potestatem administrabat, saepius porrectis: in eo tamen indeficientem consolationem, nec non ad regale obsequium inflammatum animum ardentius semper habebant: quod illos praefati Capitanei ministeriales certatim de die in diem, nunc istos, nunc illos ad mansiones suas vocabant, et non tam gulae voracitate, quam verae familiaritatis, seu dilectionis amore, prout cuique possibile erat, impendere studebant: sicque fiebat, ut rarus quisque infra hebdomadam remaneret, qui non ab aliquo huiusmodi studio convocaretur.

XXVIII. Alter Ordo per singula ministeria discipulis congruebat, qui Magistro suo singuli adhaerentes, et honorificabant et honorificabantur, locisque singuli suis, prout opportunitas occurrebat, ut a Domino videndo vel alloquendo consolarentur. Tertius ordo item erat, tam maiorum, quam minorum in pueris, vel vasallis, quos unusquisque prout gubernare et sustentare absque peccato, rapina videlicet vel furto poterat, studiose habere procurabant. In quibus, scilicet, denominatis ordinibus, absque his, qui semper eundo et redeundo palatium frequentabant, erat delectabile, quod interdum et necessitati, si repente ingrueret, semper sufficerent: et tamen semper, ut dictum est, maior pars illius propter superius commemoratas benignitates, cum iucunditate et hilaritate prompta, et alacri mente persisterent.

XXIX. Secunda Divisio est, qua totius Regni status, anteposito, sicuti semper et ubicumque omnipotentis Dei iudicio, quantum ad humanam rationem pertinebat, conservari videbatur, haec est. Consuetudo autem tunc temporis talis erat, ut non saepius, sed bis in anno placita duo tenerentur. Unum, quando ordinabatur status totius Regni ad anni vertentis spacium, quod ordinatum nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quae similiter toto Regno incumbebat, mutabatur. In quo placito generalitas universorum maiorum tam clericorum, quam laicorum conveniebat. Seniores, propter consilium ordinandum: minores, propter idem consilium suscipiendum, et interdum pariter tractandum, et non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententia confirmandum.

XXX. Caeterum autem propter dona generaliter danda, aliud placitum cum senioribus tantum et praecipuis Consiliariis habebatur: in quo iam futuri anni status tractari incipiebatur, si forte talia aliqua se praemonstrabant, pro quibus necesse erat praemeditando ordinare, si quid mox transacto anno priore incumberet, pro quo anticipando aliquid statuere aut providere necessitas esset: verbi gratia, si inter Marchisos in qualibet regni parte ad aliud tempus dextrae datae fuissent, quid mox post dextras exactas agendum esset, utrum renovandae, an finiendae essent. Iuxta, caeterarum partium imminentibus rixa et pace, ut secundum id, quod tunc temporis ratio poscebat, (si ex una parte hinc aut inde vel facienda vel toleranda inquietudo necessario incumbebat) ex aliis partibus tranquillitas ordinaretur.

Et cum ita per eorundem seniorum consilium, quid futuri temporis actio vel ordo agendi posceret, a longe considerarent: et cum inventum esset, sub silentio idem inventum consilium, ita funditus ab omnibus alienis incognitum usque ad aliud iterum secundum generale placitum, ac si inventum vel a nullo tractatum esset, maneret, ut si forte tale aliquid, aut infra, aut extra regnum ordinandum esset, quod praescientia quorundam, aut destruere, aut certe inutile reddere, aut per aliquam diversam astutiam laboriosius faciendum convertere voluisset, hoc nullatenus facere potuisset. In ipso autem placito, si quid ita exigeret, vel propter satisfactionem caeterorum seniorum, vel propter non solum mitigandum, verum etiam accendendum animum populorum, ac si ita prius exinde praecogitatum nihil fuisset, ita nunc a novo, consilio et consensu illorum et inveniretur, et cum magnanimis ordo Domino duce perficeretur. Ita autem anno priore terminato, praefato modo ordinaretur et de secundo.

XXXI. Consiliarii autem, quantum possibile erat, tam clerici quam laici, tales eligebantur, qui primo secundum suam quisque qualitatem, vel ministerium Deum timerent, deinde talem fidem haberent, ut excepta vita aeterna nihil Regi et Regno praeponerent: non amicos, non inimicos, non parentes, non munera dantes, non blandientes, non exasperantes, non sophistice vel versute, aut secundum sapientiam solummodo huius saeculi, quae inimica est Deo, sapientes, sed illam sapientiam et intelligentiam scientes, qua illos, qui in supradicta humana astutia fiduciam suam habuissent, pleniter per iustam et rectam sapientiam non solum reprimere, sed funditus opprimere potuissent. Electi autem consiliarii una cum Rege hoc inter se principaliter constitutum habebant, ut quicquid inter se familiariter locuti fuissent, tam de statu Regni, quamque et de speciali cuiuslibet persona, nullus sine consensu ipsorum cuilibet domestico suo, vel cuicunque alteri prodere debuisset, secundum hoc, quod res eadem sive die, sive duobus sive amplius, seu annum, vel etiam in perpetuo celari, vel sub silentio manere necesse fuisset: quia saepe in tali tractatu de qualibet persona, talis interdum propter communem utilitatem agendam vel cavendam sermo procedit, qui ab eo cognitus, aut valde turbat, aut quod magis est in desperationem trahit, vel, quod gravissimum est, in infidelitatem convertit, et ab omni profectu, quem fortasse multipliciter exercere potuit, inutilem reddit, cum tamen nihil ei obesset, si eundem sermonem minime sciret. Quale de homine uno, tale de duobus, tale de centum, tale de maiori numero, vel etiam de progenie una, vel una qualibet simul provincia, si magna cautela non fuerit, fieri poterit.

XXXII. Apocrisiarius autem, id est, Capellanus, vel Palatii Custos, et Camerarius semper intererant: et idcirco cum summo studio tales eligebantur, aut electi instruebantur, qui merito interesse potuissent: sed et de caeteris ministerialibus, qui talem se ostendebat, ut ad hoc vel presens, vel futurus, nunc discendo, postmodum vero consiliando loco eorundem honorifice substitui potuisset, cum summa intentione mentis, intendendo singulis quae agebantur interesse iubebatur, salvans credita, discens incognita, retinens ordinata et constituta, ut si forte tale aliquid extra aut infra regnum oriretur, aut inperatum, et ideo non praemeditatum nunciaretur, (rarius tamen necesse esset, ut consilium altius tractaretur; et tamen tempus aptum non esset, in quo praefati Consiliarii convocarentur), ipsi Palatini per misericordiam Dei ex eorum assidua familiaritate, tam in publicis consiliis quamque ex domestica in hac parte allocutione, responsione,

et consultatione, studium haberent, prout tunc rei vel temporis qualitas exigebat, aut consilium pleniter dare, quid fieret, aut certe quomodo ad praefinita tempora cum consilio, et absque ullo detrimento res eadem expectari vel sustentari potuisset. Haec de maioribus.

XXXIII. De minoribus vero, vel proprie Palatinis, ita ut diximus, non generaliter ad Regnum pertinentibus, sed specialiter ad personas quasque respicientibus, quae specialiter Palatio imminebant, cum eis dominus rerum ita inconfuse ordinare potuisset, ut exinde non solum detrimentum ullum oriretur, verum etiam ortum, aut imminens utiliter aut mitigari, aut funditus extingui, aut etiam evelli potuisset. Si vero talis esset causa, ut velocitati immineret, et tamen aliquatenus usque ad generale placitum quoquo pacto sustentari, vel sine peccato, aut sine contumelia potuisset, ipsi modum eiusdem sustentationis ex praedicto maiori usu consilium dandi scirent, et sapientiam priorum imitati placite Deo, et utiliter Regno interim dare potuissent. Praefatorum autem Consiliariorum intentio, quando ad palatium convocabantur, in hoc praecipue vigebat, ut non speciales, vel singulares quascunque vel quorumcumque causas, sed nec etiam illorum, qui pro contentionibus rerum aut legum veniebant, ordinarent, quousque illa, quae generaliter ad salutem, vel statum Regis et Regni pertinebant Domino miserante ordinata habuissent. Et tunc demum, si forte tale aliquid Domno rege praecipiente reservandum erat, quod sine eorum certa consideratione determinari a Comite Palatii, vel a caeteris, quibus congruebant, non potuisset.

XXXIV. Proceres vero praedicti, sive in hoc, sive in illo praefato placito, quin et primi Senatores Regni, ne quasi sine causa convocari viderentur, mox auctoritate regia per denominata et ordinata capitula, quae vel ab ipso per inspirationem Dei inventa, vel undique sibi nuntiata post eorum abscessum praecipue fuerant, eis ad conferendum, vel ad considerandum patefacta sunt. Quibus susceptis interdum die uno, interdum biduo, interdum etiam triduo, vel amplius, prout rerum pondus expetebat accepto ex praedictis domesticis palatii missis intercurrentibus, quaeque sibi videbantur interrogantes, responsumque recipientes, tam diu ita nullo extraneo appropinquante, donec res singulae ad effectum perductae gloriosi Principis auditui in sacris eius obtutibus exponerentur, et quicquid data a Deo sapientia eius eligeret, omnes sequerentur. Ecce sicut de uno, ita de duobus, vel quotquot essent capitulis agebatur, quousque omnia Deo miserante illius temporis necessaria expolirentur.

XXXV. Interim vero, quo haec in Regis absentia agebantur, ipse Princeps reliquae multitudini in suscipiendis muneribus, salutandis proceribus, confabulando rarius visis, compatiendo senioribus, congaudendo iunioribus, et caetera his similia tam in spiritalibus, quamque et in saecularibus occupatus erat: ita tamen, ut quotienscunque segregatorum voluntas esset, ad eos veniret, similiter quoque quanto spatio voluissent cum eis consisteret, et cum omni familiaritate, qualiter singula reperta habuissent, referrebant, quantaque mutua hinc et inde altercatione vel disputatione, seu amica contentione decertassent, apertius recitabant. Sed nec illud praetermittendum, quomodo si tempus serenum erat, extra, sin autem, intra diversa loca distincta erant, ubi et hi abundanter segregati semotim, et caetera multitudo separatim residere posuissent, prius tamen ceterae inferiores personae interesse minime potuissent. Quae utraque tamen Seniorum susceptacula sic in duobus divisa erant, ut primo omnes Episcopi,

Abbates, vel huiusmodi honorificentiores clerici absque ulla laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel huiusmodi Principes sibimet honorificabiliter a caetera multitudine primo mane segregarentur, quousque tempus sive praesente sive absente Rege occurrerent: et tunc praedicti Seniores more solito, Clerici ad suam, Laici vero ad suam constitutam curiam, subselliis similiter honorificabiliter praeparatis, convocarentur. Qui cum separati a caeteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul, vel quando separati residerent, prout eos tractandae causae qualitas docebat, sive de spiritalibus, sive de saecularibus, seu etiam commixtis. Similiter, si propter quamlibet vescendi vel investigandi causam quemcunque convocare voluissent, et re comperta discederet, in eorum voluntate manebat. Haec interim de his, quae eis a Rege ad tractandum proponebantur.

XXXVI. Secunda autem ratio Regis erat, interrogatio, quid unusquisque ex illa parte Regni, qua veniebat, digna relatu, vel retractatu secum afferret; quia et hoc eis non solum permissum, verum etiam arctius commissum erat, ut hoc unusquisque studiosissime, usque dum reverteretur, tam infra, quam extra regnum perquireret, si quid tale non solum a propriis vel extraneis, verum etiam sicut ab amicis, ita et ab inimicis vestigaret, intermissa interim, nec magnopere, unde sciret, investigata persona. Si populus in qualibet Regni parte, regione, seu angulo turbatus, quae causa turbationis esset, si murmur populi obstreperet, vel tale aliquid inaequale resonaret, unde generale consilium tractare aliquid necessarium esset, et caetera his similia. Extra vero, si aliqua gens subdita rebellare, vel rebellata subdere, si necdum tacta insidias Regni moliri, vel tale aliquid oriri voluisset. In his vero omnibus, quaecumque cuilibet periculo imminerent, illud praecipue quaerebatur, cuius rei occasione talia vel talia orirentur.

XXXVII. Post illa, quae in Synodo apud Martyrum S. Macrae de maiorum constitutionibus collecta et regi Hludowico nuper defuncto fuere directa, haec de ordine Palatii et dispositione Regni vobis ad institutionem istius Regis nostri ac ministrorum eius Regnique provisorum, sicut scriptis et verbis Seniorum didici, et ipse adhuc in adolescentia mea vidi, devote iussioni vestrae obediens obtuli. Personas autem hominum et mores ac qualitates illorum, per quos si aliqua sunt collapsa restituantur, vestra sollertia providebit, quoniam de his, quos tempore Domni Hludowici Imperatoris vidi Palatii procuratores et Regni Praefectos, neminem scio esse superstitem: scio tamen de illorum nobilitate natos pro patribus filios, licet illorum mores ac qualitates ignorem. Ipsi vero procurent, ut non sint moribus ac virtute, atque pro aetatis quantitate, vel temporis qualitate, sapientia et studiis bonis degeneres, quatenus merito Patrum loca et officia suppleant, et se in ipsa suppletione caute custodiant: ne, ut S. Gregorius dicit, in culmine honoris positi usu gloriae permutentur, sicut Saul, qui prius in electione honoris extitit humilis, postea reprobari meruit propter elationem tumoris.

CONSTITUTIO DE EXPEDITIONE ROMANA
VULGO CAROLO CRASSO ATTRIBUTA

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Karolus divina favente gratia Rex Francorum et Romanorum. Si praedecessorum nostrorum morem sequimur, non solum praesentibus, sed et succedentibus subvenire nitimur. Hac de causa universorum cognoscat experientia, qualiter dum pro nostra consecratione coronaeque perceptione proficiscendi tempus ad Apostolicam sedem instaret, cum quam multis Principibus annum Wormatiae transegimus, ibique omnem reipublicae statum utilem et honestum confirmare, nocivum atque contrarium radicitus extirpare decrevimus. Interim dum haec agerentur, casu contigit Principes cum militibus de Romana expeditione, quae tunc instabat, acerbe contendere, constringentes eos multo plures halspergas de beneficiis suis ducere, quam illi fatebantur se posse vel iure debere. Sed quoniam hoc non ab aliquo antecessorum nostrorum terminatum fuerat, duximus dignum ut eorum altercationi finem et modum imponeremus, atque decretum et certam aliquam legem super omni Romana expeditione concederemus. Statuimus ergo et decrevimus cum consensu tam spiritualium, quam secularium Principum ibidem nobiscum assidentium, quando pro corona nostra vel aliqua regni utilitate aut honore Romana expeditio a nobis vel a successoribus nostris praeparetur, ad omnium nobiscum euntium praeparationem annus cum sex hebdomatibus pro induciis detur, et taliter per totum regnum fidelibus nostris indicetur. Cuicunque autem secundum hanc legem eadem expeditio imperetur, si ad curiam Gallorum, hoc est in campum, qui vulgo Rungalle dicitur, dominum suum non comitetur, et ibi cum militari apparatu non repraesentetur, feodo praeter hos, qui cum gratia dominorum suorum remanserint, in conspectu nostro absque spe recuperationis privetur. Qui autem per hominium sive liberi sive famuli dominis suis adhaeserint, quot decem mansos in beneficio possideant, tot brunias cum duobus scutariis ducant, ita tamen, ut pro Halsperga tres marchas, et pro singulis scutariis singulas marcas accipiant, et sic eundo et redeundo cum hoc stipendio sine omni dominorum damno vel expensa, nisi quantum ipsis dominis placuerit, fideliter serviant. Si autem forte, quod absit, accidat, ut iidem milites diversos dominos propter diversa beneficia acquirant, ne aliquod beneficium indebitum vel sine servitio remaneat, singuli singula debita,

singulis dominis persolvant; videlicet quantum ab ipsis, si irent accepturi erant, tantum se daturos cognoscant, vel in praefato loco, ut dictum est, feodum amittant, nisi aliqui a nobis vel a regno sint inbeneficiati; hi si nobiscum vadant, nolumus ut feodum amittant, sed stipendia, nisi voluntate dominorum, non praetermittant. Similiter de ecclesiarum filiis vel domesticis, id est ministerialibus, vel quorumcunque Principum clientela, qui quotidie ad serviendum parati esse debent, statuimus, ut quicunque quinque mansos in beneficio possideant, domino suo, ad quem pertinent, bruniam cum uno scutario ducant. Et hoc in arbitrio dominorum pendeat, quos ducant, a quibus stipendia accipiant, quibus etiam halspergas concedant. Ipsis etiam ad itineris praeparationem sex librae suae monetae in stipendium tribuantur, et duo equi, unus currens, alter ambulans addantur, ac duobus sociis soumarius victualibus bene oneratus committatur, qui ab ipsis ad opus Dominorum diligenter custodiatur. Ipsi quoque in Dominorum tamdiu vivant procuratione, quamdiu in incepta vadant expeditione, et quidquid a rebellibus regni pugnando acquisierint, partes duas ad dominos deferant, tertiam sibi pro consolatione retineant. Quos autem non pascunt Domini, ad ipsos reportent tertiam partem sui acquisiti. Singuli vero Principes suos habeant officionarios speciales, Marscalcum, Dapiferum, Pincernam et Kamerarium. Qui quatuor quanto plus sunt laboraturi, tanto plus in stipendio, in vestitu, in equitura prae caeteris sunt honorandi, scilicet unicuique istorum decem librae cum tribus tribuantur, quartus Marscalco addatur, quorum unum ad praecurrendum, alterum ad pugnandum, tertium ad spatiandum, quartum ad loricam portandum. Isti vero tales remanere cupientes, si apud Dominos impetrare valeant, quot mansos possideant, tot libras sue monetae vel totum fructum feodi in illo anno pro stipendio persolvant. Ut autem nostrum imperium ab omnibus habeat supplementum, hoc constituimus et firmiter praecipimus, ut singuli buringi decem cum duodecim funibus de canapo solidos Dominis suis impendant, et insuper soumarium cum capistro concedant: quem si Domini voluerint, ipsi ad primam navalem aquam usque perducant. Mansionarius quinque solidos, Absarius triginta denarios, Bunaiarius quindecim, quorumlibet larium possessores sex suppleant. Et ut haec nostri decreti auctoritas inviolabilem in Dei nomine apud omnes successores nostros obtineat emunitatem, cunctis Principibus qui aderant astipulantibus, manu propria subter eam roborare decrevimus et annuli nostri signo assignari iussimus. Signum Karoli Gloriosissimi

R

Regis. Hernustus Nota- K o S rius ad vicem Lutwardi Cancellarii re-

L

cognovi. Data VIII. Idus Iunii Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCXC. Regni autem nostri anno consecrationis XXII. Actum Wormatiae feliciter. Amen.

BURCHARDI
EPISCOPI WORMATIENSIS
LEGES ET STATUTA FAMILIAE S. PETRI
CIRCA ANNUM MXXIV. PRAESCRIPTA.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis.

Ego Burchardus Wormatiensis Ecclesiae Episcopus, propter assiduas Lamentationes miserorum, et crebras Insidias multorum qui more canino Familiam sancti Petri dilacerabant, diversas leges eis imponentes, et infirmiores quosque suis iudiciis opprimentes, cum Consilio Cleri, et Militum, et totius Familiae, has iussi scribere Leges, ne aliquis Advocatus aut vicedominus, aut Ministerialis, sive inter eos alia aliqua loquax persona, supradictae Familiae novi aliquid subinferre posset, sed una eademque Lex diviti, et pauperi ante oculos praenotata, omnibus esset communis.

I. Si quis ex Familia Sancti Petri ad Sociam suam legitime venerit, quicquid in dotem dederit, et hoc ipsa annum et diem non proclamatum possidet, si vir prior moritur, uxor eius totam habeat dotem usque ad finem vitae suae: si autem ipsa moritur sine filiis, proximi haeredes mariti sui dotem recipient; Similiter fiat si uxor prior moriatur; et quicquid simul acquisierant, si quis eorum alterum supervixerit, totum habeat in sua potestate, et quicquid inde facere velit faciat; Quod autem mulier secum ad Maritum attulerat, ambobus mortuis, si filios habuerint ipsi matris haereditatem possideant, si autem filios non habuerint nisi ipsa traditione praepediatur, post vitam eius totum ad proximos mulieris redeat; et si filios simul genuerint, et mater prior obierit, si quid haereditatis ex matre filiis devenerat, et ipsi obierint, haereditas ad proximos matris redeat.

II. Lex erit Familiae; Si quis praedium, vel mancipia in haereditatem acceperit, et in paupertatem inciderit et ex hac necessitate haereditatem vendere voluerit; prius proximis haeredibus cum testimonio proponat ad emendum: si autem emere noluerint, vendat cui voluerit. Si autem aliquis mansus in manum Episcopi, iudicio Iudicum, pervenerit, et si haeredum aliquis supersessum ius emendare voluerit, detur sibi potestas ut tali conditione haereditatem accipiat: si autem nullus haeredum satisfacere voluerit, illius Loci minister, cuicumque ex Familia mansum illum dederit, hic postea haeres firmus sit; si autem aliquis venerit post duos annos, aut post tres, aut plures, et dicat: Ego sum haeres; pauper eram, orphanus eram, non habui, qui me pasceret, ideo extra patriam ivi, et ibi usque modo me meo labore conduxi, et vult cum solo testimonio illum qui iussione Episcopi haeres effectus est, et quia suum mansum bene excultum, et firmatum

habet, expellere; Constituimus: Quia prius nullus haeredum erat, qui supersessum ius emendare voluisset, ille firmus haeres sit qui a Ministeriali haeres effectus est; si haeres erat, cur aufugerat? cur domi non sederat ut haereditatem suam custodiret? volumus, ut nulla vox eius de hoc amplius audiatur, nisi iusta atque rationabilis causa ibi intelligatur; si autem aliquis qui haeredivalem mansum habet, moritur, et parvulum haeredem reliquerit, et ille haeres non potest debitum servitium persolvere, et sit aliquis proximior qui velit debitum servitium de praedicto manso facere quousque haeres ille ad suos dies pervenerit, ne propter teneritatem haeredis exhaeredetur haeres, concedimus et constituimus, et ut misericorditer de eo agatur rogamus.

III. Si quis in Dominicato nostram haereditatem habens moritur, haeres sine oblatione haereditatem accipiat, et postea debitam servitutem inde provideat.

IV. Si quis ex Familia moritur, quicquid indotatum reliquerit, nisi traditione praepediatur, proximi haeredes possideant.

V. Si quis cum manu coniugis suae cum testimonio bono aliquam Traditionem sive in dote, sive in aliis quibuslibet rebus fecerit, hoc firmum erit, nisi alia res praepediat.

VI. Si quis praedium, vel haereditatem suam infra Familiam vendiderit, et aliquis haeredum suorum praesens fuerit, et nihil contradixerit; vel si absens aliquis haeredum est, postea resciverit, et si infra spatium illius anni hoc reticuerit, postea iure carebit.

VII. Lex erit Familiae; si quis ex aliquo commisso in manus Episcopi cum iudicio sociorum suorum pervenerit, ipse cum omnibus suis possessionibus eo diiudicetur.

VIII. Si quis cum aliis, quos secum adduxit, alicui ex societate sua aliquid iniustitiae fecerit, Ius erit Familiae ut se tantum et suos viros una satisfactione reconciliet, et unusquisque aliorum semetipsum propria satisfactione reconciliet.

IX. Ius erit Familiae; ut de Weregeldo Fiscalini Hominis V. Librae ad Cameram reddantur, et duae Librae et dimidia amicis eius contingat.

X. Ius erit; si ex Familia Vir aliquis, et uxor eius obierint, et filium cum filia reliquerint, Filius haereditatem servilis Terrae accipiat, Filia autem Vestimenta matris, et operatam pecuniam accipiat, reliqua quae remanserint in omnibus aequaliter inter se partiantur.

XI. Haec etiam Lex erit Familiae; si quis praedium vel mancipia in haereditatem acceperit, et in lectum aegritudinis ita inciderit ut equitare, aut per se ambulare non possit, praedium suum vel mancipia haeredibus suis alienare non poterit, nisi pro anima sua aliquid inde dare libuerit, alium suum questum det cuicumque libeat.

XII. Ut in omnibus Locis, ubicumque fieri poterit, declinentur periuria; qualiscumque sit ex Familia qui cum socio suo sive in agro, sive in vineis, sive in illis levioribus rebus aliquid iniuste fecerit, et se ad ministrum loci proclamaverit, volumus: ut illius loci minister cum subiectis concivibus suis, sine iuramento, hoc determinet

XIII. Et hoc est constitutum; ut si quis Fiscalinus homo ex Familia rem aliquam magnam vel parvam ad iniustitiam patraverit ad bannum Episcopi V. solidis, ut Dagewardus, vadetur, et quinque so-

lidos componat cui iniquitas facta est, si de eadem societate est; et si extra suam societatem est, una uncia vadetur, et nihil iuret.

XIV. Si quis nupserit ex Dominicato Episcopi in beneficium alicuius suorum, iuris sui respondeat ad Dominicatum Episcopi: si autem ex beneficio in Dominicatum Episcopi nupserit, Iuris sui respondeat Domino beneficii.

XV. Si quis ex Familia alienam uxorem acceperit, iustum est, ut quando obierit, duae partes bonorum suorum assumantur ad manum Episcopi.

XVI. Ius erit; si Fiscalinus homo Dagewardam acceperit, ut Filii qui inde nascuntur secundum peiorem manum iurent; similiter si Dagewardus Fiscalinam mulierem acceperit.

XVII. Ius erit Familiae; si quis in Placito iniustum clamorem fecerit, aut iratus de sua sede recesserit, vel in tempore ad placitum non venerit, et in hoc a consedentibus superatus non fuerit, nihil iuret, sed in testimonio Scabinorum sit.

XVIII. Lex erit Familiae; ut unusquisque cum socio suo iuret cum una manu, si propter faidam erit, cum VII. et Episcopo similiter.

XIX. Habuerunt et hoc in consuetudine; si quis alteri pecuniam suam praestiterat, redderet quantum voluisset, et quod noluisset cum iuramento negaret: sed ut declinentur periuria, constituimus: si ille, qui pecuniam suam praestiterat, iuramentum eius pati noluerit, ipse contra eum duello pugnaturus negatam pecuniam acquirat si voluerit: si autem tam digna persona est qui pugnare cum eo pro tanta re dedignetur, vicarium suum ponat.

XX. Si quis in Civitate Wormatia duello convictus ceciderit LX. solidos vadetur; Extra Civitatem vero, intra familiam, si in duello occubuerit, illi, quem impugnaverit, pro pugna iniuste illata suam iustitiam tripliciter componat, bannum Episcopo dersolvat, advocato XX. solidos tribuat, aut cutem et capillos amittat.

XXI. Si quis ex Familia Sancti Petri praedium vel mancipia a libero homine comparaverit vel aliquo modo acquisiverit extra Familiam, neque cum advocato, neque sine advocato, nisi commutet, dare non liceat.

XXII. Si quis Fiscali viro iustitiam suam infringere voluerit, id est: ad Dagowardum, vel ad Censum iniustum, Fiscalis vir cum septem proximis suis, non mercede conductis, iustitiam suam obtineat, et si ex patris parte vituperetur, ex eadem parte duae cognatorum suorum et tertia ex matre assumatur; similiter erit ex parte matris, nisi cum iudicio Scabinorum, aut proximorum testimoniis superari possit.

XXIII. Lex erit Familiae; Si quis domum alterius cum armata manu introierit, et Filiam eius vi rapuerit; cuncta Vestimenta quibus tunc induta fuerat quando rapta est singulariter in triplum patri eius, vel mundiburdo restituat, et per singulas vestimentorum partes bannum Episcopo componat; postremum, ipsam triplici sua satisfactione cum banno Episcopi patri representet, et quia legitime eam secundum Canonica praecepta habere nequiverit, amicis illius XII. scuta, et totidem lanceas, et unam libram denariorum pro reconciliatione persolvat.

XXIV. Et hoc constituimus; si quis debitum alicuius rei coram ministro confitetur, et minister in illa die locum non habet diffinire, et hic qui debitum in priori die confessus est, alia die negare voluerit; Minister, si Testimonium pristinae confessionis habet, ut aequum est, de se faciat sicut antea debuisset.

XXV. Et hoc Lex erit; si quis de aliqua re ministeriali confitetur, et hoc ad Placitum differtur, sicut tunc in Placito confessus fuerit, iudicetur; si minister eum cum testimonio de priori confessione ibi convincere non potuerit.

XXVI. Lex erit Concivibus: ut si quis in Civitate haereditalem aream habuerit, ad manus Episcopi diiudicari non poterit nisi tres annos censum, et aliam suam iustitiam inde subsederit, et post hos tres annos ad tria legitima placita immittatur, et si supersessum ius pleniter emendare voluerit, ipse eam sicut antea possideat; et si Domum in Civitate vendiderit, aream perdat.

XXVII. Et Lex erit; ut si quis in Civitate aliquem ita percusserit ut ad Terram decidat, ad bannum Episcopi LX. solidos componat: si autem cum pugno, aut aliquo levi flagello, quod blutthiram vocant, aliquem percusserit et non deciderit V. solidos tantum componat.

XXVIII. Lex erit; si quis in Civitate ad aliquem occidendum gladium suum evaginaverit, aut arcum tetenderit, et Sagittam nervo imposuerit, vel lanceam suam ad feriendum protenderit, LX. solidos componat.

XXIX. Lex erit; si Episcopus Fiscalem hominem ad servitium suum assumere voluerit, ut ad aliud servitium eum ponere non debeat nisi ad Camerarium, aut ad Pincernam, vel ad Infertorem, vel ad agasonem, vel ad ministerialem; et si tale servitium facere noluerit, quatuor denarios persolvat ad Regale servitium, et sex ad Expeditionem, et tria iniussa placita quaerat in anno; et serviat cuicumque voluerit.

XXX. Propter Homicidia autem, quae quasi cotidie fiebant infra familiam S. Petri, more belluino, quia saepe pro nihilo, aut per ebrietatem, aut per superbiam alter in alterum insana mente ita insurgebat, ut in curriculo unius anni XXXV. servi sancti Petri, sine culpa, a servis eiusdem Ecclesiae sint interempti, et ipsi interfectores magis inde gloriati sunt, et elati; quam aliquid poenitudinis praebuissent; proinde ob illud maximum detrimentum nostrae Ecclesiae, cum consilio nostrorum Fidelium, hanc correctionem fieri decrevimus: ut si quis ex Familia consocio suo sine necessitate, et quidem sine tale necessitate, si se ipsum interficere voluerit, aut si latro erat, se et sua defendendo, sed sine istis supradictis rebus, interfecerit, constituimus: ut ei tollantur corium et Capilli, et in utraque maxilla ferro ad hoc facto comburatur, et weregeldum reddat, et cum proximis occisi more solito pacem faciat, et ad hoc constringantur proximi ut accipiant. proximi autem occisi si persequi voluerint proximos occisoris, si quis illorum proximorum consilii et facti iuramento sese expurgare potuerit, a proximis interfecti firmam et perpetuam pacem habeat. si autem proximi occisi istud constitutum contempnere volunt et supradictis insidias parant, tamen nihil nocent nisi quod insidiantur, Corium et Capillos amittant sine combustione; si autem aliquem illorum interfecerint, sive vulneraverint per contemptum, corium et capillos amittant, et supradictam combustionem patiantur

Si autem occisor auffugerit, et capi non potest, quicquid habet, ad Fiscum redigatur, et proximi eius, si inculpabiles sunt, firmam pacem habeant: si autem homicida non auffugerit, sed cum proximo occisi suam Innocentiam per duellum defendere voluerit, et vicerit, Weregeldum reddat, et cum proximis pacem faciat: si autem nullus proximorum occisi cum occisore pugnare voluerit, ipse se bullienti aqua adversus Episcopum expurget, et Weregeldum reddat, et pacem cum proximis faciat, et ipsi cogantur ut accipiant. si autem propter timorem istius constitutionis vadunt ad alienam Familiam et incendunt eam contra proprios consocios, et si non est aliquis qui contra aliquem illorum duello pugnare audeat, singuli bullienti aqua adversus Episcopum se expurgent, et si quis victus fuerit ea patiatur quae superscripta sunt. si quis autem ex Familia in Civitate sine supradictis necessitatibus aliquem ex familia interfecerit, Corium et capillos perdat, et combustionem suprascripto more patiatur, et bannum persolvat et weregeldum reddat, et pacem cum proximis faciat, et illi constringantur ut accipiant. si autem aliquis de aliena Familia Terram sancti Petri colat, et tale praesumptum fecerit, id est: si aliquem ex nostra Familia sine necessitate iam suprascripta interfecerit, aut ista supra memorata patiatur, aut nostram perdat, et Familiae et advocati insidias habeat: si autem noster servitor, qui in nostra Curte est, aut noster ministerialis, talia audeat praesumere; volumus: ut hoc sit in nostra potestate, et consilio nostrorum Fidelium, qualiter talis praesumptio vindicetur.

XXXI. Si quis ex Familia contenderit cum socio suo de unaqualibet re, sive de agris, sive de vineis, sive de mancipiis, sive de pecunia; si potest ex utraque parte cum testimoniis utrorumque sine iuramento discerni, laudamus: sin autem, ut devitentur periuria, volumus: ut ex utraque parte ostendantur illorum testimonia, et ita collaudent testes quasi gratum habeant; et ex supradictis duobus testimóniis duo eligantur ad pugnam, et cum duello litem decernant, et cuius Campio ceciderit, perdat; et eius testimonium talia patiatur propter falsum testimonium quasi iuratum haberet.

XXXII. Si quis ex Familia furtum fecerit, et hoc non pro necessitate famis, sed propter Avaritiam, et cupiditatem, et propter consuetudinem fecit, et quod furatus est, si V. solidis appreciari potest, et superari potest, quod aut in marcello publico, aut in Conventu concivium dèbitori vadiatus sit supradictum furtum, ad correptionem malorum constituimus, ut Legem sibi innatam propter furtum perditam habeat, et si ab aliquo de aliqua re inculpatus fuerit, non se expurget iuramento, sed aut duello, aut bullienti aqua, aut ferventi ferro; similiter faciat ille, qui in periurio publico captus est; similiter et ille, qui in falso testimonio captus est: similiter et ille, qui propter infamiam furti in duello ceciderit. similiter et ille, qui contra Seniorem suum, Episcopum videlicet, cum suis inimicis conciliatus est, sive contra eius honorem, sive contra eius salutem.

IURA ET LEGES CIVITATIS ARGENTINAE

AB EPISCOPO ERCHEMBALDO UT PUTANT

CIRCA ANNUM DCCCCLXXXII. LATA

CUM VERSIONE SAECULI XIII.

HAEC SUNT IURA ET LEGES CIVITATIS ARGENTINENSIS.

De pace in civitate tenenda et ne praeda vel furtum introducatur.

I. Ad Formam aliarum Civitatum in eo honore condita est Argentina, ut omnis homo tam extraneus, quam indigena pacem in ea omni tempore et ab omnibus habeat.

II. Si quis foris peccaverit et ob culpe metum in eam fugerit, securus in ea maneat. Nullus violenter in eum manum mittat: obediens tamen et paratus ad iusticiam existat.

III. Nemo predam, aut furtum in eam inducat, vel conservare audeat, nisi redditurus rationem omni querenti.

IV. Nullus captivum introducat, nisi presentet eum

I. In glicher wiz als andre Stete Reht uf gelit sint, so sint dirre Stete von Strasburg Reht uf gesetzet, also daz si vri si, und ein iglich mensche ez si vromede, oder von der stat, ze allen ziten vride hab.

II. Swer uswendic dirre stat hat missetan, und von der vorhte siner Schulde Fluht hat zu dirre stat, der sol sicher hieinne bliben, und nieman sol in freveliche angriffen: doch sol er bereit und rehtes gehorsam sin.

III. Niemam sol dekeinen rop, noch diupstal harin füren, noch enthalten, er welle danne dem klegere gehorsam sin rehtes.

IV. Nieman sol dekeinen gevangen harin füren, er entvorte

Causidico, vel Iudici, qui ad iusticiam ipsum conservet.

V. Omnes Magistratus huius Civitatis ad Episcopi spectant Potestatem, ita quod vel ipsemet eos instituet, vel illi quos ipse statuit. Maiores enim ordinabunt minores, prout sibi subiecti sunt.

VI. Nulli autem Episcopus officium publicum committere debet, nisi qui sit de familia Ecclesie sue.

VII. Quatuor autem Officiatos, in quibus urbis gubernatio consistit, Episcopus manu sua investit, scilicet Scultetum, Burcgravium, Thelonearium et Monete Magistrum.

De Sculteto, qui et Causidicus dicitur, primum exequimur.

De iure Sculteti.

VIII. Causidici ius est duas sub se ordinare Personas vicarias, quas Iudices appellare solet, adeo honestas, quod Burgenses cum honore suo coram eis in iudicio stare valeant.

IX. Item ad Causidicum pertinet statuere tres personas, quas Heymburgen dicimus, unum in interiori scilicet veteri Urbe, et duos in exteriori, et custodem cippi, sive carceris, in quo rei custodiuntur. Hec autem singulorum sunt officia.

X. Causidicus iudicabit pro furto, pro frevela, pro geltschulda in omnes cives Urbis, et in omnes ingredientes eam de Episcopatu isto, nisi rationabilem opponant exceptionem, preter Ministeriales Ecclesie, et eos qui sunt de familia Episcopi, et qui ab ipso sunt officiati.

XI. Habet autem potestatem cogendi et constringendi iudicatos, quam vocant Bannum, non ab Episcopo, sed ab Advocato. Il-

in danne dem Schultheisen der in uffe reht enthalde.

V. Ein jeglich Meistertum dirre Stete höret zu dez Bischoves Gewalt, also daz ers selbe setze, oder die an die ers setzet. Wan die Obersten ordent die nidersten, dar nach als si under in sint.

VI. Der Bischof sol nieman das froneanbahte lihen, er ensi danne des gesindes sines Goteshuses.

VII. Der Bischof setzet vier Ambaht mit siner hant, an den vier Ampten so gestet die birihtung dirre Stet, daz ist Schultheissentum, und das Burgraventum, und das Zolnertum, und das Munsmeistertum.

Und zum ersten wirt hie geseit von des Schultheissen Ampte, und siner Rihtere.

VIII. Des Schultheissen Reht ist, daz er setze zwo personen an sine stat, die da Rihtere heissent, also ersam liute, daz die Burger zu gerihte wol mit eren vor in stan mügen.

IX. Zum Schultheissen horet ouch, daz er setze dri personen, den man sprichet Heymburge, einem innewendit in der alten stat, zwene in der uzern, und ouch den Stocwarten, der die schuldigen haltet. Und diz sint ir jegelicher ambaht.

X. Der Schultheisse der rihte umb diupstal, umb frevele, umb geltschuld uber alle die burgere dirre Stete, und uber alle die har in koment, si entreden sich danne nach rehte. Hie nimet man uz die Goteshuses dyenestliute, und des Bischoves gesinde, und die ambaht hand von dem Bischove.

XI. Und den gewalt, den er hat zu twingende die uber die gerihtet ist, daz man heisset den Ban, den hat er niht von dem Bischo-

lam enim potestatem, quae spectat ad sanguinis effusionem, suspendendorum, decollandorum, truncandorum et huiusmodi pro qualitate delictorum Ecclesiastica persona nec habere, nec dare debet. Unde postquam Episcopus Advocatum posuerit, Imperator ei Bannum, id est, gladii vindictam in huiusmodi dampnandos et omnem potestatem stringendi tribuit.

ve, wande von dem Vogete Und der gewalt der enhort niwan dar zu, da man daz blut giessen sol, also den geschiht, die da urteilet werdent, zu dem galgen, zu dem houbete, zu der stumelunge, und andere lide nach der missetat die der mensche hat begangen wande susliche rache sol ein Geistliche persone weder han, noch frumen. Und danne vone swanne der Bischof einen Voget setzet, so sol im der Keiser setzen, daz da heizzet der Ban, das ist, die rache mit dem swerte, und allen den gewalt zu twingende die die susliche verdampnisse verschuldet hant.

XII. Hanc igitur cum non habeat nisi ex gratia Advocatiae, iustum est ut nulla ratione eam neget Causidico, Theloneario, Monete Magistro, quoscunque statuerit Episcopus, de quo tenet Advocatiam.

XII. Wan er danne disen gewalt niht enhat wande von der genaden der Vogetien, da von ist daz rehte daz er dekeine wis sich versage dem Schultheissen, dem Zolnere, und dem Munsemeister, swen der Bischof gesetzet von dem er die Vogetie hat.

XIII. In hanc igitur Civitatem iudicandi potestatem nemo habet, nisi Imperator, vel Episcopus, vel qui de ipso (Episcopo) habent.

XIII. Uber dise stat hat nieman gewalt zerihtende wan der Keiser oder der Bischof, oder die ez von deme Bischove hant.

XIV. Iudicum, quos Causidicus sub se habet, potestas iudicandi non est in furta, vel frevelas, sed tantummodo in Geltschuldas.

XIV. Der Rihter gewalt, die der Schultheisse under im hete, ist niht in diepstal, noch in frevele: er ist nur in Geltschulde.

XV. Locus autem Iudiciorum est in foro iuxta Sanctum Martinum; ideoque nullus, de quo fit querimonia, vocandus est in Domum Causidici, vel Iudicis, sed tantum ad locum predictum publicum.

XV. Dez Rihtes Stat ist an dem markte bi Sant Martinen; und da von sol nieman anderen fürladen in dez Schultheissen, der in des Richters huse, wan alleine zu dirre vorgenanten stat diu offen ist.

XVI. Si tamen aliquos vocaverint in domos suas Iudices, sive Causidicus, illique non venerint, non ideo culpabiles erunt alicuius compositionis.

XVI. Ist aber daz der Schultheisse, oder der Rihtere iemanne furgebietent in ir hus, und si dar niht en koment, dar umb sullen si doch nieman dekeine wette geben.

XVII. Officium custodis Cippi, sive carceris est omnes custodie sue commissos diligenter servare.

XVII. Des Stochwerters ambaht ist, daz er alle flizicliche hüte die da im bevolhen werdent.

XVIII. Quod si aliquem perdiderit, vicem eius culpe subibit, nisi violenter ei ablatus fuerit.

XVIII. Ist aber daz er dekeinen verliuret, er enwerde im danne freveliche, oder mit gewalt benomen, so sol er besseren an der schuldigen stat.

XIX. Eius etiam officium est ad suspendium dampnatos ad patibulum educere, oculos dampnati panno preligare, patibulum erigere, scalam apponere, usque ad scalam reum applicare: tunc demum assumet eum Vicarius Advocati, et laqueo collo innexo illum suspendet.

XIX. Zu sineme ambahte hörte ouch, daz er die urteilten zu dem galgen uz sol füren, und die ougen mit eineme tuche verbinden, den galgen uf rihten, die leittere an legen, den diep an die leittere vieren, und zu jungest der an dez Vogetes stat da ist, der nimet in, und knüpfet im das seil an den hals, und henket in.

XX. Si vero non fuerit presens Vicarius Advocati, servabitur reus in custodia, quousque Causidicus causam hanc referat ad Episcopum.

XX. Ist aber des Vogetes undertan niht gegewirtic, so sol man den sculdigen behalten in ener hute, bis daz der Schultheisse dise sache fur den Bischof bringet.

XXI. Item, si quis dampnationem pellis et pili acceperit, hanc penam Cipparius infliget.

XXI. Swer daz verschuldet daz man schern, oder villen sol, daz sol der Stocwerters tun.

XXII. Si quis vero dampnatus fuerit manu, idem Cipparius tenebit bartam, Vicarius Advocati librabit malleum ligneum et amputabit manum.

XXII. Swer aber der hant urteilet wirt, da sol der Stocwarte die barten haben, und der an des Vogetes stat da ist, der hebet einen hültzinen flegel uf, und sleht im die hant ab.

XXIII. Item Advocati Vicarius eruet oculos, truncabit testiculos, decollabit et ceteras penes omnes exequetur pro varietate criminum.

XXIII. Der, an dez Vogetes stat da ist, der stichet die ougen uz, die hoden snidet er uz, die houbet sleht er ab, und ist ein wizennere einre iglichen missetat dar nach daz si ist.

XXIV. Est item Cypparii officium, ut ita sit obediens Theloneario et Monetario, sicut Causidico.

XXIV. Dez Stocwartes ambaht ist daz er also gehorsam si dem Zolnere, dem Münsmeistre, also dem Schultheisen.

XXV. Pulsatos etiam coram Causidico, vel Iudicibus vocare debet ad Iudicium.

XXV. Swer für den Schultheissen, oder für die rihtere wirt geladen, dem sol der Stocwarter zu gerihte rüfen.

XXVI. Est autem iste modus vocationis. Nominabit hominem pulsantem, intimabitque adversario suo quod pulsatus sit, vel viva voce presenti ubicunque ei occurrerit, vel ad domum illius nunciabit pri-

XXVI. Die Rüfung ist alsus geschaffen. Er sol nennen den cleger, und kundem sinem widersachen daz er beclaget si, oder von münde zu münde ist er gegenwertit, oder kunder er ez im zu hus, oder swa er kekumet im

mo, secundo, tercio ad inducias noctis unius.

zum ersten male, zum andere male, zum dritten male, nach dem fristmale einer naht.

XXVII. Si facta una vocatione, vel secunda, vel tercia non venerit, et nuncius Iudicis probaverit tercia manu, quod tres illas vocationes, vel saltem primam ore ad os fecerit, ille Iudici componet triginta solidos.

XXVII. Ist daz er zum ersten male, zume andere male, zum dritten male niht geruhtet zu komenne, und dez Rihters bote daz bewe-ret mit der dritten hant, daz er im driestunt für gerüfet hat, oder zu einem male von munt ze munde, der sol dem Rihter wetten drissic Schillinge.

XXVIII. Vocatus autem ad Iudicium tempore prime se presentare debet, et quamdiu Iudex sedebit in Iudicio, tamdiu pulsatorem expectabit, aut licentia Iudicis recedet. Non autem ideo debet ei negare licentiam abeundi, si petierit. Quod si Iudex appellaverit eum, quod constituto tempore non venerit, ille iurabit se ibi fuisse, aut componet ei.

XXVIII. Der aber geladen wirt fur gerihte der sol sich entwirten zu primen, und sol dez clegers biten aldie wile so daz geriht werte, oder sol mit dez rihters urlobe scheiden. Und sol im der urlob niht verseit werden, ob er in vordert. Zihet in aber der rihter, daz er zu rehter zit niht si fur komen, so swert er daz er da were zu rehter zit, oder er wettet im.

XXIX. Causidicus, vel Iudex nihil iudicare debet, nisi quod coram ipso delatum fuerit. Qui si convictus fuerit sine iudiciario ordine et iusto iudicio aliquid fecisse, de iure perdet Officium suum.

XXIX. Der Schultheisse, oder der Rihter sol niht rihten als daz wan für in komet. Iss aber daz dem Rihter vont angewinnen, daz er gerihte hat die sache die niht fur in komen ist, und der sache ist niht zu gegangen mit rehtem urteile, der sol zerehte sin Ambaht verlieren.

XXX. Civem in procinctu itineris existentem scilicet iam navim ingredientem, aut equum, vel currum ascendentem nullus concivium suorum per querimoniam impedire debet. Sed quia adeo se neglexit, quod causam suam in illum articulum distulit, iustum est, ut quicquid adversus illum habet usque ad reditum eius differat.

XXX. Swer aber sich bereit hat zu einer verde, und zehant uf der verde ist. also daz er iezunt an in das schif treten wil, oder uf daz roz sitzen, oder uf den Wagen stigen, den sol dekeine sin Burgere umb dekeine slahte sache irren. Vont er danne also lange mit der clage sich gesumet hat bis uf den stric, so ist daz reht daz er bite mit siner ansprache biz er herwider kome.

XXXI. Si quis concivem suum pulsaverit extra Civitatem coram alio Iudice, pro hac culpa debet componere, et Iudici Civitatis, et ei quem pulsavit, dampnumque illi restituere, quod ex querimoniis eius acceperit.

XXXI. Swer sinen burger beclaget usewendic der stat vor eine anderen Rihtere, dar umb sol er wetten der stete Rihtere, und ouch dem den er usewendic beclaget hat, und den schaden den er von suslicher ansprachen genomen hat den sol er im abetun.

XXXII. Nulli solvenda est compositio, nisi cui facta est compositio.

XXXII. Nieman sol dekeine wette werdem, wan dem ouch gewettet ist.

XXXIII. Omnis autem compositio, que pro frevela fit, ascendit ad triginta solidos. Compositio, que fit pro Geltschulda, pulsatoris est illius missetat qui pulsatus est; Iudicis vero est tertia pars illius missetat.

XXXIII. Und ein iglich wette, daz umb frevele geschit, das geziuhet sich an drissic schilling. Und daz wette, daz geschit umb Geltschulda, dez ist dez missetat der da beclaget wirt, und daz dritteil is dez Rihters, daz ander ist dez clegers.

XXXIV. Si quis fecerit compositionem Iudici et pulsatori, illamque ad certas inducias non persolverit, si causa usque ad finem rationabiliter fuerit perducta, servandus est in publica custodia, quousque reddat primo pulsatori suam compositionem, deinde Iudici.

XXXIV. Und ist er aber dez wettes niht gehorsam, also daz er sin niht engibt zu einem zit als im benennet wirt, ob die sache reht und redelich wirt gerihtet, so wirt deme cleger sin wette, und dem rihtere das sine. so sol man in halten in der offen hûten, biz daz er ietweders geleistet.

XXXV. Si quis alium fuerit iniuriatus verbo, vel facto in populo, si ambo volunt stare ad Iudicium populi, Iudex determinabit secundum Iudicium et dictum populi. Sin autem pulsatus simplici sua assertione se expurgabit, vel eum ille convincere poterit duello.

XXXV. Swer aber dem anderen geumrehtet hat mit worten, oder mit werken vor den liuten, wellen si beide niht clagen, noch gerihtes phlegen, so sol sich sin der rihter an nemen, und sol im die gemeinschaft daruf urteil lassen sprechen, und dar nach daz si gesprechent, so rihtet der rihtere an ein ende, und der da an gesprochen wirt, der gat mit sinem eide dervone, der clager welle mit im danne kenphen.

XXXVI. Si quis concivem suum sine Iudice, vel nuncio Iudicis infra septa domus sue, vel atrii sui temere invaserit, componet Iudici triginta solidos pro frevela: illi, quem invasit, componet suam missetat triplicatam.

XXXVI. Swer sinen burgere an den rihtere, oder sinen boten innewendic dez ringes sines huses, oder sines hoves freveliche angriffet, umbe den frevel so wettet er dem rihtere drissig schillinge; und dem an dem er gefrevelt hat, bessert er sine missetat trival tickliche.

XXXVII. In omnes curias Fratrum de claustris, vel Ministerialium, in quibus ipsi corporaliter non habitaverint, Ius habet Scultetus, vel Iudex vocandi ad iudicium et cogendi inhabitatorem.

XXXVII. Uber alle die hove der Brudere oder dienestliute, dar inne siselber niht seshaft sint, so hat reht der Schultheisse, oder der Rihtere für zuladenne an gerihte den hovesessen, und ouch zu twingende.

XXXVIII. Similiter et Ministros Fratrum de quocumque Claustro ius habet iudicandi de

XXXVIII. Also hant si ouch reht uber die dienestliute der Brüdere, von welre Stifte si sint,

ipsis, scilicet in causis pertinentibus ad mercaturam, si volunt esse mercatores.

ze rihtenne, von in ad den sachen die horent zu koffchatze, ob si kofliute welliute wellen sin.

XXXIX. Quicunque intraverit Civitatem debitor existens alicuius hominis, si pulsatus fuerit coram Iudice, Canonicus, vel Ministerialis, in cuius domum ille forte hospes intravit, presentabit eum Sculteto ad iusticiam: quod si non fecerit, pro illo respondere tenebitur.

XXXIX. Swer in die Stat kumet, und iemmanne schuldich ist, wirt er an gesprochen vor dem Rihtere, der Tumherre, oder der dienestman, in dez huse lihte der man komen ist als ein gast, er sol ent wirten dem Schultheissen zu reht; und tut er sin niht, so ist er schuldich ze ent wirtende für in.

XL. Omnium compositionum factarum pro furto et pro frevela due partes sunt Causidici, tercia Advocati. In quibus talis est servanda distinctio. Si compositio facta fuerit Advocato, eius est dividere sibi terciam partem, Causidico duas. Ipse enim accipiet compositionem sibi factam, et quamcunque summam in accipienda compositione ipse formaverit, sive parvam, sive magnam, illam Causidicus nec minuere, nec augere debebit, sed ratam habebit.

XL. Alle der wette, die da geschehent umb diupstal, und umbe frevel, die horent zweiteil den Schultheissen an, und das dritteteil dem Vogete. Doch ist ez underscheiden. Alsus wirt gewettet dem Vogete, so teilt er im daz dritteteil, und dem Schultheissen die zwei teil. Wande er sol nemen das wette daz im gewettet wirt, und vaz summen an enne ieglichen wette gemachet wiri, si si cleine oder groz, die sol der Schultheisse weder minnern, noch meren, wan er sol si gantz han.

XLI. E contrario, si facta fuerit compositio ipsi Causidico, eius erit ius accipere duas partes, et terciam Advocato dare. Et similiter quancunque compositionis ipse summam formaverit, Advocatus non cassabit.

XLI. Da widerwirt dem Schultheissen gewette, so ist sin rehte daz zweiteil zu nemenne, und daz dritteteil dem Vogete zu gebenne. Und selbes wettes summe der Voget gemachet, die sol er gantze, und stete han.

XLII. Advocatus autem non debet iudicare nisi in Palacio Episcopi. Quod si in domum suam aliquem vocaverit, ille, qui non venerit, non ideo quicquam ei componet.

XLII. Der Voget sol niht rithen wan in dez Bischoves Phalnze. Ist aber daz er iemmanne furgebiutet in sin hus, und ienre niht kumet für, dar umb ist er dekeine wette schuldich.

XLIII. Mortuo vero Advocato, vel vacante Advocatia quocunque modo, Episcopus nullum Advocatum ponere debet sine electione et consensu Canonicorum, Ministerialium et Burgensium.

XLIII. So aber der Voget erstirbet oder die Vogetie ledich wirt sivie daz geschehe, so ensol der Bischof den keinen Voget setzen an der Tumherren, der Dienestliute, und der Burger kure, und willen.

De Officio Burcgravii et Theloneo eius.

XLIV. Ad officium Burcgravii pertinet ponere Magistros omnium Officiorum fere in Urbe, scilicet Sellariorum, Pellificum, Cyrothecariorum, Sutorum, Fabrorum, Molendinariorum, et eorum qui faciunt vasa vinaria et picarios, et qui purgant gladios, et qui vendunt poma, et Cauponum. Et de eisdem habet potestatem iudicandi, si quid deliquerint in officiis suis.

XLIV. Zu dez Burcgraven anbahte höret, daz er sol setzen Meister uber alle die anbaht in der Stat, uber die Sateler, die Kursenere, die Hentschuhere, die Schusutere, die Smide, die Mulnere, die Kufere, die Bechherere, die Swertfegere, die Obessere, die Winlüte; und hat gewalt zu rihtenne uber dirre missetat die suslich anbaht hant.

XLV. Locus autem iudicationis et emendationis eorum est in Palacio Episcopi.

XLV. An der stat aber da man rithen sol, und bessern, daz wirt in dez Bischoves Phalzen.

XLVI. Si qui vero predictorum inobedientes facti fuerint Burcgravio, ipse causam defert ad Episcopum.

XLVI. Swelre aber under disen ungehorsam werdent dem Burcgraven, sol er die sache bringen für den Bischove.

XLVII. Item ad ius Burcgravii spectat quedam Thelonea accipere, ut gladiorum qui vaginis inclusi portantur in foro venales. Aliorum autem, qui in navibus de Colonia, vel undecunque portantur, Theloneum accipiet Thelonearius.

XLVII. Und aber zu dez Burcgraven reht höret ze nemenne sumiliche zolle, als der zwerte die man treit beslozzen in den scheiden an dem markete viele. Und der ander die man in den schiffen von Kölne, eder anderswa bringet der swert sol nimet der Zolnere.

XLVIII. Item olei, nucum, pomorum undecunque adducta fuerint et vendita pro nummis, Theloneum accipiet Burcgravius. Si vero pro sale, vel vino, vel frumento, vel quocunque alio precio vendita fuerint, Theloneum dividet Burcgravius cum Theloneario.

XLVIII. Aber der Burcgrave nimet den zol des oleies, der nusse, und der ephele, swannan si har gefüret werdent, und vercoft umb phenninge. Ast ez aber umbe saltz, oder umbe win, oder umb corn, oder umb welrehande lon vuercoft werdent, den zol teilet der Burcgrave mit dem zolnere.

XLIX. Preter predicta, omnia Thelonea alia pertinent ad officium Thelonearii, quae tamen fiunt diverso modo.

XLIX. An dise vorgenanten zol, die anderen zolle allesament horent zu dez Zolneres ambahte, doch geschent in solliches manigerhande wiz.

L. Si quis de navi una in alteram navim mercaturas suas transposuerit, de utraque navi dabit quatuor denarios.

L. Swer sinen coffchatz usser enne schiffe in daz ander leget, der git von dem ietwedme schiffe vier phenninge.

LI. Quicunque mercator transierit in hanc Civitatem cum

LI. Swelicht cofman kumit in dise Stat mit sime soume, und

sonmis suis, si nichil vendiderit vel emerit, nullum theloneum dabit.

cofet oder vercofet nihtesniht, der engit dekeinen zol.

LII. Quicunque de familia Ecclesie huius vir, vel mulier vendiderit in hac Civitate res, quas vel manibus suis fecerit, vel que creverint ei, non dabit Theloneum. Et si quid emerit ad opus suum, quod gracia lucri vendere noluerit, similiter Theloneum non dabit. Si quis tamen inposuerit ei, quod res vendite sibi non creverint, ab ipso facte non fuerint, vel causa lucri emerit, simplici manu sua se expurgabit.

LII. Swelich mensche ist dez gesindes dirre Stift, ez si wip oder man, vercoft er in dirre Stat die sache die mit sin selbes hant er hat gemaht, oder die im gewahsen sint, da von engit er niht zolles. Und coft er aber uz iht zu sinme nutze, daz er uf gewin niht wil vercofen, da engit er ouch niht zolles von. Und zihet in aber ieman daz daz vercoft gut ime niht enwahse, oder erze selber niht enmahte, oder cofte uf gewin, so entredet er sich mit sin eines hant.

LIII. Si quis emerit, vel vendiderit citra quinque solidos, Theloneum non dabit.

LIII. Swer aber cofet, oder vercofet under funf schilling, der engit niht zolles.

LIV. De quinque solidis nummum dabit, de talento quatuor, de equo quatuor, de mulo quatuor, de asino denarium.

LIV. Vor funf schilling git man einem phenninc, von enne phunde viere, von einem rosse viere, von einem mule viere, von enne esele einen phenninc.

LV. Theloneum de carbonibus et de canapo Thelonearius non accipit, quod Episcopi hucusque sumpserunt, sicut et bannum de vino, et panes, qui dicuntur bernbrot, obtinuerunt.

LV. Den zol, der da gat von kolen, und von dem haniffe, den nimet der zolnere niht: die Bischove hant in biz har genomen, als ouch den ban von dem wine, und daz brot, dem man da sprichet bernbrod.

De Officio Thelonearii.

LVI. Ad Officium Thelonearii pertinet omnes mensuras minutas, sive grandes in sale, in vino, oleo, frumento a Magistro cauponum formatas ignito ferro cauteriare; et eas nulli debet concedere, nisi forsan concivi suo ad amam vini, vel quartale frumenti, et in huiusmodi parvis et sine pretio.

LVI. Zu dez Zollers Ambaht horet daz er alle die sestere, und mase, si sin cleine oder groz, an dem saltze, wine, oleie, korne, die da von den winliuteren Meistere beschophet sullen sin, zeichenen mit enne gluiende isin: und ensol si nieman lihen, ez si danne sinen burgeren zu enne amen wines, oder zu enne vierteil kornes, und an suslichen cleinen dingen, und ane lon.

LVII. Has tamen quicunque Civium voluerit ad opus suum habere, licet ei, ita quod ex Thelonearii consciencia et per ipsum signate sint. Sicut etiam

LVII. Swelche Burgere aber dise wil haben zu sinne geschefede, dem ist ez wol erlobet eht, ez si mit dez Zollers wissende, und die maze si gezeichent von

licet unicuique Burgensium pondera librarum in domo sua propria habere, ita tamen quod a Monetario sint formata.

im; als ouch einem ieglichen Burger wol müzlich ist in sinem huse die gelote der wagen zu habenne, also daz die gelote von dem Munsemeistere sint beschopfet.

LVIII. Est item Officium Thelonearii omnes pontes de nova urbe, quotquot fuerint necessarii, et Burcgravii omnes de veteri construere ita firmos, quod cum plaustris et iumentis suis quilibet secure possit transire. Quod si ex vetustate, vel nimia attritione, vel quacunque debilitate poncium aliquis dampnum accepit, Thelonearius, aut Burcgravius singuli in suis cogentur de iure restituere.

LVIII. Aber zu dez Zolleres Amhahte höret daz er alle die brucken der nuwen stete, als vil als man ir bedarf, und zu dez Burcgraven alle die in der alten Stat sint zu machenne, und also veste, daz ein ieglicher mit sinen wagene, und mit sinen vihe mit sicherheite dar uber muge varen. Ist aber daz ieman dekein schade geschit von der brucke swacheate, den schaden sol abetun der Zollere, und der Burcgrave ietweder nach sunne tünne.

De Officio Magistri Monetariorum.

LIX. Sequitur de Officio Monetarii. Hic ex iure potestatem habet iudicandi in falsam monetam, et in ipsos falsarios, tam in civitate, quam extra per totum Episcopatum, sine omni iudicum contradictione.

LIX. Dar nach gat ze Sagenne von dez Münsmeisters Ambahte. Der sol ze rehte han gewalt uber falsche munse, und uber die velschere in disem Bistume, und in dirre Stat, und uswendig dirre statte, also wit so ez ist, und sol ze reht dekein rihtere da wider reden.

LX. Ubicunque invenerit falsarium in toto Episcopatu, adducet eum in Civitatem, et secundum Iudicium civitatis iudicabit.

LX. Swa er aber denkein velschere vindet in disem Bistume, den sol er füren in die Stat, und sol inne rihten nach der Stete rehte.

LXI. Debet autem moneta esse in eo pondere, quod viginti solidi faciant marcam, qui denarii dicuntur pfundig. Et hec stabilis et perpetua currere debet in hoc Episcopatu, nisi forte falsàta fuerit. Tunc enim per concilium sapientum mutabitur secundum aliam formam, non secundum pondus.

LXI. Unde sol aber die munse sin in der swere, daz zweinzic schillinge tunt ein marc: und sprichet man den pfenning phunde. Und dise munse sol stete und ewic gan in diseme Bistume si enwerde danne gewelschet, so sol man si wandelen mit wiser liute rate; und dise wandelunge geschit nach eineme anderen ceichene, und niht nach der swere.

LXII. Locus autem percuciende monete est iuxta piscatores. (*Codex secundus legum legit*: est prope forum iuxta statio-

LXII. Diu Stat da man die munse slahen sol, di ist bi deme Markete, bi der Meziger stete. Und die phenning sol man in en-

nem carnificum.) In una autem domo percutiendi sunt denarii, ut omnes invicem opera manuum suarum videant.

ne huse slahen, daz alle liute daz werc irre hende an sehent.

LXIII. Nullus facere denarios debet, nisi qui sit de Familia huius Ecclesie.

LXIII. Nieman sol pfenninge machen, er ensi dann dez gesindes deses Goteshuses.

LXIV. In loco, ubi cambitores sedent, nullus alius homo argentum emere debet, nisi soli denariorum percussores. Alibi per totam Civitatem emant et vendant argentum quicunque volunt, nisi propter novam monetam interdictum fuerit.

LXIV. An der Stat da der wehseler sitzent; da ensol nieman anders dekein silber coffen, wan aleine die phenninge da slahent. An derswa, also wit so diu Stat si, so cofent, und vercofent ir silber swelhe so ez wellent, ez enwerde danne verboten durch einer nuwen münse willen.

LXV. Quanto nova moneta percutitur et vetus interdicitur a die interdictionis nunciabuntur terne quatuordecim dierum inducie, scilicet sex septimane, in quibus Monetarius quemcunque voluerit potest impetere, quod interdictam monetam acceperit. Quod si ille negare voluerit, cum septima manu iurabit se non fecisse, alioquin componet Monetario sexaginta solidos.

LXV. Swenne man ein nuwe münse sleht, und die alte verbiutet, von dem tag der verbietunge so kundet man vrist drie vierzehen naht, daz sint sehs wochen, so mac der Münsere eine iglichem zu rede setzen, daz er die verbotene munse habe genomen. Wil ers aber lougen, so swert er mit der sibenden hant, daz erz nith getan hab; anders er wettet dem Munsemeistre sehzich schilling.

LXVI. Finitis sex septimanis, nullum impetere debet, nisi quem viderit accipere interdictam monetam.

LXVI. So aber dise sehs wochen us koment, so ensol er nieman ansprechen, er ensehe in danne nemen die verboten münse.

LXVII. Si viderit, accipiet denarium, ducet eum in iudicium, ibique ipsum pulsabit. Et si ille negaverit, cum honestis tribus personnis convincet eum quod acceperit, et convictus sexaginta solidos componet ei. Quod si noluerit eum convincere, ipse manu sua se expurgabit.

LXVII. Und siht ers, er nimet im die phennige, und füret in an daz gerihte, und da sprichet er in an. Und wil ers aber lougenen, so beret man in mit drien ersamen mannen, daz er die phennige genomen hat, und so er alsus beret wirt, so wettet er im sehzich schilling. Wil ern aber niht uberreden, so get er mit sin eines hant davon.

LXVIII. Non licet autem aliquem impetere, nec debet quisquam componere, nisi pro denariis, qui dicuntur phundig.

LXVIII. Und sol ouch nieman angesprochen werden, noch ensol nieman wetten wande umbe phundige phenninge.

LXIX. Si quis etiam coram Monetario dampnationem manus acceperit, iudicabitur sicut supra coram Causidico.

LXIX. Swem ouch die hant wirt furteilet vor dem munsemeister, vor dem sol gerihtet werden, als da vor geseit ist vor dem Schultheissen.

LXX. Si Episcopus voluerit argentum de Camera sua fundere, et inde denarios percuti, accipiet illud Magister monete, et dividet inter monetarios, ut inde denarios faciant. Et si denarii sunt phundig, reddat de marca viginti solidos, minus duobus denariis.

LXX. Wil der Bischof daz im silber werde gozzen von siner kameren, und daz man da uz phenning slahe, daz sol der Munsmeister nemen, und sol ez teilen under die munsere, daz si dar uz phenninge machen. Und sint die phenning phundig, so gat von einer marc zwenzic schillinge minre zwen phenninge.

LXXI. Si autem in quocunque pondere leviori percussi fuerint, semper duobus denariis minus reddetur de marca.

LXXI. Ist ez aber daz si in eine lihteren gewege geslagen werdent, so sullent allewege zweir phenninge minre von der marc gan.

LXXII. De camera Episcopi ministrabuntur eis carbones. Ad marcam dantur tria sextaria carbonum.

LXXII. Man sol in geben kolen von dez Bischoves kamere: zu der marc git man drie sester kolen.

LXXIII. Quando novam monetam Episcopus percuti iubet, a principio quinque solidi fiunt in ea forma et pondere, quo moneta cursura est.

LXXIII. Swenne der Bischof ein nuwe munse heizzet slahen, zum ersten so machet man funf schilling, mit dem male, und swere alt ouch die munse gen sol.

LXXIV. Hos servabit Burcgravius, quandiu moneta illa durabit, ratione ut si forte moneta illa falsata esse accusetur, per illos quinque solidos examinetur et certificetur.

LXXIV. Dise schilling gehaltet der Burcgrave also lange, so dise munse redliche gart: und wirt die munse gevelschet geseit daz er die schillinge versuche.

LXXV. Monetarius quoque iurabit, quod in eo pondere et forma, quam illi quinque solidi habent, monetam sit percussurus.

LXXV. Und swert der Munsemeister, daz si furgant in demselben male, und swer, als ouch die funf schillinge, werdent geslagen.

LXXVI. Quando Monetarius ferramenta, in quibus denarii formantur, Episcopo resignabit, reddat ei duo in forma nummorum et duo in forma obulorum. Preterea alia omnia ita ex toto resignabit, quod iurabit se non habere plura, nec scire aliquem habere. In quibus forme delebuntur et frangentur fragmentaque Monetario reddantur, aut ipse cum licentia Episcopi integra et illesa retinebit.

LXXVI. Swenne der Munsemeistre dem Bischof die isen, der phenning male uf git, so git er zwei der phenning male, und zwei der helbelinc male. Und darnach git er die anderen allesament also gar uf, daz er behebet mit dem eide, daz er niht me enhabe, noch nieman wisse der si habe. Und dirre isin ceichen dilgest man und brichet si, und git si den Munsemeister wider, oder behebet si mit dez Bischoves urlobe gantze und unzerbrochen.

LXXVII. Quicumque ius monetariorum habere desiderat dimidiam marcam auri dabit Episcopo, monete Magistro quin-

LXXVII. Swer der munsere reht gert zu habene, der sol geben dem Bischof eine halbe marc goldes, dem Munsemeister funf

que denarios auri, monetariis vinginti solidos gravis monete.

guldin phenninge, den munseren zwenzich schilling der sweren phenning.

LXXVIII. Quando Episcopus monetam mutare voluerit, ferramenta monete per sex ebdomadas dabit.

LXXVIII. Swenne der Bischove die munsce wandelen wil, so sol er geben die isin zeichen der munzen in den sehse wochen.

LXXIX. Quicunque monetarius extra civitatem habitans in Civitate argentum emerit, iustitiam monete persolvat.

LXXIX. Swelich munzer wonet uzer der Stat, und cofet silber in der Stat, der sol geben munzen reht, dem man sprichet Slegeschatz.

LXXX. Quicunque muros, vel vallum civitatis dissipaverit, componet quadraginta solidos Burcgravio.

LXXX. Swer die mure, oder dem graben der stette brichet, der sol dem Burcgraven wetten sehzic schilling.

LXXXI. Quicunque super stratam edificaverit, similiter dabit ad emendationem burcgravio. Nulli vero debet licentiam dare.

LXXXI. Swer aber uf der Strazzen buwet, der sol och wetten, und bezzeren dem Burcgraven: er sol aber niemanne urlob geben.

LXXXII. Nemo fimum aut purgationem ante domum suam ponat, nisi statim educere velit; exceptis locis ad hoc statutis, scilicet iuxta Marcellum, item iuxta sanctum Stephanum, itemque iuxta puteum in foro equorum, et apud locum qui dicitur Gewirke.

LXXXII. Nieman sol legen dekeinen mist für sin hus, er enwelle in denne zehande emwec füren an die Stat die man hie uz nimet, sunderliche als bi den fleischbenken, bi sant Stephane, bi dem brunnen an dem rossemarkte, und an der Stat der man sprichet gewirke.

LXXXIII. Vallum Civitatis debet in circuitu habere extra a muro sexaginta pedes, intus triginta pedes.

LXXXIII. Der Stete grabe der sol haben alumbe sich uzwendic der muren sehzich schuhe, indewendic drizzic.

LXXXIV. Quicunque molendinum facere voluerit, licenciam a Burcgravio et consensum burgensium queret: quibus duobus habitis, aureum nummum burcgravio dabit.

LXXXIV. Swer ein müle wil machen, der sol mit der Burcgraven urlobe ez tun, und der burgere wille. Und so er ietwedes erwirbet, so git er dem Burcgraven einen guldinen pheninc.

LXXXV. Nemo tribuat theloneum de nattis, de pullis, de anseribus, de ovis, de porris, de caulibus et aliis quibuscunque oleribus, de scutellis, de bechariis, nisi vendat valens quinque solidos.

LXXXV. Nieman sol dekeinen zol geben von matten, von hünren, von gensen, von eiern, von . . . . . . von kolen, noch von anderen crutern, noch von schüzzeln, noch von becheren, er vercofe den gegen funf schillinge.

LXXXVI. Nemo porcos in Civitate debet habere, nisi pastori eos committat.

LXXXVI. Nieman sol dekein verher in der Stat haben, er entum ez fur den swein hirten.

LXXXVII. Curtis autem,

LXXXVII. Der plan aber da

ubi porci pascuntur, est inter portam, que dicitur vellemannes burgetor, et aliam portam proximam.

die verher sullen gan ir weide suchen, das ist zwischent der porten der man sprichet vellemannes burgetor, und der anderen porten der nehsten.

De iure Episcopi.

LXXXVIII. Ad ius Episcopi pertinet, ut de hac Civitate habeat vigintj quatuor legatos, et hos tantum de genere mercatorum. Quorum officium est infra Episcopatum tantum facere legationes Episcopi ad homines suos. Qui si dampnum interim aliquod passi fuerint, vel in persona, vel in rebus suis, quas in itinere duxerint, Episcopus debet eis restituere.

LXXXVIII. Zu des Biscoves rehte höret daz er habe vier und zweinzich boten, und dise sulent sin von des koffliutc geslehte. Und zu der ambaht horet, daz si innewendic dez Bistumes kreisse dez Bischoves botschaft tun zu sinen liuten. Und obe si dekeinen schaden nement an dem libe, oder an dem gute, daz si mit in uf ir verce dafürent, den schaden ist der Bischove schuldic abe ze tunde.

LXXXIX. Debent singuli singulis annis huiusmodi legatione ter fungi cum expensis Episcopi. Hiis ex parte Episcopi talis honor exhibendus est, quod in suis festivitatibus, quando homines suos invitaverit, debent honestas coram ipso sedes habere ad prandium, ut eisdem hominibus suis eo nociores officiantur.

LXXXIX. Ieglicher under disen sol iegliches jares süsliche botschaft tun mit des Bischoves koste. Disen sol man süslich ere bern, daz si in sinen hoh geziten, so er sine liute gelatet zu tische, so sulent si ersamen gestüle haben vor dem Bischove, daz si sinen liuten dester baz erkant werden.

XC. Cum Episcopus intraverit Civitatem, equi stabulandi sunt in dominico stabulo, quod incipit ab Hospitali et procedit in circuitu muri usque ad Pomerium Episcopi.

XC. So der Bischof kumet in die Stat, so sol man sine ros Stallen in dem stadelhove, der hebet an vor dem spitale, unt get allumbe die mure bis an dez Bischoves Bomgarten.

XCI. Si plures habuerit equos, assument eos Causidicus, vel Iudices sui, et Marscalcus et stabulabunt eos in domibus, ubi peregrinorum solent esse hospicia. Si plures equos habuerit, non ponet eos de iure in aliquibus aliis domibus Civitatis, nisi id per preces obtinere poterit.

XCI. Het er aber vil rosse, so nimet die der Schultheisse, oder sine rihter, und der Marschalc, und stellent si in der offenen wirte huser. Het er aber me rosse, so ensol er zu rehte in dekeines burgers huse stellen, er enbite in dann darumbe.

XCII. Si autem Imperator, vel Rex intraverint, equi sui ubique hospitabuntur.

XCII. Ist aber daz der Keiser, oder der Kunic kumet in dise stat, so behberget man sin ros allent halben.

XCIII. Debent etiam sin-

XCIII. Die Burgere sulent alle

guli burgenses in singulis annis quinquies operari numero dierum in dominico opere; exceptis monetariis omnibus, qui sunt de familia Ecclesie, et exceptis duodecim inter pellifices, et exceptis sellariis omnibus, et quatuor inter cyrothecarios, et quatuor inter panifices, et octo inter sutores, et fabris omnibus, et carpentariis omnibus, et carnificibus, et cupariis vinariorum vasorum.

iar wirken funf tage, ane die münzere, die da sint dez gesindes der Stifte, und ane zwelfe under dem Kursenen, und ane die Satelere alle, und ane viere undet den Brobecken, und ane viere under den Hentschuheren, und ane ehte under dem Schusuteren, und ane die Smide alle, die Zimberliute, die Metzgere alle, und die Vasbinder alle.

De curti Dominica.

XCIV. Ad curtim dominicam que est infra Civitatem, dabit Causidicus tredecim boves ad aratra Episcopi, quos sumet de casu hominum Ecclesie morientium, et iumentum unum, quod Magister curtis equitabit et semina ducet ad agros.

XCIV. Zu dem Stadelhove dez Bischoves, der da ist innewendic der stat, git der Schultheisse drizehen ochsen zu dez Bischoves phlügen, die nimet er von den vellen der liute dirre Stifte, und ein pferde, daz dez hoves meister sol riten, und die sat zu dem ackere tragen.

XCV. Dabit etiam duodecim sues et duos verres, unum ad Episcopum, alium ad opus Burgensium.

XCV. Unde git ouch zwelf verher müter, und zwen widere, einen zu dez Bischoves tun, den andern zu der Burgere nutze.

XCVI. Episcopus in eadem curti ponet Stadelarium. Stadelarius dabit aratrum et egedam.

XCVI. Der Bischof setzet in den selben hof einne man, dem man sprichet der Stadeler der git den phluch, und die egeden.

XCVII. Cetera omnia, que necessaria sunt, prebebit Causidicus, excepta mercede et annona servientium.

XCVII. Daz ander alles dez man bedarf dar zu, das git der Schultheisse, ane der knechte lon und ane korn.

XCVIII. Iudicum uterque dabit in messibus quinque solidos et Magister molendinariorum unum solidum, et Magister cauponum unum solidum, ad emendum panem in messibus.

XCVIII. Ietweder der rihter git in der ernen funf schillinge, und der müllermeister einen schillinc der winliutemeister einen schillinc, brot ze kofenen in den ernen.

XCIX. Et quando trituratur frumentum Episcopi, dabit utrique Iudici maldrum unum, quia Iudices et precones custodire debent frumentum Episcopi in messibus, dum metitur.

XCIX. Unde swanne man daz Bischoves koren troschet, so git man iedwederme Rihtere ein malter kornes, wan die Rihtere, und butelere sullen dez kornes hüten, so man snidet.

C. Boves ad aratra Episcopi pertinentes non debet Causidicus in alium usum applicare,

C. Der Schultheisse sol die ohsen, die da hörent, zu den phlugen niht bruchen zu anderme

nisi foret ad colendam suam Schuchbuze, nec Episcopus in alios aliquos usus transferre, nisi aratri sui.

nutze dekeinenme, ez si dann zu ernen sine Schuhebusen, noch och der Bischove sol si tun, noch bruchen wan aleine in dem nutz sines phluges.

CI. Si inter hos boves unus, vel duo, vel plures senio, vel aliquo alio modo, preter morbum contagii, fuerint inutiles redditi ad culturam, carnifices debent carnes eorum vendere, et nummos Causidico dare, et interim nulle alie carnes vendende sunt.

CI. Ist under disen ohsen dekeine, der von altere, oder von andere swacheite, an den siehtagen dez schelmen unnütze wirt zum phlüge, so sulnt die mezigere das vleisch vercoffen, und die phenninge dem Schultheissen geben, und da enzwischen sol man dekein ander vleisch vercoffen.

De Pellificibus.

CII. Inter Pellifices duodecim sunt, qui cum expensis Episcopi facere debent pelles et pellicia, quantum Episcopus habuerit necesse. Horum materiam Magister pellificum, assumptis secum quotquot fuerint necessarii de his duodecim, emet de argento Episcopi vel Maguntie, vel Colonie. Si dampnnm aliquod in via acceperint tam in rebus, quam in captivitate, Episcopus debet eis restituere.

CII. Unter den kurseneren sint swelve, die mit des Bischoves kost sulent vel, und belleze machen, als vil ir der Bischof bedorf. Und der gezuc der dar zu köret cofet der kurseneren-meister mit dez Bischoves silbere zu Mentze, oder zu Kölne. Und nement si aber dekeinen schaden mit den irn von geventnüsse, oder von andere verlust sines gutes, daz sol in der Bischove abtun.

De Fabris.

CIII. Fabrorum ius est, quando Episcopus ierit in expeditionem Imperatorum, quod quilibet faber dabit equorum ferramenta quatuor cum clavis suis, de quibus dabit Episcopo Burcgravius ad viginti quatuor equos, reliqua sibi retinebit.

CIII. Der Smide reht ist swanne der Bischove vert in dez Keisers reise das ieglich smit sol geben vier rosse isen, und die nagele. Von den git der Burcgrave dem Bischove zu vier und zwinzig rossen, und behebet er im die anderen.

CIV. Si ierit Episcopus ad Curiam, quilibet dabit duo ferramenta cum clavis suis, de quibus Burcgravius ad duodecim equos dabit Episcopo, reliqua retinebit.

CIV. Und vert der Bischove ze Hove, so git ieglich zwei isin mit den nageln. Von den git der Burcgrave dem Bischove zu zwelf rossen, die anderen behebet er im.

CV. Pretera fabri debent omnia facere, que necessaria habuerit Episcopus in Palacio suo, sive in ianuis, sive in fenestris, sive in ianuis vasorum, que de materia ferri fieri con-

CV. Und ane dise so sullent si alles daz machen, dez der Biscof bedorf an siner Phalzen, ez si an türen, an fenstren, an der anderen sachen, da von isin gan sol, und sol in geben die materie

veniat, data eis materia ferri, et ministrata interim vivendi expensa.

dez isina, und da zwischen ir zerung.

CVI. Si Castrum aliquod Episcopus obsederit, vel ei obsessum fuerit, trecentas sagittas dabunt. Si pluribus eguerit Episcopus, de sumptibus suis et expensis sufficienter amministrabunt.

CVI. Ist daz der Bischof dekein Burg besitzet, odem im besezzen wirt, so geben si driuhundert schoz. Bedarf aber der Bischof mer schozze, so suln si im genuc gebn von siner coste.

CVII. Clausuras et cathenas ad portas Civitatis obserandas, datis sibi de re publica sumptibus et expensis, facere debent.

CVII. Si sulnt och machen die sloz, und die zeten die da horent zu dem tor und porte dirre Stete zu besliezzenne, und sol man ingeben von dem gemeine gut der coste.

De Sutoribus.

CVIII. Inter Sutores octo sunt, qui Episcopo eunti ad Curiam, vel expeditionem Imperatoris, dabunt thecas candelabrorum, baccinorum et cyphorum. Reliqua omnia quecunque necessaria fuerint ad predicta, vel ad obsidiones castrorum, sive in bulgis, sive in bustris, sive in quacunque conveniente predictis negociis suppellectile de nigro corio facienda de sumptibus et expensis Episcopi, facient.

CVIII. Under den Schusuteren sint ehte, swenne der Bischof zu dez Keisers Hof vert, oder herverte, so gent si im futer derkercestellen der beckine, und der nephe. Daz andere allez samet swelhes geschirres er bedarf zu dem sesse der burge, es si an bulgen, an laden, an anderme geschirre, das sullen si machen von swartzeme ledere von dez Bischoves coste.

De Cyrothecariis.

CIX. Quatuor inter cyrothecarios eunti Episcopo ad Curiam, vel expeditionem dabunt quantumque fuerint necessarium de albo coreo ad thecas candelabrorum, baccinorum et cyphorum. Reliqua omnia, quantumcunque fuerint necessaria ad predictas res, et ad castrorum obsidiones, de albo coreo facient de sumptibus et expensis Episcopi.

CIX. Under den hentschuhern sint viere swenne der Bischove vert zu Hove, oder ein reise so gent si von wisseme ledere als vil als man bedarf zu füterne die kercestal, die beckin, und die nephe. das anders alles daz man bedarf zu dem sezzen der burge, daz machent si von wiseme ledere von des Bischoves coste.

De Sellariis.

CX. Sellarii Episcopo eunti ad Curiam duas sellas soumarias dabunt, ad expeditionem Imperii quatuor. Si pluribus eguerit, de sumptibus et expensis Episcopi facient.

CX. Die Satelere gent dem Bischove, swenne er ze Hove vert, zwen somsetele, in einer herverte, vier setele. Und bedarf er mer setele, die süllen si machen uz dez Bischoves cost.

De purgatoribus Gladiorum.

CXI. Episcopo eunte in expeditionem, vel ad Curiam, qui gladios poliunt debent purgare gladios et galeas Vicedomini, Marscalci, Dapiferi, Pincerne, Camerarii et omnium, qui necessarii et cotidiani sunt ministri Episcopi. Preterea purgabunt venabula Episcopi, si necesse fuerit.

CXI. Die swert vegere, swenne der Bischof vert ein reise, oder zu Hove, so sullen si vegen des Vicedumes swert und helme, und dar zu dez Marschalkes, dez Truhsezzen, dez Schenken, dez Kameres, und aller des der man bedorf tegelich, und diennent dem Bischove. Und sullent ouch vegen des jagere gezuc, ob mans zenot bedarf.

De Becherariis.

CXII. Becherarii omnes becharios, quoscunque necessarios habuerit Episcopus vel in Curia sua, vel Imperatoris, cum eum adierit, vel proficiscens ad Curiam Imperatoris, de sumptibus et expensis ipsius, facient. Magister autem Cupariorum dabit materiam lignorum. Preterea cottidie dabit ligna Becherariis Episcopi.

CXII. Die Becharere alle die bechere, der das Bischove bedarf, oder sin Hof, oder des Keisers so er da zu kumit, oder so er zu dez Keisers Hofe kumet, so sullent si machen von des Bischoves coste. Und der Koufer meister der git daz holtz, und git alle tage dem Bischove Becherere holtz.

De Cupariis.

CXIII. Cuparii, data materia lignorum a Magistro suo, et circulis ligaminibusque datis a Cellerario Episcopi, facient omnia quecunque necessaria habuerit Episcopus domi existens, vel Imperator, vel Imperatrix cum presentes fuerint, ad balnea sua, et preterea ad coquinam, et ad opus pincernarum. Similiter et cum vadit ad Curiam, eadem omnia prebebunt cum sumptibus et expensis Episcopi. Preterea omnia vasa vinaria parva et magna Episcopi ligabunt, cum sumptibus et expensis eius.

CXIII. Die Koufere, swan der Bischof heim ist . . . . . . swes er danne bedarf zu der kuchin, zu dem bade, zu schenken dinc, und swenne er vert ze hofe, so sol in ir Meister holtz geben, und der Bischoves Keller reiffe, und bant, und sullent si machen alles daz dez Bischof bedarf, mit sinem cerunge. Und dar zu so sulnt si alle die wine vase binden dez Bischoves, si sint klein, oder groz mit dez Bischoves coste.

De Cauponibus.

CXIV. Cauponum ius est singulis diebus lune purgare necessarium Episcopi et granarium, si habere voluerit.

CXIV. Der Vimzaphere reht ist, daz si alle mentage vegen dez Bischoves lobelin, und sinen casten, ob erz enbern niht enwil.

De Molendinariis.

CXV. Molendinarii et Piscatores debent Episcopum in aqua vehere quocunque voluerit

CXV. Die Mülnere, und Vischere sullent den Bischove in dem wassere füren, swar so er vil, en-

inter Rust superius et Velletor inferius; quibus Theloncarius prebebit naves quotcunque fuerint necessarie. Ipsi enim cum remis suis intrabunt et reducent eas ad Pomerium Episcopi, unde et duxerunt cum expensis ipsius. Dabunt autem Piscatores duos viros, Molendinarii tercium virum. Si de sua negligencia naves perdiderint, solvent. Si vi fuerint eis ablate, Episcopus restituet.

zwischen Rust obene, und Velletor hie indene; und der Zollere sol schif geben zwar mansi bedarf. Si sullent mit iren rudern dar ingan, und widerbringen zu dez Bischoves Bomgarten, dannen si ez hant gefüret mit dez Bischoves coste. Und die Wischere gebent zwen man, die Mülnere einen. Und verliesent si di schif von irre versumnisse, si geltent si: und werdent si in aber freveliche genomen, der Bischof wider tut ez.

De Piscatoribus.

CXVI. Piscatores debent piscari ad opus Episcopi inter nativitatem sancte Marie et festum sancti Michaelis singulis annis tribus diebus et tribus noctibus, cum omnibus suis instrumentis, cum aqua plus fuerit idonea, inter Velletor inferius in Reno et Rust superius; in Alsa usque Ebersheim, in Bruscha usque Mollesheim, in Schuttura usque Merburg, in Kintsika usque Kinzdorff, cum expensis Episcopi. Infra terminos hos nullus eos excludere audeat ab aliqua aqua, nisi que sub claustris coarctata est.

CXVI. Die Vischere sullent vischen dem Bischove enzwischen unserre Frowen Mezze der jungeren und sancte Michels Mezze iesliches iares dri tage und dri naht, mit allem irem geschirre, so dem wazzen reht ist, zwischent Velletor indene ime Rine, und Rust obene; in der Ile biz Ebersheim; in der Bruschen biz Mollisheim, in der Schuttere biz Merburc, in der Kinziche biz zu Kindesdorf, mit dez Bischofes costen. Hie enzwischen so ensol in nieman die wazzer weren noch dekeines want wihere, und andere wazzer, die iemanes sunderlichen sint.

CXVII. In Bruscha a Vallo superiori Civitatis usque ad inferius, iuxta sanctum Stephanum, nullus audeat piscari sine licentia Episcopi, vel Dapiferi sui.

CXVII. In der Bruschen von dem obersten graben der Stete biz zu dem nidersten bi sancte Stephane, so ensol nieman vischen, ane dez Bischoves urloub, oder sines Druhsezzen.

De Carpentariis.

CXVIII. Carpentarii singulis diebus lune debent in opus Episcopi ire cum expensis ipsius. Cum summo mane venerint ante Palacium, non audeant recedere ante sonitum campane, que ad Missam mane pulsatur. Si interim non fuerint in opus Episcopi assumpti, liberi illa die recedant. Non sunt cogendi ire in alicuius opus alterius, nisi Episcopi.

CXVIII. Die Zimberliute sullent alle mentage zu dez Bischoves werke gan mit siner cost. Und sol si koment vil fru fur die Phalzen, so sullen si dannen niht keren e si horen zu frumessen luten. Sint si danne niht genumen zu dez Bischoves werke, si gant dannen vri dez tages. Und sol ir niht twingen fürbaz zu dekeines mannes werke want alleine des Bischoves.

IURA MINISTERIALIUM
ECCLESIAE COLONIENSIS.
EX MEMBRANA SAECULI XII.

IURA MINISTERIALIUM BEATI PETRI.

In nomine sanctae et individue Trinitatis. Hec sunt iura ministerialia sancti Petri in Colonia ab antiquo ordinata et statuta servata et servanda.

I. Ministeriales beati Petri Domino suo Archiepiscopo fidelitatem sine aliqua exceptione facient, et eam ei contra omnem hominem servabunt.

II. Si aliquis hominum Terram Coloniensem et terminos Episcopatus invadere voluerit, universi Ministeriales beati Petri tam beneficiati quam non beneficiati ad defendendam Terram Domino suo Archiepiscopo assistere et usque ad terminos Episcopatus eum cum armis sequi debent; si autem Archiepiscopus ultra procedere voluerit, ipsi eum longius sequi non tenentur, nisi hoc de voluntate sua faciant, aut Dominus eorum apud eos hoc promereatur. Si autem reditus Archiepiscopi, ubicumque extra terminos Episcopatus siti sunt, ab aliquo violenter invasi fuerint; ipsi ad hanc violentiam reprimendam Dominum suum illuc sequi debent.

III. Item si Archiepiscopus alicuius Ministerialium suorum quacunque occasione offensus fuerit, ita quod gratiam suam ei denegat, et bonis suis eum exheredat, ille ministerialis Nobiles Terre et eos precipue, qui summi Officiales Curie vocantur, precibus et obsequio invitare debet, quatenus ipsi apud Dominum suum pro recuperanda gratia eius intercedant. Quodsi ipse infra annum eam recuperare non valuerit, expleto anno ad alium Dominum se transferre poterit, ut illi serviat. Ita tamen, ut nec rapinas nec incendia contra Dominum suum Archiepiscopum exerceat. Si autem Archiepiscopus eum non exheredat, sed tantummodo gratiam suam eidem denegat, ipse post predictum annum expletum, servitium suum Domino suo Archiepiscopo subtrahere potest, donec gratiam suam recuperet.

IV. Item Ministeriales beati Petri ad Coronationem Imperatoris cum Domino suo Archiepiscopo ultra Alpes in Expeditionem ire te-

tenentur, illi specialiter, qui quinque marcas vel amplius in redditibus de eo tenent praeter solum Advocatum Coloniensem et Camerarium. Hi siquidem duo domi manere debent, Advocatus ut reditus curtium Episcopalium colligat et conservet, Camerarius redditus Thelonii et Monetae. Reliqui vero omnes, qui quinque marcas vel amplius beneficiati fuerint, si Archiepiscopus voluerit sine omni occasione ad hanc Expeditionem ibunt et Archiepiscopus cuilibet eorum x. marcas ad se praeparandum dabit, et xv. ulnas panni, qui *Scharlot* dicitur, ut servos suos inde vestiat, et duobus Militibus somarium unum cum sella et cum omnibus pertinentibus ad sella, et duas Bulgas cum tegumine, quod *Deckhuit* dicitur et IIIIor ferramenta equi cum xxIIII clavis. Cum ad Alpes ventum fuerit, debet cuilibet Militi deinceps per mensem marca una de camera Archiepiscopi dari pro expensa sua. Hec marca quandocumque et cuicumque tempore debito denegata fuerit, ille Miles Officialibus Curie hoc notificabit, et per eos si potest, hunc defectum stipendii sui recuperabit. Si vero per eos recuperare non voluerit, baculum excorcitatum super lectum Domini sui cum testimonio Domesticorum suorum circa noctem deponet, nec baculum illum aliquis amovebit, donec Archiepiscopus dormitum vadens eum illic recipiat. Si Archiepiscopus quesierit, quis hoc fecerit, et Miles ille stipendium suum per hoc recuperaverit, ipse cum Domino suo procedat. Sin autem, idem Miles in mane ad Dominum suum veniet, et flexis coram eo genibus cum testimonio duorum Domesticorum suorum oram pallii sui deosculabit, et sic licite repatriabit, quod nec Iuris, nec honoris, nec rerum detrimentum exinde patietur. Si autem Archiepiscopus iratus pallium deosculari eum passus non fuerit, ipse testimonio duorum domesticorum suorum super hoc invocabit, et sic similiter licite recedet. Illi autem qui minus quam quinque marcas de Archiepiscopo tenent, si noluerint, in Expeditionem istam non ibunt, sed quilibet eorum *Hersturam*, scilicet medietatem reddituum feudi sui dabit. Hiis autem omnibus tam cum quinque marcis quam infra et supra beneficiatis Archiepiscopus hanc Expeditionem ante annum et diem denunciabit.

V. Item omnium Ministerialium Beati Petri nullus sententiam Archiepiscopo dicet praeter solum Advocatum Coloniensem si opus fuerit; si presens non fuerit, sententiam dicet alius Ministerialis beati Petri, de quo Archiepiscopus eam requisierit.

VI. Item Advocatus Coloniensis has xII. Curtes Elverveldc, Heelden, Zuntze, Dutze, Merreche, Primmstorp, Lunreche, Deckstein, Blatzheim, Mertzenich, Rudinsheim, sua habebit potestate et procuratione, ut Villicos in eis ponat et deponat, prout Domino suo expedire viderit: et quia Mertzenich et Rudinsheim a reditibus Episcopalibus alienata sunt, et Dominis aliis in beneficio concesse; ideo Burche et Bardenbach Advocato pro eis sunt deputate. Reliquas Curtes omnes Episcopales ipse Dominus Archiepiscopus in sua tenebit potestate, ut de Villicis pro sua voluntate ordinet et disponat.

VII. Item nullus Ministerialium beati Petri cum altero Ministeriali sancti Petri Monomachia inire potest, quidquid unus adversus alium fecerit. — Quodsi unus alterum pro libitu suo sine iustitia occiderit, proximi illius occisi querimoniam coram Domino suo Archiepiscopo de occisore deponent. Quodsi occisor factum confessus fuerit, ipse in potestatem Domini sui iudicabitur. Si autem factum negaverit, Archiepiscopus testimonio vII. Domesticorum suorum, qui nec occisi nec occisorum cognati sint, eum de homicidio convincet; convictus in po-

testatem Domini sui iudicabitur. Postquam in potestatem Domini sui iudicatus est, sequetur Dominum suum omni tempore quocunque Dominus ierit cum tribus equituris et duobus servis, ita quod nullo tempore se conspectui Domini sui sponte ostendat, nisi forte inscienter vel in via, ubi Dominus ex inopinato per viam, quam venit, subito revertitur. Victualia et pabulum sibi et duobus servis suis, curia ei providebit. Sic autem Dominum suum continue sequetur, ut semper apud Priores Colonienses et Dominos Terre et apud omnes quos potest studiose laboret pro recuperanda gratia Domini sui, et ut inimicis suis de morte occisi reconcilietur. Quodsi hoc infra annum et diem obtinere non valuerit, tunc Advocatus Coloniensis et Camerarius pariter recludent eum in Camera, que proxima est Capelle beati Thome sub palatio Archiepiscopi; ideo proxima Camera Capelle, ut per fenestram in Capellam intrantem singulis diebus divinum officium audire possit. Sic autem recludetur: Filium stammeum de poste ad postem per medium hostii tendetur, et in utroque fine sigillum cereum appenditur; et quum Sol in mane ortus fuerit, hostium Camere aperietur, et usque ad occasum solis apertum stabit. Toto die sub protectione et pace Archiepiscopi securus ab hostibus suis manebit. Post occasum vero Solis hostium suum ita ab intus firmet, ut ab hostibus suis illesus et indempnis maneat. In hac Camera propriis expensis sustentabitur, ita quod Curia nihil ei providere (tenetur). Numquam etiam omnibus diebus vite sue egredietur, nisi prius recuperata gratia Domini sui et amicitia inimicorum suorum, quos de morte occisi sibi comparavit. Archiepiscopus tamen eum nunquam in gratiam suam resumet, nisi prius cum amicis occisi composuerit. Nunquam siquidem ut dictum est, inde egredietur, nisi certis temporibus anni scilicet in Nativitate Domini, in Paschate et in Festo Sancti Petri; habet etenim licentiam egrediendi in Natali Domini per tres dies, in Pascha per tres dies, in Solempnitate Sancti Petri, quum Synodus Episcopalis celebratur, per tres dies, ut tunc universos Priores Ecclesie et Dominos terre et omnes amicos et domesticos suos moneat et roget, quatenus pro eo intercedant; et post hoc triduum statim in Cameram suam non impetrata gratia revertetur, et sicut prius illic inclusus permanebit. Quodsi alio modo egressus fuerit, penitus totius iuris sui tam synodalis quam secularis expers efficitur, et ab omni honore et dignitate sua destituitur; et si postmodum in Ecclesia vel in Seminario, vel in urbe, vel extra urbem, vel sub pacis tempore, vel extra pacem, sive quocunque loco, quocunque tempore fugatus, captus, occisus fuerit, illud omni vindicta carebit; et mortuus in Cimiterio non sepelietur. Quamdiu autem in Camera perseveraverit, per totum diem amici et cognati et noti ad eum licite ingredi et egredi poterunt, et loqui et esse cum eo, ita tamen, ut ingredientes et egredientes filum et sigilla nec rumpant, neque ledant. Uxor quoque sua poterit ad eum ingredi, et manere cum eo; si tamen prolem de ea intugenuerit, proles illa legitima non erit, et secularis iuris expers manebit

VIII. Item si Ministerialis Beati Petri Ministerialem Imperii ad Monomachiam coram Archiepiscopo vocaverit infra XV. Dies illos, qui pugnaturi sunt, Archiepiscopus utrumque eorum ad Imperatorem transmittet, ut coram eo pugnent, et Ministerialis Beati Petri illic iustitiam suam prosequetur. Versa vice Imperator faciet; si Ministerialis Imperii Ministerialem Beati Petri coram se ad pugnam traxerit, ipse ambos ad Archiepiscopum transmittet, ut Archiepiscopus inde iudicet, et quia hoc modo Imperator Ministeriales Beati Petri non iudicat, sed eos ad Dominum ipsorum remittit, evidens est et manifestum, quod Nobiles Terre Coloniensis,

qui Iurisdictionem in locis et terminis suis habent, nulla ratione habent iudicare Ministeriales Beati Petri de allodiis et de capitibus suis; sed si aliquid contra eos habuerit, vel personas vel allodia eorum tangat, coram Domino suo Archiepiscopo querimoniam de eis proponat, et iustitiam suam ibi prosequantur.

IX. Item nullus Archidiaconus, nullus Decanus, nullus Ecclesiasticus Ministeriales Beati Petri iure synodali citabit vel excommunicabit sub aliqua re, quam aliquis eorum in persona propria commisit, nisi forte Decimas vel res Ecclesiarum iniuste invaserint vel sibi usurpaverint: si hoc fecerint, coram Archidiacono vel Decano vel Ecclesiastico de iniuria respondeant in cuius terminis eam commiserunt. Alio modo si dignum correctione aliquis eorum quidquam egerit, Capellarius Archiepiscopi hoc de eis emendabit. Capellarius proximo die post Festum sancti Petri synodum suum celebrabit in veteri domo Archiepiscopi ante Capellam beati Ioannis et in lapidea Cathedra ibidem sita ipse residebit, eruntque presentes illic beati Petri Ministeriales omnes, ut de Excessibus suis, quos personaliter commiserunt, Capellario suo tanquam Patri suo spirituali respondeant.

X. Item singuli et omnes Ministeriales ad certaofficia Curiae *nati et deputati sunt.* Officia quinque sunt; in hiis officiis servire solummodo debent Ministeriales beati Petri et specialiter illi, qui inter eos seniores inveniuntur. Illi autem servient hoc modo. Quilibet eorum per sex ebdomadas serviet in suo Officio, ad quod natus est, finitis his sex ebdomatibus ipse cum licentia Domini sui domum ad propria redibunt, et alii loco illorum, prout ordo *expetit, succedent.* Quicunque autem licentiam domum redeundi quererit, sic eam queret; veniet in presentiam Domini sui et ibi dicet, sex septimanas suas expletas esse, et licentiam domum revertendi postulabit. Que si ea a Domino denegata fuerit, osculabitur oram clamidis eius, et sic recedat, nec in hoc offendisse debet Dominum suum. Si autem Dominus nullatenus eo carere voluerit, et benignitas Domini illum ad manendum induxerit, Dominus in Curia sua honeste, in quocunque servitio sibi placuerit, retinebit, non tamen ei deserviet in aliquo horum quinque officiorum, donec iterum terminus sex septimanarum per ordinem eum contingit.

XI. Item in tribus solemptnitatibus anni, scilicet in Nativitate Domini, in Pascha, in festo sancti Petri Archiepiscopus xxx *Milites de Familia* de novo vestire debet. Vestes tales erunt: in Nativitate Domini, quia frigus est, dabit ipse cuilibet eorum Pennam gascam gulatam, cum merdrino linilo et circumductam laco, coreo et sculpto, quod *Erg* dicitur, et pellicium griseum cum lacis rubeis gulis et amplis manicis. In Pascha et in festo sancti Petri, quia tunc calor est, cuilibet Pennam variam et pellicium varium. Quodsi vestes dare noluerit, vi marcas cuilibet pro vestibus dabit: has autem vestes illi quinque Officiales, qui tunc temporis per septimanas suas serviunt, certo loco accipient; reliqua xxv paria Dominus pro voluntate sua reliquis militibus de familia sua ministrabit.

XII. Item quicunque Ministerialis beati Petri filios habuerit, mortuo patre senior filius obsequium Patris recipiet, et ius serviendi in Curia Archiepiscopi in suo officio, ad quod natus est, obtinebit. Quicumque frater suus Miles fuerit, nec adeo dives quin servire eum oporteat, ille cum Dextrario suo, Clippeo et Lancea in Curiam Archiepiscopi ante porticum beati Petri veniet, et si servo caruerit, ad lapidem descendat qui perforatus illic iacet; tunc habenas freni sui

circa foramen lapidis deponet et lanceam per medium in foramen defiget et Clippeum appodiabit, et hec omnia sine custode salva erunt, in pace (LEGE *et pacem*) ex parte Archiepiscopi usque ad reditum suum habebunt. Deinde Ecclesiam beati Petri ad orandum intrabit, et facta oratione Ecclesiam egrediens domum Archiepiscopi ascendet, ibique coram Domino suo stans *se Militem esse, et Ministerialem* beati Petri profitebitur, atque fidelitatem et servitium suum Domino suo offeret. Et si Dominus eum in Curiam et Familiam suam tunc receperit, ac postmodum ille per annum integrum Domino suo laudabiliter servierit, Dominus pro gratia et beneplacito suo eum inbeneficiare tenetur, et ille ei imposterum serviet. Si autem Dominus eum non curaverit, nec in familiam suam receperit, ille flexis genibus cumtestimonio astantium oram pallii deosculabitur, et ad Dextrarium suum regredietur, et eo ascenso, quocumque voluerit, eat, et cuicumque voluerit, serviat. Si postmodum alicui Domino servierit, et Dominus ille Guerra contra Archiepiscopum conceperit, Miles ille, si noluerit, ab hoc Domino propter Dominum suum Archiepiscopum non recedet. Si etiam Archiepiscopus illius Domini Castrum obsederit, et Miles iste in hoc Castro inventus fuerit, propter praesentiam Domini sui Archiepiscopi, non dimittet quin illo Domino serviat, et Castrum eius, sicut melius potest, defendat; ita tamen quod nec rapinas nec incendia contra Dominum suum Archiepiscopum agat.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA THORMANNIANA.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

IN TOMO PRIMO.

Pag. 10. *lin.* 9. *sup.* Parentheses, quibus in editione legis Salicae voces Malbergicas distinxi, omnino delendas esse, nunc persuasum habeo, cum neque in editione Heroldina neque in caeteris Codicibus habeantur.

— 11.	— 6.	*inf.*	*loco*	sol. XII.	*lege* sol. XVII.
— 15.	— 7.	—	—	ICCCC. den.	— IDCCC. den.
— 22.	— 18.	*sup.*	—	puelam	— puellam
— 25.	— 8.	*inf.*	—	sunt	— sint
— 31.	— 9.	—	—	IDCC. den.	— IDCCC. den.
— 50.	— 14.	—	—	triente	— et triente
— 52.	— 18.	—	—	solum	— solem
— 62.	— 8.	—	—	sol. LXXXVIII.	— sol. LXXVIII.
— 74.	— 1.	*sup.*	—	VIIIIM. den.	— VIIIM. den.
— 76.	— 1.	*inf.*	—	Gloss.	— Gloss. Pith.
— 81.	— 6.	*inf.*	—	scabulas	— scapulas
— —	— 10.	—	—	scabulas	— scapulas
— 115.	— 10.	*sup.*	—	tervus	— ternus
— 170.	— 19.	—	—	aut dominus eius cum sex iuret, *rectius legitur apud Heroldum:* aut cum sex iuret.	
— —	— 23.	—	—	aut dominus eius cum sex, *iterum rectius apud Heroldum:* aut cum sex	
— 174.	— 6.	*sup.*	—	ingenuum	— ingenuam
— 179.	— 16.	*inf.*	—	haereditatem	— in haereditatem
— 180	— 9.	*sup.*	—	denarius	— denariatus
— 181	— 13	—	—	quindecim solidis *i)*	— (quindecim solidis *i)*
— 184	— 23	—	—	extiterint ad	— extiterint, ad
— 185	— 17	*inf.*	—	sine	— sive
— 187	— 5	—	—	*coep. pro mallo. ordine*	— *coep. post mallo ordine*
— 200	— 12	—	—	neglexerit illum	— neglexerit reddere, aut contradixerit illum
— 201	— 6	*inf.*	—	Put. et	— Put. Sangall. et
— 202	— 27	*sup.*	—	illi	— illum
— —	— 8	*inf.*	—	*Isteordo*	— *Iste ordo*
— 209	— 3	—	—	*et*	— et
— 217	— 18	*sup.*	*loco*	autem os de capite et fractum	*lege* autem de capite os fractum
— 224	— 1	*sup.*	—	qui	— cui
— 226.	— 21.	—	—	simile restituat, unumquodque secundum etc. *rectius Herold.* simile restituat unumquodque, et secundum etc.	
— 227	— 5	*inf.*	—	Si quis	— Si qui

Gelso 231
[illegible]

marizeu [illegible]

149 fr. pegenses
151 margita

19 hispa

